I H M

J 7 2 2

Digitized by Google

1150

Sl. ref. 748 i

32

EX . LIBRIS . VIRI . DILECTISSIMI
THOMAE . LVCK . KINGSBVRY . A . M
PREBENDARII . DE . VFFCVLME
QVI . OBDORMIVIT . IN . PACE
IV . DIE . DEC . A . S . MDCCCXCIX
D . D
HELENA . MARIA . FILIA . HERES
BIBLIOTHECAE

SARISBVRIENSIS

Digitized by Google

CONFESS. EVANGEL. CAROLO V. CÆS. EXHIB. A

Digitized by Google

G. VINDEL. M. D. XXX. d. XXV JUNII.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONCORDIA

PIA

Et Unanimi consensu Repetita

CONFESSIO

FIDEI ET DOCTRINÆ

ELECTORUM, PRINCIPUME

ORDINUM IMPERII, ATQUE EO-RUNDEM THEOLOGORUM,

Qui

AUGUSTANAM CONFESSIONEM

amplectuntur:

Cui è Sacra Scriptura, unicâ illâ veritat

normâ & regulâ, quorundam Articulorum, qui post I MARTINI LUTHERI felicem ex hac vita exitum in controversiam venerunt, solida accessit

DECLARATIO;

Ante hæc tempora communi eorundem Electorum Principum ac Ordinum Imperii consilio, post vero singula Serenissimi Saxoniæ Electoris CHRISTIANI II. mandato, instituendis & erudiendis subditis Ecclesiis atque Scholis suis ad Posteritatis Memoriam typis vulgata.

CUM APPENDICE TRIPARTITA,

NOVIS INDICIBUS, &

SEREN. AC POTENTISS. POLON. & SAX. ELECT. PRIVILEG

Editio nova à mendis denuo repurgata.

LIPSIÆ,

Sumptibus Hæredum JOHANNIS GROSSII.

ANNO M. DCC. XIX.

Digitized by Google

H. ref. 748 i

Bayerische
Staatsbibliothek
München

B S B
MÜNCHEN

T 93/38

Digitized by Google

CHRISTIANUS II.

DEI GRATIA, DUX SAXONIÆ, SACRI ROMANI IMPERII ARCHIMARSCALLUS ET ELECTOR, LANDGRAVIUS THURINGIÆ, MARCHIO MISNIÆ, ET BURGGRAVIUS MAGDEBURGI, &c.

Omnibus ac ſingulis Prælatis, Comitibus, Baronibus, totique ordini equeſtri, noſtræ pariter & Epiſcopatuum, Miſnenſis, Numburgenſis & Merſeburgenſis Jurisdictioni ſubjecto, Capitaneis item & Officialibus, maximè vero Superintendentibus, Paſtoribus & Eccleſiarum miniſtris, Salutem noſtramque Clementiam.

REverendi, Illuſtres, Nobiles atque Strenui, nec non Venerabiles, Nobis fideles ac devoti: jam inde ab aliquot annis certiores ſumus redditi, traduci paſſim noſtrarum provinciarum Eccleſias & Scholas apud exteros, ac ſi in iis, quovis ferè ſeptennio, fiat aliqua Confeſſionis mutatio. Quod equidem anditu eô moleſtius accidit Nobis, quò tenemus exploratius, & quo facilius planum facere poſſumus, religioſisſimos ac laudatisſimos noſtros Majores piæ ſanctæque recordationis, inde à primo

initio repurgatæ doctrinæ, posteaquam DEUS lucem Evangelicæ veritatis, in hac inclinati mundi vespera, per ministerium selecti sui organi, Dn. Martini Lutheri, misericorditer accendit, eamque ex indubitato suo verbo puram & incorruptam benignissime largitus est, confessionem suam nunquam mutasse, sed invicta plane constantia in illa, quæ Anno 1530. Carolo Quinto Cæsari, totique Romano Imperio semel exhibita est, Confessione omnes ordine Electores perstitisse, pioque zelo eam propagasse, aliquos etiam illius asserendæ studio multas pertulisse molestias, & magnos fecisse sumptus: ita quidem, ut laus constantiæ in vera Religione nullo jure eis derogari possit aut debeat.

Simul vero & hoc cognovimus, extitisse quosdam homines bilingues & falsiloquos, qui ad Illustrissimum suum Magistratum verbis quidem specioſe jactarint, quin etiam juramentis temere conceptis asseverârint, se puræ & invariatæ Confessioni Augustanæ, contra omnes corruptelas & fanaticas opiniones, tàm Calvinistarum quàm aliorum sectariorum, esse addictos, qui tamen postea deprehensi sint, quod dogmata falsa & erroneas Sacramentariorum Opiniones occultè foverint & per suos complices fraudulentis dolis & machinationibus furtim invehere, insciogue ordinario suo, ac divinitus constituto Magistratu, disseminare ac propagare totis viribus conten derint.

Hoc genus hominum excitavit quidem nonnunquam turbas & diſtractiones in harum terrarum Scholis & Eccleſiis, quæ ſemper tamen, per Dei gratiam, à Chriſtiano Magiſtratu conſopitæ *rurſum* ſublatæque ſunt, quamprimum is de malignis iſtorum tenebrionum molitionibus certior eſt factus.

Quoniam ergo DEUS ipſe hoc tepidum genus hominum, quod nec frigidum eſt nec calidum, ſerio deteſtatur, & minatur illis, quod ex ore ſuo illos velit ejicere: idcircò & Nos confeſtim inito Magiſtratu in hanc curam incubuimus, ut omnes noſtri Conſiliarii, Aulici, Capitanei, Officiales, & reliquis muneribus Præfecti, præſtarent juramentum Religionis legitimè delatum, & fidem darent, quod unà nobiſcum in prima invariata Auguſtana Confeſſione, quemadmodum ea Anno 1580. in Libro Concordiæ Chriſtianæ repetita, declarata, & adverſus omnis generis corruptelas accuratè munita eſt, σὺν Θεῷ firmiter ad finem usque vitæ ſuæ perſeverare velint. Quam quidem rem præmeditato & omni ex parte probè deliberato conſilio ſuſcepimus, hoc *nimirum* fine, ut iſto ſalutari medio, Deo juvante, conatibus improbis fraudulentorum illorum hominum, qui clandeſtinis molitionibus talem noſtris provinciis apud exteros maculam aſpergunt, efficaciter obſiſti queat.

Scimus etiam (Deo ſit laus & gloria) quod Illuſtriſſimi Principes ac Domini, Dominus JOHAN-

HANNES GEORGIUS, & Dominus AUGUSTUS, Duces Saxoniæ, fratres noſtri exoptatiſſimi, nobiscum in hac cauſa religionis, ut & aliis, per omnia conſentiant.

Ut igitur pium hoc & verè Chriſtianum opus etiam porrò ſartum tectum conſervari, & ad venturam poſteritatem conſtabiliri queat, nec quisquam habeat, quod obtendat, ſibi ſymbolici hujus ſcripti legendi copiam facultatemque defuiſſe, curavimus, Formulam Concordiæ utraque Linguâ, Latina pariter & Germanica, in minore forma (ut & viliori pretio comparari, & commodius circumferri queat) vero, authentico exemplari undiquaque congruentem, exſcribi typis & evulgari.

Proinde & noſtro & tutorio prius nominatorum fratrum noſtrorum charisſimorum nomine clementer mandamus vobis ſingulis ac univerſis ſupra dictis, ut quemadmodum proximo conventu provinciali hac in parte nobiscum conſenſiſtis: ſic deinceps etiam ſuo quisque loco pro fide ſemel nobis data conſtanter in eo permaneatis.

Cumprimis autem mandamus noſtris ad Scholarum & Eccleſiarum cauſas deputatis Conſiliariis, nec non Rectoribus, Doctoribus & Profeſſoribus Academiarum, Conſiſtoriorum Aſſeſſoribus, cunctis Superintendentibus & eorum Adjunctis, Paſtoribus & Diaconis: ſimiliter Rectoribus & Collegis ſcholarum illuſtrium, & reliquis

quis Ludimoderatoribus univerſim, unà cum noſtris ſtipendiariis & alumnis, ut hunc librum ſibi quàm commendatiſſimum eſſe ſinant, diurna nocturnaque manu terant, debito ſtudio evolvant, Examina quoque ex eo inſtituant, neque quenquam, qui non librum hunc, tum ſubſcriptione, tum data per jusjurandum fide approbaverit, ad officia promoveant, adeoqne totis viribus huc elaborent, ut per noſtrum hunc inclytum Electoratum & adjunctas Provincias in Scholis & Eccleſiis, nihil vel publicè contrà doceatur, vel privatim evehatur, quàm charus cuique eſt Omnipotentis DEI favor, noſtra Clementia, propriæque animæ ſuæ ſalus & incolumitas. Facietis hoc pacto, quod & officio veſtro congruum, & ſeriæ conſtantique voluntati Noſtræ conſentaneum eſt, & ſumus vicisſim vobis clementisſime propenſi. Dabantur Dresdæ, Cal. Auguſt. Anno milleſimo, ſexcenteſimo ſecundo.

Digitized by Google

OMNIBUS ET SINGULIS HAS NOSTRAS LECTURIS, NOS, QUI IISDEM NOMINA NOSTRA SUBSCRIPSIMUS, AUGUSTANÆ CONFESSIONI ADDICTI, ELECTORES, PRINCIPES, ET SACRI ROMANI IMPERII, IN GERMANIA ORDINES, PRO DIGNITATE ET GRADU CUJUSQUE, NOSTRA STUDIA, AMICITIAM AC SALUTEM CUM OFFICIO CONJUNCTAM DEFERIMUS ET NUNCIAMUS.

INgens DEI Opt. Max. beneficium eſt, quod poſtremis temporibus, & in hac mundi ſenecta, pro ineffabili amore, clementia ac miſericordia ſua, humano generi lucem Evangelii & verbi ſui (per quod ſolum veram ſalutem accipimus) poſt tenebras illas Papiſticarum ſuperſtitionum, in Germania chariſſima patria noſtra, puram & ſinceram exoriri & prælucere voluit. Et eam ſane ob cauſam brevis & ſuccincta confeſſio, ex Verbo Dei, & ſacroſanctis Prophetarum & Apoſtolorum ſcriptis collecta eſt: quæ etiam in Comitiis Auguſtanis, Anno 1530. Imperatori Carolo Quinto excellentis memoriæ, à pientiſſimis majoribus noſtris Germanico & Latino Idiomate oblata, & ordinibus Imperii propoſita, denique publice ad omnes homines, Chriſtianam doctrinam profitentes, adeoque in totum terrarum orbem ſparſa, ubique percrebuit, & in ore & ſermone omnium eſſe cepit.

Hanc deinceps Confeſſionem multæ Eccleſiæ & Academiæ, ut Symbolum quoddam horum temporum

rum, in præcipuis fidei Articulis, præsertim controversiis illis, contra Romanenses & varias corruptelas doctrinæ cœlestis, complexæ sunt & defenderunt, & perpetuo consensu ad eam absque omni controversia & dubitatione provocaverunt.

Doctrinam etiam in illa comprehensam, quam scirent & solidis scripturæ testimoniis suffultam & à veteribus receptisque Symbolis approbatam, unicum & perpetuum illum verè sentientis Ecclesiæ, ac contra multiplices hæreses & errores olim defensum, nunc autem repetitum consensum esse, constanter judicaverunt.

At vero ignotum nemini esse potest, statim posteaquam summa pietate præditus & præstantissimus heros D. Mart. Lutherus rebus eximeretur humanis, dulcem patriam nostram Germaniam periculosissima tempora, & rerum perturbationes gravissimas excepisse. In quibus sanè difficultatibus, & Reipublicæ ante florentis optimeque constitutæ misera distractione, hostis ille mortalium astute laboravit, ut semina falsæ doctrinæ, & dissensiones in Ecclesiis & Scholis spargeret: dissidia cum offendiculo conjuncta excitaret: atque his suis artibus puritatem doctrinæ cœlestis corrumperet; Vinculum charitatis Christianæ, & pium consensum solveret: sacrosancti Evangelii cursum majorem in modum impediret & retardaret.

Notum etiam universis est, qua ratione hostes Veritatis cœlestis inde occasionem arripuerint, ut Ecclesiis & Academiis nostris detraherent: suis erro-

erroribus integumenta invenirent: pavidas errantesque conſcientias à puritate doctrinæ Evangelicæ abſtraherent: ut illis inferendo & tolerando jugo ſervitutis Pontificiæ, & amplectendis reliquis etiam corruptelis, cum Verbo Dei pugnantibus, obſequentioribus uterentur.

Nobis profecto nihil vel gratius accidere poterat: vel quod majore animorum contentione & precibus à DEO Opt. Max. petendum judicaremus: quàm ut noſtræ & Eccleſiæ & Scholæ in ſincera doctrina Verbi DEI, ac exoptata illa & pia animorum conſenſione perſeveraſſent: &, quod Luthero adhuc ſuperſtite fiebat, pie & præclare ſecundum regulam Verbi Dei inſtitutæ & propagatæ ad poſteritatem fuiſſent.

Animadvertimus autem, quemadmodum temporibus Apoſtolorum in eas Eccleſias, in quibus ipſi Evangelium Chriſti plantaverant, per falſos fratres corruptelæ introductæ fuerunt: ita propter noſtra peccata, & horum temporum diſſolutionem, tale quid irato DEO, contra noſtras quoque Eccleſias permiſſum.

Quare noſtri officii, quod divinitus nobis injunctum eſſe novimus, memores, in eam curam diligenter nobis incumbendum exiſtimamus: ut in provinciis & ditionibus noſtris, falſis dogmatibus, quæ ibi ſparſa ſunt, & ſubinde magis magisque ſeſe quaſi in conſuetudinem & familiaritatem hominum inſinuant, occurratur: & Imperio noſtro ſubjecti, in recta pietatis via, & agnita & hactenus

ctenus conſtanter retenta defenſaq; veritate doctrinæ cœleſtis perſeverent: nec ab ea ſe abduci patiantur.

Qua ſanè in re partim anteceſſores noſtri laudatiſſimi, paetim nos elaborare ſtuduimus: cum anno Chriſti 1558. Francofurti ad Mœnum, oblata Comitiorum (quæ tum ab Electoribus habebantur) occaſione, communibus votis, in eam ſententiam itum eſt, peculiarem & communem conventum habendum eſſe: in quo de iis rebus, quæ ab adverſariis, Eccleſiis & Academiis noſtris odiosè per calumniam objicerentur, ſolide & familiariter tamen inter nos ageretur.

Et quidem poſt deliberationes illas anteceſſores noſtri, pie excellentisque memoriæ, & partim etiam Nos Numburgi in Thuringia, congreſſi ſumus. Et tum Auguſtanam Confeſſionem (cujus jam aliquoties meminimus) Imperat. Carolo Quinto, in frequentioribus illis Imperii Comitiis, Auguſtæ anno 1530 habitis, oblatam, in manus ſumſimus: & piæ illi confeſſioni, quæ ſolidis teſtimoniis immotæ ac in Verbo Dei expreſſæ veritatis ſuperſtructa eſt, tum una mente omnes ſubſcripſimus. Videlicet, ut ea ratione poſteritati conſuleremus: & quantum quidem in nobis erat, autores & monitores eſſemus ad vitanda falſa dogmata, quæ cum verbo Dei pugnarent. Idque eo conſilio fecimus, ut & apud Cæſaream Majeſtatem, Dominum noſtrum clementiſſimum, deinde in univerſum apud omnes teſtificatio ſempiterna exaret: nunquam in animum nos induxiſſe,

novum

novum aliquod & peregrinum dogma vel defendere vel ſpargere velle: ſed cupere eam veritatem, quam Auguſtæ anno 1530. profeſſi ſumus, DEO nos juvante, conſtanter tueri ac retinere.

Fuimus etiam in ſpem non dubiam adducti, fore, ut ea ratione non ſolum ii, qui puriori doctrinæ Evangelicæ adverſantur, à confictis criminationibus & accuſationibus abſtinerent. ſed alii etiam boni & cordati homines hac noſtra iterata & repetita confeſſione invitarentur, & majori ſtudio & cura Veritatem cœleſtis doctrinæ (quæ ſola nobis ad ſalutem ductrix eſt) quærerent & inveſtigarent: & in ea, ſaluti animæ ac æternæ felicitati ſuæ conſulturi, repudiatis impoſterum omnibus controverſiis & diſceptationibus acquieſcerent.

Sed non absque animi perturbatione certiores facti ſumus, hanc noſtram declarationem ac repetitionem illam piæ confeſſionis, apud adverſarios parum admodum ponderis habuiſſe, nec nos & Eccleſias noſtras calumniis præjudiciorum, quæ contra nos illi in vulgus ſanè graviſſima ſparſerant, liberatas. Eſſe etiam ab adverſariis veræ religionis ea, quæ nos optimo animo & conſilio fecimus, in eam partem accepta, perinde ac ſi ita incerti de religione noſtra eſſemus, eamque toties in alias atque alias formulas transfuderimus, ut nec nobis nec Theologis noſtris conſtaret, quæ illa olim Auguſtæ Imperatori oblata confeſſio eſſet.

Hæc adverſariorum commenta multos bonos ab Eccleſiis, Scholis, doctrina, fide & confeſſione noſtra abſterruerunt & ablienaverunt.

Ad

Digitized by Google

Ad hæc incommoda id etiam accesſit: quod ſub prætextu Auguſtanæ Confeſſionis, dogma illud pugnans cum inſtitutione ſacræ Cœnæ corporis & ſanguinis Chriſti, & aliæ etiam corruptelæ paſſim & in Eccleſias & Scholas introducerentur.

Quæ omnia cum nonnulli pii, pacis & concordiæ amantes, præterea etiam docti Theologi animadverti ſſent, judicarunt calumniis illis, & ſubindæ magis magisque creſcentibus diſſidiis in religione, rectius occurri non poſſe: quam ſi controverſi articuli ex verbo Dei ſolide accurateque declararentur & damnarentur: Contra autem divinitus tradita Veritas diſerte & luculenter proponeretur. Ut qui ſibi perſvaderent, hac ratione & adverſariis ſilentium imponi, & ſimplicioribus & piis viam ac rationem certam demonſtrari poſſe, quomodo porro in his ſe diſſidiis gerere, & in poſterum etiam, divina adjuti gratia, corruptelas doctrinæ vitare poſſent.

Principio igitur Theologi ſcripta quædam hac de re, eaque ſatis prolixa & ex Verbo Dei deſumpta inter ſe communicarunt, quibus diſertè & dextrè oſtenderunt: quomodo controverſiæ illæ cum offenſione Eccleſiarum conjunctæ, abſque ulla veritatis Evangelicæ jactura ſopiri, & tolli è medio poſſent: ita enim futurum, ut adverſariis occaſiones & prætextus ad calumniam quæſiti præciderentur & eriperentur.

Poſtremo Articulos controverſos in manus ſumtos, accuratè & religiosè perpenderunt & declarârunt: adeoq; ſcripto quodam peculiari complexi

Digitized by Google

sunt, qua via ac ratione disfidia illa exorta recte & pie componi possent.

Nos autem de hoc pio Theologorum proposito facti certiores, non modò id probavimus, sed magno etiam studio ac zelo, pro ratione muneris & officii divinitus nobis commissi, promovendum nobis esse judicavimus.

Ac proinde nos Dei gratia Dux Saxoniæ Elector, &c. de consilio quorundam etiam aliorum Electorum & Principum, in Religione nobiscum consentientium, ad provehendum pium illud, inter doctores Ecclesiæ, concordiæ institutum, eximios quosdam minimeque suspectos, exercitatos etiam,

An. 1576. Theologi Torgam evocati.

& singulari eruditione præditos Theologos, Torgam anno septuagesimo sexto, evocavimus.

Hi cum fuissent congressi, de Articulis controversis & scripto pacificationis (cujus paulò ante meminimus) religiosè inter se contulerunt.

Et quidem primum precibus piis ad Deum Opt. Max. ejusque laudem & gloriam susceptis, cura deinde & diligentia singulari (juvante eos Domini Spiritu gratia sua) omnia ea, quæ ad hanc deliberationem pertinere & requiri videbantur, optimo convenientissimoque ordine, scripto quodam complexi sunt.

Is postea liber, præcipuis nonnullis Augustanam Confessionem profitentibus Electoribus & Principibus, ac ordinibus transmissus est: & petitum, ut ipsi adhibitis præstantissimis & doctissimis Theologis, solicita cura, & pio zelo eum legerent, diligenter examinarent, & suam de eo sententiam &

cen-

Digitized by Google

cenſuram ſcriptis comprehenderent: & poſtremo de omnibus & ſingulis judicium ſuum ejusque rationes nobis liberrime exponerent.

Has ergo cenſuras cum accepiſſemus, multas in iis pias & utiles commonefactiones invenimus, quomodo transmiſſa illa declaratio ſincera doctrinæ Chriſtianæ, contra corruptelas ac depravationes, ſacrarum literarum teſtimoniis muniri, & confirmari poſſet: ne forte progreſſu temporis, ſub ejus prætextu impia dogmata occultarentur: ſed ſinceræ veritatis minimè fucata declaratio ad poſteritatem transmitteretur.

Ex his ergo quæ optimè meditata ad nos pervenerant, Liber iſte piæ Concordiæ, de quo dixim9, compoſit9, & ea forma, qua ſubjicietur, abſolut9 eſt.

Deinceps ex noſtro ordine quidam (neque enim nos omnes, ut & alii nonnulli, hoc tempore certas ob cauſas, quæ obſtabant, id facere poteramus) librum hunc omnibus & ſingulis noſtrarum regionum & ditionum Theologis, Eccleſiæ & Scholarum miniſtris, articulatim & diſtincte recitari, & ipſos ad diligentem accuratamque conſiderationem earum doctrinæ partium, quæ in illo continentur, excitari curavimus.

Cum ergo illi declarationem controverſorum Articulorum congruere, inprimis quidem cum verbo Dei, deinde Auguſtana Confeſſione animadverterent: promtiſſimo animo & teſtificatione ſuæ erga Deum gratitudinis hunc Concordiæ librum, ut piam & genuinam ſententiam Auguſtanæ Confeſſionis exprimentem, ultro & quidem accuratè

meditatum & conſideratum receperunt, approbârunt, eique ſubſcripſerunt, & de eo corde, ore & manu palam teſtati ſunt.

Quare pia illa pacificatio, non ſolum paucorum quorundam noſtrorum Theologorum, ſed in univerſum omnium & ſingulorum Eccleſiæ miniſtrorum & ludimoderatorum in noſtris provinciis & ditionibus, conſentiens & concors confeſſio & vocatur & perpetuò erit.

Quia vero noſtræ & præclari nominis anteceſſorum noſtrorum primum Francofurti ad Mœnum, deinde Numburgi pio & ſincero animo ſuſceptæ, & ſcriptis comprehenſæ conventiones, non modo eum, qui expetebatur, finem, & pacificationem non ſunt aſſecutæ: ſed ex iis etiam, à quibusdam patrocinium erroribus & falſis dogmatibus quæſitum eſt: Cum tamen nobis ne in mentem quidem unquam venerit, hoc noſtro ſcripto vel novum aliquod & falſum doctrinæ genus introducere, integumentis commendare, confirmare, vel in minimis etiam à Confeſſione illa anno 1530 Auguſtæ exhibita diſcedere, quin potiꝰ quot quot noſtrûm actionibus Numburgicis illis interfuimus, tum etiam id integrum nobis reſervavimus & promiſimus inſuper, ut ſi quid ſucceſſu temporis in noſtra confeſſione deſideraretur, aut quoties id neceſſitas poſtulare videretur, nos porrò omnia ſolide & prolixe declaraturos eſſe. Ideoque hanc ipſam ob cauſam in hoc libro Concordiæ ad declarationem conſtantis & perpetuæ voluntatis noſtræ, & repetitionem Chriſtianæ fidei & confeſſionis noſtræ, magno & pio conſenſu elaboravimus.

Ideo

Digitized by Google

Ideo ne adversariorum nostrorum calumniis de ingenio suo confictis, quibus jactant, ne nobis quidem constare, quæ sit vera & genuina illa Augustana Confessio, aliqui se turbari sinant: sed & ii, qui nunc in vivis sunt, & posteritas etiam disertè & firmiter doceatur, ac certior reddatur, quænam illa pia confessio sit, quam & nos & Ecclesiæ ac Scholæ nostrarum ditionum omnib9 temporib9 professæ & amplexæ fuerint: post sinceram & immotam Verbi Dei Veritatem, solam primam illam Augustanam Confessionem Imperatori Carolo V. a. 1530. in celebribus illis Comitiis Augustanis exhibitam, solam (dicimus) nec ullam aliam amplecti nos velle luculenter testamur: cujus exempla in Archivis antecessorum nostrorum excellentis memoriæ, qui ipsi Carolo V. in Comitiis illis eam exhibuerunt, reposita, per fide dignos homines, ne quid ad accuratissimas rationes diligentiæ in nobis desideraretur, cum eo, quod Imperatori ipsi exhibitum est, & in Sac. Rom. Imper. archivo asservatur, conferri voluimus: & certi sumus nostra & Latina & Germanica exempla per omnia sibi conformi sententia invicem respondere. Qua etiam de causa, Confessionem illam tum exhibitam nostræ, quæ his subjicietur, declarationi, sive libro Concordiæ, inserere voluimus: ut omnes intelligant, quod in nostris ditionibus, Ecclesiis & Scholis nullam aliam doctrinam ferre constituerimus, quam quæ Augustæ anno 1530 à commemoratis supra Electoribus, Principibus & Imperii ordinibus solenni confessione approbata fuit.

Digitized by Google

Hanc Confeſſionem etiam, Deo nos bene juvante, usque ad ultimos ſpiritus, piè ex hac ad cæleſtem patriam migraturi, tenebimus: excelſo & intrepido animo puraque conſcientia comparituri coram tribunali Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Speramus itaque adverſarios noſtros poſthac & nobis & Eccleſiarum noſtrarum miniſtris, parſuros eſſe: nec conſvetis illis & graviſſimis criminationibus uſuros, nos de fide noſtra nihil certi apud nos ipſos poſſe conſtituere, eamque ob cauſam fere ſingulis annis, imo vero menſibus, novas confeſſiones cudere.

Porrò quod ad alteram Auguſtanæ Confeſſionis editionem, cujus etiam in Numburgicis actis fit mentio, attinet, animadvertimus (quod & notum univerſis eſt) quosdam ſub prætextu Verborum poſterioris illius editionis, corruptelas in negotio cœnæ, & alios errores contegere & occultare voluiſſe: & ſcriptis publicè excuſis imperitæ plebeculæ obtrudere conatos: nec motos eſſe Auguſtanæ Confeſſionis (quæ prima exhibita eſt) diſertis verbis, quibus errores illi palam rejiciuntur: ex quibus etiam longe alia, quam ipſi volunt, ſententia evinci poteſt.

Viſum igitur eſt nobis, hiſce literis publicè teſtari, & certiores facere univerſos, quod nec tum, ac nevnunc quidem, ullo modo voluerimus falſa & impia dogmata & opiniones (quæ ſub integumentis aliquibus verborum latere poſſent) defendere, excuſare, aut veluti cum doctrina Evangelica conſentientes, approbare.

Nos

Digitized by Google

Nos ſane nunquam poſteriorem editionem in ea ſententia accepimus, quæ à priori illa, quæ exhibita fuit, ulla ex parte diſſideret.

Nec etiam alia ſcripta utilia D. Philippi Melanchthonis, neque Brentii, Urbani Regii, Pomerani & ſimilium repudianda ac damnanda eſſe judicamus, quatenus cum ea norma, quæ Concordiæ libro expreſſa eſt, per omnia conſentiunt.

Quanquam autem nonnulli Theologi, & in his ipſe Lutherus, cum de Cœna Dominica agerent, inviti etiam ab adverſariis ad diſputationes de perſonali Unione duarum in Chriſto naturarum pertracti ſint, tamen Theologi noſtri in Concordiæ Libro, & ea, quæ in illo eſt, ſanioris doctrinæ norma, diſerte teſtantur, & noſtram & hujus libri ſententiam conſtantem & perpetuam eſſe, pios homines in negotio Cœnæ Dominicæ ad nulla alia fundamenta, quam Verborum inſtitutionis teſtamenti Domini noſtri Jeſu Chriſti, deducendos eſſe. Nam cum ille & Omnipotens & Verax ſit, expeditum ei eſſe, ea, quæ & inſtituit, & verbo ſuo pollicitus eſt, præſtare.

Et ſane, cum hoc fundamentum ab adverſariis impugnatum non fuerit, de aliis probandi rationibus in hoc argumenti genere non contendent: ſed in vera fidei ſimplicitate verbis apertiſſimis Chriſti firmiter inſiſtent: quæ ratio tutiſſima, & eruendis imperitis hominibus accommodatiſſima: neque enim illi ea, quæ de his rebus accuratius diſputata ſunt, intelligunt.

At vero, cum illa aſſertio noſtra, & ſimplex ver-

Digitized by Google

borum Teſtamenti Chriſti ſenſus ab adverſariis impugnatur, & velut impius, & rationibus veræ fidei repugnans rejicitur, denique articulis Symboli Apoſtolici præſertim de Filii Dei incarnatione, aſcenſione in cœlum, & ſeſſione ad dextram omnipotentis Virtutis & Majeſtatis Dei contrarius, & proinde etiam falſus eſſe contenditur, vera ſolidaque articulorum illorum interpretatione demonſtrandum eſt, noſtram illam ſententiam nec à verbis Chriſti, neque ab articulis illis diſſidere.

Quod verò ad phraſes & loquendi modos attinet, qui in hoc Concordiæ libro, quando de majeſtate humanæ naturæ in perſona Chriſti, ad dexteram Dei collocatæ & evectæ agitur, uſurpantur: ut omnes ſiniſtræ ſuſpiciones & offendicula, quæ ex varia ſignificatione vocabuli ABSTRACTI *(quemadmodum hoc nomine & Scholæ & Patres hactenus uſi ſunt) exiſtere poſſent, è medio tollantur: Theologi noſtri diſertis & expreſſis verbis teſtatum volunt: Majeſtatem illam humanæ Chriſti naturæ extra unionem perſonalem nequaquam adſcribendam eſſe: nec etiam concedendum, quod humana natura eam Majeſtatem, (vel propriam, vel per ſe etiam in unione perſonali) eſſentialiter, formaliter, habitualiter, ſubjectivè (hæc enim, quamvis non ſatis latina vocabula, ſcholis placent) poſſideat. Nam ſi eam & dicendi & docendi rationem teneremus, divina & humana naturæ, unà cum proprietatibus ſuis, confunderentur: humana etiam divinæ, ratione eſſentiæ & proprietatum, exæquaretur, imo vero tota negaretur.*

Sen-

Digitized by Google

Sentiendum ergo esse Theologi judicant, id ratione & dispensatione hypostaticæ unionis fieri, quemadmodum docta antiquitas ea de re caute locuta est: quod mysterium tantum habet, ut omnes ingenii nostri intelligentiæque vires superet.

Ad condemnationes, reprobationes & rejectiones impiorum dogmatum, & ejus præsertim, quod de sacra Cœna extitit, quod attinet: hæ sane in hac nostra declaratione, & controversorum articulorum solida explicatione & decisione, expresse & distincte, non solum eam ob causam, ut universi sibi ab his damnatis dogmatibus caverent, omnino proponendæ fuerunt, sed ob alias etiam quasdam rationes nullo modo prætermitti potuerunt. Sic ut nequaquam consilium & institutum nostrum sit, eos homines, qui ex quadam animi simplicitate errant, nec tamen blasphemi in Veritatem doctrinæ cœlestis sunt, multo vero minus totas Ecclesias, quæ vel sub Romano Imperio nationis Germanicæ, vel alibi sunt, damnare. Quin potius mens atque animus noster fuerit, hac ratione fanaticas opiniones, & earundem pervicaces doctores, & blasphemos duntaxat (quos in ditionibus, Ecclesiis & Scholis nostris nequaquam tolerandos judicamus) palam reprehendere & damnare, quod illi errores expresso Verbo Dei repugnent, & quidem ita, ut cum eo conciliari nequeant. Deinde etiam eam ob causam hoc suscepimus, ut pii omnes de his diligenter vitandis monerentur. Nequaquam enim dubitamus, multos pios & minime malos homines, in iis etiam Ecclesiis, quæ hactenus non per omnia nobiscum senserunt, reperiri, qui simplicitatem quandam suam sequantur, & negotium quidem ipsum non probè intelligant, sed blasphemias, quæ contra sacram Cœnam (quemadmodum ea in Ecclesiis nostris secundum institutionem Christi dispensatur, & juxta Verba testamenti ipsius magna bonorum omnium consensione docetur) evomantur, nullo modo probent.

Magna etiam in spe sumus, illos, si recte de his omnibus doceantur juvante eosdem Domini Spiritu, immotæ ve-

ritati Verbi Dei, nobiscum & cum Ecclesiis ac Scholis nostris consensuros esse. Et profecto Theologis, omnibusque Ecclesiæ ministris imprimis hoc negotii incumbit, ut ex Verbo Dei etiam eos, qui ex quadam vel simplicitate, vel inscitia, à Veritate aberrârunt, de periculo salutis suæ, ea, qua decet, moderatione doceant: & contra corruptelas muniant: ne fortè, dum cæci cæcorum sunt duces, universi periclitentur.

Quamobrem hoc nostro scripto in conspectu omnipotentis Dei, & coram tota Ecclesia testamur, nobis propositum nunquam fuisse, hac pia Conciliationis formula molestiam aut periculum creare piis, qui persecutionem hodie patiuntur. Quemadmodum enim Christiana charitate moti, in societatem doloris cum eis dudum venimus; ita à persecutione & gravissima tyrannide, quæ in miseros illos maxima exercetur, abhorremus: eamque ex animo detestamur.

Nullo etiam modo in profusionem innocentis illius sangvinis consentimus: qui haud dubie in tremendo illo Domini judicio, ac coram tribunali Christi, à persecutoribus illis magna severitate repetetur, & hi sanè tum tyrannidis suæ gravissimas rationes reddituri, ac pœnas horrendas subituri sunt.

Nostrum equidem in his (ut supra meminimus) id semper propositum fuit: ut in terris, ditionibus, scholis & Ecclesiis nostris, non alia doctrina, quam quæ Verbo Dei fundata, & Augustana Confessione, tum Apologia (& ea quidem dextre in genuino suo sensu intellecta) continetur, sonaret, accurate proponeretur: nec pugnantes cum his opiniones admitterentur: quo sane consilio hæc pacificationis formula instituta & absoluta fuit.

Quare denuo etiam coram Deo, & omnibus mortalibus profitemur & testamur: nos declaratione articulorum controversorum, quorum jam aliquoties mentio facta est, non novam confessionem, aut ab ea (quæ Imp. Carolo V. felicis recordationis A. 1530. exhibita fuit) alienam

asser-

offerre: ſed Eccleſias & Scholas noſtras, imprimis quidem ad fontes ſacrarum literarum & Symbola, tum ad Confeſſionem Auguſtanam, cujus ante meminimus, deducere voluiſſe.

Hortamur etiam ſeverisſime, ut inprimis juventus, quæ ad ſacrum Eccleſiarum & Scholarum miniſterium educatur, in hoc fideliter & diligenter inſtituatur: ut ad poſteritatem etiam noſtram ſincera doctrina profeſſioque fidei, usque ad glorioſum illium adventum unici Redemtoris & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti (largiente hoc ſancto Spiritu) conſervetur & propagetur.

Cum ergo hæc ſic habeant, & nos de doctrina & confeſſione noſtra, Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis eruditi, certi ſimus, gratiaque Sancti Spiritus mentes & conſcientiæ noſtræ majorem in modum confirmatæ ſint: Librum hunc Concordiæ in lucem edendum putavimus.

Videbatur enim id apprimè eſſe neceſſarium, ut inter tot noſtris temporibus exortos errores, tum offendicula, certamina, & diuturnas diſtractiones illas, pia explicatio & conciliatio harum omnium controverſiarum, è Verbo Dei extructa extaret: ut ſecundum rationes ejus ſincera doctrina à falſa internoſceretur & ſecerneretur.

Præterea ea res ad hoc etiam confert, ut turbulentis contentioſisque hominibus, qui ad nullam formulam purioris doctrinæ adſtringi ſe patiuntur, liberum non ſit pro ſua libidine controverſias cum offendiculo conjunctas movere: & prodigioſas opiniones & proponere & propugnare.

Ex his enim hoc tandem conſequitur, ut purior doctrina obſcuretur & amittatur: ad poſteritatem autem nihil quam opiniones & ἐποχαὶ Academicæ transmittantur.

His accedit & illud, quod pro officii, à DEO nobis injuncti, ratione hoc nos ſubditis noſtris debere intelligimus: ut, quæ ad hujus & ſecuturæ vitæ rationes pertinent, diligenter curemus: c demus operam, ut quæ ad amplificationem nominis ac gloriæ Dei, propagationem Verbi ipſius

(ex

(ex quo solo salus speratur) ad pacem & tranquillitatem Ecclesiarum & Scholarum, & commonefactiones, & consolationem perturbatarum conscientiarum faciunt, summo studio, & quidem quantum fieri potest, procuremus. Præsertim cum nobis certo constaret, à multis bonis & cordatis hominibus summi & infimi ordinis, hoc salutare Christianæ Concordiæ opus, dudum seriis gemitibus, summoque desiderio fuisse expetitum & expectatum: ac ne nos quidem ab initio suscepti negotii pacificationis hujus, in ea sententia fuerimus, neque etiamnum simus, hoc tam salutare, & apprime necessarium opus Concordiæ, ab hominum oculis removendum, & penitus occultandum: ac lucem illam cœlestis veritatis subter modium aut mensam ponendam esse: Quapropter editionem ejus diutius extrahere neutiquam debuimus.

Neque dubitamus, pios omnes, qui & veritatis cœlestis & concordiæ Deo gratæ sunt amantes, una nobiscum hoc salutare, utile, pium & perquam necessarium institutum probaturos: & non commissuros esse, ut ad amplificationem gloriæ DEI & utilitatem publicam, quæ & in æternis & temporalibus cernitur, in ipsis aliquid vel ad summum conatum desiderari possit.

Nos certe (ut ad extremum id repetamus, cujus aliquoties supra meminimus) hoc Concordiæ negotio nequaquam nova comminisci, aut à veritate doctrinæ cœlestis, quam majores nostri pietatis nomine celeberrimi, sicut & nos, agnoverunt & professi sunt, ullo modo discedere voluimus.

Eam autem doctrinam intelligimus, quæ ex Propheticis & Apostolicis scriptis extructa, in tribus veteribus Symbolis, Augustana Confessione, anno 1530. Imp. Carolo V. excellentis memoriæ exhibita: Deinde Apologia, quæ huic conjuncta fuit, Smalcaldicis Articulis, utroque denique Catechismo excellentis Viri Doct. Lutheri comprehensa est.

Quare etiam nos ne latum quidem ungvem vel à rebus

bus ipſis vel à phraſibus, quæ in illa habentur, diſcedere, ſed juvante nos Domini Spiritu, ſumma Concordia conſtanter in pio hoc conſenſu perſeveraturos eſſe, decrevimus: controverſias omnes ad hanc veram normam & declarationem purioris doctrinæ examinaturi.

Deinde etiam apud animum noſtrum conſtituimus, velle nos cum reliquis Electoribus, Principibus & Ordinibus Sacri Rom. Imperii, & aliis Chriſtianæ Reipublicæ Regibus, Principibus & Magnatibus, ſecundum Sacri Imp. Conſtitutiones & pacta conventa) quæ nobis cum illis ſunt) pacem & concordiam colere, & ſingulis pro dignitatis & ordinis ratione, omnia noſtra officia cum benevolentia conjuncta & deferre & exhibere.

Præterea communicatis conſiliis, in hoc etiam ſedulo incumbemus, ut in ditionibus noſtris per diligentes Eccleſiarum & Scholarum Viſitationes, & inſpectiones officinarum typographicarum, & alias denique ſalutares rationes, obſervatis occaſionibus & circumſtantiis, quæ ex noſtro & aliorum uſu ſint, hoc Concordiæ opus magna ſeveritate & ſummo ſtudio defendamus.

Dabimus etiam operam, ſi vel renaſcantur controverſiæ jam ſopitæ, vel novæ in religionis negotio oriantur, ut eæ absque longioribus & periculoſis ambagibus ad præcavenda offendicula in tempore è medio tollantur & componantur.

In cujus rei evidens teſtimonium, nomina noſtra magno conſenſu ſubſcripſimus: & ſigilla etiam adjunximus.

Ludo-

LUdovicus Palatinus Rheni, Elector.
Auguſtus Dux Saxoniæ, Elector.
Joannes Georgius Marchio Brandenburgenſis, Elector.
Joachimus Frider. Marchio Brandenburgenſis, Adminiſtrator Archiepiſcopatus Magdeburgenſis.
Joannes Epiſcopus Misnenſis.
Eberhardus Epiſcopus Lubecenſis, Adminiſtrator Epiſcopatus Verdenſis.
Philippus Ludovicus Palatinus Rheni.
Friderici Wilhelmi &
Johannis, Ducum Saxoniæ, Tutor.
Johannis Caſimiri &
Johannis Erneſti, Ducum Saxoniæ, Tutores.
Georgius Fridericus Marchio Brandeburgenſis.
Julius Dux Brunſvicenſis & Lünæburgenſis.
Ottho Dux Brunſvicenſis & Lünæburgenſis.
Henricus Junior Dux Brunſvicenſis & Lünæburgenſis.
Wilhelmus Junior Dux Brunſvicenſis & Lünæburgenſis.
Wolffgangus Dux Brunſvicenſis & Lünæburgenſis.
Ulricus Dux Megalopurgenſis.
Johannis &
Sigismundi Auguſti, Ducum Megalopurgenſium, Curatores.
Ludovicus Dux Wirtenbergenſis.
Erneſti &
Jacobi Marchionum Badenſium Curatores.
Georgius Erneſtus Comes & Dominus Hennebergenſis.
Fridericus Comes Wirtembergenſis & Mumpelgartenſis.

Johan-

Digitized by Google

Johannes Güntherus Comes Schwarcenburgenſis.
Wilhelmus Comes Schwarcenburgenſis.
Albertus Comes Schwarcenburgenſis.
Erich Comes Leiningenſis.
Philippus Comes Hanavenſis.
Gottfridus Comes Oetingenſis.
Georgius Comes ac Dominus in Caſtel.
Heinricus Comes ac Dominus in Caſtel.
Otto Comes Hoienſis & Bruchhuſenſis.
Johannes Comes Oldenburgenſis & Delmenhorſtenſis.
Johannes Hoierus Comes Mansfeldenſis.
Bruno Comes Mansfeldenſis.
Hoierus Chriſtophorus Comes Mansfeldenſis.
Petrus Erneſtus Junior Comes Mansfeldenſis.
Chriſtophorus Comes Mansfeldenſis.
Albertus Georgius Comes Stolbergenſis.
Wolffgangus Erneſtus Comes Stolbergenſis.
Ludovicus Comes Glichenſis.
Carolus Comes Glichenſis.
Erneſtus Comes Reinſteinenſis.
Boto Comes Reinſteinenſis.
Ludovicus Comes Leonſteinenſis.
Henricus Baro Limpurgenſis Semperfrei.
Georgius Baro Schönburgenſis.
Wolffgangus Baro Schönburgenſis.
Anare Fridericus Baro Wildenfeldenſis.
Conſul. & Senatus Lubecenſis.
Conſul. & Senatus Lünæburgenſis.
Conſul. & Senatus Hamburgenſis.
Senatus Brunſvicenſis.
Conſul. & Senatus Landavienſis.
Conſul. & Senatus civitatis Monaſterienſis in Valle Gregoriana.
Senatus Goslarienſis.
Conſul. & Senatus Ulmenſis.
Conſul. & Senatus Eslingenſis.

Sena-

Senatus Reutlingenſis.
Conſul. & Senatus Nordlingenſis.
Conſul. & Senatus Rotenburgenſis ad Tuberam.
Conſul. & Senatus Halæ Svevorum.
Conſul. & Senatus Heilbrunnenſis.
Conſul. & Senatus Memmingenſis.
Conſul & Senatus Lindavienſis.
Conſul. & Senatus Schvveinfurtenſis.
Senatus Donavverdenſis.
Camerarii & Senatus Ratiſponenſis.
Conſul & Senatus Wimpffenſis.
Conſul. & Senatus Giengenſis.
Conſul. & Senatus Bopfingenſis.
Conſul. & Senatus Alenſis.
Conſul. & Senatus Kauffbeurenſis.
Conſul. & Senatus Isnenſis.
Conſul. & Senatus Campidonenſis.
Senatus Gottingenſis.
Conſul. & Senatus Leutkirchenſis.
Senatus Hildesheimenſis.
Conſul. & Senatus Hamelenſis.
Conſul. & Senatus Hannoverenſis.
Senatus Mülhuſinus.
Senatus Erfurdenſis.
Senatus Eimbecenſis.
Senatus Northeimenſis.

Digitized by Google

ARTICVLI VISITATORII.

Anno Christi 1592 in Electoratu & provinciis superioris Saxoniæ publicati, & Judicibus Consistoriorum, Superintendentibus, Ministris Ecclesiarum & Scholarum, nec non Administratoribus bonorum Ecclesiasticorum, quin & ipsis Patronis & Collatoribus, ad subscribendum & servandum propositi & demandati.

ARTICULUS I.

De sacra Cœna.

Pura & vera doctrina nostrarum Ecclesiarum de Sacra Cœna.

I.

QUod verba Christi: Accipite & comedite, Hoc est Corpus meum: Bibite, Hic est sanguis meus, simpliciter, & secundum literam, sicut sonant, intelligenda sint.

II.

Quod in Sacramento duæ res ſint, quæ exhibentur & ſimul accipiuntur, una terrena, quæ eſt panis & vinum; & una cœleſtis, quæ eſt Corpus & Sanguis Chriſti.

III.

Quod hæc Unio, Exhibitio & Sumptio fiat hîc inferius in terris, non ſuperius in cœlis.

IV.

Quod exhibeatur & accipiatur verum & naturale corpus Chriſti, quod in cruce pependit, & verus ac naturalis ſanguis, qui ex Chriſti latere fluxit.

V.

Quod Corpus & Sanguis Chriſti non fide tantum Spiritualiter, quod etiam extra Cœnam fieri poteſt, ſed cum pane & vino oraliter, modo tamen imperſcrutabili & ſupernaturali, illic in Cœna accipiantur, idque in pignus & certificationem reſurrectionis noſtrorum corporum ex mortuis.

VI.

Quod oralis perceptio Corporis & Sanguinis Chriſti non ſolum fiat a dignis, verum etiam ab indignis, qui ſine pœnitentia & vera fide accedunt: eventu tamen diverſo. A dignis enim percipitur ad Salutem, ab indignis autem ad Judicium.

ARTICULUS II.

De perſona Chriſti.

Pura & vera doctrina noſtrarum Eccleſiarum de hoc Articulo, de PERSONA CHRISTI.

1. In

I.

IN Chriſto ſunt duæ diſtinctæ Naturæ, Divina & Humana. Hæ manent in æternum inconfuſæ & inſeparabiles, (ſeu indiviſæ.)

II.

Hæ duæ naturæ perſonaliter ita ſunt invicem unitæ, ut unus tantum ſit Chriſtus, & una Perſona.

III.

Propter hanc perſonalem Unionem recte dicitur, atque in re & veritate ita ſe habet, quod Deus Homo, & Homo Deus ſit, quod Maria Filium Dei genuerit, & quod Deus nos per proprium ſuum ſanguinem redemerit.

IV.

Per hanc Unionem perſonalem, & quæ eam ſecuta eſt, exaltationem, Chriſtus ſecundum carnem ad dexteram Dei collocatus eſt, & accepit omnem poteſtatem in cœlo & in terra, factusque eſt particeps omnis divinæ Majeſtatis, honoris, potentiæ & gloriæ.

ARTICULUS III.

De S. Baptiſmo.

Pura & vera doctrina noſtrarum Eccleſiarum de hoc Articulo S. Baptiſmatis.

I.

QUod unum tantum Baptiſma ſit, & una Ablutio, non quæ ſordes corporis tollere ſolet, ſed quæ nos a peccatis abluit.

II.

Per Baptiſmum tanquam lavacrum illud Regenerationis & renovationis Spiritus Sancti ſalvos nos facit Deus & operatur in nobis talem juſtitiam & purgationem

a peccatis, ut qui in eo fœdere & fiducia usque ad finem perseverat, non pereat, sed habeat vitam æternam.

III.

Omnes, qui in Christum Jesum baptizati sunt, in mortem ejus baptizati sunt, & per Baptismum cum ipso in mortem ejus consepulti sunt, & Christum induerunt.

IV.

Baptismus est lavacrum illud Regenerationis, propterea, quia in eo renascimur denuo & Spiritu Adoptionis obsignamur ex gratia, (sive gratis.)

V.

Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum cœlorum. Casus tamen necessitatis hoc ipso non intenditur.

VI.

Quicquid de carne nascitur, caro est: & natura sumus omnes filii iræ divinæ: Quia ex semine peccaminoso sumus geniti, & in peccatis concipimur omnes.

ARTICULUS IV.

De Prædestinatione & æterna Providentia DEI.

Pura & vera Doctrina nostrarum Ecclesiarum de hoc Articulo.

I.

QUod Christus pro omnibus hominibus mortuus sit, & ceu Agnus Dei totius mundi peccata sustulerit.

II.

Quod Deus neminem ad condemnationem condiderit, sed velit, ut omnes homines salvi fiant & ad agni-

Digitized by Google

agnitionem veritatis perveniant, propterea omnibus mandat, ut Filium ſuum Chriſtum in Evangelio audiant, & per hunc auditum promittit virtutem & operationem Spiritus S. ad converſionem & ſalutem.

III.

Quod multi homines propria culpa pereant: alii, qui Evangelium de Chriſto nolunt audire, alii, qui iterum excidunt gratia, ſive per errores contra fundamentum, ſive per peccata contra conſcientiam.

IV.

Quod omnes peccatores pœnitentiam agentes in gratiam recipiantur, & nemo excludatur, etſi peccata ejus rubeant ut ſanguis; quandoquidem Dei miſericordia major eſt, quam peccata totius mundi, & Deus omnium ſuorum operum miſeretur.

SEQUITUR FALSA ET ERRONEA DOCTRINA CALVINISTARUM.

De Sacra Cœna.

I.

Quod ſupra poſita verba Chriſti figurate intelligenda ſint, & non ſecundum literam, ſicut ſonant.

II.

Quod in Cœna tantum nuda ſigna ſint, corpus autem Chriſti tam procul a pane, quam ſupremum cœlum a terra.

III.

Quod Chriſtus illic præſens ſit tantum virtute & operatione ſua, & non corpore ſuo. Quemadmodum Sol ſplendore & operatione ſua in terris præſens & efficax eſt; corpus autem ſolare ſuperius in cœlo exiſtit.

Digitized by Google

IV.

Corpus Christi esse typicum corpus, quod pane & vino tantum significetur, & præfiguretur.

V.

Quod sola fide, quæ in cœlum se elevet, & non ore, accipiatur.

VI.

Quod soli digni illud accipiant, indigni autem, qui talem fidem evolantem sursum in cœlos non habent, nihil præter panem & vinum accipiant.

FALSA ET ERRONEA DOCTRINA CALVINISTARUM

De persona Christi, quæ potissimum

III. & IV. Articulo purioris doctrinæ repugnat.

I.

QUod Deus homo, & Homo Deus est, esse figuratam locutionem.

II.

Quod Humana Natura cum Divina non in re & veritate, sed tantum nomine & verbis communionem habeat.

III.

Quod Deo impossibile sit ex tota omnipotentia sua præstare, ut corpus Christi naturale simul & instantaneè in pluribus, quam in unico loco sit.

IV.

Quod Christus secundum humanam Naturam, per exaltationem suam tantum creata dona & finitam potentiam acceperit, non omnia sciat aut possit.

V. Quod

Digitized by Google

V.

Quod Chriſtus ſecundum Humanitatem abſens regnet, ſicut Rex Hiſpaniæ novas Inſulas regit.

VI.

Quod damnabilis Idololatria ſit, ſi fiducia & fides cordis in Chriſtum non ſolum ſecundum Divinam, ſed etiam ſecundum Humanam ipſius Naturam collocetur, & Honor adorationis ad utramque dirigatur.

FALSA ET ERRONEA DOCTRINA CALVINISTARUM DE SACRO BAPTISMO.

I.

BAptiſmum eſſe externum lavacrum aquæ, per quod interna quædam ablutio a peccatis tantum ſignificetur.

II.

Baptiſmum non operari, neque conferre regenerationem, fidem, gratiam Dei, & ſalutem, ſed tantum ſignificare & obſignare iſta.

III.

Non omnes, qui aqua baptizantur, conſequi eo ipſo gratiam Chriſti aut donum fidei, ſed tantum Electos.

IV.

Regenerationem non fieri in vel cum Baptiſmo, ſed poſtea demum creſcente ætate, imo & multis in ſenectute demum contingere.

V.

Salutem non dependere a Baptiſmo, atque ideo Baptiſmum in caſu neceſſitatis non permittendum eſſe in Eccleſia, ſed in defectu ordinarii miniſtri Eccleſiæ permittendum eſſe, ut Infans ſine Baptiſmo moriatur.

VI.

Chriſtianorum infantes jam ante Baptiſmum eſſe San-

Sanctos, ab utero matris, imo adhuc in utero materno constitutos esse in fœdere vitæ æternæ, cæteroqui Sacrum Baptisma ipsi conferri non posse.

FALSA ET ERRONEA DOCTRINA CALVINISTARUM DE PRÆDESTINATIONE ET PROVIDENTIA DEI.

I.

CHristum non pro omnibus hominibus, sed pro solis Electis mortuum esse.

II.

Deum potissimam partem hominum ad damnationem æternam creasse, & nolle, ut potissima pars convertatur & vivat.

III.

Electos & Regenitos non posse fidem & Spiritum Sanctum amittere, aut damnari, quamvis omnis generis grandia peccata & flagitia committant.

IV.

Eos vero, qui Electi non sunt, necessario damnari, nec posse pervenire ad salutem, etiamsi millies baptizarentur, & quotidie ad Eucharistiam accederent, præterea vitam tam sancte atque inculpate ducerent, quantum unquam fieri potest.

Digitized by Google

TRIA SYMBOLA CATHOLICA SEU OECUMENICA.

Symbolum Apoſtolicum.

CREDO IN DEUM, PATREM omnipotentem, Creatorem cœli & terræ.

Et in JESUM Chriſtum, Filium ejus unicum, Dominum noſtrum. Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto. Natus ex Maria virgine. Paſſus ſub Pontio Pilato. Crucifixus, mortuus, & ſepultus: deſcendit ad inferna, tertia die reſurrexit a mortuis. Aſcendit ad cœlos. Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos.

Credo in Spiritum ſanctum: Sanctam Eccleſiam Catholicam: Sanctorum Communionem: Remiſſionem peccatorum: Carnis reſurrectionem: Et vitam æternam, AMEN.

Symbolum Nicenum.

CREDO in unum DEUM, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ viſibilium omnium & inviſibilium.

Et in unum Dominum JESUM Chriſtum, Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum, ante omnia ſecula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu Sancto, ex Maria virgine: & Homo factus eſt: crucifixus etiam pro nobis, ſub Pontio Pilato,

lato, passus & sepultus est: & resurrexit tertiâ die, secundum scripturas: & ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Patris, & iterum venturus est in gloria, judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis.

Et in Spiritum Sanctum, Dominum & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit: qui cum Patre & Filio simul adoratur & glorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum: & expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi seculi, AMEN.

Symbolum Athanasii contra Arrianos scriptum.

QVICUNQUE vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat Catholicam fidem.

Quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit.

FIDES autem Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate: & Trinitatem in unitate veneremur.

Neque confundentes personas, neque substantiam separantes.

Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti.

Sed Patris & Filii & Spiritus Sancti una est Divinitas, æqualis gloria, & coæterna majestas.

Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus.

Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus Sanctus.

Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus Sanctus.

Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres æterni, sed unus æternus.

Sicut

Digitized by Google

Sicut non tres increati, nec tres immensi: sed unus increatus, & unus immensus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres Dii, sed unus est Deus.

Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres Domini, sed unus est Dominus.

Quia sicut singulatim unamquamque personam Deum ac Dominum confiteri, Christianâ veritate compellimur.

Ita tres Deos, aut tres Dominos dicere, Catholicâ religione prohibemur.

Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus.

Filius à Patre solo est: non factus, nec creatus, sed genitus.

Spiritus Sanctus à Patre & Filio: non factus, nec creatus nec genitus, sed procedens.

Unus ergo Pater, non tres Patres: unus Filius, non tres Filii: unus Spiritus sanctus, non tres Spiritus sancti.

Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus.

Sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales: Ita, ut per omnia, sicut jam suprà dictum est, & Trinitas in unitate & unitas in Trinitate veneranda sit.

Qui vult ergo salvus esse, ita de Trinitate sentiat.

Sed necessarium est ad æternam salutem, ut incarnationem quoque Domini nostri JESU Christi fideliter credat.

Est ergo fides recta, ut credamus & confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus, Dei filius, Deus & homo est.

Deus ex ſubſtantia Patris ante ſecula genitus, & homo ex ſubſtantia Matris in ſeculo natus.

Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humanâ carne ſubſiſtens.

Æqualis Patri ſecundum divinitatem, minor Patre ſecundum humanitatem.

Qui, licet DEUS ſit & HOMO, non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus. Unus autem non converſione Divinitatis in carnem, ſed aſſumtione humanitatis in DEUM.

Unus omnino, non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ.

Nam ſicut anima rationalis & caro unus eſt homo: ita Deus & Homo unus eſt Chriſtus.

Qui paſſus eſt pro noſtra ſalute: deſcendit ad inferos: tertiâ die reſurrexit à mortuis.

Aſcendit ad cœlos: ſedet ad dextram Dei Patris omnipotentis.

Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos.

Ad cujus adventum omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis.

Et reddituri ſunt de factis propriis rationem.

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui vero mala, in ignem æternum.

Hæc eſt fides Catholica, quam niſi quisque fideliter firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit.

(o)

CON-

Digitized by Google

CONFESSIO FIDEI EXHIBITA Invictiss. Imper. Carolo V. Cæsari Aug. in Comitiis Augustæ, A. M. D. XXX.

PRÆFATIO AD CÆSAREM CAROLUM V.

INvictissime Imperator, Cæsar Auguste, Domine clementissime. Cum V. C. M. indixerit conventum Imperii Augustæ, ut deliberetur de auxiliis contra Turcam, atrocissimum, hæreditarium atque veterem Christiani nominis ac religionis hostem, quomodo illius scilicet furori & conatibus, durabili & perpetuo belli apparatu resisti possit. Deinde & de dissensionibus in causa nostræ sanctæ religionis & Christianæ fidei, & ut in hac causa religionis, partium opiniones, ac sententiæ inter sese, in caritate, lenitate, & mansuetudine mutua audiantur coram, intelligantur & ponderentur, ut illis, quæ utrinq; in scripturis secus tractata aut intellecta sunt, sepositis & correctis, res illæ ad unam simplicem veritatem & Christianam concordiam componantur & reducantur, ut de cætero à nobis una, sincera & vera religio colatur, & servetur, ut, quemadmodum sub uno Christo sumus & militamus: ita in una etiam Ecclesia Christiana, in unitate & concordia vivere possimus.

Cumque nos infra ſcripti Elector & Principes, cum aliis, qui nobis conjuncti ſunt, perinde ut alii Electores & Principes & Status ad prædicta Comitia evocati ſumus, ut Cæſareo mandato obedienter obſequeremur, maturè venimus Auguſtam. Et, quod citra jactantiam dictum volumus, inter primos affuimus.

Cùm igitur V. C. M. Electoribus, Principibus & aliis Statibus Imperii, etiam hîc Auguſtæ ſub ipſa initia horum Comitiorum inter cætera proponi fecerit, quod ſinguli Status imperii, vigore Cæſarei edicti, ſuam opinionem & ſententiam in Germanica & Latina lingua proponere debeant atque offerre. Et habita deliberatione proxima feria quarta, rurſum reſponſum eſt V. C. M. nos proxima feria ſexta Articulos noſtræ confeſſionis pro noſtra parte oblaturos eſſe. Ideo ut V. C. M. voluntati obſequamur, offerimus in hac religionis cauſa noſtrorum concionatorum, & noſtram confeſſionem, cujusmodi doctrinam ex ſcripturis ſanctis, & puro verbo Dei, hactenus illi in noſtris terris, ducatibus, ditionibus, & urbibus tradiderint, ac in Eccleſiis tractaverint.

Quod ſi & cæteri, Electores, Principes & Status Imperii, ſimilibus ſcriptis, Latinis ſcilicet & Germanicis, juxta prædictam Cæſaream propoſitionem, ſuas opiniones in hac cauſa religionis produxerint, hic nos coram V. C. M. tanquam Domino noſtro clementiſſimo paratos offerimus, nos cum Præfatis Principibus & amicis noſtris, de tolerabilibus modis ac viis amicè conferre, ut, quantum honeſtè fieri poteſt, conveniamus, & re inter nos partes, citra odioſam contentionem, pacificè agitata, Deo dante, diſſenſio dirimatur, & ad unam veram concordem religionem reducatur; Sicut omnes ſub uno Chriſto ſumus & militamus, & unum Chriſtum confiteri debemus, juxta tenorem edicti V. C. M. & omnia ad veritatem Dei perducantur, id quod ardentiſſimis votis à Deo petimus.

Si

Si autem, quod ad cæteros Electores, Principes & Status, ut partem alteram, attinet, hæc tractatio cauſæ Religionis, eo modo, quo V. C. M. agendam & tractandam ſapienter duxit, ſcilicet, cum tali mutua præſentatione ſcriptorum ac ſedata collatione, inter nos non proceſſerit, nec aliquo fructu facta fuerit, nos quidem relatum clarè relinquimus, hic nihil nos, quod ad Chriſtianam concordiam (quæ cum Deo & bona conſcientia fieri poſſit) conciliandam conducere queat, ullo modo detrectare. Quemadmodum & V. C. M. deinde & cæteri Electores, & Status Imperii, & omnes, quicunque ſincero religionis amore ac ſtudio tenentur, quicunque hanc cauſam æquo animo audituri ſunt, ex hac noſtra & noſtrorum confeſſione hoc clementer cognoſcere & intelligere dignabuntur.

Cum etiam V. C. M. Electoribus, Principibus & reliquis Statibus Imperii non una vice, ſed ſæpè clementer ſignificaverit, & in Comitiis Spirenſibus, quæ Anno Domini &c. XXVI. habita ſunt, ex data & præſcripta forma veſtræ Cæſareæ inſtructionis & commiſſionis recitari, & publicè prælegi fecerit: Veſtram M. in hoc negotio religionis ex cauſis certis, quæ V. M. nomine allegatæ ſunt: non velle quicquam determinare, nec concludere poſſe, ſed apud Pontificem Romanum pro officio V. C. M. diligenter daturam operam de congregando Concilio generali. Quemadmodum idem latius expoſitum eſt ante annum in publico proximo conventu, qui Spiræ congregatus fuit. Ubi V. C. M. per Dominum FERDINANDUM Boemiæ & Ungariæ Regem, amicum & Dominum clementem noſtrum; Deinde per Oratorem & Commiſſarios Cæſareos, hæc inter cætera proponi fecit, quod V. C. M. intellexiſſet, & expenderet Locum tenentis V. C. M. in imperio, &

Præſidentis & Conſiliariorum in Regimine, & Legatorum ab aliis Statibus, qui Ratisponæ convenerant, deliberationem de Concilio congregando. Et quod judicaret etiam V.C.M. utile eſſe, ut congregaretur Concilium, & quia cauſæ, quæ tùm tractabantur inter V.C.M. & Rom. Pontificem, vicinæ eſſent concordiæ & Chriſtianæ reconciliationi, non dubitaret V.C. M. quin Rom. Pontifex adduci poſſet ad habendum generale Concilium. Ideo ſignificabat ſe V. C. M. operam daturam, ut præfatus Pontif. Maximus una cum V. C. M. tale generale Concilium, primo quoque tempore emiſſis literis publicandum congregare conſentiret.

In eventum ergo talem, quod in cauſa religionis diſſenſiones inter nos & partes amicè & in caritate non fuerint compoſitæ, tunc coram V. C. M. hic in omni obedientia nos offerimus, ex ſuperabundanti comparituros & cauſam dicturos in tali generali, libero & Chriſtiano Concilio, de quo congregando in omnibus Comitiis Imperialibus, quæ quidem annis Imperii V. C. M. habita ſunt per electores, Principes, & reliquos ſtatus Imperii, ſemper concorditer actum, & congruentibus ſuffragiis concluſum eſt. Ad cujus etiam generalis Concilii conventum, ſimul & ad V. C. M. in hac longe maxime & graviſſima cauſa, jam ante etiam debito modo & in forma juris provocavimus, & appellavimus. Cui appellationi ad V. C. M. ſimul & Concilium adhuc adhæremus neque eam per hunc vel alium tractatum (niſi cauſa inter nos & partes, juxta tenorem Cæſareæ proximæ Citationis amicè in caritate compoſita, ſedata, & ad Chriſtianam concordiam reducta fuerit) deſerere intendimus aut poſſumus; De quo hic etiam ſolenniter & publicè proteſtamur.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICULI FIDEI PRAECIPUI.

I. De Deo.

ECCLESIÆ magno consensu apud nos docent, Decretum Nicenæ Synodi, de unitate essentiæ divinæ, & de tribus personis, verum & sine ulla dubitatione credendum esse. Videlicet, quod sit una essentia divina, quæ appellatur & est Deus, æternus, incorporeus, impartibilis, immensa potentia, sapientia, bonitate, creator & conservator omnium rerum visibilium & invisibilium, & tamen tres sint personæ, ejusdem essentiæ & potentiæ, & coæternæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Et nomine personæ utuntur ea significatione, qua usi sunt in hac causa Scriptores Ecclesiastici, ut significet non partem aut qualitatem in alio, sed quod propriè subsistit. *Apol. fol. 50. Art. Smalc. fol. 303. Catech. Minor. fol. 226. Cat. Major. fol. 401.*

Damnant omnes hæreses, contra hunc articulum exortas, ut Manichæos, qui duo principia ponebant, Bonum & Malum. Item Valentinianos, Arianos, Eunomianos, Mahometistas & omnes horum similes. Damnant & Samosatenos, veteres & neotericos, qui, cùm tantum unam personam esse contendant, de Verbo & de Spiritu sancto astute & impiè rhetoricantur, quod non sint personæ distinctæ, sed quod Verbum significet verbum vocale, & spiritus motum in rebus creatum.

II. De Peccato Originis.

Item docent, quod post lapsum Adæ omnes homines, secundum naturam propagati, nascantur cum peccato, hoc est, sine metu Dei, sine fiducia erga Deum, & *Apol. f. 56. sq. Art. Smal. p. 317. Epit. 572. Decl.*

cum concupiſcentia, quodque hic morbus, ſeu vitium originis verè ſit peccatum, damnans & afferens nunc quoque æternam mortem his, qui non renaſcuntur per Baptiſmum & Spiritum Sanctum.

Damnant Pelagianos, & alios, qui vitium originis negant eſſe peccatum, & ut extenuent gloriam meriti & beneficiorum Chriſti, diſputant hominem propriis viribus rationis coram Deo juſtificari poſſe.

III. De Filio Dei.

Apol. fol. 59. Art. Smalc. 303. ſeq. Epit. 605. Declar. 761.

Item docent, quod Verbum, hoc eſt, Filius Dei, aſſumſerit humanam naturam in utero beatæ Mariæ virginis, ut ſint duæ naturæ, divina & humana, in unitate perſonæ inſeparabiliter conjunctæ, unus Chriſtus, verè Deus, & vere homo, natus ex virgine Maria, vere paſſus, crucifixus, mortuus & ſepultus, ut reconciliaret nobis Patrem, & hoſtia eſſet non tantum pro culpa originis, ſed etiam pro omnibus actualibus hominum peccatis. Idem deſcendit ad inferos, & verè reſurrexit tertia die, deinde aſcendit ad cœlos, ut ſedeat ad dexteram Patris, & perpetuo regnet & dominetur omnibus creaturis, ſanctificet credentes in ipſum, miſſo in corda eorum Spiritu Sancto, qui regat, conſoletur ac vivificet eos, ac defendat adverſus diabolum, & vim peccati. Idem Chriſtus palàm eſt rediturus, ut judicet vivos & mortuos, &c. juxta Symbolum Apoſtolorum.

IV. De Juſtificatione.

Apol. 60. ſeq. Art. Sm. 335. Epit. 583. Declar. 682.

Item docent, quod homines non poſſint juſtificari coram Deo propriis viribus, meritis aut operibus, ſed gratis juſtificentur propter Chriſtum per fidem, cùm credunt ſe in gratiam recipi, & peccata remitti propter Chriſtum, qui ſua morte pro noſtris peccatis ſatisfecit. Hanc fidem imputat Deus pro juſtitia coram ipſo, Rom. 3. & 4.

V. De Miniſterio Eccleſ.

Apol. 204. Art. Sm. 334.

Ut hanc fidem conſequamur, inſtitutum eſt miniſterium

sterium docendi Evangelii & porrigendi Sacramenta. Nam per verbum & Sacramenta, tanquam per instrumenta, donatur Spiritus Sanctus, qui fidem efficit, ubi & quando visum est Deo, in iis, qui audiunt Evangelium, scilicet, quod Deus non propter nostra merita, sed propter Christum justificet hos, qui credunt, se propter Christum in gratiam recipi.

Damnant Anabaptistas, & alios, qui sentiunt Spiritum S. contingere sine verbo externo hominibus per ipsorum præparationes & opera.

VI. De Nova Obedientia.

Item docent, quod fides illa debeat bonos fructus parere, & quod oporteat bona opera, mandata à Deo facere propter voluntatem Dei, non ut confidamus per ea opera justificationem coram Deo mereri. Nam remissio peccatorum & justificatio fide apprehenditur, sicut testatur & vox Christi: Cum feceritis hæc omnia, dicite, servi inutiles sumus. Idem docent & veteres Scriptores Ecclesiastici; Ambrosius enim inquit: Hoc constitutum est a Deo, ut qui credit in Christum, salvus sit, sine opere, sola fide, gratis accipiens remissionem peccatorum.

Vid. p. 15. Artic. 20. Apol. 89. Art. Sm. 335. Luc. 17, 10.

VII. De Ecclesia.

Item docent, quod una sancta Ecclesia perpetuò mansura sit: Est autem Ecclesia congregatio sanctorum, in qua Evangelium recte docetur, & recte administrantur Sacramenta. Et ad veram unitatem Ecclesiæ, satis est consentire de doctrina Evangelii & administratione Sacramentorum. Nec necesse est ubique esse similes traditiones humanas, seu ritus aut ceremonias, ab hominibus institutas. Sicut inquit Paulus: Una fides, unum baptisma, unus Deus & pater omnium, &c.

Apol. f. 144. sqq. Art. Sm. 335. Eph. 4, 2.

VIII. Quid sit Ecclesia.

Quanquam Ecclesia propriè sit congregatio sanctorum, & vere credentium; tamen, cum in hac vita multi hypocritæ & mali admixti sint, licet uti Sacramentis,

Apol. 144. sq.

quæ

Matth. 23, 2. quæ per malos administrantur, juxta vocem Christi: Sedent Scribæ & Pharisæi in cathedra Moysis,&c. Et sacramenta & verbum propter ordinationem & mandatum Christi sunt efficacia, etiamsi per malos exhibeantur.

Damnant Donatistas & similes,qui negabant licere uti ministerio malorum in Ecclesia, & sentiebant ministerium malorum inutile & inefficax esse.

IX. De Baptismo.

Apol. 156. Art. Sm. 329. Cat. Min.376. Cat.Maj.401. De Baptismo docent, quod sit necessarius ad salutem,quodque per Baptismum offeratur gratia Dei; Et quod pueri sint baptizandi, qui per baptismum oblati Deo, recipiantur in gratiam Dei.

Damnant Anabaptistas,qui improbant Baptismum puerorũ,& affirmant pueros sine Baptismo salvos fieri.

X. De Cœna Domini.

Apolo. 157. Art. Sm. 330. Cat. Min.380. Cat.Maj.402. Epit.597. Decl. 724. De cœna Domini docent, quod corpus & sanguis Christi verè adsint, & distribuantur vescentibus in Cœna Domini & improbant secus docentes.

XI. De Confessione.

Apol.158.188. Art. Sm. 331. Cat. Min.378. De confessione docent, quod absolutio privata in Ecclesiis retinenda sit,quanquam in confessione non sit necessaria omnium delictorũ enumeratio.Est enim impossibilis juxta Psalmum,Delicta quis intelligit?

XII. De Pœnitentia.

Apolog. 161. Art. Sm. 319. Epit. 591. Declar. 709. De Pœnitentia docent,quod lapsis post Baptismum contingere possit remissio peccatorum quocunq; tempore,cùm convertuntur.Et quod Ecclesia talibus redeuntib9 ad pœnitentiam absolutionẽ impertiri debeat.

Constat autem pœnitentia proprie his duabus partibus: Altera est, contritio seu terrores incussi conscientiæ agnito peccato. Altera est fides,quæ concipitur ex Evangelio,seu absolutione, & credit propter Christum remitti peccata, & consolatur conscientiam, & ex terroribus liberat. Deinde sequi debent bona opera,quæ sunt fructus pœnitentiæ. Da-

Digitized by Google

Damnant Anabaptiſtas, qui negant ſemel juſtificatos poſſe amittere Spiritum ſanctum. Item, qui contendunt quibusdam tantam perfectionem in hac vita contingere, ut peccare non poſſint. Damnantur & Novatiani, qui nolebant abſolvere lapſos poſt Baptiſmum redeuntes ad pœnitentiam. Rejiciuntur & iſti, qui non docent remiſſionem peccatorum per fidem contingere, ſed jubent nos mereri gratiam per ſatisfactiones noſtras.

XIII. De uſu Sacramentorum.

De uſu Sacramentorum docent, quod Sacramenta inſtituta ſint, non modo ut ſint notæ profeſſionis inter homines, ſed magis ut ſint ſigna & teſtimonia voluntatis Dei erga nos, ad excitandam & confirmandam fidem in his, qui utuntur, propoſita. Itaque utendum eſt Sacramentis, ita ut fides accedat, quæ credat promiſſionibus, quæ per Sacramenta exhibentur & oſtenduntur. *Apol. 200. 267. Art. Sm. 329.*

Damnant igitur illos, qui docent, quod Sacramenta ex opere operato juſtificent, nec docent fidem requiri in uſu Sacramentorum, quæ credit remitti peccata.

XIV. De Ordine Eccleſiaſtico.

De ordine Eccleſiaſtico docent, quod nemo debeat in Eccleſia publice docere, aut Sacramenta adminiſtrare, niſi ritè vocatus. *Apol. 204. Art. Sm. 334.*

XV. De Ritibus Eccleſiaſticis.

De ritibus Eccleſiaſticis docent, quod ritus illi ſervandi ſint, qui ſine peccato ſervari poſſunt, & proſunt ad tranquillitatem & bonum ordinem in Eccleſia, ſicut certæ feriæ, feſta & ſimilia. *Apol. 205. Art. Sm. 338.*

De talibus rebus tamen admonentur homines, ne conſcientiæ onerentur, tamquam talis cultus ad ſalutem neceſſarius ſit.

Admonentur etiam, quod traditiones humanæ inſtitutæ ad placandum Deum, ad promerendam gratiam, & ſatisfaciendum pro peccatis, adverſentur Evangelio & doctri-

doctrinæ fidei. Quare vota & traditiones de cibis & di-
Coloss. 2, 16. eb9 &c. institutæ ad promerendam gratiam, & satisfaciendū pro peccatis inutiles sint & contra Evangeliū.

XVI. De Rebus Civilibus.

Apol. 214. De rebus civilibus docent, quod legitimæ ordinationes civiles sint bona opera Dei, quod Christianis liceat gerere Magistratus, exercere judicia, judicare res ex Imperatoriis, & aliis præsentibus legibus, supplicia jure constituere, jure bellare, militare, lege contrahere, tenere proprium, jusjurandum postulantibus Magistratibus dare, ducere uxorem, nubere.

Damnant Anabaptistas, qui interdicunt hæc civilia officia Christianis. Damnant & illos, qui Evangelicam perfectionem non collocant in timore Dei & fide, sed in deferendis civilibus officiis, quia Evangelium tradit justitiam æternam cordis. Interim non dissipat Politiam aut Oeconomiam, sed maximè postulat conservare tanquam ordinationes DEI, & in talibus ordinationibus exercere caritatem. Itaque necessario debent Christiani obedire Magistratibus suis & legibus. Nisi cùm jubent peccare, tunc enim magis debent obedire Deo quàm hominibus, Actor. 5. v. 29.

XVII. De Christi reditu ad Jud.

Apol. 217. Item docent, quod Christus apparebit in consummatione mundi ad judicandum, & mortuos omnes resuscitabit, piis & electis dabit vitam æternam & perpetua gaudia, impios autem homines ac diabolos condemnabit, ut sine fine crucientur.

Damnant Anabaptistas, qui sentiunt hominibus damnatis ac diabolis finem pœnarum futurum esse. Damnant & alios, qui nunc spargunt Judaicas opiniones, quod ante resurrectionem mortuorum, pii regnum mundi occupaturi sint, ubique oppressis impiis.

XVIII. De Libero Arbitrio.

Apolog. 217.
Art. Sm. 318. De libero Arbitrio docent, quod humana voluntas habeat

Digitized by Google

habeat aliquam libertatem ad efficiendam civilem ju- *Ep. 578.*
ſtitiam,& deligendas res rationi ſubjectas.Sed non ha- *Decl. 654.*
bet vim ſine Spiritu S. efficiendæ juſtitiæ Dei ſeu juſti-
tiæ ſpiritualis,quia animalis homo non percipit ea,quæ *1. Cor. 2, 14.*
ſunt Spiritus Dei ; ſed hæc fit in cordibus,cùm per ver-
bum Spiritus S. concipitur. Hæc totidem verbis di-
cit Auguſtinus l. 3. Hypognoſticon. Eſſe fatemur libe-
rum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem
judicium rationis, non per quod ſit idoneum in iis,
quæ ad Deum pertinent,ſine Deo aut inchoare aut cer-
tè peragere,ſed tantùm in operibus vitæ præſentis tam
bonis,quàm etiam malis ; Bonis dico,quæ de bono na-
turæ oriuntur,i.e.velle laborare in agro, velle manduca-
re & bibere,velle habere amicum,velle habere indu-
menta, velle fabricare domum, uxorem velle ducere,
pecora nutrire,artem diſcere diverſarum rerũ bonarũ,
velle quicquid bonſi ad præſentẽ pertinet vitam. Quæ
omnia non ſine divino gubernaculo ſubſiſtunt,imo ex
ipſo & per ipſum ſunt, & eſſe cœperunt.Malis vero di-
co,ut eſt : velle idolum colere, velle homicidium,&c.

Damnant Pelagianos,& alios,qui docent,quod ſine
Spiritu S. ſolis naturæ viribus poſſimus Deum ſuper
omnia diligere, item præcepta Dei facere, quoad ſub-
ſtantiam actuum. Quanquam enim externa opera ali-
quo modo efficere natura poſſit, poteſt enim contine-
re manus à furto,à cæde ; tamen interiores motus non
poteſt efficere,ut timorem Dei, fiduciam erga Deum,
caſtitatem, patientiam, &c.

XIX. De Cauſa Peccati.

De cauſa peccati docent,quod tametſi Deus creat & *Apol. 219. ſeq.*
conſervat naturam, tamen cauſa peccati eſt voluntas
malorum, videlicet,diaboli & impiorum,quæ non ad-
juvante Deo avertit ſe à Deo,ſicut Chriſtus ait Joh. 8. *Joh. 8, 44.*
Cum loquitur mendacium, ex ſeipſo loquitur.

XX. De Bonis Operibus.

Apol. 83.
Falſo accuſantur noſtri, quod bona opera prohi- *Art. Sm. 335.*
beant.

beant. Nam ſcripta eorum,quæ extant de decem præceptis,& alia ſimili argumento,teſtantur,quod utiliter docuerint de omnibus vitæ generibus & officiis, quæ genera vitæ,quæ opera in qualibet vocatione Deo placeant. De quibus rebus olim parum docebant Concionatores,tantùm puerilia & non neceſſaria opera urgebant,ut certas ferias, certa jejunia,fraternitates, peregrinationes,cultus Sanctorum,roſaria,monachatum & ſimilia. Hæc adverſarii noſtri admoniti nunc dediſcunt, nec perinde prædicant hæc inutilia opera, ut olim. Præterea incipiunt fidei mentionem facere, de qua olim mirum erat ſilentium. Docent,nos non tantum operibus juſtificari,ſed conjungunt fidem & opera,& dicunt,nos fide & operibus juſtificari. Quæ doctrina tolerabilior eſt priore,& plus afferre poteſt conſolationis, quàm vetus ipſorum doctrina.

Cùm igitur doctrina de fide, quam oportet in Eccleſia præcipuam eſſe, jam diu jacuerit ignota, quemadmodum fateri omnes neceſſe eſt, de fidei juſtitia altiſſimum ſilentium fuiſſe in concionibus, tantùm doctrinam operum verſatam eſſe in Eccleſiis,noſtri de fide ſic admonuerunt Eccleſias.

Principio,quod opera noſtra non poſſint reconciliare DEUM, aut mereri remiſſionem peccatorum, & gratiam & juſtificationem, ſed hanc tantùm fide conſequimur, credentes quod propter Chriſtum recipiamur in gratiam, qui ſolus poſitus eſt mediator & propitiatorium,per quem reconcilietur pater. Itaque qui confidit, operibus ſe mereri gratiam, is aſpernatur Chriſti meritum & gratiam,& quærit ſine Chriſto humanis viribus viam ad Deum,cùm Chriſtus de ſe dixerit: Ego ſum via, veritas & vita.

1. Tim. 2, 5.

Joh. 14, 6.

Hæc doctrina de fide ubiq; in Paulo tractatur,Eph. 2.Gratia ſalvi facti eſtis per fidem,& hoc non ex vobis, Dei donum eſt, non ex operibus,&c.

Eph. 2, v. 8.

Et

Et ne quis cavilletur, à nobis novam Pauli interpretationem excogitari, tota hæc cauſa habet teſtimonia Patrum. Nam Auguſtinus multis voluminibus defendit gratiam & juſtitiam fidei contra merita operum. Et ſimilia docet Ambroſius de vocatione Gentium, & alibi. Sic enim inquit de vocatione gentium: Vileſceret redemtio ſanguinis Chriſti, nec miſericordiæ DEI humanorum operum prærogativa ſuccumberet, ſi juſtificatio, quæ fit per gratiam, meritis præcedentibus deberetur, ut non munus largientis, ſed merces eſſet operantis.

Quanquam autem hæc doctrina contemnitur ab imperitis, tamen experiuntur piæ ac pavidæ conſcientiæ, plurimum eam conſolationis afferre, quia conſcientiæ non poſſunt reddi tranquillæ per ulla opera, ſed tantum fide, cùm certo ſtatuunt, quòd propter CHRISTUM habeant placatum DEUM. Quemadmodum Paulus docet Rom. 5. Juſtificati per fidem, pacem habemus apud DEUM. Tota hæc doctrina ad illud certamen perterrefactæ conſcientiæ referenda eſt, nec ſine illo certamine intelligi poteſt. Quare malè judicant de ea re homines imperiti, & prophani, qui Chriſtianam juſtitiam nihil eſſe ſomniant, niſi civilem & philoſophicam juſtitiam. *Rom. 5, 1.*

Olim vexabantur conſcientiæ doctrina operum, non audiebant ex Evangelio conſolationem. Quosdam conſcientia expulit in deſertum, in monaſteria, ſperantes ibi ſe gratiam merituros eſſe per vitam monaſticam. Alii alia excogitaverunt opera, ad promerendam gratiam & ſatisfaciendum pro peccatis. Ideo magnopere fuit opus, hanc doctrinam de fide in Chriſtum tradere, & renovare, ne deeſſet conſolatio pavidis conſcientiis, ſed ſcirent, fide in Chriſtum apprehendi gratiam & remiſſionem peccatorum & juſtificationem.

Admonentur etiam homines, quod hic nomen fi-

dei non ſignificet tantùm hiſtoriæ notitiam, qualis eſt in impiis & diabolo, ſed ſignificet fidem, quæ credit non tantùm hiſtoriam, ſed etiam effectum hiſtoriæ, videlicet, hunc Articulum, Remiſſionem peccatorum, quod videlicet per Chriſtum habeamus gratiam, juſtitiam & remiſſionem peccatorum.

Jam qui ſcit, ſe per CHRISTUM habere propitium Patrem, is verè novit DEUM, ſcit ſe ei curæ eſſe, invocat eum; Denique non eſt ſine Deo, ſicut gentes. Nam diaboli & impii non poſſunt hunc articulum credere, Remiſſionem peccatorum. Ideo DEUM tanquam hoſtem oderunt, non invocant eum, nihil boni ab eo expectant. Auguſtinus etiam de fidei nomine hoc modo admonet lectorem, & docet, in ſcripturis nomen fidei accipi, non pro notitia, qualis eſt in impiis, ſed pro fiducia, quæ conſolatur & erigit perterrefactas mentes.

Præterea docent noſtri, quòd neceſſe ſit bona opera facere, non ut confidamus per ea gratiam mereri, ſed propter voluntatem Dei. Tantùm fide apprehenditur remiſſio peccatorum ac gratia. Et quia per fidem accipitur Spiritus Sanctus, jam corda renovantur, & induunt novos affectus, ut parere bona opera poſſint. Sic enim ait Ambroſius: Fides bonæ voluntatis, & juſtæ actionis genitrix eſt. Nam humanæ vires, ſine Spiritu Sancto, plenæ ſunt impiis affectibus, & ſunt imbecilliores, quàm ut bona opera poſſint efficere coram Deo. Adhæc, ſunt in poteſtate diaboli, qui impellit homines ad varia peccata, ad impias opiniones, ad manifeſta ſcelera. Quemadmodum eſt videre in philoſophis, qui & ipſi conati honeſtè vivere, tamen id non potuerunt efficere, ſed contaminati ſunt multis manifeſtis ſceleribus. Talis eſt imbecillitas hominis, cùm eſt ſine fide & ſine Spiritu Sancto, & tantùm humanis viribus ſe gubernat.

Hinc facilè apparet, hanc doctrinam non eſſe accuſan-

ſandam, quod bona opera prohibeat, ſed multo magis laudandam, quod oſtendit, quomodo bona opera facere poſſimus. Nam ſine fide nullo modo poteſt humana natura primi aut ſecundi præcepti opera facere. Sine fide non invocat Deum, à Deo nihil expectat, non tolerat crucem, ſed quærit humana præſidia, confidit humanis præſidiis. Ita regnant in corde omnes cupiditates, & humana conſilia, cùm abeſt fides & fiducia erga Deum. Quare & Chriſtus dixit: Sine me nihil poteſtis facere, Joh. 15. Et Eccleſia canit: Sine tuo numine, nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium. *Joh. 15. v. 5.*

XXI. De cultu Sanctorum.

DE cultu ſanctorum docent, quod memoria ſanctorum proponi poteſt, ut imitemur fidem eorum, & bona opera juxta vocationem; Ut Cæſar imitari poteſt exemplum Davidis in bello gerendo ad depellendos Turcas à patria. Nam uterque rex eſt. Sed ſcriptura non docet invocare ſanctos, ſeu petere auxilium à ſanctis. Quia unum Chriſtum nobis proponit mediatorem, propitiatorium, Pontificem, & interceſſorem. Hic invocandus eſt, & promiſit ſe exauditurum eſſe preces noſtras, & hunc cultum maximè probat, videlicet, ut invocetur in omnibus afflictionibus. 1. Joh. 2. Si quis peccat, habemus advocatum apud Deum, &c. *Apol. 223. Art. Sm 310. 1. Tim. 2, 5. Rom. 3, 25. Hebr. 9, 15. 1. Joh. 2, 1.*

Hæc fere ſumma eſt doctrinæ apud nos, in qua cerni poteſt, nihil ineſſe, quod diſcrepat à ſcripturis, vel ab Eccleſia Catholica, vel ab Eccleſia Romana quatenus ex ſcriptoribus nota eſt. Quod cùm ita ſit, inclementer judicant iſti, qui noſtros pro hæreticis haberi poſtulant. Sed diſſenſio eſt de quibusdam abuſibus, qui ſine certa autoritate in Eccleſias irrepſerunt, in quibus etiam, ſi qua eſſet diſſimilitudo, tamen decebat hæc lenitas Epiſcopos, ut propter confeſſionem, quam modo recenſuimus, tolerarent noſtros,

quia ne Canones quidem tam duri ſunt, ut eosdem ritus ubique eſſe poſtulent, neque ſimiles unquam omnium Eccleſiarum ritus fuerunt. Quanquam apud nos magna ex parte veteres ritus diligenter ſervantur. Falſa enim calumnia eſt, quod omnes ceremoniæ, omnia vetera inſtituta in Eccleſiis noſtris aboleantur. Verum publica querela fuit, abuſus quosdam in vulgaribus ritibus hærere. Hi, quia non poterant bona conſcientia probari, aliqua ex parte correcti ſunt.

ARTICULI, IN QUIBUS RECENSENTUR ABUSUS MUTATI.

CUm Eccleſiæ apud nos de nullo articulo fidei diſſentiant ab Eccleſia Catholica, tantùm paucos quosdam abuſus omittant, qui novi ſunt, & contra voluntatem Canonum vitio temporum recepti, rogamus, ut Cæſarea Majeſtas clementer audiat, & quid ſit mutatum, & quæ fuerint cauſæ, quo minus coactus ſit populus illos abuſus contra conſcientiam obſervare. Nec habeat fidem Cæſarea Majeſtas iſtis, qui, ut inflamment odia hominum adverſus noſtros, miras calumnias ſpargunt in populum. Hoc modo irritatis animis bonorum virorum initio præbuerunt occaſionem huic diſſidio, & eadem arte conantur nunc augere diſcordias. Nam Cæſarea Majeſtas haud dubie comperiet tolerabiliorem eſſe formam & doctrinæ & ceremoniarum apud nos, quàm qualem homines iniqui & malevoli deſcribunt. Porro veritas ex vulgi rumoribus aut maledictis inimicorum colligi non poteſt. Facile autem hoc judicari poteſt, nihil magis prodeſſe ad dignitatem ceremoniarum conſervandam, & alendam reverentiam ac pietatem in populo, quàm ſi ceremoniæ ritè fiant in Eccleſiis.

I. De

Digitized by Google

I. De utraque ſpecie.

LAicis datur utraque ſpecies Sacramenti in Cœna Domini, quia hic mos habet mandatum Domini Matth. 26. Bibite ex hoc omnes. Ubi manifeſtè præcepit Chriſtus de poculo, ut omnes bibant, & ne quis poſſit cavillari, quod hoc ad Sacerdotes tantùm pertineat, Paulus ad Corinth. exemplum recitat, in quo apparet totam Eccleſiam utraque ſpecie uſam eſſe. Et diu manſit hic mós in Eccleſia, nec conſtat, quando aut quo autore mutatus ſit, tametſi Cardinalis Cuſanus recitet, quando ſit approbatus. Cyprianus aliquot locis teſtatur, populo ſanguinem datum eſſe. Idem teſtatur Hieronymus, qui ait, Sacerdotes Euchariſtiæ miniſtrant, & ſanguinem Chriſti populis dividunt. Imo Gelaſius Papa mandat, ne dividatur Sacramentum, Diſt. 2. de conſecratione, cap. Comperimus. Tantum conſuetudo non ita vetus aliud habet. Conſtat autem, quod conſuetudo, contra mandata Dei introducta, non ſit probanda, ut teſtantur Canones, Diſt. 8. cap. Veritate, cum ſequentibus. Hæc vero conſuetudo non ſolùm contra ſcripturam, ſed etiam contra veteres Canones & exemplum Eccleſiæ recepta eſt. Quare ſi qui maluerunt utraque ſpecie Sacramenti uti, non fuerunt cogendi, ut aliter facerent cum offenſione conſcientiæ.

Apolog. 233. Art. Sm. 330. Matth. 26. v. 27. 1. Cor. 11, 16.

Et quia diviſio Sacramenti non convenit cum inſtitutione Chriſti, ſolet apud nos omitti proceſſio, quæ hactenus fieri ſolita eſt.

II. De Conjugio Sacerdotum.

PUblica querela fuit de exemplis Sacerdotum, qui non continebant. Quam ob cauſam & Pius Papa dixiſſe fertur, fuiſſe aliquas cauſas, cur ademtum ſit Sacerdotibus conjugium, ſed multo majores eſſe

Apolog. 236. Art. Sm. 334.

causas, cur reddi debeat. Sic enim scribit Platina: Cùm igitur Sacerdotes apud nos publica illa scandala vitare vellent, duxerunt uxores, ac docuerunt, quod liceat ipsis con-
1. Cor. 7. v. 2. 9. trahere matrimonium. Primùm, quia Paulus dicit: Unusquisque habeat uxorem suam propter fornicationem. Item: Melius est nubere, quàm uri. Secundo, Christus inquit:
Matth. 19. 12. Non omnes capiunt verbum hoc; ubi docet, non omnes homines ad cœlibatum idoneos esse, quia Deus creavit ho-
Gen. 1. 28. minem ad procreationem, Gen. 1. Nec est humanæ potestatis, sine singulari dono & opere Dei creationem mutare. Igitur qui non sunt idonei ad cœlibatum, debent contrahere matrimonium. Nam mandatum Dei, & ordinationem Dei, nulla lex humana, nullum votum tollere potest. Ex his causis docent Sacerdotes sibi licere uxores ducere. Constat etiam, in Ecclesia veteri
1. Tim. 3. 2. Sacerdotes fuisse maritos. Nam & Paulus ait, Episcopum eligendum esse, qui sit maritus. Et in Germania primùm, ante annos quadringentos, Sacerdotes vi coacti sunt ad cœlibatum, qui quidem adeo adversati sunt, ut Archi-Episcopus Moguntinus publicaturus edictum Rom. Pontificis de ea re, penè ab iratis Sacerdotibus per tumultum oppressus sit. Et res gesta est tam inciviliter, ut non solùm in posterum conjugia prohiberentur, sed etiam præsentia, contra omnia jura divina & humana, contra ipsos etiam Canones factos, non solùm à Pontificibus, sed à laudatissimis Synodis, distraherentur.

Et cùm senescente mundo, paulatim humana natura fiat imbecillior, convenit prospicere, ne plura vitia serpant in Germaniam. Porro DEUS instituit conjugium, ut esset remedium humanæ infirmitatis. Ipsi Canones veterem rigorem interdum posterioribus temporibus propter imbecillitatem hominum laxandum esse ducunt, quod optandum est, ut fiat & in hoc

nego-

negotio. Ac videntur Ecclesiis aliquando defuturi pastores, si diutius prohibeatur conjugium.

Cùm autem extet mandatum Dei, cùm mos Ecclesiæ notus sit, cùm impurus cœlibatus plurima pariat scandala, adulteria & alia scelera digna animadversione boni magistratus: tamen mirum est, nulla in re majorem exerceri sævitiam, quàm adversus conjugium Sacerdotum. Deus præcipit honore afficere conjugium. Leges in omnibus rebuspublicis benè constitutis, etiam apud Ethnicos, maximis honoribus ornaverunt. At nunc capitalibus pœnis excruciantur, & quidem Sacerdotes contra Canonum voluntatem, nullam aliam ob causam, nisi propter conjugium. Paulus vocat doctrinam dæmoniorum, quæ prohibet conjugium, 1. Tim. 4. Id facile nunc intelligi potest, cùm talibus suppliciis prohibitio conjugii defenditur. *1. Tim. 4, 3.*

Sicut autem nulla lex humana potest mandatum DEI tollere, ita nec votum potest tollere mandatum Dei. Proinde etiam Cyprianus svadet, ut mulieres nubant, quæ non servant promissam castitatem. Verba ejus sunt hæc, lib. 1. epistola XI. Si autem perseverare nolunt, aut non possunt, meliùs est ut nubant, quàm ut in ignem deliciis suis cadant, certè nullum fratribus aut sororibus scandalum faciant. Et æquitate quadam utuntur ipsi Canones erga hos, qui ante justam ætatem voverunt, quomodo ferè hactenus fieri consvevit.

III. De Missa.

FAlso accusantur Ecclesiæ nostræ, quod Missam aboleant, retinetur enim Missa apud nos, & summa reverentia celebratur. Servantur & usitatæ ceremoniæ ferè omnes, præterquam quod Latinis cantionibus admiscentur alicubi Germanicæ, quæ additæ sunt ad docendum populum. Nam ad hoc unum opus est *Apol. 250. 269. Art. Smalc. 305.*

1. Cor. 14, 7. ceremoniis, ut doceant imperitos. Et non modo Paulus præcipit uti lingua intellecta populo in Ecclesia, sed etiam ita constitutum est humano jure.

Assuevit populus, ut una utantur Sacramento, si qui sunt idonei, id quoque auget reverentiam ac religionem publicarum ceremoniarum. Nulli enim admittuntur, nisi antea explorati. Admonentur etiam homines de dignitate & usu Sacramenti, quantam consolationem afferat pavidis conscientiis, ut discant DEO credere, & omnia bona à DEO expectare & petere. Hic cultus delectat DEUM, talis usus Sacramenti alit pietatem erga DEUM. Itaque non videntur apud adversarios Missæ majore religione fieri, quam apud nos.

Constat autem hanc quoque publicam & longè maximam querelam omnium bonorum virorum diu fuisse, quod Missæ turpiter prophanarentur, collatæ ad quæstum. Neque enim obscurum est, quam latè pateat hic abusus in omnibus templis, à qualibus celebrentur Missæ, tantùm propter mercedem aut stipendium, quam multi contra interdictum Canonum celebrent. Paulus autem graviter minatur his, qui indigne tra-
1. Cor. 11, 27. ctant Eucharistiam, cùm ait: Qui ederit panem hunc, aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini. Itaque cum apud nos admonerentur Sacerdotes de hoc peccato, desierùnt apud nos privatæ Missæ, cum ferè nullæ privatæ Missæ, nisi quæstus causa fierent.

Neque ignoraverunt hos abusus Episcopi, qui si correxissent eos in tempore, minus nunc esset dissensionum. Antea sua dissimulatione multa vitia passi sunt in Ecclesiam serpere. Nunc sero incipiunt queri de calamitatibus Ecclesiæ, cùm hic tumultus non aliunde sumserit occasionem, quàm ex illis abusibus, qui tam manifesti erant, ut tolerari ampliùs non possent. Magnæ dissensiones de Missa, de Sacramento extiterunt.

Fortasse

Digitized by Google

Fortasse dat pœnas orbis tam diuturnæ prophanationis Missarum, quam in Ecclesiis tot seculis toleraverunt isti, qui emendare & poterant & debebant. Nam in Decalogo scriptum est: Qui DEI nomine abutitur, non erit impunitus. At ab initio mundi nulla res divina ita videtur unquam ad quæstum collata fuisse, ut Missa. *Exod. 20. v. 7.*

Accessit opinio, quæ auxit privatas Missas in infinitum, videlicet quod Christus sua passione satisfecerit pro peccato originis, & instituerit Missam, in qua fieret oblatio pro quotidianis delictis, mortalibus & venialibus. Hinc manavit publica opinio, quod Missa sit opus delens peccata vivorum & mortuorum ex opere operato. Hic cœptum est disputari, utrum una Missa dicta pro pluribus, tantundem valeat, quantum singulæ pro singulis. Hæc disputatio peperit istam infinitam multitudinem Missarum.

De his opinionibus nostri admonuerunt, quod dissentiant à scripturis sanctis, & lædant gloriam passionis Christi. Nam passio Christi fuit oblatio & satisfactio, non solùm pro culpa originis, sed etiam pro omnibus reliquis peccatis, ut ad Hebræos scriptum est: Sanctificati sumus per oblationem JEsu Christi semel. Item, Una oblatione consummavit in perpetuum sanctificatos. *Heb. 96, 2. 28.*

Item, Scriptura docet, Nos coram DEO justificari per fidem in Christum, cùm credimus, nobis remitti peccata propter Christum. Jam si Missa delet peccata vivorum & mortuorum ex opere operato, contingit justificatio ex opere Missarum, non ex fide, quod scriptura non patitur. *Rom. 3, 25.*

Sed Christus jubet facere in sui memoriam, quare Missa instituta est, ut fides in iis, qui utuntur Sacramento, recordetur, quæ beneficia accipiat per Christum, & erigat & consoletur pavidam conscientiam. Nam id est meminisse Christi, beneficia meminisse, ac sen- *Luc. 22, 19.*

tire, quod verè exhibeantur nobis. Nec satis est historiam recordari, quia hanc etiam Judæi & impii recordari possunt. Est igitur ad hoc facienda Missa, ut ibi porrigatur Sacramentum his, quibus opus est consolatione, sicut Ambrosius ait: Quia semper pecco, semper debeo accipere medicinam.

Cùm autem Missa sit talis communicatio Sacramenti, servatur apud nos una communis Missa singulis feriis atque aliis etiam diebus, si qui Sacramento velint uti, ubi porrigitur Sacramentum his, qui petunt. Neque hic mos in Ecclesia novus est. Nam veteres ante Gregorium non faciunt mentionem privatæ Missæ. De communi Missa plurimum loquuntur. Chrysostomus ait: Sacerdotem quotidiè stare ad altare, & alios ad communionem accersere, alios arcere. Et ex Canonibus veteribus appareret, unum aliquem celebrasse Missam, à quo reliqui presbyteri & Diaconi sumserunt corpus Domini. Sic enim sonant verba Canonis Niceni: Accipiant Diaconi secundum ordinem post presbyteros, ab Episcopo vel à presbytero sacram communionem. Et Paulus de communione jubet, ut alii alios expectent, ut fiat communis participatio. 1. Cor. 11, 33.

Postquam igitur Missa apud nos habet exemplum Ecclesiæ, ex scriptura & Patribus, confidimus improbari eam non posse, maxime cum publicæ ceremoniæ, magna ex parte similes usitatis serventur, tantùm numerus Missarum est dissimilis, quem propter maximos & manifestos abusus certe moderari prodesset. Nam olim etiam in Ecclesiis frequentissimis non fiebat quotidie Missa, ut testatur historia Tripartita lib. 9. cap. 38. Rursus autem in Alexandria quarta & sexta feria scripturæ leguntur, easque doctores interpretantur, & omnia fiunt præter solennem oblationis morem.

IV. De

IV. De Confessione.

Confessio in Ecclesiis apud nos non est abolita. Non enim solet porrigi corpus Domini, nisi antea exploratis & absolutis. Et docetur populus diligentissimè de fide absolutionis, de qua ante hæc tempora magnum erat silentium. Docentur homines, ut absolutionem plurimi faciant, quia sit vox Dei, & mandato Dei pronuncietur. Ornatur potestas clavium, & commemoratur, quantam consolationem afferat perterrefactis conscientiis, & quod requirat Deus fidem, ut illi absolutioni tanquam voci de cœlo sonanti credamus, & quod illa fides in Christum verè consequatur, & accipiat remissionem peccatorum. Antea immodicè extollebantur satisfactiones: Fidei vero & meriti CHRISTI, ac justitiæ fidei nulla fiebat mentio, quare in hac parte minimè sunt culpandæ Ecclesiæ nostræ. Nam hoc etiam adversarii tribuere nobis coguntur, quod doctrina de pœnitentia diligentissimè à nostris tractata ac patefacta sit.

Apol. 158. 181. Art. Sm. 330. 331. Cat. Min. 378.

Sed de confessione docent, quod enumeratio delictorum non sit necessaria, nec sint onerandæ conscientiæ cura enumerandi omnia delicta, quia impossibile est omnia delicta recitare, Ut testatur Psalmus: Delicta quis intelligit? Item Jeremias: Pravum est cor hominis & inscrutabile. Quod si nulla peccata nisi recitata remitterentur, nunquam acquiescere conscientiæ possunt, quia plurima peccata neq; vident, neque meminisse possent. Testantur & veteres scriptores enumerationem non esse necessariã. Nam in Decretis citatur Chrysostomus, qui sic ait: Non tibi dico, ut te prodas in publicum, neque apud alios te accuses, sed obedire te volo Prophetæ dicenti: Revela ante Deum viam tuam. Ergo tua confitere peccata apud Deum, verum judicem cum oratione. Delicta tua pronuncia non lingua, sed

Psal. 19, 13. Jerem. 17, 9.

ſed conſcientiæ tuæ memoria,&c. Et gloſſa de pœnitentia,Diſt. 4. cap. Conſideret, fatetur humani juris eſſe confeſſionem. Verùm confeſſio, cum propter maximum abſolutionis beneficium tùm propter aliàs conſcientiarum utilitates apud nos retinetur.

V. De Diſcrimine Ciborum.

Publica perſuaſio fuit non tantùm vulgi, ſed etiam docentium in Eccleſiis, quod diſcrimina ciborum, & ſimiles traditiones humanæ, ſint opera utilia ad promerendam gratiam & ſatisfactoria pro peccatis. Et quod ſic ſenſerit mundus, apparet ex eo, quia quotidie inſtituebantur novæ ceremoniæ,novi ordines, novæ feriæ, nova jejunia,& doctores in templis exigebant hæc opera tanquam neceſſarium cultum ad promerendam gratiam, & vehementer terrebant conſcientias, ſi quid omitterent. Ex hac perſuaſione de traditionibus multa incommoda in Eccleſia ſecuta ſunt.

Primo, obſcurata eſt doctrina de gratia & juſtitia fidei, quæ eſt præcipua pars Evangelii,& quam maximè oportet extare & eminere in Eccleſia, ut meritum Chriſti bene cognoſcatur, & fides, quæ credit remitti peccata propter Chriſtum, longe ſupra opera collocetur. Quare & Paulus in hunc locum maximè incumbit, legem & traditiones humanas removet, ut oſtendat juſtitiam Chriſtianam aliud quiddam eſſe, quam hujusmodi opera, videlicet fidem, quæ credit peccata gratis remitti propter Chriſtum. At hæc doctrina Pauli penè tota oppreſſa eſt per traditiones,quæ pepererunt opinionem, quod per diſcrimina ciborum, & ſimiles cultus, oporteat mereri gratiam & juſtitiam. In pœnitentia nulla mentio fiebat de fide, tantùm hæc opera ſatisfactoria proponebantur, in his videbatur pœnitentia tota conſiſtere.

Rom. 3, 28.

Secundo hæ traditiones obſcuraverunt præcepta Dei,

Dei, quia traditiones longè præferebantur præceptis Dei, Chriſtianiſmus totus putabatur eſſe obſervatio certarum feriarum, rituum, jejuniorum, veſtitus. Hæ obſervationes erant in poſſeſſione honeſtiſſimi tituli, quod eſſent vita ſpiritualis & vita perfecta. Interim mandata DEI juxta vocationem nullam laudem habebant, quod paterfamilias educabat ſobolem, quod mater pariebat, quod princeps regebat rempublicam, hæc putabantur eſſe opera mundana & imperfecta, & longè deteriora illis ſplendidis obſervationibus. Et hic error valdè cruciavit pias conſcientias, quæ dolebant ſe teneri imperfecto vitæ genere, in conjugio, in magiſtratibus, aut aliis functionibus civilibus, mirabantur Monachos & ſimiles, & falſo putabant illorum obſervationes DEO gratiores eſſe.

Tertiò, traditiones attulerunt magna pericula conſcientiis, quia impoſſibile erat omnes traditiones ſervare, & tamen homines arbitrabantur has obſervationes neceſſarios eſſe cultus. Gerſon ſcribit, multos incidiſſe in deſperationem, quosdam etiam ſibi mortem conſciviſſe, quia ſenſerant, ſe non poſſe ſatisfacere traditionibus, & interim conſolationem nullam de juſtitia fidei & de gratia audierant.

Videmus Summiſtas & Theologos colligere traditiones, & quærere ἐπιεικείας, ut levent conſcientias, non ſatis tamen expediunt, ſed interdum magis injiciunt laqueos conſcientiis. Et in colligendis traditionibus ita fuerunt occupatæ Scholæ, & conciones, ut non vacaverit attingere ſcripturam, & quærere utiliorem doctrinam de fide, de cruce, de ſpe, de dignitate civilium rerum, de conſolatione conſcientiarum in arduis tentationibus. Itaque Gerſon & alii quidam Theologi graviter queſti ſunt, ſe his rixis traditionum impediri, quo minùs verſari poſſent in meliore genere doctrinæ. Et Auguſtinus vetat onerare conſcientias hujusmodi obſerva-

ſervationibus, & prudenter admonet Januarium, ut ſciat eas indifferenter obſervandas eſſe; ſic enim loquitur.

Quare noſtri non debent videri hanc cauſam temerè attigiſſe, aut odio Epiſcoporum, ut quidam falſo ſuſpicantur. Magna neceſſitas fuit de illis erroribus, qui natī erant ex traditionibus malè intellectis, admonere Eccleſias. Nam Evangelium cogit urgere doctrinam in Eccleſiis de gratia & juſtitia fidei, quæ tamen intelligi non poteſt, ſi putent homines ſe mereri gratiam per obſervationes ab ipſis electas.

Sic igitur docuerunt, quod per obſervationem traditionum humanarum non poſſimus gratiam mereri, aut juſtificari, quare non eſt ſentiendum, quod hujusmodi obſervationes ſint neceſſarius cultus.

Matth. 15, 3. Addunt teſtimonia ex ſcriptura, Chriſtus Matth. 15. excuſat Apoſtolos, qui non ſervaverant uſitatam traditionem, quæ tamen videbatur de re non illicita ſed media eſſe, & habere cognationem cum baptiſmatibus legis, & di-

v. 9. cit: Fruſtra colunt me mandatis hominum. Igitur non exigit cultum inutilem.

v. 11. Et paulo poſt addit: Omne quod intrat in os, non inquinat hominem.

Rom. 14, 17. Item Rom. 14. Regnum Dei non eſt eſca aut potus.

Coloſſ. 2, 16. Coloſſ. 2. Nemo judicet vos in cibo, potu, ſabbato aut die feſto.

v. 20. Item, Si mortui eſtis cum Chriſto, ab elementis mundi. Quare tanquam viventes in mundo decreta facitis? Ne attingas. Ne guſtes. Ne contrectes.

Actor. 15, 10. Actor. 15. ait Petrus: Quare tentatis Deum, imponentes jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque nos neque patres noſtri portare potuimus, ſed per gratiam Domini noſtri JESU CHRISTI credimus ſalvari, quemadmodum & illi. Hic vetat Petrus onerare conſcientias pluribus ritibus ſive Moſis, ſive aliis.

Et

Digitized by Google

Et 1. Tim. 4. vocat prohibitionem ciborum doctrinam dæmoniorum, quia pugnat cum Evangelio, talia opera instituere aut facere, ut per ea mereamur gratiam, aut quod non possit existere Christianismus sine tali cultu. 1. Tim. 4, 1. 3.

Hic objiciunt adversarii, quod nostri prohibeant disciplinam & mortificationem carnis, sicut Jovinianus. Verum aliud deprehenditur ex scriptis nostrorum. Semper enim docuerunt de cruce, quod Christianos oporteat tolerare afflictiones. Hæc est vera, seria & non simulata mortificatio, variis afflictionibus exerceri, & crucifigi cum Christo.

Insuper docet, quod quilibet Christianus debeat se corporali disciplina aut corporalibus exercitiis & laboribus sic exercere & coercere, ne saturitas aut desidia extimulet ad peccandum, non ut per illa exercitia mereamur gratiam, aut satisfaciamus pro peccatis. Et hanc corporalem disciplinam oportet semper urgere, non solum paucis & constitutis diebus. Sicut Christus præcipit: Cavete, ne corpora vestra graventur crapula. Item: Luc. 21, 34. Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi jejunio & oratione, & Paulus ait: Castigo corpus meum, & redigo in ser- 1. Cor. 9, 27. vitutem. Ubi clarè ostendit, se ideo castigare corpus, non ut per eam disciplinam mereatur remissionem peccatorum, sed ut corpus habeat obnoxium & idoneum ad res spirituales & ad faciendum officium, juxta vocationem suam. Itaque non damnantur ipsa jejunia, sed traditiones, quæ certos dies, certos cibos præscribunt, cum periculo conscientiæ, tanquam istiusmodi opera sint necessarius cultus.

Servantur tamen apud nos pleræque traditiones, quæ conducunt ad hoc, ut res ordine geratur in Ecclesia, ut ordo lectionum in Missa & præcipuæ feriæ. Sed interim homines admonentur, quod talis cultus non justificet coram Deo, & quod non sit ponendum peccatum

in

in talibus rebus, si omittantur sine scandalo. Hæc libertas in ritibus humanis non fuit ignota patribus. Nam in Oriente alio tempore servaverunt Pascha quàm Romæ, & cum Romani propter hanc dissimilitudinem accusarent Orientem schismatis, admoniti sunt ab aliis tales mores non oportere ubique similes esse. Et Irenæus inquit, dissonantia jejunii, fidei consonantiam non solvit, sicut & Dist. 12. Gregorius Papa significat, talem dissimilitudinem non lædere unitatem Ecclesiæ. Et in historia Tripartita lib. 9. multa colliguntur exempla dissimilium rituum, & recitantur hæc verba : Mens Apostolorum fuit, non de diebus festis sancire, sed prædicare bonam conversationem & pietatem.

VI. De votis Monachorum.

Apol. 276. Art. Sm. 311. 336.

Quid de votis Monachorum apud nos doceatur, meliùs intelliget, si quis meminerit, qualis status fuerit Monasteriorum, quam multa contra Canones in ipsis Monasteriis quotidie fiebant. Augustini tempore erant libera collegia, postea corrupta disciplina, ubique addita sunt vota, ut tanquam excogitato carcere disciplina restitueretur. Additæ sunt paulatim supra vota aliæ multæ observationes. Et hæc vincula multis ante justam ætatem contra Canones injecta sunt. Multi inciderunt errore in hoc vitæ genus, quibus, etiamsi non deessent anni, tamen judicium de suis viribus defuit. Qui sic irretiti erant, cogebantur manere, etiamsi quidam beneficio Canonum liberari possent. Et hoc accidit magis etiam in Monasteriis virginum, quàm Monachorum, cum sexui imbecilliori magis parcendum esset. Hic rigor displicuit multis bonis viris ante hæc tempora, qui videbant puellas & adolescentes in Monasteria detrudi propter victum, videbant quàm infeliciter succederet hoc consilium, quæ scan-

ſcandala pareret, quos laqueos conſcientiis injiceret. Dolebant autoritatem Canonum in re periculoſiſſima omnino negligi & contemni.

Ad hæc mala accedebat talis perſvaſio de votis, quam conſtat etiam olim diſplicuiſſe ipſis Monachis, ſi qui paulo cordatiores fuerunt, docebant vota paria eſſe Baptiſmo, docebant ſe hoc vitæ genere mereri remiſſionem peccatorum, & juſtificationem coram Deo. Imo addebant, vitam Monaſticam non tantùm juſtitiam mereri coram DEO, ſed ampliùs etiam, quia ſervaret non modo præcepta, ſed etiam conſilia Evangelica.

Ita perſuadebant Monaſticam profeſſionem longè meliorem eſſe Baptiſmo, vitam Monaſticam plus mereri, quam vitam magiſtratuum, vitam paſtorum & ſimilium, qui in mandatis Dei ſine factitiis religionibus ſuæ vocationi ſerviant. Nihil horum negari poteſt; extant enim in libris eorum.

Quid fiebat poſtea in Monaſteriis? Olim erant ſcholæ ſacrarum literarum, & aliarum diſciplinarum, quæ ſunt utiles Eccleſiæ, & ſumebantur inde paſtores, & Epiſcopi. Nunc alia res eſt, nihil opus eſt recitare nota. Olim ad diſcendum conveniebant, nunc fingunt inſtitutum eſſe vitæ genus ad promerendam gratiam & juſtitiam; imo prædicant eſſe ſtatum perfectionis, & longè præferunt omnibus aliis vitæ generibus à Deo ordinatis.

Hæc ideo recitavimus nihil odiosè exaggerantes, ut melius intelligi poſſet de hac re, doctrina noſtrorum. Primum de his, qui matrimonia contrahunt, ſic docent apud nos, quod liceat omnibus, qui non ſunt idonei ad cœlibatum, contrahere matrimonium, quia vota non poſſunt ordinationem ac mandatum Dei tollere. Eſt autem hoc mandatum Dei: Propter fornicationem habeat unusquisque uxorem ſuam. Neque man- 1. Cor. 7. 2.

datum ſolùm, ſed etiam creatio & ordinatio Dei cogit hos ad conjugium, qui ſine ſingulari DEI opere non ſunt excepti, juxta illud : Non eſt bonum homini eſſe ſolum. Igitur non peccant iſti, qui obtemperant huic mandato & ordinationi DEI. Quid poteſt contra hæc opponi ? Exaggeret aliquis obligationem voti, quantum volet, tamen non poterit efficere, ut votum tollat mandatum Dei.

Gen. 2, 18.

Canones docent, in omni voto jus ſuperioris excipi, quare multo minùs hæc vota contra mandata DEI valent.

Quod ſi obligatio votorum nullas haberet cauſas, cur mutari poſſit, nec Romani Pontifices diſpenſaſſent. Neque enim licet homini obligationem, quæ ſimpliciter eſt juris divini, reſcindere. Sed prudenter judicaverunt Romani Pontifices, æquitatem in hac obligatione adhibendam eſſe. Ideo ſæpe de votis diſpenſaſſe leguntur. Nota eſt hiſtoria de Rege Arragonum, revocato ex Monaſterio, & extant exempla noſtri temporis.

Deinde, cur obligationem exaggerant adverſarii, ſeu effectum voti, cum interim de ipſa voti natura ſileant, quod debet eſſe in re poſſibili, quod debet eſſe voluntarium, ſponte & conſulto conceptum. At, quomodo ſit in poteſtate hominis perpetua caſtitas, non eſt ignotum. Et quotusquisque ſponte & conſulto vovit? puellæ & adoleſcentes, priusquam judicare poſſunt, perſuadentur ad vovendum, interdum etiam coguntur. Quare non eſt æquum tàm rigidè de obligatione diſputare, cum omnes fateantur contra voti naturam eſſe, quod non ſponte, quod inconſulto admittitur.

Plerique Canones reſcindunt vota ante annum 15. contracta, quia ante illam ætatem non videtur tantum eſſe judicii, ut de perpetua vita conſtitui poſſit. Alius Canon plus concedens hominum imbecillitati, addit

addit annos aliquot, vetat enim ante annum 18. votum fieri. Sed utrum ſequemur ? maxima pars habet excuſationem, cur Monaſteria deſerant, quia plurimi ante hanc ætatem voverunt.

Poſtremo, etiamſi voti violatio reprehendi poſſet, tamen non videtur ſtatim ſequi, quod conjugia talium perſonarum diſſolvenda ſint. Nam Auguſtinus negat debere diſſolvi, 27. quæſt. 1. cap. Nuptiarum, cujus non eſt levis autoritas, etiamſi alii poſtea aliter ſenſerunt.

Quanquam autem mandatum Dei de conjugio videatur plerosque liberare à votis, tamen afferunt noſtri & aliam rationem de votis, quod ſint irrita, quia omnis cultus Dei, ab hominibus ſine mandato DEI inſtitutus & electus ad promerendam juſtificationem & gratiam, impius eſt, ſicut Chriſtus ait: Fruſtra colunt me mandatis hominum. Et Paulus ubique docet, juſtitiam non eſſe quærendam ex noſtris obſervationibus & cultibus, qui ſint excogitati ab hominibus, ſed contingere eam per fidem, credentibus ſe recipi in gratiam à Deo propter Chriſtum. *Matth. 15, 9.* *Rom. 5, 6.*

Conſtat autem Monachos docuiſſe, quod factitiæ religiones ſatisfaciant pro peccatis, mereantur gratiam & juſtificationem: Quid hoc eſt aliud, quam de gloria Chriſti detrahere, & obſcurare ac negare juſtitiam fidei? Sequitur igitur, iſta vota uſitata impios cultus fuiſſe, quare ſunt irrita. Nam votum impium, & factum contra mandata Dei, non valet; neque enim debet votum vinculum eſſe iniquitatis, ut Canon dicit.

Paulus dicit: Evacuati eſtis à Chriſto, qui in lege juſtificamini, à gratia excidiſtis. Ergo etiam, qui votis juſtificari volunt, evacuantur à Chriſto, & à gratia excidunt. Nam & hi, qui votis tribuunt juſtificationem, tribuunt propriis operibus hoc, quod proprie ad gloriam Chriſti pertinet. Neque vero negari poteſt, quin Monachi docuerint, ſe per vota & obſervationes ſuas juſtificari & *Galath. 5, 4.*

mereri remiſſionem peccatorum, imo affinxerunt abſurdiora, dixerunt ſe aliis mutuari ſua opera. Hæc ſi quis velit odiosè exaggerare, quàm multa poſſit colligere, quorum jam ipſos Monachos pudet. Adhæc perſvaſerunt hominibus, factitias religiones eſſe ſtatum Chriſtianæ perfectionis. An non eſt hoc juſtificationem tribuere operibus? Non eſt leve ſcandalum in Eccleſia populo proponere certum cultum ab hominibus excogitatum ſine mandato DEI; & docere, quod talis cultus juſtificet homines? Quia juſtitia fidei, quam maximè oportet tradi in Eccleſia, obſcuratur, cùm illæ mirificæ religiones Angelorum, ſimulatio paupertatis & humilitatis, & cœlibatus offunduntur oculis hominum.

Præterea obſcurantur præcepta Dei, & verus cultus Dei, cum audiunt homines, ſolos Monachos eſſe in ſtatu perfectionis, quia perfectio Chriſtiana eſt ſerio timere DEUM, & rurſus concipere magnam fidem, & confidere propter Chriſtum, quod habeamus DEUM placatum, petere à Deo, & certè expectare auxilium in omnibus rebus gerendis, juxta vocationem. Interìm foris diligenter facere bona opera, & ſervire vocationi. In his rebus eſt vera perfectio, & verus cultus Dei, non eſt in cœlibatu aut mendicitate, aut veſte ſordida. Verùm populus concipit multas perniciosas opiniones ex illis falſis præconiis vitæ Monaſticæ. Audit ſine modo laudari cœlibatum; ideo cum offenſione conſcientiæ verſatur in conjugio. Audit ſolos mendicos eſſe perfectos, ideo cum offenſione conſcientiæ retinet poſſeſſiones, negotiatur. Audit conſilium Evangelicum eſſe de non vindicando, ideo alii in privata vita non verentur ulciſci; audiunt enim conſilium eſſe, non præceptum. Alii omnes magiſtratus & civilia officia judicant indigna eſſe Chriſtianis.

Leguntur exempla hominum, qui deſerto conjugio,

gio, deserta reipublicæ administratione, abdiderunt se in Monasteria. Id vocabant fugere ex mundo, & quærere vitæ genus, quod Deo magis placeret, nec videbant DEO serviendum esse in illis mandatis, quæ ipse tradidit, non in mandatis, quæ sunt excogitata ab hominibus. Bonum & perfectum vitæ genus est, quod habet mandatum Dei. De his rebus necesse est admonere homines. Et ante hæc tempora reprehendit Gerson errorem Monachorum de perfectione, & testatur suis temporibus novam vocem fuisse, quod vita Monastica sit status perfectionis.

Tam multæ impiæ opiniones hærent in votis, quod justificent, quod sint perfectio Christiana, quod servent consilia & præcepta, quod habeant opera supererogationis. Hæc omnia cùm sint falsa & inania, faciunt vota irrita.

VII. De potestate Ecclesiastica.

Magnæ disputationes fuerunt de potestate Episcoporum, in quibus nonnulli incommodè commiscuerunt potestatem Ecclesiasticam, & potestatem gladii. Et ex hac confusione, maxima bella, maximi motus extiterunt, dum Pontifices freti potestate clavium, non solùm novos cultus instituerunt, reservatione casuum, violentis excommunicationibus conscientias oneraverunt, sed etiam regna mundi transferre & imperatoribus adimere imperium conati sunt. Hæc vitia multo ante reprehenderunt in Ecclesia homines pii & eruditi. Itaque nostri ad consolandas conscientias, coacti sunt ostendere discrimen Ecclesiasticæ potestatis, & potestatis gladii, & docuerunt utramque propter mandatum Dei religiosè venerandam & honore afficiendam esse, tanquam summa Dei beneficia in terris. *Apol. 291. Art. Sm. 351. sq.*

Sic autem sentiunt, potestatem clavium, seu potesta-

tem Episcoporum, juxta Evangelium, potestatem esse, seu mandatum Dei, prædicandi Evangelii, remittendi & retinendi peccata, & administrandi Sacramenta. Nam cum hoc mandato Christus mittit Apostolos: Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos; Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis peccata, retenta sunt, Marc. 16. Ite, prædicate Evangelium omni creaturæ, &c.

Joh. 20, 21. sq.
Marc. 16. v. 15.

Hæc potestas tantùm exercetur docendo seu prædicando verbum, & porrigendo Sacramenta, vel multis vel singulis juxta vocationem, quia conceduntur non res corporales, sed res æternæ, justitia æterna, Spiritus Sanctus, vita æterna. Hæc non possunt contingere nisi per ministerium verbi & sacramentorum, sicut Paulus dicit: Evangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti. Itaque cùm potestas Ecclesiastica concedat res æternas, & tantum exerceatur per ministerium verbi, non impedit politicam administrationem, sicut ars canendi nihil impedit politicam administrationem. Nam politica administratio versatur circa alias res, quàm Evangelium. Magistratus defendit non mentes, sed corpora & res corporales, adversus manifestas injurias, & coercet homines gladio, & corporalibus pœnis, ut justitiam civilem & pacem retineat.

Rom. 1. 16.

Non igitur commiscendæ sunt potestates Ecclesiastica & civilis. Ecclesiastica suum mandatum habet, Evangelii docendi & administrandi Sacramenta. Non irrumpat in alienum officium, non transferat regna mundi, non abroget leges Magistratuum, non tollat legitimam obedientiam, non impediat judicia de ullis civilibus ordinationibus aut contractibus, non præscribat leges magistratibus de forma reipublicæ, sicut dicit Christus: Regnum meum non est de hoc mundo. Item: Quis constituit me judicem aut divisorem super vos? Et Paulus ait Phil. 3. Nostra politia in cœlis est.

Joh. 18, 36.
Luc. 12, 14.
Phil. 3, 20.

2. Co-

2. Cor. 10. Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Dei, ad destruendas cogitationes, &c. Ad hunc modum discernunt nostri utrinsque potestatis officia, & jubent utramque honore afficere & agnoscere, utramque Dei donum & beneficium esse. *2. Cor. 10. v. 4.*

Si quam habent Episcopi potestatem gladii, hanc non habent Episcopi ex mandato Evangelii, sed jure humano donatam à regibus & imperatoribus, ad administrationem civilem suorum bonorum. Hæc interim alia functio est, quàm ministerium Evangelii.

Cum igitur de jurisdictione Episcoporum quæritur, discerni debet imperium ab Ecclesiastica jurisdictione. Porro secundum Evangelium, seu, ut loquuntur, de jure divino, nulla jurisdictio competit Episcopis, ut Episcopis, hoc est, his, quibus est commissum ministerium verbi & sacramentorum, nisi remittere peccata. Item, cognoscere doctrinam, & doctrinam ab Evangelio dissentientem rejicere, & impios, quorum nota est impietas, excludere a communione Ecclesiæ, sine vi humana, sed verbo. Hic necessario & de jure divino, debent eis Ecclesiæ præstare obedientiam, juxta illud: Qui vos audit, me audit. *Luc. 10, 16.*

Verum cum aliquid contra Evangelium docent aut statuunt, tunc habent Ecclesiæ mandatum Dei, quod obedientiam prohibet, Matth. 7. Cavete à Pseudo-Prophetis, Gal. 1. Si Angelus de cœlo aliud Evangelium evangelizaverit, anathema sit. 2. Cor. 13. Non possumus aliquid contra veritatem, sed pro veritate. Item, Data est nobis potestas ad ædificationem, non ad destructionem. Sic & Canones præcipiunt, 2. q. 7. Cap. Sacerdotes, & Cap. Oves. Et Augustinus contra Petiliani Epistolam inquit: Nec catholicis Episcopis consentiendum est, si cubi forte falluntur, aut contra Canonicas Dei scripturas aliquid sentiunt. *Matth. 7. v. 14. Gal. 1. v. 18. 2. Cor. 13, 8. v. 10.*

Si quam habent aliam vel potestatem, vel jurisdictionem in cognoscendis certis causis, videlicet matri-

matrimonii, aut decimarum, &c. hanc habet humamano jure ; Ubi ceſſantibus ordinariis coguntur principes vel inviti, ſuis ſubditis jus dicere, ut pax retineatur.

Præter hæc diſputatur, utrùm epiſcopi ſeu paſtores habeant jus inſtituendi ceremonias in Eccleſia, & leges de cibis, feriis, gradibus miniſtrorum, ſeu ordinibus &c. condendi. Hoc jus qui tribuunt Epiſcopis, allegant
Joh. 16, 12. teſtimonium : Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Allegant etiam exemplum Apoſtolorum, qui prohibuerunt abſtinere à ſanguine & ſuffocato. Allegant Sabbatum mutatum in diem Dominicum contra Decalogum, ut videtur. Nec ullum exemplum magis jactatur, quàm mutatio Sabbati. Magnam contendunt Ec-
Matth. 12. cleſiæ poteſtatem eſſe, quod diſpenſaverit de præcepto Decalogi.

Sed de hac quæſtione noſtri ſic docent, quod Epiſcopi non habent poteſtatem ſtatuendi aliquid contra Evangelium, ut ſupra oſtenſum eſt. Docent idem Canones 9. Diſtin. Porro contra ſcripturam eſt, traditiones condere aut exigere, ut per eam obſervationem ſatisfaciamus pro peccatis, aut mereamur gratiam & juſtitiam. Læditur enim gloria meriti Chriſti, cum talibus obſervationibus conamur mereri juſtificationem. Conſtat autem propter hanc perſuaſionem, in Eccleſia penè in infinitum creviſſe traditiones, oppreſſa interim doctrina de fide & juſtitia fidei, quia ſubinde plures feriæ factæ ſunt, jejunia indicta, ceremoniæ novæ, novi honores ſanctorum inſtituti ſunt, quia arbitrabantur ſe autores talium rerum, his operibus mereri gratiam. Sic olim creverunt Canones pœnitentiales, quorum adhuc in ſatisfactionibus veſtigia quædam videmus.

Item, autores traditionum faciunt contra mandatum Dei,

Digitized by Google

Dei, cum collocant peccatum in cibis, in diebus, & similibus rebus, & onerant Ecclesiam servitute legis, quasi oporteat apud Christianos ad promerendam justificationem cultum esse similem Levitico, cujus ordinationem commiserit DEUS Apostolis & Episcopis; sic enim scribunt quidam; Et videntur Pontifices aliqua ex parte exemplo legis Mosaicæ decepti esse. Hinc sunt illa onera, quod peccatum mortale sit, etiam sine offensione aliorum, in feriis laborare manibus, quod sit peccatum mortale omittere horas Canonicas, quod certi cibi polluant conscientiam, quod jejunia sint opera placantia DEUM, quod peccatum in casu reservato non possit remitti; nisi accesserit autoritas reservantis, cùm quidem ipsi Canones non de reservatione culpæ, sed de reservatione pœnæ Ecclesiasticæ loquantur.

Unde habent jus Episcopi has traditiones imponendi Ecclesiis, ad illaqueandas conscientias? Cùm Petrus vetet imponere jugum discipulis, cùm Paulus dicat, potestatem ipsis datam esse ad ædificationem, non ad destructionem. Cur igitur augent peccata per has traditiones? *Actor. 15, 10. 2. Cor. 13, 10.*

Verum extant clara testimonia, quæ prohibent condere tales traditiones ad promerandam gratiam, aut tanquam necessarias ad salutem. Paulus Coloss. 2. Nemo vos judicet in cibo, potu, parte diei festi, novilunio aut Sabbatis. Item: Si mortui estis cùm Christo ab elementis mundi, quare tanquam viventes in mundo, decreta facitis? Non attingas, non justes, non contrectes, quæ omnia pereunt usu, & sunt mandata & doctrinæ hominum, quæ habent speciem sapientiæ. Item, ad Titum apertè prohibet traditiones: Non attendentes Judaicis fabulis, & mandatis hominum aversantium veritatem. Et Christus Matth. 15. inquit de his, qui exigunt traditiones: Sinitè illos, cœci sunt, & duces cœcorum. Et improbat tales cultus: Omnis planta- *Coloss. 2. v. 16. v. 20. Tit. 1. v. 14. Matth. 15. 14. v. 13.*

tio, quam non plantavit pater meus cœlestis, eradicabitur.

Si jus habent Episcopi onerandi Ecclesias infinitis traditionibus, & illaqueandi conscientias, cur toties pro-
1. Tim. 4, 1. hibet scriptura condere & audire traditiones? cur vocat eas doctrinas dæmoniorum? Nam frustra hæc præmonuit Spiritus Sanctus? Relinquitur igitur, cùm ordinationes institutæ tanquam necessariæ, aut cum opinione promerendæ gratiæ, pugnent cum Evangelio, quod non liceat ullis Episcopis tales cultus instituere aut exigere. Necesse est enim in Ecclesiis retineri doctrinam, de-
Galat. 5, 1. libertate Christiana; quod non sit necessaria servitus legis ad justificationem, sicut in Galatis Scriptum est: Nolite iterum jugo servitutis subjici. Necesse est retinere præcipuum Evangelii locum, quod gratiam per fidem in Christum gratis consequamur, non propter certas observationes, aut propter cultus ab hominibus institutos.

Quid igitur sentiendum est de die Dominico, & similibus ritibus templorum? Adhæc respondent, quod liceat Episcopis seu pastoribus facere ordinationes, ut res ordine gerantur in Ecclesia, non ut per illas mereamur gratiam, aut satisfaciamus pro peccatis, aut obligentur conscientiæ, ut judicent esse necessarios cultus, ac sentiant se peccare, cùm sine offensione aliorum vio-
1. Cor. 11, 5. lant. Sic Paulus ordinat, ut in congregatione mulieres velent capita, ut ordine audiantur in Ecclesia interpretes, &c.

Tales ordinationes convenit Ecclesias propter caritatem & tranquillitatem servare eatenus, ne alius alium
1. Cor. 14, 40. Phil. 2, 14. offendat, ut ordine & sine tumultu omnia fiant in Ecclesiis. Verùm ita, ne conscientiæ onerentur, ut ducant res esse necessarias ad salutem, ac judicent se peccare, cùm violant eas sine aliorum offensione, sicut nemo dixerit peccare mulierem, quæ in publicum non velato capite procedit, sine offensione hominum.

Talis

Digitized by Google

Talis est obſervatio diei Dominici, Paſchatis, Pentecoſtes, & ſimilium feriarum, & rituum. Nam qui judicant Eccleſiæ autoritate, pro Sabbato inſtitutam eſſe diei Dominici obſervationem, tanquam neceſſariam, longè errant. Scriptura abrogavit Sabbatum, quæ docet omnes ceremonias Moſaicas, poſt revelatum Evangelium omitti poſſe. Et tamen quia opus erat conſtituere certum diem, ut ſciret populus, quando convenire deberet, apparet, Eccleſiam ei rei deſtinaſſe diem Dominicum, qui ob hanc quoque cauſam videtur magis placuiſſe, ut haberent homines exemplum Chriſtianæ libertatis, & ſcirent, nec Sabbati nec alterius diei obſervationem neceſſariam eſſe.

Extant prodigioſæ diſputationes de mutatione legis, de ceremoniis novæ legis, de mutatione Sabbati, quæ omnes ortæ ſunt ex falſa perſvaſione, quod oporteat in Eccleſia cultum eſſe ſimilem Levitico. Et quod Chriſtus commiſerit Apoſtolis & Epiſcopis excogitare novas ceremonias, quæ ſint ad ſalutem neceſſariæ. Hi errores ſerpſerunt in Eccleſiam, cùm juſtitia fidei non ſatis clarè doceretur. Aliqui diſputant, diei Dominici obſervationem non quidem juris divini eſſe, ſed quaſi juris divini; præſcribunt de feriis, quatenus liceat operari. Hujusmodi diſputationes quid ſunt aliud, niſi laquei conſcientiarum? Quanquam enim conentur epiikeizare traditiones, tamen nunquam poteſt æquitas deprehendi, donec manet opinio neceſſitatis, quàm manere neceſſe eſt, ubi ignorantur juſtitia fidei, & libertas Chriſtiana.

Apoſtoli juſſerunt abſtinere à ſanguine, quis nunc obſervat? neque tamen peccant, qui non obſervant, quia ne ipſi quidem Apoſtoli voluerunt onerare conſcientias tali ſervitute, ſed ad tempus prohibuerunt propter ſcandalum. Eſt enim perpetua voluntas Evangelii conſideranda in decreto. Vix ulli Canones ſervantur accu- *Actor. 20, 15.*

accuratè, & multi quotidiè exoleſcunt apud illos etiam, qui diligentiſſime defendunt traditiones. Nec poteſt conſcientiis conſuli, niſi hæc æquitas ſervetur, ut ſciamus eos ſine opinione neceſſitatis ſervari, nec lædi conſciéntias, etiamſi tráditiones exoleſcant.

Facilè autem poſſent Epiſcopi legitimam obedientiam retinere, ſi non urgerent ſervare traditiones, quæ bona conſcientia ſervari non poſſunt. Nunc imperant cœlibatum, nullos recipiunt, niſi jurent ſe puram Evangelii doctrinam nolle docere. Non petunt Eccleſiæ, ut Epiſcopi honoris ſui jactura ſarciant concordiam, quod tamen decebat bonos paſtores facere. Tantum petunt, ut injuſta onera remittant, quæ nova ſunt, & præter conſuetudinem Eccleſiæ catholicæ recepta. Fortaſſis initio quædam conſtitutiones habuerunt probabiles cauſas, quæ tamen poſterioribus temporibus non congruunt. Apparet etiam quasdam errore receptas eſſe, quare Pontificiæ clementiæ eſſet, illas nunc mitigare, quia talis mutatio non labefacit Eccleſiæ unitatem. Multæ enim traditiones humanæ tempore mutatæ ſunt, ut oſtendunt ipſi Canones. Quod ſi non poteſt impetrari, ut relaxentur obſervationes, quæ ſine peccato non poſſunt præſtari, oportet nos regulam Apoſtolicam ſequi, quæ præcipit, Deo magis obedire, quàm hominibus. Petrus vetat Epiſcopos dominari, & Eccleſiis imperare. Nunc non id agitur, ut dominatio eripiatur Epiſcopis, ſed hoc unum petitur, ut patiantur Evangelium purè doceri, & relaxent paucas quasdam obſervationes, quæ ſine peccato ſervari non poſſunt. Quod ſi nihil remiſerint, ipſi viderint, quomodo DEO rationem reddituri ſint, quod pertinacia ſua cauſam ſchismati præbent.

Actor. 5, 29.
1. Petr. 5, 3.

EPI-

Digitized by Google

EPILOGUS.

HI ſunt præcipui articuli, qui videntur habere controverſiam. Quanquam enim de pluribus abuſibus dici poterat, tamen, ut fugeremus prolixitatem, præcipua complexi ſumus, ex quibus cætera facilè judicari poſſunt. Magnæ querelæ fuerunt de iudulgentiis, de peregrinationibus, de abuſu excommunicationis. Parochiæ multipliciter vexabantur per ſtationarios. Infinitæ contentiones erant paſtoribus cum monachis, de jure parochiali, de confeſſionibus, de ſepulturis, de extraordinariis concionibus, & de aliis innumerabilibus rebus. Hujusmodi negotia prætermiſimus, ut illa, quæ ſunt in hac cauſa præcipua, breviter propoſita, facilius cognoſci poſſent. Neque hic quicquam ad ullius contumeliam dictum aut collectum eſt. Tantùm ea recitata ſunt, quæ videbantur neceſſario dicenda eſſe, ut intelligi posſit in doctrina ac ceremoniis, apud nos nihil eſſe receptum contra ſcripturam aut Eccleſiam catho

tholicam, quia manifeſtum eſt nos diligentiſſime caviſſe, ne qua nova & impia dogmata in Eccleſias noſtras ſerperent.

Hos articulos ſuprà ſcriptos voluimus exhibere juxta edictum C. M. in quibus confeſſio noſtra extaret, & eorum, qui apud nos docent, doctrinæ ſumma cerneretur. Si quid in hac confeſſione deſiderabitur, parati ſumus latiorem informationem, DEO volente, juxta ſcripturas exhibere;

Cæſareæ Majeſt. V.

Fideles & ſubditi

JOHANNES Dux Saxoniæ Elector.
GEORGIUS Marchio Brandenburgenſis.
ERNESTUS Dux Luneburgenſis.
PHILIPPVS Landgravius Heſſorum.
JOHANNES FRIDERICVS Dux Saxoniæ.
WOLFGANGVS Princeps ab Anhalt.
SENATVS Magiſtratusque Nürnbergenſis.
SENATVS Reutlingenſis.

(O)

APO-

Digitized by Google

APOLOGIA CONFESSIONIS.

PHILIPPUS MELANCHTHON LECTORI S. D.

POstquam Confessio Principum nostrorum publice prælecta est, Theologi quidam ac Monachi adornaverunt confutationem nostri scripti, quàm cum Cæs. Majestas curasset etiam in confessu Principum prælegi, postulavit à nostris principibus, ut illi confutationi assentirentur. Nostri autem, quia audierant, multos articulos improbatos esse, quos abjicere sine offensione conscientiæ non poterant, rogaverunt sibi exhiberi exemplum confutationis, ut & videre, quid damnarent adversarii, & rationes eorum refellere possent. Et in tali causa, quæ ad religionem & ad docendas conscientias pertinet, arbitrabantur fore, ut non gravatim exhiberent suum scriptum adversarii. Sed non potuerunt id impetrare nostri, nisi periculosissimis conditionibus, quas recipere non poterant. Instituta est autem deinde pacificatio, in qua apparuit nostros nullum onus quamlibet incommodum detrectare, quod sine offensione conscientiæ suscipi posset. Sed adversarii obstinate hoc postulabant, ut quosdam manifestos abusus atq; errores approbaremus, quod cum non possemus facere, iterum postulavit Cæs. M. ut Principes nostri assentirentur confutationi. Id facere Principes nostri recusarunt. Quomodo enim assentirentur in causa Religionis, scripto non inspecto? Et audierant articulos quosdam damnatos esse, in quibus

bus non poterant judicia adversariorum sine scelere comprobare. Jusserant autem me & alios quosdam parare Apologiam Confessionis, in qua exponerentur Cæs. Maj. causæ, quare non reciperemus confutationem, & ea, quæ objecerant adversarii, diluerentur. Quidam enim ex nostris inter prælegendum capita locorum & argumentorum exceperant. Hanc Apologiam obtulerunt ad extremum Cæs. Maj. ut cognosceret nos maximis & gravissimis causis impediri, quo minùs Confutationem approbaremus. Verùm Cæs. Maj. non recepit oblatum scriptum. Postea editum est decretum quoddam, in quo gloriantur adversarii, quod nostram Confessionem ex scripturis confutaverint. Habes igitur, Lector, nunc Apologiam nostram, ex qua intelliges, & quid adversarii judicaverint; retulimus enim bona fide, & quod articulos aliquot contra manifestam scriptumm Spiritus S. damnaverint. Tantum abest, ut nostras sententias per scripturas labefactaverint. Quanquam autem initio Apologiam instituimus, communicato cum aliis consilio, tamen ego inter excudendum quædam adjeci. Quare meum nomen profiteor, ne quis queri possit sine certo autore librum editum esse. Semper hic meus mos fuit in his controversiis, ut quantum omnino facere possem, retinerem formam usitatæ doctrinæ, ut facilius aliquando coire concordia posset. Neque multò secus nunc facio. Etsi recte possem longiùs abducere hujus ætatis homines ab adversariorum opinionibus. Sed adversarii sic agunt causam, ut ostendant se neq; veritatem, neq; concordiam quærere, sed ut sanguinem nostrum exorbeant. Et nunc

scripsi,

ſcripſi, quàm moderatiſſimè potui, ac ſi quid videtur dictum aſperiùs, hinc mihi præfandum eſt, me cum Theologis ac Monachis, qui ſcripſerunt confutationem, litigare, non cum Cæſare, aut Principibus, quos, ut debeo, veneror. Sed vidi nuper Confutationem, & animadverti adeò inſidiosè & calumniosè ſcriptam eſſe, ut fallere etiam cautos in certis locis poſſet. Non tractavi tamen omnes cavillationes. Eſſet enim infinitum opus, ſed præcipua argumenta complexus ſum, ut extet apud omnes nationes teſtimonium de nobis, quòd recte & pie ſentiamus de Evangelio Chriſti. Non delectat nos diſcordia, nec nihil movemur periculo noſtro, quod quantùm ſit in tanta acerbitate odiorum, quibus intelligimus accenſos eſſe adverſarios, facile intelligimus. Sed non poſſumus abjicere manifeſtam veritatem & Eccleſiæ neceſſariam; quare incommoda & pericula propter gloriam Chriſti, & utilitatem Eccleſiæ perferenda eſſe ſentimus, & confidimus Deo probari hoc noſtrum officium, & ſperamus æquiora de nobis judicia poſteritatis fore. Neque enim negari poteſt, quin multi loci doctrinæ Chriſtianæ, quos maxime prodeſt extare in Eccleſia, à noſtris patefacti & illuſtrati ſint, qui qualibus, & quàm periculoſis opinionibus obruti olim jacuerint apud Monachos, Canoniſtas, & Theologos Sophiſtas, non libet hic recitare. Habemus publica Teſtimonia multorum bonorum virorum, qui Deo gratias agunt pro hoc ſummo beneficio, quod de multis neceſſariis Locis docuerit meliora, quàm paſſim leguntur apud adverſarios noſtros. Commendabimus itaque cauſam noſtram Chriſto, qui olim judicabit has controverſias, quem rogamus, ut reſpiciat afflictas & diſſipatas Eccleſias, & in concordiam piam & perpetuam redigat.

D APO-

APOLOGIA CONFESSIONIS.

Aug. Conf. p. 9. Art. Sm. 304. 304. Cat. Min. 376. Cat. Maj. 401.

PRIMUM articulum Confessionis nostræ, probant nostri adversarii, in quo exponimus nos credere & docere, quod sit una essentia divina, individua, &c. & tamen tres sint distinctæ personæ ejusdem essentiæ divinæ, & coæternæ, Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Hunc articulum semper docuimus, & defendimus, & sentimus eum habere certa & firma testimonia in scripturis sanctis, quæ labefactari non queant. Et constanter affirmamus, aliter sentientes extra Ecclesiam Christi, & Idololatras esse, & Deum contumelia afficere.

I. DE PECCATO ORIGINALI.

Aug. Conf. 9. Art. Sm. 317. Epit. 572. Declar. 639.

SECUNDUM articulum de peccato Originis probant adversarii. Verùm ita ut reprehendant tamen definitionem peccati Originalis, quam nos obiter recitavimus. Hic in ipso statim vestibulo deprehendet Cæs. Majestas, non solùm judicium, sed etiam candorem istis defuisse, qui confutationem scripserunt. Nam cùm nos simplici animo obiter recensere voluerimus illa, quæ peccatum Originis complectitur, ista acerba interpretatione conficta, sententiam per se nihil habentem incommodi, arte depravant. Sic inquiunt, sine metu Dei, sine fide esse, est culpa actualis. Igitur negant esse culpam originalem.

Has argutias satis apparet in scholis natas esse, non in Consilio Cæsaris. Quanquam autem hæc cavillatio facilimè refelli possit, tamen ut omnes boni viri intelligant, nos nihil absurdi de hac causa docere, Primùm petimus, ut inspi-

inſpiciatur Germanica Confeſſio, hæc abſolvet nos ſuſpicione novitatis. Sic enim ibi ſcriptum eſt: **Weiter wird gelehret / daß nach dem Fall Adã alle Menſchen / ſo natürlich gebohren werden / in Sünden empfangen und gebohren werden / das iſt / daß ſie alle von Mutter-leib an / voll böſer Luſt und Neigung ſind / keine wahre Gottesfurcht / keinen wahren Glauben an GOTT von Natur haben können.** Hic locus teſtatur, nos non ſolùm actus, ſed potentiam ſeu dona efficiendi timorem & fiduciam erga DEUM adimère propagatis ſecundum carnalem naturam. Dicimus enim ita natos habere concupiſcentiam, nec poſſe efficere verum timorem & fiduciam erga Deum. Quid hic reprehendi poteſt? Bonis viris quidem arbitramur nos ſatis purgatos eſſe. Nam in hanc ſententiam latina deſcriptio potentiam naturæ detrahit, hoc eſt, dona & vim efficiendi timorem & fiduciam erga Deum, detrahit & in adultis actus. Ut cùm nominamus concupiſcentiam, non tantùm actus ſeu fructus intelligimus, ſed perpetuam naturæ inclinationem.

Sed poſtea oſtendemus pluribus verbis, noſtram deſcriptionem conſentire cum uſitata ac veteri definitione. Priùs enim conſilium noſtrum aperiendum eſt, cur his potiſſimùm verbis hoc loco uſi ſimus. Adverſarii in ſcholis fatentur, materiale (ut vocant) peccati Originalis eſſe concupiſcentiam, quare in definiendo non fuit prætereunda, præſertim hoc tempore, cùm de ea nonnulli parùm religiosè philoſophantur.

Quidam enim diſputant, peccatum originis non eſſe aliquod in natura hominis vitium, ſeu corruptionem, ſed tantùm ſervitutem, ſeu conditionem mortalitatis, quam propagati ex Adam ſuſtineant, ſine aliquo proprio vitio, propter alienam culpam. Præterea addunt, neminem damnari morte æterna propter peccatũ originis. Sicut ex ancilla ſervi naſcuntur, & hanc conditionem ſine naturæ vitio, ſed propter calamitatem matris ſuſtinent. Nos, ut hanc

impiam opinionem ſignificaremus nobis diſplicere: concupiſcentiæ mentionem fecimus, optimo animo morbos nominavimus, & expoſuimus, quod natura hominum corrupta & vitioſa naſcatur.

Neque verò tantùm concupiſcentiam nominavimus, ſed diximus etiam deeſſe timorem Dei, & fidem. Id hoc conſilio adjecimus. Extenuant peccatum originis & ſcholaſtici doctores, non ſatis intelligentes definitionem peccati originalis, quam acceperunt à patribus. De fomite diſputant, quod ſit qualitas corporis, & ut ſuo more ſunt inepti, quærunt: utrùm qualitas illa contagione pomi, an ex afflatu ſerpentis contracta ſit? Utrum augeatur medicamentis? Hujusmodi quæſtionibus oppreſſerunt principale negotium. Itaque cùm de peccato Originis loquuntur, graviora vitia humanæ naturæ non commemorant, ſcilicet ignorationem Dei, contemtum Dei, vacare metu & fiducia Dei, odiſſe judicium Dei, fugere Deum judicantem, iraſci Deo, deſperare gratiam, habere fiduciam rerum præſentium, &c. Hos morbos, qui maximè adverſantur legi Dei, non animadvertunt ſcholaſtici. Imo tribuunt interim humanæ naturæ integras vires ad diligendum Deum ſuper omnia, ad facienda præcepta Dei, quoad ſubſtantiam actuum: Nec vident ſe pugnantia dicere. Nam propriis viribus poſſe diligere DEUM ſuper omnia, facere præcepta Dei; quid aliud eſt, quàm habere juſtitiam originis? Quod ſi has tantas vires habet humana natura, ut per ſeſe poſſit diligere DEUM ſuper omnia; ut confidenter affirmant ſcholaſtici, quid erit peccatum originis? Quorſum autem opus erit gratia Christi, ſi nos poſſumus fieri juſti propria juſtitia? Quorſum opus erit Spiritu Sancto, ſi vires humanæ per ſeſe poſſunt Deum ſuper omnia diligere, & præcepta Dei facere? Quis non videt, quàm præpoſterè ſentiant adverſarii? Leviores morbos in natura hominis agnoſcunt, graviores morbos non agno-

gnoſcunt, de quibus tamen ubique admonet nos ſcriptura, & Prophetæ perpetuo conqueruntur, videlicet, de carnali ſecuritate, de contemtu DEI, de odio DEI, & ſimilibus vitiis nobiſcum natis. Sed poſtquam ſcholaſtici admiſcuerunt doctrinæ Chriſtianæ Philoſophiam de perfectione naturæ, & plus quam ſatis erat, libero arbitrio & actibus elicitis tribuerunt, & homines philoſophica ſeu civili juſtitia, quam & nos faremur rationi ſubjectam eſſe, & aliquo modo in poteſtate noſtra eſſe, juſtificari coram DEO docuerunt, non potuerunt videre interiorem immunditiam naturæ hominum. Neque enim poteſt judicari, niſi ex verbo DEI, quod ſcholaſtici in ſuis diſputationibus non ſæpe tractant.

Hæ fuerunt cauſæ, cur in deſcriptione peccati originis, & concupiſcentiæ mentionem fecimus, & detraximus naturalibus viribus hominis, timorem & fiduciam erga DEUM. Voluimus enim ſignificare, quod peccatum originis hos quoque morbos contineat; ignorationem Dei, contemtum Dei, vacare metu DEI, & fiducia erga Deum, non poſſe diligere Deum. Hæc ſunt præcipua vitia naturæ humanæ, pugnantia propriè cum prima tabula Decalogi.

Neque novi quidquam diximus. Vetus definitio rectè intellecta prorſus idem dicit, cum ait: peccatum originis carentiam eſſe juſtitiæ originalis. Quid eſt autem juſtitia? Scholaſtici hic rixantur de Dialecticis quæſtionibus, non explicant quid ſit juſtitia Originalis. Porro juſtitia in ſcripturis continet non tantùm ſecundam tabulam Decalogi, ſed primam quoque, quæ præcipit de timore DEI, de fide, da amore DEI; Itaque juſtitia Originalis habitura erat non ſolum æquale temperamentum qualitatum corporis, ſed etiam hæc dona, notitiam Dei certiorem, timorem Dei, fiduciam Dei,

aut certè rectitudinem, & vim ista efficiendi. Idque
Gen. 1, 27. testatur scriptura, cùm inquit, hominem ad imaginem & similitudinem Dei conditum esse. Quod quid est aliud, nisi in homine hanc sapientiam & justitiam effigiatam esse, quæ Deum apprehenderet, & in qua reluceret Deus, hoc est, homini dona esse data, notitiam Dei, timorem Dei, fiduciam erga Deum, & similia? Sic enim interpretantur similitudinem Dei Irenæus & Ambrosius, qui cùm alia multa in hanc sententiam dicit, tùm ita inquit: Non est ergo anima ad imaginem Dei, in
Ephes. 5, 9. qua Deus non semper est. Et Paulus ad Ephesios & Co-
Coloss. 3, 10. lossenses ostendit, imaginem Dei, notitiam Dei esse, justitiam & veritatem. Nec Longobardus veretur dicere, quod justitia originis sit ipsa similitudo Dei, quæ homini indita est à DEO. Recitamus veterum sententias, quæ nihil impediunt Augustini interpretationem de imagine.

Itaque vetus definitio, cùm inquit, peccatum esse carentiam justitiæ, detrahit non solùm obedientiam inferiorum virium hominis, sed etiam detrahit notitiam Dei, fiduciam erga Deum, timorem & amorem DEI, aut certè vim ista efficiendi detrahit. Nam & ipsi Theologi in scholis tradunt, ista non effici sine certis donis & auxilio gratiæ. Nos ipsa dona nominamus, ut res intelligi possit, notitiam Dei, timorem & fiduciam erga Deum. Ex his apparet veterem definitionem prorsus idem dicere, quod nos dicimus, detrahentes metum Dei & fiduciam, videlicet non actus tantum, sed dona & vim ad hæc efficienda.

Eadem est sententia definitionis, quæ extat apud Augustinum, qui solet definire peccatum originis concupiscentiam esse. Significat enim concupiscentiam succesisse amissa justitia. Nam ægra natura, quia non potest Deum timere & diligere, Deo credere, quærit & amat carnalia. Judicium Dei aut secura contemnit, aut odit perterre-

terrefacta. Ita & defectum complectitur Auguſtinus, & vitioſum habitum, qui ſucceſſit. Neque vero concupiſcentia tantum corruptio qualitatum corporis eſt: Sed etiam prava converſio ad carnalia in ſuperioribus viribus. Nec vident, quid dicant, qui ſimul tribuunt homini concupiſcentiam, non mortificatam à Spiritu Sancto, & dilectionem Dei ſuper omnia.

Nos igitur rectè expreſſimus utrumque in deſcriptione peccati Originalis, videlicet defectus illos, non poſſe Deo credere, non poſſe Deum timere ac diligere. Item habere concupiſcentiam, quæ carnalia quærit contra verbum DEI, hoc eſt, quærit non ſolum voluptates corporis, ſed etiam ſapientiam & juſtitiam carnalem, & confidit his bonis, contemnens DEUM. Neque ſolùm veteres, ſed etiam recentiores, ſi qui ſunt cordatiores, docent ſimul iſta vere peccatum originis eſſe, defectus videlicet, quos recenſui, & concupiſcentiam. Sic enim inquit Thomas: Peccatum originis habet privationem originalis juſtitiæ, & cum hoc inordinatam diſpoſitionem partium animæ, unde non eſt privatio pura, ſed quidam habitus corruptus. Et Bonaventura: Cùm quæritur, quid ſit originale peccatum, rectè reſpondetur, quod ſit concupiſcentia immoderata. Recte etiam reſpondetur, quod ſit debitæ juſtitiæ carentia. Et in una iſtarum reſponſionum includitur altera. Idem ſenſit Hugo, cùm ait: Originale peccatum eſſe ignorantiam in mente, & concupiſcentiam in carne. Significat enim nos naſcentes afferre ignorationem Dei, incredulitatem, diffidentiam, contemtum, odium Dei. Hæc enim complexus eſt, cum ignorantiam nominat. Et hæ ſententiæ conſentiunt cum ſcripturis. Nam Paulus interdum expreſſe nominat defectum, ut 1. Corinth. 2. Animalis homo non percipit ea, quæ ſpiritus Dei ſunt. Alibi concupiſcentiam nominat efficacem in membris, & parentem malos fructus. Plures locos citare de utraque

1. Cor. 2, 11.

Rom. 7. 5.

parte poſſemus, ſed in re manifeſta nihil opus eſt teſtimoniis. Et facile judicare poterit prudens lector, has non tantum culpas actuales eſſe, ſine metu Dei, & ſine fide eſſe. Sunt enim durabiles defectus in natura non renovata.

Nihil igitur de peccato originis ſentimus alienum aut à ſcriptura, aut à catholica Eccleſia, ſed graviſſimas ſententias ſcripturæ & Patrum obrutas Sophiſticis rixis Theologorum recentium repurgamus, & in lucem reſtituimus. Nam res ipſa loquitur, recentiores Theologos non animadvertiſſe, quid voluerint Patres de defectu loquentes. Eſt autem neceſſaria cognitio peccati originis. Neque enim poteſt intelligi magnitudo gratiæ Chriſti, niſi morbis noſtris cognitis. Tota hominis juſtitia, mera eſt hypocriſis coram Deo, niſi agnoverimus cor naturaliter vacare amore, timore, fiducia Dei. Ideo Propheta inquit: Poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum. Item: Ego dixi in exceſſu meo, *Pſal. 116. v. 11.* Omnis homo mendax, id eſt, non recte ſentiens de DEO.

Hic flagellant adverſarii etiam Lutherum, quod ſcripſerit: Peccatum originis manere poſt Baptiſmum; Addunt hunc articulum jure damnatum eſſe à Leone X. Sed Cæſ. Majeſt. in hoc loco manifeſtam calumniam deprehendet. Sciunt enim adverſarii, in quam ſententiam Lutherus hoc dictum velit, quod peccatum originis reliquum ſit poſt Baptiſmum. Semper ita ſcripſit, quod Baptiſmus tollat reatum peccati originalis, etiamſi materiale, ut iſti vocant, peccati maneat, videlicet concupiſcentia. Addidit etiam de materiali, quod Spiritus Sanctus datus per Baptiſmum, incipit mortificare concupiſcentiam & novos motus creat in homine. Ad eundem modum loquitur & Auguſtinus, qui ait: Peccatum in Baptiſmo remittitur, non ut non ſit, ſed ut non imputetur. Hic palam fatetur, eſſe, hoc eſt, manere peccatum, tametſi non imputetur. Et hæc ſen-

ten-

tentia adeo placuit posterioribus, ut recitata sit & in Decretis. Et contra Julianum inquit Augustinus: Lex ista, quæ est in membris, remissa est regeneratione spirituali, & manet in carne mortali. Remissa est, quia reatus solutus est Sacramento, quo renascuntur fideles. Sic sentire ac docere Lutherum sciunt adversarii; Et cùm rem improbare non possunt, verba tamen calumniantur, ut hoc artificio innocentem opprimant.

At disputant, concupiscentiam pœnam esse, non peccatum, Lutherus defendit peccatum esse. Supra dictum est Augustinum definire peccatum originis, quod sit concupiscentia. Expostulent cum Augustino, si quid habet incommodi hæc sententia. Præterea Paulus ait, Concupiscentiam nesciebam esse peccatum, nisi lex diceret: Non concupisces. Item, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me legi peccati, quæ est in membris meis. Hæc testimonia nulla cavillatione everti possunt. Clarè enim appellant concupiscentiam peccatum, quod tamen his, qui sunt in Christo, non imputatur, etsi res sit natura digna morte, ubi non condonatur. Sic Patres citra controversiam sentiunt; Nam Augustinus longa disputatione refellit opinionem istorum, qui sentiebant concupiscentiam in homine non esse vitium, sed ἀδιάφορον, ut corporis dolor, aut adversa valetudo ἀδιάφορον dicitur. *Rom. 7, 7. 23.*

Quod si contendant adversarii, fomitem esse ἀδιάφορον, reclamabunt non solùm multæ sententiæ scripturæ, sed planè tota Ecclesia. Quis enim unquam ausus est dicere, hæc esse ἀδιάφορα, etiamsi perfectus consensus non accederet, dubitare de ira Dei, de gratia Dei, de verbo Dei, irasci judiciis Dei, indignari, quod Deus non eripit statim ex afflictionibus, fremere, quod impii

meliore fortuna utuntur, quàm boni, incitari ira, libidine, cupiditate gloriæ, opum, &c. Et hæc agnoſcunt in ſe homines pii, ut apparet in Pſalmis ac Prophetis. Sed in Scholis tranſtulerunt huc ex Philoſophia prorſus alienas ſententias: Quod propter paſſiones nec boni, nec mali ſimus, nec laudemur, nec vituperemur. Item, nihil eſſe peccatum, niſi voluntarium. Hæ ſententiæ apud Philoſophos de civili judicio dictæ ſunt, non de judicio Dei. Nihilo prudentius aſſuunt & alias ſententias, naturam non eſſe malam; Id in loco dictum non reprehendimus, ſed non rectè detorquetur ad extenuandum peccatum originis. Et tamen hæ ſententiæ leguntur apud Scholaſticos, qui intempeſtivè commiſcent philoſophicam ſeu civilem doctrinam de moribus cum Evangelio. Neque hæc in Scholis tantùm diſputabantur, ſed ex Scholis, ut fit, efferebantur ad populum. Et hæ perſvaſiones regnabant, & alebant fiduciam humanarum virium, & opprimebant cognitionem gratiæ CHRISTI. Itaque Lutherus volens magnitudinem peccati originalis & humanæ infirmitatis declarare, docuit, reliquias illas peccati originalis, non eſſe ſua natura in homine ἀδιάφορα, ſed indigere gratia Chriſti, ne imputentur, item Spiritu Sancto, ut mortificentur.

Quanquam Scholaſtici utrumque extenuant, peccatum & pœnam, cùm docent, hominem propriis viribus poſſe mandata Dei facere. In Geneſi aliter deſcribitur pœna impoſita pro peccato originis. Ibi enim non ſolum morti & aliis corporalibus malis ſubjicitur humana natura, ſed etiam regno diaboli. Nam ibi fertur hæc horribilis ſententia: Inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter ſemen tuum, & ſemen illius. Defectus & concupiſcentia ſunt pœnæ & peccata: Mors & alia corporalia mala, & tyrannis diaboli propriè pœnæ ſunt. Etſi enim natura humana in ſervitutem tradita, & captiva à diabolo tenetur, qui eam impiis opinionibus & erroribus dementat,

Gen. 3, 15.

&

& impellit ad omnis generis peccata. Sicut autem diabolus vinci non poteſt, niſi auxilio Chriſti: Ita non poſſumus nos propriis viribus ex ista ſervitute eximere. Ipſa mundi hiſtoria oſtendit, quanta ſit potentia regni diaboli. Plenus eſt mundus blaſphemiis contra Deum, & impiis opinionibus, & his vinculis habet diabolus irretitos ſapientes & juſtos coram mundo. In aliis oſtendunt ſe craſſiora vitia. Cùm autem datus ſit nobis Chriſtus, qui & hæc peccata, & has pœnas auferat, & regnum diaboli, peccatum & mortem deſtruat, beneficia Chriſti non poterunt cognoſci, niſi intelligamus mala noſtra. Ideo de his rebus noſtri concionatores diligenter docuerunt, & nihil novi tradiderunt, ſed ſanctam ſcripturam, & ſanctorum Patrum ſententias propoſuerunt.

Hæc arbitramur ſatisfactura eſſe Cæſ. Majeſtati, de puerilibus & frigidis cavillationibus, quibus adverſarii articulum noſtrum calumniati ſunt. Scimus enim nos rectè & cum catholica Eccleſia Chriſti ſentire. Sed ſi renovabunt hanc controverſiam adverſarii, non defuturi ſunt apud nos, qui reſpondeant, & veritati patrocinentur. Nam adverſarii in hac cauſa magna ex parte, quid loquantur, non intelligunt. Sæpe dicunt pugnantia, nec formale peccati originis, nec defectus, quos vocant, rectè ac dialecticè expediunt. Sed nos hoc loco noluimus iſtorum rixas nimis ſubtiliter excutere, tantum ſententiam ſanctorum Patrum, quam & nos ſequimur, communibus & notis verbis duximus eſſe recitandam.

TERTIUM articulum probant adverſarii, in quo confitemur duas in Chriſto naturas, videlicet naturam humanam aſſumtam à Verbo in unitatem perſonæ ſuæ. Et quod idem Chriſtus paſſus ſit ac mortuus, ut reconciliaret nobis Patrem & reſuſcitatus, ut regnet, juſtificet & ſanctificet credentes, &c. juxta Symbolum Apoſtolorum, & Symbolum Nicenum. *Aug. Conf. 10. Art. Sm. 303.*

II. DE

II. DE JUSTIFICATIONE.

Aug. C. 10. Art. Sm. 335. Epit. 583. Declar. 682.

IN quarto, quinto, ſexto, & infrà in articulo XX. damnant nos, quod docemus, homines non propter ſua merita, ſed gratis propter CHRISTUM conſequi remiſſionem peccatorum fide in Chriſtum. Utrumque enim damnant, & quod negamus, homines propter ſua merita conſequi remiſſionem peccatorum, & quod affirmamus, homines fide conſequi remiſſionem peccatorum, & fide in Chriſtum juſtificari. Cùm autem in hac controverſia præcipuus locus doctrinæ Chriſtianæ agitetur, qui recte intellectus illuſtrat & amplificat honorem Chriſti, & affert neceſſariam & uberrimam conſolationem piis conſcientiis, rogamus, ut Cæſarea Majeſtas de rebus tantis clementer nos audiat. Nam adverſarii, cum neque quid remiſſio peccatorum, neque quid fides, neque quid gratia, neque quid juſtitia ſit intelligant, miſere contaminant hunc locum, & obſcurant gloriam & beneficia Chriſti, & eripiunt piis conſcientiis propoſitas in Chriſto conſolationes. Ut autem & confirmare confeſſionem noſtram, & diluere ea, quæ adverſarii objiciunt, poſſimus, initio quædam præfanda ſunt, ut fontes utriusque generis doctrinæ & adverſariorum, & noſtræ cognoſci poſſint.

Univerſa ſcriptura in hos duos locos præcipuos diſtribui debet, in legem, & promiſſiones. Alias enim legem tradit, alias tradit promiſſionem de Chriſto, videlicet, cùm aut promittit Chriſtum venturum eſſe, & pollicetur propter eum remiſſionem peccatorum, juſtificationem & vitam æternam, aut in Evangelio Chriſtus, poſtquam apparuit, promittit remiſſionem peccatorum, juſtificationem & vitam æternam. Vocamus autem legem in hac diſputatione, decalogi præcepta, ubicunque illa in ſcripturis leguntur. De ceremoniis & judicialibus legibus Moiſis in præſentia nihil loquimur.

Ex

Digitized by Google

Ex his adversarii sumunt legem, quia humana ratio naturaliter intelligit aliquo modo legem. Habet enim idem judicium scriptum divinitus in mente, & per legem quærunt remissionem peccatorum & justificationem. Decalogus autem requirit non solùm externa opera civilia, quæ ratio utcunque efficere potest; sed etiam requirit alia longè supra rationem posita, scilicet, verè timere Deum, verè diligere Deum, verè invocare Deum, verè statuere, quod Deus exaudiat, & expectare auxilium Dei in morte, in omnibus afflictionibus, denique requirit obedientiam erga Deum in morte & omnibus afflictionibus, ne has fugiamus, aut aversemur, cum Deus imponit.

Hic Scholastici secuti Philosophos tantùm docent justitiam rationis, videlicet, civilia opeta, & affingunt, quod ratio sine Spiritu Sancto possit diligere Deum supra omnia. Nam donec humanus animus otiosus est, nec sentit iram aut judicium Dei, fingere potest, quod velit Deum diligere, quod velit propter Deum benefacere. Ad hunc modum docent, homines mereri remissionem peccatorum, faciendo quod est in se, hoc est, si ratio dolens peccato, eliciat actum dilectionis Dei, aut bene operetur propter DEUM. Et hæc opinio, quia naturaliter blanditur hominibus, peperit & auxit multos cultus in Ecclesia, vota Monastica, abusus missæ, & subinde alii alios cultus atque observationes hac opinione excogitaverunt. Et ut fiduciam talium operum alerent atque augerent, affirmaverunt Deum necessario gratiam dare sic operanti, necessitate non coactionis, sed immutabilitatis.

In hac opinione multi magni & pernicioſi errores hærent, quos longum esset enumerare. Tantum illud cogitet prudens lector, Si hæc est justitia Christiana, quid interest inter Philosophiam, & CHRISTI doctrinam? Si mereamur remissionem peccatorum his nostris actibus eli-

elicitis, quid præstat CHRISTUS ? Si justificari possumus per rationem & opera rationis, quorsum opus est Christo aut regeneratione ? Et ex his opinionibus jam eo prolapsa res est, ut multi irrideant nos, qui docemus, aliam justitiam præter philosophicam quærendam esse. Audivimus quosdam pro concione, ablegato Evangelio, Aristotelis Ethica enarrare. Nec errabant isti, si vera sunt, quæ defendunt adversarii. Nam Aristoteles de moribus civilibus adeo scripsit erudite, nihil ut de his requirendum sit amplius. Videmus extare libellos, in quibus conferuntur quædam dicta Christi, cum Socratis, Zenonis, & aliorum dictis, quasi ad hoc venerit Christus, ut traderet leges quasdam, per quas mereremur remissionem peccatorum, non acciperemus gratis propter ipsius merita. Itaque si recipimus hic adversariorum doctrinam, quod mereamur operibus rationis remissionem peccatorum & justificationem, nihil jam intererit inter justitiam philosophicam, aut certe Pharisaicam, & Christianam.

Quanquam adversarii, ne Christum omnino præteream, requirunt notitiam historiæ de Christo, & tribuunt ei, quod meruerit nobis dari quendam habitum, sive, ut ipsi vocant, primam gratiam, quam intelligunt habitum esse inclinantem, ut facilius diligamus Deum. Exiguum tamen est, quod huic habitui tribuunt, quia fingunt actus voluntatis ante habitum illum, & post illum habitum ejusdem speciei esse. Fingunt voluntatem posse diligere Deum, sed habitus ille tamen extimulat, ut idem faciat libentius. Et jubent mereri hunc habitum primùm per præcedentia merita, deinde jubent mereri operibus legis incrementum illius habitus, & vitam æternam. Ita sepeliunt Christum, ne eo Mediatore utantur homines, & propter ipsum sentiant se gratis accipere remissionem peccatorum, & reconciliationem, sed somniant se propria impletione legis mereri remissionem peccato-

catorum, & propria impletione legis coram Deo justos reputari, cùm tamen legi nunquam satisfiat, cùm ratio nihil faciat, nisi quædam civilia opera. Interim neque timeat Deum, neque verè credat se Deo curæ esse. Et, quanquam de habitu illo loquuntur, tamen sine justitia fidei neque existere dilectio Dei in hominibus, neque quid sit dilectio Dei, intelligi potest.

Et quod fingunt discrimen inter meritum congrui, & meritum condigni, ludunt tantùm, ne videantur apertè πελαγιανίζειν. Nam si Deus necessario dat gratiam pro merito congrui, jam non est meritum congrui, sed meritum condigni. Quanquam quid dicant, non vident. Post habitum illum dilectionis fingunt, hominem de condigno mereri. Et tamen jubent dubitare, utrùm adsit habitus. Quomodo igitur sciunt, utrùm de congruo an de condigno mereantur? Sed tota hæc res conficta est ab ociosis hominibus, qui non norunt, quomodo contingat remissio peccatorum, & quomodo in judicio Dei, & terroribus conscientiæ, fiducia operum nobis excutiatur. Securi hypocritæ semper judicant, se de condigno mereri, sive adsit habitus ille, sive non adsit, quia naturaliter confidunt homines propria justitia, sed conscientiæ perterrefactæ ambigunt & dubitant, & subinde alia opera quærunt & cumulant, ut acquiescant. Hæ nunquam sentiunt se de condigno mereri, & ruunt in desperationem, nisi audiant præter doctrinam legis, Evangelium de gratuita remissione peccatorum, & justitia fidei.

Ita nihil docent adversarii, nisi justitiam rationis, aut certe legis, in quam intuentur, sicut Judæi in velatam Moisis faciem, & in securis hypocritis, qui putant se legi satisfacere, excitant præsumtionem & inanem fiduciam operum & contemtum gratiæ Christi. Econtra pavidas conscientias adigunt ad desperationem, quæ operantes cum dubitatione, nunquam possunt experiri, quod sit fides,

des, & quam sit efficax, ita ad extremum penitus desperant.

Nos autem de justitia rationis sic sentimus, quòd Deus requirat eam, & quod propter mandatum Dei necessario sint facienda honesta opera, quæ decalogus præcipit, juxta illud: Lex est pædagogus. Item: Lex est injustis posita. Vult enim Deus coerceri carnales illa civili disciplina, Et ad hanc conservandam dedit leges, literas, doctrinam, magistratus, pœnas. Et potest hanc justitiam, utcunque ratio suis viribus efficere, quanquam sæpe vincitur imbecillitate naturali, & impellente diabolo ad manifesta flagitia. Quanquam autem huic justitiæ rationis libenter tribuimus suas laudes; Nullum enim majus bonum habet hæc natura corrupta. Et rectè inquit Aristoteles, neque Hesperum, neque Luciferum formosiorem esse justitia; At Deus etiam ornat eam corporalibus præmiis: tamen non debet cum contumelia Christi laudari.

Falsum est enim, quod per opera nostra mereamur remissionem peccatorum.

Falsum est & hoc, quod homines reputentur esse justi coram Deo, propter justitiam rationis.

Falsum est & hoc, quod ratio propriis viribus possit Deum supra omnia diligere, & legem Dei facere, videlicet verè timere Deum, verè statuere, quod Deus exaudiat, velle obedire Deo in morte, & aliis ordinationibus Dei, non concupiscere aliena, &c. etsi civilia opera efficere, ratio potest.

Falsum est & hoc & contumelioſum in CHRISTUM, quod non peccent homines facientes præcepta DEI sine gratia.

Hujus nostræ sententiæ testimonia habemus, non solùm ex scripturis, sed etiam ex Patribus. Nam Augustinus copiosissimè disputat contra Pelagianos, gratiam non dari propter merita nostra. Et de natura & gratia inquit:

Digitized by Google

inquit: Si possibilitas naturalis per liberum arbitrium, & ad cognoscendum, quomodo vivere debeat, & ad bene vivendum sufficit, sibi ergo Christus gratis mortuus est. Ergo evacuatum est scandalum crucis. Cur non etiam ego hic exclamem? Imo exclamabo, & istos increpabo dolore Christiano: Evacuati estis à Christo, qui in natura justificamini, à gratia excidistis. Ignorantes enim justitiam Dei, & vestram volentes constituere, justitiæ Dei non estis subjecti. Sicut enim finis legis, ita etiam naturæ humanæ vitiosæ Salvator Christus est, ad justitiam omni credenti. Et Johannis 8. Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis. Non igitur possumus per rationem liberari à peccatis, & mereri remissionem peccatorum. Et Johannis tertio scriptum est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei. Quod si opus est, renasci per Spiritum Sanctum, Justitia rationis non justificat nos coram DEO, non facit legem. Roman. 3. Omnes carent gloria Dei, id est, carent sapientia & justitia DEI, quæ DEUM agnoscit & glorificat. Item Roman. 8. Sensus carnis inimicitia est adversus DEUM: Legi enim Dei non est subjectus, ac ne potest quidem ei subjici. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Hæc adeo sunt aperta testimonia, ut non desiderem acutum intellectorem, sed attentum auditorem, ut Augustini verbis utamur, quibus ille in eadem causa usus est. Si sensus carnis est inimicitia adversus Deum, certè caro non diligit Deum. Si non potest legi DEI subjici, non potest Deum diligere. Si sensus carnis est inimicitia adversus Deum, peccat caro etiam, cùm externa civilia opera facimus. Si non potest subijci legi DEI, certè peccat, etiamsi egregia facta, & digna laude juxta humanum judicium habet. Adversarii intuentur præcepta secundæ tabulæ, quæ justitiam civilem commendant, quam intelligit ratio. Hac contenti putant,

Galat. 5, 4.

Joh. 8, 36.

c. 3. 5.

Rom. 3, 23.

c. 8. v. 7.

tant, ſe legi Dei ſatisfacere. Interim primam tabulam non vident, quæ præcipit, ut diligamus Deum, ut verè ſtatuamus, quod Deus iraſcatur peccato, ut verè timeamus Deum, ut verè ſtatuamus, quod Deus exaudiat. At humanus animus ſine Spiritu Sancto, aut ſecurus contemnit judicium DEI, aut in pœna fugit & odit judicantem Deum. Itaque non obtemperat primæ tabulæ. Cùm igitur hæreant in natura hominis contemtus Dei, dubitatio de verbo Dei, de minis, & promiſſionibus, verè peccant homines, etiam cum honeſta opera faciunt ſine Spiritu Sancto, quia faciunt ea impio corde, juxta illud: Quicquid non eſt ex fide, peccatum eſt. Tales enim operantur cum contemtu Dei, ſicut Epicurus non ſentit ſe Deo curæ eſſe, reſpici, aut exaudiri à Deo. Hic contemtus vitiat opera in ſpeciem honeſta, quia Deus judicat corda.

Rom. 14, 23.

Poſtremo hoc imprudentiſſime ſcribitur ab adverſariis, quod homines rei æternæ iræ, mereantur remiſſionem peccatorum per actum elicitum dilectionis, cùm impoſſibile ſit diligere DEUM, niſi fide apprehendatur remiſſio peccatorum. Non enim poteſt cor, verè ſentiens Deum iraſci, diligere Deum, niſi oſtendatur placatus, donec terret & videtur nos abjicere in æternam mortem, non poteſt ſe erigere natura humana, ut diligat iratum, judicantem & punientem. Facilè eſt ociosis fingere iſta ſomnia de dilectione, quod reus peccati mortalis poſſit Deum diligere ſuper omnia, quia non ſentiunt, quid ſit ira, aut judicium Dei. At in agone conſcientiæ, & in acie experitur conſcientia vanitatem illarum ſpeculationum philoſophicarum. Paulus ait: Lex iram operatur. Non dicit, per legem mereri homines remiſſionem peccatorum. Lex enim ſemper accuſat conſcientias, & perterrefacit. Non igitur juſtificat, quia conſcientia perterrefacta lege fugit judicium Dei. Errant igitur, qui per legem, per opera ſua mereri ſe remiſſionem peccatorum confidunt. Hæc de juſti-

Rom. 4, 15.

tia

tia rationis, aut legis, quam adversarii docent, satis sit dixisse. Nam paulo post, cùm nostram sententiam de justitia fidei dicemus, res ipsa coget plura testimonia ponere, quæ etiam proderunt ad illos errores adversariorum, quos hactenus recensuimus, evertendos.

Quia igitur non possunt homines viribus suis legem DEI facere, & omnes sunt sub peccato, & rei æternæ iræ ac mortis. Ideo non possumus per legem à peccato liberari, ac justificari, sed data est promissio remissionis peccatorum & justificationis propter Christum, qui datus est pro nobis, ut satisfaceret pro peccatis mundi, & positus est mediator ac propitiator. Et hæc promissio non habet conditionem meritorum nostrorum, sed gratis offert remissionem peccatorum & justificationem, sicut Paulus ait: Si ex operibus, jam non est gratia. Et *Rom. 11, 6.* alibi: Justitia Dei jam manifestatur sine lege, i. e. gratis offertur remissio peccatorum. Nec pendet reconciliatio ex nostris meritis. Quod si ex nostris meritis penderet remissio peccatorum, & reconciliatio esset ex lege, esset inutilis. Quia enim legem non facimus, sequeretur etiam promissionem reconciliationis nunquam nobis contingere. Sic argumentatur Paulus Roman. 4. *Rom. 4, 14.* Si ex lege esset hæreditas, inanis esset fides, & abolita promissio. Si enim promissio requireret conditionem meritorum nostrorum, ac legem, cum legem nunquam faciamus, sequeretur, promissionem inutilem esse.

Cùm autem justificatio contingat per gratuitam promissionem, sequitur, quod non possimus nos ipsi justificare, alioqui quorsum opus erat promittere? Cumque promissio non possit accipi nisi fide, Evangelium, quod est propriè promissio remissionis peccatorum & justificationis propter Christum, prædicat justitiam fidei in Christum, quam non docet lex, neque hæc est justitia legis. Lex enim requirit à nobis opera nostra, &

perfectionem noſtram; Sed promiſſio offert nobis oppreſſis peccato & morte gratis reconciliationem propter Chriſtum, quæ accipitur non operibus, ſed ſola fide. Hæc fides non affert ad DEUM fiduciam propriorum meritorum, ſed tantum fiduciam promiſſionis, ſeu promiſſæ miſericordiæ in Chriſto. Hæc igitur fides ſpecialis, qua credit unusquisque ſibi remitti peccata propter Chriſtum, & DEUM placatum & propitium eſſe propter CHRISTUM, conſequitur remiſſionem peccatorum, & juſtificat nos, & quia in pœnitentia, hoc eſt, in terroribus conſolatur, & erigit corda, regenerat nos, & affert Spiritum Sanctum, ut deindè legem DEI facere poſſimus, videlicet, diligere DEUM, verè timere DEUM, verè ſtatuere, quod DEUS exaudiat, obedire Deo in omnibus afflictionibus, mortificat concupiſcentiam, &c.

Ita fides, quæ gratis accipit remiſſionem peccatorum, quia opponit mediatorem & propitiatorem Chriſtum iræ DEI, non opponit noſtra merita, aut dilectionem noſtram, quæ fides eſt vera cognitio Chriſti, & utitur beneficiis Chriſti, & regenerat corda, & præcedit legis impletionem. Et de hac fide nulla ſyllaba extat in doctrina adverſariorum noſtrorum. Proinde reprehendimus adverſarios, quod tantùm tradunt juſtitiam legis, non tradunt juſtitiam Evangelii, quod prædicat juſtitiam fidei in Chriſtum.

Quid ſit fides juſtificans?

ADverſarii tantum fingunt, fidem eſſe notitiam hiſtoriæ, ideoque docent, eam cum peccato mortali poſſe exiſtere. Nihil igitur loquuntur de fide, qua Paulus toties dicit, homines juſtificari, quia qui reputantur juſti coram Deo, non verſantur in peccato mortali. Sed illa fides, quæ juſtificat, non eſt tantum notitia hiſtoriæ, ſed eſt aſſentiri promiſſioni DEI, in

qua

Digitized by Google

qua gratis propter CHRISTUM offertur remissio peccatorum & justificatio. Et ne quis suspicetur, tantùm notitiam esse, addemus ampliùs, est velle & accipere oblatam promissionem remissionis peccatorum & justificationis.

Ac facilè potest cerni discrimen inter hanc fidem, & inter justitiam legis. Fides est λατρεία, accipit à Deo oblata beneficia: Justitia legis est λατρεία, quæ offert Deo nostra merita. Fide sic vult coli Deus, ut ab ipso accipiamus ea, quæ promittit & offert.

Quod autem fides significet non tantùm historiæ notitiam, sed illam fidem, quæ assentitur promissioni, aperte testatur Paulus, qui ait: Justitia adeo ex fide esse, ut sit firma promissio. Sentit enim, promissionem non posse accipi, nisi fide. Quare inter se correlativè comparat & connectit promissionem & fidem. Quanquam facile erit judicare, quid sit fides, si symbolum consideremus, ubi certè ponitur hic articulus: Remissionem peccatorum. Itaque non satis est credere, quod Christus natus, passus, resuscitatus sit, nisi addimus & hunc articulum, qui est causa finalis historiæ, Remissionem peccatorum. Ad hunc articulum referri cætera oportet, quod videlicet propter Christum, non propter nostra merita, donetur nobis remissio peccatorum. Quid enim opus erat, Christum dari pro peccatis nostris, si nostra merita pro peccatis nostris possunt satisfacere. *Rom. 4, 16.*

Quoties igitur de fide justificante loquimur, sciendum est, hæc tria objecta concurrere, promissionem, & quidem gratuitam, & merita Christi, tanquam precium & propitiationem. Promissio accipitur fide, gratuitum excludit nostra merita, & significat tantùm per misericordiam offerri beneficium, Christi merita sunt precium, quia oportet esse aliquam certam propitiationem pro peccatis nostris. Scriptura crebro misericordiam implorat. Et S. Patres sæpe dicunt, nos per misericor-

ricordiam ſalvari. Quoties igitur fit mentio miſericordiæ, ſciendum eſt, quod fides ibi requiratur, quæ promiſſionem miſericordiæ accipit. Et rurſus quoties nos de fide loquimur, intelligi volumus objectum, ſcilicet, miſericordiam promiſſam. Nam fides non ideo juſtificat, aut ſalvat, quia ipſa ſit opus per ſeſe dignum, ſed tantùm, quia accipit miſericordiam promiſſam.

Et hic cultus, hæc λατρεία, in Prophetis & Pſalmis paſſim præcipue laudatur, cùm tamen lex non doceat gratuitam remiſſionem peccatorum. Sed Patres norant promiſſionem de Chriſto, quod DEUS propter Chriſtum vellet remittere peccata. Igitur cum intelligerent, Chriſtum fore pretium pro noſtris peccatis, ſciebant opera noſtra non eſſe pretium rei tantæ. Ideo gratuitam miſericordiam & remiſſionem peccatorum fide accipie-
Pſal. 130. v. 3. bant, ſicuti ſancti in novo teſtamento. Huc pertinent illæ crebræ repetitiones miſericordiæ & fidei in Pſalmis & Prophetis, ut hic: Si iniquitates obſervaveris Domi-
v. 5. ne, Domine, quis ſuſtinebit? Hic confitetur peccata, nec allegat merita ſua. Addit: Quia apud te propitiatio eſt. Hic erigit ſe fiducia miſericordiæ Dei. Et
Rom. 4. citat promiſſionem: Suſtinuit anima mea in verbo ejus. Speravit anima mea in Domino, id eſt, quia promiſiſti remiſſionem peccatorum, hac tua promiſſione ſuſtentor. Itaque & Patres juſtificabantur, non per legem, ſed per promiſſionem & fidem. Ac mirum eſt adverſarios adeo extenuare fidem, cùm videant ubique
Pſal. 50. 15. pro præcipuo cultu laudari, ut Pſal. 50. Invoca me in die tribulationis, & eripiam te. Ita vult innoteſcere Deus, ita vult ſe coli, ut ab ipſo accipiamus beneficia, & quidem accipiamus propter ipſius miſericordiam, non propter merita noſtra. Hæc eſt ampliſſima conſolatio in omnibus afflictionibus. Et hujusmodi conſolationes abolent adverſarii, cùm fidem extenuant, & vituperant, & tantùm docent homines per opera & merita cum Deo agere.

Quod

Quod fides in Christum justificet?

PRimum, ne quis putet, nos de otiosa notitia historiæ loqui, dicendum est, quomodo contingat fides. Postea ostendemus, & quod justificet, & quomodo hoc intelligi debeat, & diluemus ea, quæ adversarii objiciunt. Christus, Lucæ ultimo, jubet prædicare pœnitentiam in nomine suo, & remissionem peccatorum. *Luc. 24, 47.* Evangelium enim arguit omnes homines, quod sint sub peccato, quod omnes sint rei æternæ iræ ac mortis, & offert propter Christum remissionem peccatorum, & justificationem, quæ fide accipitur. Prædicatio pœnitentiæ, quæ arguit nos, perterrefacit conscientias veris & seriis terroribus. In his corda rursus debent concipere consolationem. Id fit, si credant promissioni CHRISTI, quod propter ipsum habeamus remissionem peccatorum. Hæc fides in illis pavoribus erigens & consolans accipit remissionem peccatorum, justificat & vivificat. Nam illa consolatio est nova & spiritualis vita. Hæc plana & perspicua sunt, & à piis intelligi possunt, & habent Ecclesiæ testimonia. Adversarii nusquam possunt dicere, quomodo detur Spiritus Sanctus. Fingunt Sacramentum conferre Spiritum Sanctum ex opere operato, sine bono motu accipientis, quasi vero otiosa res sit donatio Spiritus Sancti.

Cùm autem de tali fide loquamur, quæ non est otiosa cogitatio, sed quæ à morte liberat, & novam vitam in cordibus parit, & est opus Spiritus Sancti, non stat cum peccato mortali, sed tantisper, dum adest, bonos fructus parit, ut postea dicemus. Quid potest dici de conversione impii, seu de modo regenerationis, simplicius & clariùs? Proferant unum commentarium in sententias ex tanto scriptorum agmine, qui de modo regenerationis dixerit. Cùm loquuntur de habitu dilectionis,

fingunt eum homines per opera mereri, non docent per verbum accipi, ſicut & hoc tempore Anabaptiſtæ docent. At cum Deo non poteſt agi, Deus non poteſt apprehendi, niſi per verbum. Ideo juſtificatio fit per verbum, ſicut Paulus inquit: Evangelium eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti. Item: Fides eſt ex auditu. Et vel hinc argumentum ſumi poteſt, quod fides juſtificet, quia ſi tantùm fit juſtificatio per verbum, & verbum tantùm fide apprehenditur, ſequitur, quod fides juſtificet, ſed ſunt aliæ majores rationes. Hæc diximus hactenus, ut modum regenerationis oſtenderemus, & ut intelligi poſſet, qualis ſit fides, de qua loquimur.

Rom. 1, 16. c. 10, 17.

Nunc oſtendemus, quod fides juſtificet. Ubi primùm hoc monendi ſunt lectores, quod ſicut neceſſe eſt, hanc ſententiam tueri, quod Chriſtus ſit mediator, ita neceſſe ſit defendere, quod fides juſtificet. Quomodo enim erit Chriſtus mediator, ſi in juſtificatione non utimur eo mediatore: ſi non ſentimus, quod propter ipſum juſti reputemur? Id autem eſt credere, confidere meritis Chriſti, quod propter ipſum certo velit nobis Deus placatus eſſe. Item ſicut oportet defendere, quod præter legem, neceſſaria ſit promiſſio Chriſti; ita neceſſe eſt defendere, quod fides juſtificet. Lex enim non poteſt fieri, niſi prius accepto Spiritu Sancto. Neceſſe eſt igitur defendere, quod promiſſio CHRISTI neceſſaria ſit. At hæc non poteſt accipi, niſi fide. Itaque qui negant, fidem juſtificare, nihil niſi legem abolito Evangelio & abolito Chriſto docent.

Sed nonnulli fortaſſis, cùm dicitur, quod fides juſtificet, intelligunt de principio, quod fides ſit initium juſtificationis, ſeu præparatio ad juſtificationem, ita ut non ſit ipſa fides illud, quo accepti ſumus Deo, ſed opera quæ ſequuntur. Et ſomniant, fidem ideo valde laudari, quia ſit principium. Magna enim vis eſt principii, ut vulgi dicunt. ἀρχὴ ἥμισυ παντός, ut ſi quis dicat, quod

Gram-

Grammatica efficiat omnium artium doctores, quia præparet ad alias artes, etiamsi sua quemque ars verè artificem efficit. Non sic de fide sentimus, sed hoc defendimus, proprie ac vere ipsa fide propter Christum justi reputemur, seu accepti Deo simus. Et quia justificari significat ex injustis justos effici, seu regenerari, significat & justos pronunciari seu reputari. Utroque enim modo loquitur scriptura. Ideo primùm volumus hoc ostendere, quod sola fides ex injusto justum efficiat, hoc est, accipiat remissionem peccatorum.

Offendit quosdam particula, sola, cùm & Paulus dicat: Arbitramur hominem justificari fide, non ex operibus. Item Ephes. 2. Dei donum est, non ex vobis, neque ex operibus, ne quis glorietur. Item Rom. 3. Gratis justificati. Si displicet exclusiva, sola, tollant etiam ex Paulo, illas exclusivas, gratis, non ex operibus, donum est, &c. Nam hæ quoque sunt Ecclusivæ. Excludimus autem opinionem meriti. Non excludimus verbum aut Sacramenta, ut calumniantur adversarii. Diximus enim supra, fidem ex verbo concipi. Ac multo maxime ornamus ministerium verbi. Dilectio etiam & opera sequi fidem debent, quare non sic excluduntur, ne sequantur, sed fiducia meriti dilectionis aut operum in justificatione excluditur; Idque perspicue ostendemus.

Rom. 3, 28. Eph. 2, 8. Rom. 3, 24.

Quod remissionem peccatorum sola fide in Christum consequamur.

FAteri etiam adversarios existimamus, quod in justificatione primùm necessaria sit remissio peccatorum. Omnes enim sub peccato sumus. Quare sic argumentamur:

Rom. 11, 32.

Consequi remissionem peccatorum, est justificari, juxta illud: Beati quorum remissæ sunt iniquitates.

Psal. 32, 1.

Sola fide in Christum, non per dilectionem, non propter
Col. 1, 14. dilectionem aut opera, consequimur remissionem pecca-
1. Joh. 2, 2. torum, etsi dilectio sequitur fidem.

Igitur sola fide justificamur, intelligendo justificationem, ex injusto justum effici, seu regenerari.

Minor ita facilè poterit declarari, si sciamus, quomodo fiat remissio peccatorum. Adversarii frigidissimè disputant: Utrùm sint una mutatio, remissio peccatorum, & infusio gratiæ? Ocioſi homines, quid dicerent, non habebant. In remissione peccatorum oportet in cordibus vinci terrores peccati, & mortis æternæ, sicut Paulus testatur 1. Cor. 15. Aculeus mortis peccatum est. Potentia vero peccati lex. Gratia autem DEO, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum
Rom. 3, 4. JESUM CHRISTUM. Id est, peccatum perterrefacit conscientias, id fit per legem, quæ ostendit iram DEI adversus peccatum, sed vincimus per Christum. Quomodo? fide, cum erigimus nos fiducia promissæ misericordiæ propter Christum. Sic igitur probamus minorem. Ira Dei non potest placari, si opponamus nostra opera, quia CHRISTUS propositus est propitiator, ut propter ipsum fiat nobis placatus pater. CHRISTUS autem non apprehenditur tanquam mediator, nisi fide. Igitur sola fide consequimur remissionem peccatorum, cum erigimus corda fiducia misericordiæ propter Christum promissæ.

Item Paulus Rom. 5. ait: Per ipsum habemus accessum ad Patrem, & addit, per fidem. Sic igitur recon-
Rom. 5, 2. ciliamur patri, & accipimus remissionem peccatorum, quando erigimur fiducia promissæ misericordiæ propter Christum. Adversarii Christum ita intelligunt mediatorem & propitiatorem esse, quia meruerit habitum dilectionis, non jubent nunc eo uti mediatore, sed prorsus sepulto CHRISTO, fingunt nos habere accessum per propria opera, & per hæc habitum illum mereri, & posteà dilectione illa accedere ad DEUM. Annon est hoc

pror-

Digitized by Google

prorsus sepelire Christum, & totam fidei doctrinam tollere? Paulus econtra docet nos habere accessum, hoc est, reconciliationem per Christum; Et ut ostenderet, quomodo id fiat, addit, quod per fidem habeamus accessum. Fide igitur propter Christum accipimus remissionem peccatorum. Non possumus iræ Dei opponere nostram dilectionem, & opera nostra. *Rom. 3. 25.*

Secundo. Certum est peccata remitti propter propitiatorem Christum. Rom. 3. Quem posuit Deus propitiatorem. Addit autem Paulus, per fidem. Itaque ita nobis prodest hic propitiator, cum fide apprehendimus promissam in eo misericordiam, & opponimus eam iræ ac judicio Dei. Et in eandem sententiam scriptum est ad Ebræos 4. Habentes Pontificem, &c. accedamus cum fiducia. Jubet enim accedere ad Deum, non fiducia nostrorum meritorum, sed fiducia Pontificis Christi, requirit igitur fidem. *Rom. 3, 25. Ebr. 4, 14. 15.*

Tertio. Petrus in Actis Cap. 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum. Quomodo potuit clarius dicere? Remissionem peccatorum accipimus, inquit, per nomen ejus, hoc est, propter eum: ergo non propter nostra merita, non propter nostram contritionem, attritionem, dilectionem, cultus, opera. Et addit, cùm credimus in eum. Requirit igitur fidem. Neque enim possumus apprehendere nomen Christi, nisi fide. Præterea allegat consensum omnium Prophetarum. Hoc vere est allegare Ecclesiæ autoritatem. Sed de hoc loco infra de pœnitentia rursus dicendum erit. *Act. 10, 43.*

Quarto. Remissio peccatorum est res promissa propter Christum. Igitur non potest accipi, nisi sola fide. Nam promissio accipi non potest, nisi sola fide, Rom. 4. Ideo ex fide, ut sit firma promissio, secundum gratiam, quasi dicat, si penderet res ex meritis nostris, incerta & *Rom. 4, 13.*

inutilis

inutilis esset promissio, quia nunquam constituere possemus, quando satis meriti essemus. Idque facilè intel-
Galat. 3, 12. ligere queunt peritæ conscientiæ. Ideo Paulus ait Galat. 5. Conclusit Deus omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Jesu Christi detur Credentibus. Hic detrahit meritum nobis, quia dicit omnes reos esse, & conclusos sub peccatum, deinde addit promissionem, videlicet, remissionis peccatorum & justificationis, dari, & addit, quomodo accipi promissio possit, videlicet, fide. Atque hæc ratio sumta ex natura promissionis apud Paulum præcipua est, & sæpe repetitur. Neque excogitari, neque fingi quicquam potest, quo hoc Pauli argumentum everti queat. Proinde non patiantur se bonæ mentes depelli ab hac sententia, quod tantum fide accipiamus remissionem propter Christum; In hac habent certam & firmam consolationem adversus peccati terrores, & adversus æternam mortem, & adversus omnes portas inferorum.

Cùm autem sola fide accipiamus remissionem peccatorum & Spiritum Sanctum, sola fides justificat, quia reconciliati reputantur justi & filii Dei, non propter suam mundiciem, sed per misericordiam propter Christum, si tamen hanc misericordiam fide apprehendant. Ideo-
Rom. 3, 26. que scriptura testatur, quod fide justi reputemur. Adjiciemus igitur testimonia, quæ clarè pronunciant, quod fides sit ipsa justitia, qua coram Deo justi reputamur, videlicet, non quia sit opus per sese dignum, sed quia accipit promissionem, qua Deus pollicitus est, quod propter Christum vellt propitius esse credentibus in eum, seu quia
1. Cor. 1, 30. sentit, quod Christus sit nobis factus à Deo sapientia, justitia, sanctificatio, & redemptio.

Paulus in Epistola ad Romanos præcipuè de hoc loco disputat, & proponit, quod gratis justificemur fide, credentes, nobis DEUM placatum propter Christum;

Et

Et hanc propositionem capire tertio, quæ statum universæ disputationis continet, tradit: Arbitramur hominem fide justificari, non ex operibus legis. Hic adversarii interpretantur ceremonias leviticas. At Paulus non tantùm de ceremoniis loquitur, sed de tota lege. Allegat enim infra ex Decalogo: Non concupisces. Et si opera moralia mererentur remissionem peccatorum, & justificationem, etiam nihil opus esset Christo, & promissione, & ruerent omnia illa, quæ Paulus de promissione loquitur. Malè etiam scriberet ad Ephesios, gratis nos salvatos esse, & donum Dei esse, non ex operibus. Item Paulus allegat Abraham, allegat Davidem, at hi de circumcisione habuerunt mandatum Dei. Itaque si ulla opera justificabant, necesse erat illa opera tunc, cùm mandatum haberent, etiam justificasse, sed recte docet Augustinus, Paulum de tota lege loqui, sicut prolixè disputat de spiritu & litera, ubi postremo ait: His igitur consideratis pertractatisque pro viribus, quas Dominus donare dignatur, colligimus, non justificari hominem præceptis bonæ vitæ, nisi per fidem JESU CHRISTI.

Rom. 7, 7. *Gal. 2.* *Eph. 2, 8.* *Rom. 4, 1. 6.*

Et ne putemus, temere excidisse Paulo sententiam, quod fides justificet, longa disputatione munit & confirmat eam in quarto Capite ad Romanos. Et deinde in omnibus Epistolis repetit.

Sic ait capite quarto ad Romanos. Operanti merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei autem, qui non operatur, credit autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam. Hic clare dicit, fidem ipsam imputari ad justitiam. Fides igitur est illa res, quam Deus pronunciat esse justitiam, & addit gratis imputati. Et negat posse gratis imputari, si propter opera deberetur. Quare excludit etiam meritum operum moralium. Nam si his deberetur justificatio coram Deo, non imputaretur fides ad justitiam sine operibus.

Rom. 4, 5.

Et

Rom. 4, 9. Et postea: Dicimus enim, quod Abrahæ imputata est fides ad justitiam.

Rom. 5, 1. Capite 5. ait: Justificati ex fide, pacem habemus erga Deum, id est, habemus conscientias tranquillas & lætas coram Deo.

Rom. 10, 10. Rom. 10. Corde creditur ad justitiam. Hic pronunciat, fidem esse justitiam cordis.

Galat. 2, 16. Ad Galat. 2. Nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis.

Eph. 2, 8. Ad Ephes. 2. Gratia enim salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur.

Joh. 1, 12. Johannis primo: Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.

Joh. 3, 14. 15. Johannis 3. Sicut Moises exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat.

v. 17. Item: Non misit Deus filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non judicatur.

Actor. 13, 38. Actorum 13. Notum igitur sit vobis, viri fratres, quod per hunc vobis remissio peccatorum annunciatur, & ab omnibus, quibus non potuistis in lege justificari, in hoc omnis, qui credit, justificatur. Quomodo potuit clariùs de officio Christi, & de justificatione dici? Lex, inquit, non justificabat. Ideo Christus datus est, ut credamus nos propter ipsum justificari. Apertè detrahit legi justificationem. Ergo propter Christum justi reputamur, cùm credimus, nobis Deum placatum esse propter ipsum.

Actor. 4, 11. Actorum 4. Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli, & non est in aliquo alio salus. Neque enim aliud nomen est sub cœlo

cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri: Nomen autem Christi tantùm fide apprehenditur. Igitur fiducia nominis Christi, non fiducia nostrorum operum salvamur. Nomen enim hic significat causam, quæ allegatur, propter quam contingit salus. Et allegare nomen Christi, est confidere nomine Christi, tanquam causa, seu precio, propter quod salvamur.

Actorum 15. Fide purificans corda eorum. Quare fides illa, de qua loquuntur Apostoli, non est ociosa notitia, sed res accipiens Spiritum Sanctum, & justificans nos. *Actor. 15, 9.*

Abacuc secundo: Justus ex fide vivet: Hic primum dicit, homines fide esse justos, qua credunt Deum propitium esse, & addit, quod eadem fides vivificet, quia hæc fides parit in corde pacem & gaudium, & vitam æternam. *Habac. 2, 4.*

Esaiæ 53. Notitia ejus justificabit multos. Quid est autem notitia Christi, nisi nosse beneficia Christi, promissiones, quas per Evangelium sparsit in mundum? Et hæc beneficia nosse, propriè & verè est credere in Christum, credere, quod, quæ promisit Deus propter Christum, certo præstet. *Esa. 53, 11.*

Sed plena est scriptura talibus testimoniis, quia alibi legem, alibi promissiones de Christo, & de remissione peccatorum, & de gratuita acceptatione propter Christum tradit. Extant & apud S. Patres sparsim similia testimonia. Ambrosius enim inquit in Epistola ad Irenæum quendam: Subditus autem mundus eo per legem factus est, quia ex præscripto legis omnes conveniuntur, & ex operibus legis nemo justificatur, id est, quia per legem peccatum cognoscitur, sed culpa non relaxatur. Videbatur lex nocuisse, quæ omnes fecerat peccatores, sed veniens Dominus JESUS peccatum omnibus, quod nemo poterat evitare, donavit, & chirographum nostrum sui sanguinis effusione delevit. Hoc est, quod ait: Abundavit peccatum per legem; Superabundavit *Rom. 5, 20.*

davit autem gratia per JESUM. Quia poſtquam totus mundus ſubditus factus eſt, totius mundi peccatum
Joh. 1, 29. abſtulit, ſicut teſtificatus eſt Johannes, dicens: Ecce agnus DEI, ecce, qui tollit peccatum mundi. Et ideo nemo glorietur in operibus, quia nemo factis ſuis juſtificatur. Sed qui juſtus eſt, donatum habet, quia poſt lavacrum juſtificatus eſt. Fides ergo eſt, quæ liberat per
Pſal. 23. v. 1. ſanguinem Chriſti, quia beatus ille, cui peccatum remittitur, & venia donatur. Hæc ſunt Ambroſii verba, quæ apertè patrocinantur noſtræ ſententiæ, detrahit operibus juſtificationem, & tribuit fidei, quod liberet per ſanguinem Chriſti. Conferantur in unum acervum Sententiarii omnes, qui magnificis titulis ornantur; Nam alii vocantur angelici, alii ſubtiles, alii irrefragabiles. Omnes iſti lecti & relecti non tantùm conferent ad intelligendum Paulum, quantum confert hæc una Ambroſii ſententia.

In eandem ſententiam multa contra Pelagianos ſcribit Auguſtinus. De ſpiritu & litera ſic ait: Ideo quippe proponitur juſtitia legis, quod qui fecerit eam, vivet in illa, ut cùm quisque infirmitatem ſuam cognoverit, non per ſuas vires, neque per literam ipſius legis, quod fieri non poteſt, ſed per fidem concilians juſtificatorem, perveniat, & faciat, & vivat in ea. Opus rectum, quod qui fecerit, vivet in eo, non fit, niſi in juſtificato. Juſtificatio autem ex fide impetratur. Hic clare dicit, juſtificatorem fide conciliari, & juſtificationem fide impetrari. Et paulo poſt: Ex lege timemus Deum, ex fide ſperamus in Deum, ſed timentibus pœnam abſconditur gratia, ſub quo timore anima laborans, &c. per fidem confugiat ad miſericordiam Dei, ut det, quod jubet. Hic docet lege terreri corda, fide autem conſolationem capere, & docet priùs fide apprehendere miſericordiam, quam legem facere conemur. Recitabimus paulo poſt & alia quædam.

Pro-

Digitized by Google

Profecto mirum est adversarios tot locis scripturæ nihil moveri, quæ apertè tribuunt Justificationem fidei, & quidem detrahunt operibus. Num frustrà existimant toties idem repeti? Num arbitrantur excidisse Spiritui Sancto non animadvertenti has voces? Sed excogitaverunt etiam cavillum, quo eludunt, dicunt de fide formata accipi debere, hoc est, non tribuunt fidei justificationem, nisi propter dilectionem. Imo prorsus non tribuunt fidei justificationem, sed tantùm dilectioni, qui somniant fidem posse stare cum peccato mortali. Quorsum hoc pertinet, nisi ut promissionem iterum aboleant, & redeant ad legem? Si fides accipit remissionem peccatorum, propter dilectionem, semper erit incerta remissio peccatorum, quia nunquam diligimus tantum, quantum debemus, imo non diligimus, nisi certo statuant corda, quod donata sit nobis remissio peccatorum. Ita adversarii, dum requirunt fiduciam propriæ dilectionis in remissione peccatorum & justificatione, Evangelium de gratuita remissione peccatorum prorsus abolent, cùm tamen dilectionem illam neque præstent, neque intelligant, nisi credant gratis accipi remissionem peccatorum.

Nos quoque dicimus, quod dilectio fidem sequi debeat, sicut & Paulus ait: In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides per dilectionem efficax. Neque tamen ideo sentiendum est, quod fiducia hujus dilectionis, aut propter hanc dilectionem accipiamus remissionem peccatorum & reconciliationem; sicut neque accipimus remissionem peccatorum propter alia opera sequentia: Sed sola fide, & quidem fide propriè dicta, accipitur remissio peccatorum, quia promissio non potest accipi nisi fide. Est autem fides propriè dicta, quæ assentitur promissioni, de hac fide loquitur scriptura. Et quia accipit remissionem peccatorum, & reconciliat nos DEO, priùs hac fide justi *Gal. 6, 15.*

reputamur propter Christum, quam diligimus, ac legem facimus, etsi necessario sequitur dilectio. Neque vero hæc fides est otiosa notitia, nec potest stare cum peccato mortali, sed est opus Spiritus Sancti, quo liberamur à morte, quo eriguntur & vivificantur perterrefactæ mentes. Et quia sola hæc fides accipit remissionem peccatorum, & reddit nos acceptos Deo, & affert Spiritum Sanctum, rectius vocari gratia gratum faciens poterat, quàm effectus sequens, videlicet dilectio.

Hactenus satis copiose ostendimus & testimoniis scripturæ, & argumentis ex scriptura sumtis, ut res magis fieret perspicua, quod sola fide consequimur remissionem peccatorum propter CHRISTUM, & quod sola fide justificemur, hoc est, ex injustis justi efficiamur, seu regeneremur. Facilè autem judicari potest, quàm necessaria sit hujus fidei cognitio, quia in hac una conspicitur Christi officium, hac una accipimus Christi beneficia, hæc una affert certam & firmam consolationem piis mentibus. Et oportet in Ecclesia extare doctrinam, ex qua concipiant pii certam spem salutis. Nam adversarii infeliciter consulunt hominibus, dum jubent dubitare, Utrum consequamur remissionem peccatorum. Quomodo in morte sustentabunt se isti, qui de hac fide nihil audiverunt, qui putant dubitandum esse, Utrum consequamur remissionem peccatorum? Præterea necesse est retineri in Ecclesia Christi Evangelium, hoc est, promissionem, quod gratis propter Christum remittuntur peccata. Id Evangelium penitus abolent, qui de hac fide, de qua loquimur, nihil docent. At Scholastici ne verbum quidem de hac fide tradunt. Hos sequuntur adversarii nostri, & improbant hanc fidem. Nec vident se totam promissionem gratuitæ remissionis peccatorum, & justitiæ Christi abolere improbata hac fide.

III. DE

Digitized by Google

III. DE DILECTIONE ET IMPLETIONE LEGIS.

HIc objiciunt adverſarii: Si vis in vitam ingredi, ſerva mandata. Item: Factores Legis juſtificabuntur, & alia multa ſimilia de lege, & operibus, ad quæ, priusquam reſpondemus, dicendum eſt, quid nos de dilectione & impletione legis ſentiamus. Scriptum eſt apud Prophetam: Dabo legem meam in corda eorum. Et Rom. 3. ait Paulus: legem ſtabiliri, non aboleri, per fidem. Et Chriſtus ait: Si vis ingredi in vitam, ſerva mandata. Item: Si dilectionem non habeam, nihil ſum. Hæ ſententiæ & ſimiles teſtantur, quod oporteat legem in his inchoari, & magis magisque fieri. Loquimur autem non de ceremoniis, ſed de illa lege, quæ præcipit de motibus cordis, videlicet de Decalogo. Quia vero fides affert Spiritum Sanctum, & parit novam vitam in cordibus, neceſſe eſt, quod pariat ſpirituales motus in cordibus. Et qui ſint illi motus, oſtendit Propheta, cum ait: Dabo legem meam in corde eorum. Poſtquam igitur fide juſtificati & renati ſumus, incipimus Deum timere, diligere, petere, & expectare ab eo auxilium, gratias agere & prædicare, & obedire ei in afflictionibus. Incipimus & diligere proximos, quia corda habent ſpirituales & ſanctos motus.

Aug. Conf. 15. Art. Sm. 335.
Rom. 3, 31.
Matth. 19, 7.
1. Cor. 13, 2.
Jerem. 31, 33.

Hæc non poſſunt fieri, niſi poſtquam fide juſtificati ſumus, & renati accipimus Spiritum Sanctum. Primum, quia lex non poteſt fieri ſine Chriſto. Item, Lex non poteſt fieri ſine Spiritu Sancto. At Spiritus Sanctus accipitur fide, juxta illud Pauli, Galat. 3. Ut promiſſionem Spiritus accipiamus per fidem. Item, quomodo poteſt humanum cor diligere Deum, dum ſentit eum horribiliter iraſci, & opprimere nos temporalibus & perpetuis calamitatibus? Lex autem ſemper accuſat nos, ſemper oſtendit iraſci DEUM. Non igitur diligitur Deus,

Gal. 3, 14.

nisi postquam apprehendimus fide misericordiam, Ita demùm fit objectum amabile.

Quanquam igitur civilia opera, hoc est, externa opera legis, sine Christo, & sine Spiritu Sancto aliqua ex parte fieri possint, tamen apparet ex his, quæ diximus, illa quæ sunt proprie legis divinæ, hoc est, affectus cordis erga Deum, qui præcipiuntur in prima tabula, non posse fieri sine Spiritu Sancto. Sed adversarii nostri sunt svaves Theologi: Intuentur secundam tabulam, & politica opera, primam nihil curant, quasi nihil pertineat ad rem, aut certè tantùm externos cultus requirunt. Illam æternam legem, & longe positam supra omnium creaturarum sensum atque intellectum: Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde; prorsus non considerant. *Deut. 6, 5.*

At Christus ad hoc datus est, ut propter eum donentur nobis remissio peccatorum, & Spiritus Sanctus, qui novam & æternam vitam ac æternam justitiam in nobis pariat. Quare non potest lex verè fieri, nisi accepto Spiritus Sancto per fidem. *Rom. 3, 31.* Ideo Paulus dicit, legem stabiliri per fidem, non aboleri, quia lex ita demùm fieri potest, cum contingit Spiritus Sanctus. Et Paulus docet 2. Cor. 3. velamen, quo facies Moysi tecta est, non posse tolli, nisi fide in Christum, qua accipitur Spiritus Sanctus. *2. Cor. 3, 16. v. 15.* Sic enim ait: Sed usque in hodiernum diem, cùm legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum; Cùm autem converti fuerint ad DEUM, auferetur velamen, Dominus autem Spiritus est, Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas. Velamen intelligit Paulus, humanam opinionem de tota lege, Decalogo & ceremoniis, videlicet quod hypocritæ putant externa & civilia opera satisfacere legi Dei, & sacrificia & cultus ex opere operato justificare coram DEO. Tunc autem detrahitur nobis hoc velamen, hoc est, eximitur hic error, quando DEUS ostendit cordibus nostris immun-

munditiem noſtram, & magnitudinem peccati. Ibi primum videmus nos longè abeſſe ab impletione legis. Ibi agnoſcimus, quomodo caro ſecura atque otioſa non timeat Deum, nec verè ſtatuat reſpici nos à Deo, ſed caſu naſci, & occidere homines. Ibi experimur nos non credere, quod Deus ignoſcat, & exaudiat. Cùm autem audito Evangelio & remiſſione peccatorum fide erigimur, concipimus Spiritum Sanctum, ut jam rectè de Deo ſentire poſſimus, & timere Deum, & credere ei, &c. Ex his apparet non poſſe legem ſine Chriſto, & ſine Spiritu Sancto fieri.

Profitemur igitur, quod neceſſe ſit inchoari in nobis, & ſubinde magis magisque fieri legem. Et complectimur ſimul utrumque, videlicet ſpirituales motus & externa bona opera. Falſo igitur calumniantur nos adverſarii, quod noſtri non doceant bona opera, cùm ea non ſolum requirant, ſed etiam oſtendant, quomodo fieri poſſint. Eventus coarguit hypocritas, qui ſuis viribus conantur legem facere, quod non poſſint præſtare, quæ conantur. Longè enim imbecillior eſt humana natura, quàm ut ſuis viribus reſiſtere diabolo poſſit, qui habet captivos omnes, qui non ſunt liberati per fidem. Potentia Chriſti opus eſt adverſus diabolum, videlicet, ut quia ſcimus nos propter Chriſtum exaudiri, & habere promiſſionem, petamus, ut gubernet & propugnet nos Spiritus Sanctus, ne decepti erremus, ne impulſi contra voluntatem Dei aliquid ſuſcipiamus, Sicut Pſalmus docet: Captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Chriſtus enim vicit diabolum, & dedit nobis promiſſionem, & Spiritum Sanctum, ut auxilio divino vincamus & ipſi. Et 1. Joh. 3. Ad hoc apparuit Filius Dei, ut ſolvat opera diaboli. Deinde non hoc tantùm docemus, quomodo fieri lex poſſit, ſed etiam quomodo Deo placeat, ſi quid fit, videlicet, non quia legi ſatisfaciamus, ſed quia ſumus

Pſal. 68, 19.

1. Joh. 3. 8.

in Chriſto, ſicut paulo poſt dicemus. Conſtat igitur, noſtros requirere bona opera. Imo addimus & hoc, quod impoſſibile ſit dilectionem DEI, etſi exigua eſt, divellere à fide, quia per Chriſtum acceditur ad Patrem, & accepta remiſſione peccatorum verè jam ſta-
1. Joh. 4, 19. tuimus, nos habere Deum, hoc eſt, nos Deo curæ eſſe, invocamus, agimus gratias, timemus, diligimus, ſicut Johannes docet in prima Epiſtola, Nos diligimus eum, inquit, quia prior dilexit nos, videlicet, quia dedit pro nobis Filium, & remiſit nobis peccata. Ita ſignificat præcedere fidem, ſequi dilectionem. Item fides illa, de qua loquimur, exiſtit in pœnitentia, hoc eſt, concipitur in terroribus conſcientiæ, quæ ſentit iram Dei adverſus noſtra peccata, & quærit remiſſionem peccatorum, & liberari a peccato. Et in talibus terroribus & aliis afflictionibus debet hæc fides creſcere & confirmari. Quare non poteſt exiſtere in his, qui ſecundum carnem vivunt, qui delectantur cupiditatibus ſuis, & obtemperant eis. Ideo Paulus ait: Nulla nunc damnatio eſt his, qui ſunt in CHRISTO JESU, qui non ſecundum carnem ambulant, ſed ſecundum ſpiritum. Item: Debitores ſumus non carni, ut ſecundum carnem vivamus. Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini; ſin autem ſpiritu actiones corporis mortificabitis, vivetis. Quare fides illa, quæ accipit remiſſionem peccatorum in corde perterrefacto, & fugiente peccatum, non manet in his, qui obtemperant cupiditatibus, nec exiſtit cum mortali peccato.

Rom. 8, 1.

v. 12.

Ex his effectibus fidei excerpunt adverſarii unum, videlicet dilectionem, & docent, quod dilectio juſtificet, ita manifeſtè apparet, eos tantùm docere legem. Non prius docent accipere remiſſionem peccatorum per fidem. Non docent de mediatore Chriſto, quod propter Chriſtum habeamus Deum propitium, ſed propter noſtram dilectionem. Et tamen qualis ſit illa dilectio, non

dicunt,

Digitized by Google

dicunt, neque dicere possunt. Prædicant, se legem implere, cùm hæc gloria propriè debeatur Christo, & fiduciam propriorum operum opponunt judicio Dei, dicunt enim, se de condigno mereri gratiam & vitam æternam. Hæc est simpliciter impia & vana fiducia. Nam in hac vita non possumus legi satisfacere, quia natura carnalis non desinit malos effectus parere, etsi his resistit spiritus in nobis.

Sed quærat aliquis. Cùm & nos fateamur dilectionem esse opus Spiritus Sancti, cumque sit justitia, quia est impletio legis, cur non doceamus, quod justificet? Ad hoc respondendum est: Primum hoc certum est, quod non accipimus remissionem peccatorum, neque per dilectionem neque propter dilectionem nostram, sed propter Christum sola fide. Sola fides, quæ intuetur in promissionem, & sentit ideo certo statuendum esse, quod Deus ignoscat, quia Christus non sit frustra mortuus, &c. vincit terrores peccati & mortis. Si quis dubitat, Utrum remittantur sibi peccata, contumelia afficit Christum, cùm peccatum suum judicat majus, aut efficacius esse, quam mortem & promissionem Christi. Cùm Paulus dicit gratiam exuberare supra peccatum, hoc est, misericordiam ampliorem esse, quam peccatum. Si quis sentit se ideo consequi remissionem peccatorum, quia diligit, afficit contumelia Christum, & comperiet in judicio Dei hanc fiduciam propriæ justitiæ impiam & inanem esse. Ergo necesse est, quod fides reconciliet, & justificet. Et sicut non accipimus remissionem peccatorum per alias virtutes legis, seu propter eas, videlicet propter patientiam, castitatem, obedientiam erga Magistratus, &c. & tamen has virtutes sequi oportet: Ita neque propter dilectionem Dei accipimus remissionem peccatorum, etsi sequi eam necesse est. Cæterum nota est consuetudo sermonis, quod interdum eodem verbo causam & effectus complectimur κατὰ συνεκδοχήν. Ita Lucæ septimo ait Christus: Remittuntur ei peccata multa; *Rom. 5, 21.* *Luc. 7, 46.*

quia dilexit multum. Interpretatur enim ſeipſum Chriſtus, cum addit : Fides tua ſalvam te fecit. Non igitur voluit CHRISTUS, quod mulier illo opere dilectionis merita eſſet remiſſionem peccatorum. Ideo enim clarè dicit : Fides tua ſalvam te fecit. At fides eſt, quæ apprehendit miſericordiam propter verbum Dei gratis. Si quis hoc negat fidem eſſe, prorſus non intelligit, quid ſit fides. Et ipſa hiſtoria hoc loco oſtendit, quid vocet dilectionem. Mulier venit hanc afferens de Chriſto opinionem, quod apud ipſum quærenda eſſet remiſſio peccatorum. Hic cultus eſt ſummus cultus Chriſti. Nihil potuit majus tribuere Chriſto. Hoc erat verè Meſſiam agnoſcere, quærere apud eum remiſſionem peccatorum. Porro ſic de Chriſto ſentire, ſic colere, ſic complecti Chriſtum, eſt verò credere. Chriſtus autem uſus eſt verbo dilectionis non apud mulierem, ſed adverſus Phariſæum, quia totum cultum Phariſæi, cum toto cultu mulieris comparabat. Objurgat Phariſæum, quod non agnoſceret ipſum eſſe Meſſiam, etſi hæc æterna officia ipſi præſtaret, ut hoſpiti, viro magno & ſancto. Oſtendit mulierculam, & prædicat hujus cultum, unguenta, lacrymas, &c. quæ omnia erant ſigna fidei, & confeſſio quædam, quod videlicet apud Chriſtum quæreret remiſſionem peccatorum. Magnum profecto exemplum eſt, quod non ſine cauſa commovit Chriſtum, ut objurgaret Phariſæum virum ſapientem, & honeſtum, ſed non credentem. Hanc ei impietatem exprobrat, & admonet eum exemplo mulierculæ, ſignificans turpe ei eſſe, quod cum indocta muliercula credat DEO, ipſe legis doctor non credat, non agnoſcat Meſſiam, non quærat apud eum remiſſionem peccatorum & ſalutem. Sic igitur totum cultum laudat, ut ſæpe fit in ſcripturis, ut uno verbo multa complectamur, ut infrà
Luc. 11, 41. latiùs dicemus in ſimilibus locis, ut : Date Eleemoſynam, & omnia erunt munda. Non tantùm eleemo-

ſynas

ſynas requirit, ſed etiam juſtitiam fidei. Ita hic ait: Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum, i. e. quia me verè coluit fide & exercitiis & ſignis fidei; Totum cultum comprehendit. Interim tamen hoc docet, quod proprie accipiatur fide remiſsio peccatorum. Etſi dilectio, confeſsio, & alii boni fructus ſequi debeant. Quare non hoc vult, quòd fructus illi ſint pretium, ſint propitiatio, propter quam detur remiſsio peccatorum, quæ reconciliet nos DEO. De magna re diſputamus, de honore Chriſti, & unde petant bonæ mentes certam & firmam conſolationem: Utrum fiducia collocanda ſit in Chriſtum, an in opera noſtra. Quod ſi in opera noſtra collocanda erit, detrahitur Chriſto honos mediatoris & pronunciatoris. Et tamen comperiemus in judicio Dei hanc fiduciam vanam eſſe, & conſcientias inde ruere in deſperationem. Quod ſi remiſsio peccatorum, & reconciliatio non contingit gratis propter Chriſtum, ſed propter noſtram dilectionem, nemo habiturus eſt remiſſionem peccatorum, niſi ubi totam legem fecerit, quia lex non juſtificat, donec nos accuſare poteſt. Patet igitur, cum juſtificatio ſit reconciliatio propter Chriſtum, quod fide juſtificemur, quia certiſsimum eſt ſola fide accipi remiſsionem peccatorum.

Nunc igitur reſpondeamus ad illam objectionem, quam ſupra propoſuimus. Rectè cogitant adverſarii dilectionem eſſe legis impletionem, & obedientia erga legem certe eſt juſtitia, ſed hoc fallit eos, quod putant nos ex lege juſtificari. Cum autem non juſtificemur ex lege, ſed remiſsionem peccatorum, & reconciliationem accipiamus fide propter Chriſtum, non propter dilectionem aut legis impletionem: Sequitur neceſſario, quod fide in Chriſtum juſtificemur. *Aug. Conf. rr. Art. Sm. 335.*

Deinde illa legis impletio, ſeu obedientia erga legem, eſt quidem juſtitia, cùm eſt integra, ſed in nobis eſt exigua & immunda. Ideo non placet propter ſeipſam,

non est accepta propter seipsam. Quanquam autem ex his, quæ supra dicta sunt, constet, justificationem non solùm initium renovationis ūgnificare, sed reconciliationem, qua etiam postea accepti sumus : Tamen nunc multo clarius perspici poterit, quod illa inchoatá legis impletio non justificet, quia tantum est accepta propter fidem. Nec est confidendum, quod propria perfectione, & impletione legis, coram Deo justi reputemur, ac non potiùs propter Christum.

Primùm, quia CHRISTUS non desinit esse mediator, postquam renovati sumus. Errant, qui fingunt eum tantum primam gratiam meritum esse, nos postea placere nostra legis impletione, & mereri vitam æternam. Manet mediator CHRISTUS, & semper statuere debemus, quod propter ipsum habeamus placatum Deum, etiamsi nos indigni simus; Sicut Paulus apertè docet, cum ait : Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non justificatus sum, sed sentit se fide reputari justum propter Christum, Juxta illud : Beati, quorum remissæ sunt iniquitates. Illa autem remissio semper accipitur fide. Item, Imputatio justitiæ Evangelii est ex promissione, igitur semper accipitur fide, semper statuendum est, quod fide propter Christum justi reputemur. Si renati postea sentire deberent, se acceptos fore propter impletionem legis, quando esset conscientia certa, se placere DEO, cùm nunquam legi satisfaciamus ? Ideo semper ad promissionem recurrendum ; hac sustentanda est infirmitas nostra, & statuendum, nos propter Christum justos reputari, qui sedet ad dextram Patris, & perpetuo interpellat pro nobis. Hunc Pontificem contumelia afficit, si quis sentit, se jam justum & acceptum esse, propter propriam impletionem legis, non propter illius promissionem. Nec intelligi potest, quomodo fingi queat homo justus esse coram Deo, exclusо propitiatore & mediatore Christo.

1. Cor. 4, 4.

Psal. 32, 1.

Rom. 4.

Rom. 8, 36.

Item

Item, quid opus eſt longa diſputatione? Tota ſcriptura, tota Eccleſia clamat, legi non ſatisfieri. Non igitur placet illa inchoata legis impletio propter ſeipſam, ſed propter fidem in Chriſtum. Alioqui lex ſemper accuſat nos; Quis enim ſatis diligit, aut ſatis timet DEUM? Quis ſatis patienter ſuſtinet afflictiones à DEO impoſitas? Quis non ſæpe dubitat, Utrum Dei conſilio an caſu regantur res humanæ? Quis non ſæpe dubitat, Utrum à DEO exaudiatur? Quis non ſæpe ſtomachatur, quod impii fortuna meliore utuntur, quam pii, quod pii ab impiis opprimuntur? Quis ſatisfacit vocationi ſuæ, quis diligit proximum ſicut ſeipſum? Quis non irritatur à concupiſcentia? Ideo Paulus inquit: Non, quod volo bonum, hoc facio, ſed, quod nolo, malum. Item: mente ſervio legi Dei. Carne autem ſervio legi peccati. Hic apertè prædicat, ſe legi peccati ſervire. Et David ait: Non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. Hic etiam ſervus DEI deprecatur judicium. Item, Beatus vir, cui non imputat Dominus peccatum. Semper igitur in hâc infirmitate noſtra adeſt peccatum, quod imputari poterat, de quo paulo poſt inquit: Pro hoc orabit ad te omnis ſanctus. Hic oſtendit, ſanctos etiam oportere petere remiſſionem peccatorum. Plus quam cœci ſunt, qui malos affectus in carne non ſentiunt eſſe peccata, de quibus Paulus dicit: Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus adverſus carnem, caro diffidit Deo, confidit rebus præſentibus, quærit humana auxilia in calamitate, etiam contra voluntatem Dei, fugit afflictiones, quas debebat tolerare propter mandatum Dei, dubitat de Dei miſericordia &c. Cum talibus affectibus luctatur Spiritus Sanctus in cordibus, ut eos reprimat, ac mortificet, & inſerat novos ſpirituales motus. Sed de hoc loco infrà plura teſtimonia colligemus,

Rom. 7, 19. *v. 25.* *Pſal. 143, 2.* *Pſal. 32, 1.* *v. 6.* *Gal. 5, 17.*

quan-

quanquam ubique obvia ſunt, non ſolùm in ſcripturis, ſed etiam in ſanctis Patribus.

Præclare inquit Auguſtinus : Omnia mandata DEI implentur, quando, quidquid non fit, ignoſcitur. Requirit igitur fidem, etiam in bonis operibus, ut credamus nos placere Deo propter Chriſtum, nec opera ipſa per ſe digna eſſe, quæ placeant.

Et Hieronymus contra Pelagianos: Tunc ergo juſti ſumus, quando nos peccatores fatemur. Et juſtitia noſtra non ex proprio merito, ſed ex Dei conſiſtit misericordia. Oportet igitur adeſſe fidem in illa inchoata legis impletione, quæ ſtatuat nos propter CHRISTUM habere DEUM placatum. Nam miſericordia non poteſt apprehendi niſi fide, ſicut ſupra aliquoties dictum eſt.

Quare cum ait Paulus, legem ſtabiliri per fidem, *Rom. 3, 31.* non ſolum hoc intelligi oportet, quod fide renati concipiant Spiritum Sanctum, & habeant motus conſentientes legi DEI, ſed multo maxime refert & hoc addere, quod ſentire nos oportet, quod procul à perfectione legis abſimus. Quare non poſſumus ſtatuere, quod coram Deo juſti reputemur, propter noſtram impletionem legis ; Sed quærenda eſt alibi juſtificatio, ut conſcientia fiat tranquilla. Non enim ſumus juſti coram DEO, donec fugientes judicium Dei, iraſcimur Deo. Sentiendum eſt igitur, quod reconciliati fide propter Chriſtum juſti reputemur, non propter legem, aut propter opera noſtra. Sed quod hæc inchoata impletio legis placeat propter fidem. Et quod propter fidem non imputetur hoc, quod deeſt impletioni legis, etiamſi conſpectus impuritatis noſtræ perterrefacit nos. Jam ſi eſt alibi quærenda juſtificatio, ergo noſtra dilectio, & opera non juſtificant. Longe ſupra noſtram munditiem, imo longè ſupra ipſam legem collocari debent mors & ſatisfactio Chriſti nobis donata, ut ſtatuamus, nos propter illam ſatisfa-

tisfactionem habere propitium Deum, non propter noſtram implerionem legis.

Hoc Paulus docet ad Galat. 3. cùm ait: Chriſtus redemit nos à maledictione legis, factus pro nobis maledictum, hoc eſt, lex damnat omnes homines; Sed Chriſtus, quia ſine peccato ſubiit pœnam peccati, & victima pro nobis factus eſt, ſuſtulit illud jus legis, ne accuſet, ne damnet hos, qui credunt in ipſum, quia ipſe eſt propitiatio pro eis, propter quam nunc juſti reputantur. Cùm autem juſti reputentur, lex non poteſt eos accuſare, & damnare, etiamſi reipſa legi non ſatisfecerint. In eandem ſententiam ſcribit ad Coloſſenſes: In Chriſto conſummati eſtis, quaſi dicat: Etſi adhuc procul abeſtis à perfectione legis, tamen non damnant vos reliquiæ peccati, quia propter Chriſtum habemus reconciliationem certam & firmam, ſi creditis, etiamſi hæret peccatum in carne veſtra. *Gal. 3, 13.* *Coloſſ. 2, 10.*

Semper debet in conſpectu eſſe promiſſio, quod Deus propter ſuam promiſſionem, propter Chriſtum velit eſſe propitius, velit juſtificare, non propter legem, aut opera noſtra. In hac promiſſione debent pavidæ conſcientiæ quærere reconciliationem & juſtificationem, hac promiſſione debent ſe ſuſtentare, ac certe ſtatuere, quod habeant Deum propitium, propter Chriſtum, propter ſuam promiſſionem. Ita nunquam poſſunt opera conſcientiam reddere pacatam, ſed tantùm promiſſio. Si igitur præter dilectionem & opera alibi quærenda eſt juſtificatio, & pax conſcientiæ, ergo dilectio & opera non juſtificant, etſi ſunt virtutes & juſtitiæ legis, quatenus ſunt impletio legis. Et eatenus hæc obedientia legis juſtificat juſtitia legis. Sed hæc imperfecta juſtitia legis non eſt accepta DEO, niſi propter fidem. Ideo non juſtificat, i. e. neque reconciliat, neque regenerat, neque per ſe facit acceptos coram Deo.

Ex his constat sola fide nos justificari coram DEO, quia sola fide accipimus remissionem peccatorum & reconciliationem propter Christum, quia reconciliatio seu justificatio est res promissa propter Christum, non propter legem. Itaque sola fide accipitur. Etsi donato Spiritu Sancto sequitur legis impletio.

RESPONSIO AD ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

COGNITIS autem hujus causæ fundamentis, videlicet discrimine legis & promissionum, seu Evangelii, facilè erit diluere ea, quæ adversarii objiciunt. Citant enim dicta de lege & operibus, & omittunt dicta de promissionibus. Semel autem responderi ad omnes sententias de lege potest, quod lex non possit fieri sine Christo, & si qua fiunt civilia opera, sine Christo, non placent Deo. Quare cùm prædicantur opera, necesse est addere, quod fides requiratur, quod propter fidem prædicentur, quod sint fructus & testimonia fidei. Ambiguæ & periculosæ causæ multas & varias solutiones gignunt. Verum est enim illud veteris Poetæ:

-- -- -- οὐ ἄδικος λόγος,
Νοστῶν ἐν αὐτῷ Φαρμάκων δεινοσοφῶν.

Sed in bonis & firmis causis, una atque altera solutio sumta ex fontibus, corrigit omnia, quæ videntur offendere. Id fit in hac nostra causa. Nam illa regula, quam modo recitavi, interpretatur omnia dicta, quæ de lege & operibus citantur.

Fatemur enim scripturam alibi Legem, alibi Evangelium seu gratuitam promissionem peccatorum propter Christum tradere. Verùm adversarii nostri simpliciter abolent gratuitam promissionem, cùm negant, quòd fides

des juſtificet, cum docent, quod propter dilectionem & opera noſtra accipiamus remiſſionem peccatorum, & reconciliationem. Si pendet ex conditione operum noſtrorum remiſſio peccatorum, prorſus erit incerta. Erit igitur abolita promiſſio. Proinde nos revocamus pias mentes ad conſiderandas promiſſiones, & de gratuita remiſſione peccatorum & reconciliatione, quæ fit per fidem in Chriſtum, docemus. Poſtea addimus & doctrinam legis. Et hæc oportet ὀρθοτομεῖν, ut ait Paulus. Videndum eſt, quid promiſſionibus ſcriptura tribuat. Sic enim laudat opera, ut non tollat gratuitam promiſſionem.

Sunt enim facienda opera, propter mandatum Dei, item ad exercendam fidem, item propter confeſſionem & gratiarum actionem. Propter has cauſas neceſſario debent bona opera fieri, quæ quanquam fiunt in carne nondum prorſus renovata, quæ retardat motus Spiritus Sancti, & aſpergit aliquid de ſua immunditie: tamen propter fidem ſunt opera ſancta, divina ſacrificia, & politia Chriſti regnum ſuum oſtendentis coram hoc mundo. In his enim ſanctificat corda, & reprimit diabolum, & ut retineat Evangelium inter homines, foris opponit regno diaboli, confeſſionem ſanctorum, & in noſtra imbecillitate declarat potentiam ſuam. Pauli Apoſtoli, Athanaſii, Auguſtini & ſimilium, qui docuerunt Eccleſias, pericula, labores, conciones, ſunt ſancta opera, ſunt vera ſacrificia, Deo accepta, ſunt certamina Chriſti, per quæ repreſſit Diabolum, & depulit ab his, qui crediderunt. Labores David, in gerendis bellis, & in adminiſtratione domeſtica ſunt opera ſancta, ſunt vera ſacrificia, ſunt certamina DEI, defendentis illum populum, qui habebat verbum DEI, adverſus diabolum, ne penitus extingueretur notitia DEI in terris. Sic ſentimus etiam de ſingulis bonis operibus in infimis vocationibus, & in privatis. Per hæc opera triumphat CHRISTUS adverſus diabolum, ut quod Corinthii conferebant Eleemoſynam, ſanctum opus 1. Cor. 16.

opus erat, & ſacrificium & certamen Chriſti adverſus diabolum, qui laborat, ne quid fiat ad laudem Dei. Talia opera vituperare, confeſſionem doctrinæ, afflictiones, officia caritatis, mortificationes carnis, profecto eſſet vituperare externam regni Chriſti inter homines politiam. At hic addimus etiam de præmiis, & de merito. Docemus operibus fidelium propoſita, & promiſſa eſſe præmia. Docemus bona opera meritoria eſſe, non remiſſionis peccatorum, gratiæ, aut juſtificationis, (Hæc enim tantùm fide conſequimur) ſed aliorum præmiorum corporalium & ſpiritualium, in hac vita, & poſt hanc vitam, quia Paulus inquit? Unusquisque recipiet mercedem juxta ſuum laborem. Erunt igitur diſſimilia præmia, propter diſſimiles labores. At remiſſio peccatorum ſimilis & æqualis eſt omnium, ſicut unus eſt CHRISTUS, & offertur gratis omnibus, qui credunt ſibi propter Chriſtum remitti peccata. Accipitur igitur tantùm fide remiſſio peccatorum, & juſtificatio, non propter ulla opera, Sicut conſtat in terroribus conſcientiæ, quod non poſſunt iræ Dei opponi ulla noſtra opera, ſicut Paulus clarè dicit: Fide juſtificati pacem habemus erga Deum, per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, per quem & acceſſum habemus fide, &c. Fides autem quia filios DEI facit, facit & cohæredes Chriſti. Itaque quia juſtificationem non meremur operibus noſtris, qua efficimur filii Dei, & cohæredes Chriſti, non meremur vitam æternam operibus noſtris. Fides enim conſequitur, quia fides juſtificat nos, & habet placatum Deum. Debetur autem juſtificatis juxta illud: Quos juſtificavit, eosdem & glorificavit. Paulus commendat nobis præceptum de honorandis parentibus mentione præmii, quod additur illi præcepto, ubi non vult, quod obedientia erga parentes juſtificet nos coram Deo, Sed poſtquam fit in juſtificatis, meremur alia magna præmia. DEUS tamen variè exercet

Rom. 5, 1.

Rom. 8, 30.
Eph. 6, 2. 3.

ſan-

sanctos, & sæpe differt prǽmia justitiæ operum, ut discant non confidere sua justitia, ut discant quærere voluntatem Dei magis, quam præmia. Sicut apparet in Job, in Christo & aliis sanctis. Et de hac re docent nos multi Psalmi, qui consolantur nos adversus felicitatem impiorum, ut Psal. 37. Noli æmulari. Et Christus ait: *Psal. 37, 1.* Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, *Matth. 5, 10.* quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

His præconiis bonorum operum moventur haud dubie fideles ad benè operandum. Interim etiam prædicatur doctrina pœnitentiæ adversus impios, qui malè operantur, ostenditur ira DEI, quam minatus est omnibus, qui non agunt pœnitentiam. Laudamus igitur & requirimus bona opera, & multas ostendimus causas, quare fieri debeant. Sic de operibus docet & Paulus, cum inquit: Abraham accepisse circumcisionem, non ut per illud opus justificaretur. Jam enim fide consecutus erat, ut justus reputaretur. Sed accessit circumcisio, ut haberet in corpore scriptum signum, quo commonefactus exerceret fidem, quo etiam confiteretur fidem coram aliis, & alios ad credendum suo testimonio invitaret. Abel fide gratiorem hostiam *Rom. 4. v. 9. 10.* obtulit, quia igitur fide justus erat, ideo placuit sacrificium, quod faciebat, non ut per id opus mereretur remissionem peccatorum, & gratiam, sed ut fidem suam exerceret, & ostenderet aliis ad invitandos eos ad credendum. *Hebr. 11, 4.*

Cùm hoc modo bona opera sequi fidem debeant, longè aliter utuntur operibus homines, qui non possunt credere, ac statuere in corde, sibi gratis ignosci propter Christum, sed habere Deum propitium gratis propter Christum. Hi cùm vident opera sanctorum, humano more judicant, sanctos promeruisse remissionem peccatorum & gratiam per hæc opera. Ideo imitantur ea, & sentiunt se per opera similia mereri remissionem

Bayerische Staatsbibliothek München

Digitized by Google

peccatorum & gratiam, ſentiunt ſe per illa opera placare iram Dei, & conſequi, ut propter illa opera juſti reputentur. Hanc impiam opinionem in operibus damnamus. Primum, quia obſcurat gloriam Chriſti, cùm homines proponunt Deo hæc opera tanquam pretium & propitiationem. Hic honos debitus unī Chriſto tribuitur noſtris operibus. Secundo, neque tamen inveniunt conſcientiæ pacem in his operibus, ſed alia ſuper alia in veris terroribus cumulantes tandem deſperant, quia nullum opus ſatis mundum inveniunt. Semper accuſat lex, & parit iram. Tertio, tales nunquam aſſequuntur notitiam Dei, quia enim irati fugiunt Deum judicantem & affligentem, nunquam ſentiunt ſe exaudiri. At fides oſtendit præſentiam Dei, poſtquam conſtituit, quod DEUS gratis ignoſcat & exaudiat. Semper autem in Mundo hæſit impia opinio de operibus. Gentes habebant ſacrificia, ſumta à patribus. Horum opera imitabantur, fidem non tenebant; ſed ſentiebant opera illa propitiationem & pretium eſſe, propter quod Deus reconciliaretur ipſis. Populus in lege imitabatur ſacrificia hac opinione, quod propter illa opera haberent placatum Deum, ut ita loquamur, ex opere operato. Hîc videmus, quam vehementer objurgent populum Pro-
Pſal. 50, 8. phetæ. Pſal. 50. Non in ſacrificiis arguam te. Et Jerem.
Jerem. 7, 22. Non præcepi de holocauſtomatis. Tales loci damnant non opera, quæ certè Deus præceperat, ut externa exercitia in hac politia, ſed damnant impiam perſvaſionem, quod ſentiebant ſe per illa opera placare iram Dei, & fidem abjiciebant. Et quia nulla opera reddunt pacatam conſcientiam, ideo ſubinde nova opera excogitantur præter mandata Dei. Populus Iſrael viderat Prophetas in excelſis ſacrificaſſe. Porro ſanctorum exempla maximè movent animos, ſperantes ſe ſimilibus operibus perinde gratiam conſecuturos eſſe, ut illi conſecuti ſunt. Quare hoc opus mirabili

ſtudio

ſtudio cœpit imitari populus, ut per id opus mereretur remiſſionem peccatorum, gratiam & juſtitiam. At Prophetæ ſacrificaverant in excelſis, non ut per illa opera mererentur remiſſionem peccatorum & gratiam, ſed quia in illis locis docebant; ideo ibi teſtimonium fidei ſuæ proponebant. Populus audierat, Abraham immolaſſe filium ſuum. Quare & ipſi, ut aſperrimo ac difficillimo opere placarent iram Dei, mactaverunt filios. At Abraham non hac opinione immolabat filium, ut id opus eſſet pretium & propitiatio, propter quam juſtus reputaretur. Sic in Eccleſia inſtituta eſt Cœna Domini, ut recordatione promiſſionum Chriſti, quare in hoc ſigno admonemur, confirmetur in nobis fides & foris confiteamur fidem noſtram, & prædicemus beneficia Chriſti, ſicut Paulus ait: Quoties feceritis, mortem Domini annunciabitis, &c. Verum adverſarii noſtri contendunt miſſam eſſe opus, quod ex opere operato juſtificat, & tollit reatum culpæ & pœnæ in his, pro quibus fit. Sic enim ſcribit Gabriel: Antonius, Bernhardus, Dominicus, Franciſcus, & alii ſancti Patres elegerunt certum vitæ genus, vel propter ſtudium, vel propter alia utilia exercitia. Interim ſentiebant ſe fide propter Chriſtum juſtos reputari, & habere propitium Deum, non propter illa propria exercitia, ſed multitudo deinceps imitata eſt, non fidem Patrum, ſed exempla ſine fide, ut per illa opera mererentur remiſſionem peccatorum, gratiam & juſtitiam, non ſenſerunt ſe hæc gratis accipere propter propitiatorem Chriſtum. Sic de omnibus operibus judicat mundus, quod ſint propitiatio, qua placatur DEVS, quod ſint pretia, propter quæ reputamur juſti. Non ſentit Chriſtum eſſe propitiatorem, non ſentit, quod fide gratis conſequamur, ut juſti reputemur propter Chriſtum. Et tamen cum opera non poſſint reddere pacatam conſcientiam, eliguntur ſubinde alia, fiunt novi cultus, nova vota, novi

1. Cor. 11, 26.

monachatus propter mandatum Dei, ut aliquod magnum opus quæratur, quod possit opponi iræ & judicio DEI.

Has impias opiniones de operibus adversarii tuentur contra scripturam. At hæc tribuere operibus nostris, quod sint propitiatio, quod mereantur remissionem peccatorum, & gratiam, quod propter ea justi coram Deo reputemur, non fide propter Christum propitiatorem, quid hoc aliud est, quam Christo detrahere honorem mediatoris, & propitiatoris? Nos igitur etsi sentimus ac docemus, bona opera necessario facienda esse; Debet enim sequi fidem inchoata legis impletio, tamen Christo suum honorem reddimus. Sentimus ac docemus, quod fide propter Christum coram Deo justi reputemur, quod non reputemur justi propter opera, sine mediatore Christo, quod non mereamur remissionem peccatorum, gratiam & justitiam per opera, quod opera nostra non possimus opponere iræ & judicio Dei, quod opera non possint terrores peccati vincere: Sed quod sola fide vincantur terrores peccati, quod tantùm mediator Christus per fidem opponendus sit iræ & judicio Dei. Si quis secus sentit, non reddit Christo debitum honorem, qui propositus est, ut sit propitiator, ut per ipsum habeamus accessum ad Patrem. Loquimur autem nunc de justitia, per quam agimus cum Deo, non cum hominibus, sed qua apprehendimus gratiam, & pacem conscientiæ. Non potest autem conscientia pacata reddi coram DEO, nisi sola fide, quæ statuit nobis DEUM placatum esse propter Christum. Juxta illud: Justificati ex fide, pacem habemus, quia justificatio tantum est res gratis promissa propter Christum, quare sola fide semper coram Deo accipitur.

Rom. 5, 1.

Nunc igitur respondebimus ad illos locos, quos citant adversarii, ut probent, nos dilectione & operibus justificari. Ex Corinthiis citant: Si omnem fidem habeam,

1. Cor. 13, v. 2.

beam, &c. caritatem autem non habeam, nihil ſum. Et hic magnificè triumphant. Totam Eccleſiam, ajunt, certificat Paulus, quod non juſtificet ſola fides. Facilis autem reſponſio eſt, poſtquam oſtendimus ſupra, quid de dilectione & operibus ſentiamus. Hic locus Pauli requirit dilectionem. Hanc requirimus & nos. Diximus enim ſupra, oportere exiſtere in nobis renovationem, & inchoatam legis impletionem, juxta illud: Dabo legem meam in corda eorum. Si quis dilectionem abjecerit, etiamſi habet magnam fidem, tamen non retinet eam. Non enim retinet Spiritum ſanctum. Neque vero hoc loco tradit Paulus modum juſtificationis, ſed ſcribit his, qui cum fuiſſent juſtificati, cohortandi erant, ut bonos fructus ferrent, ne amitterent Spiritum Sanctum. Ac præpoſterè faciunt adverſarii, hunc unum locum citant, in quo Paulus docet de fructibus, alios locos plurimos omittunt, in quibus ordine diſputat de modo juſtificationis. Ad hoc, in aliis locis, qui de fide loquuntur, ſemper adſcribunt correctionem, quod debeant intelligi de fide formata. Hic nullam adſcribunt correctionem, quod fide etiam opus ſit, ſentiente quod reputemur juſti propter Chriſtum propitiatorem. Ita adverſarii excludunt Chriſtum à juſtificatione, & tantum docent juſtitiam legis. Sed redeamus ad Paulum. Nihil quiſquam ex hoc textu ampliùs ratiocinari poteſt, quàm quod dilectio ſit neceſſaria. Id fatemur. Sicut neceſſarium eſt, non furari. Neque vero rectè ratiocinabitur, ſi quis inde velit hoc efficere: Non furari neceſſarium eſt, igitur non furari juſtificat, quia juſtificatio non eſt certi operis approbatio, ſed totiùs perſonæ. Nihil igitur lædit nos hic Pauli locus. Tantum ne affingant adverſarii, quidquid ipſis libet. Non enim dicit, quod juſtificet dilectio, ſed quod nihil ſim, id eſt, quod fides extinguatur, quamlibet magna contigerit. Non dicit, quod dilectio vincat terrores peccati & *Jerem. 31, 33.*

mortis, quod dilectionem noſtram opponere poſſimus iræ ac judicio Dei, quod dilectio noſtra ſatisfaciat legi Dei, quod ſine propitiatore Chriſto habeamus acceſſum ad Deum noſtra dilectione, quod dilectione noſtra accipiamus promiſſam remiſſionem peccatorum. Nihil horum dicit Paulus. Non igitur ſentit, quod dilectio juſtificet, quia tantum ita juſtificamur, cum apprehendimus propitiatorem Chriſtum, & credimus nobis Deum propter Chriſtum placatum eſſe. Nec eſt juſtificatio ſomnianda, omiſſo propitiatore Chriſto. Tollant adverſarii promiſſionem de Chriſto; aboleant Evangelium, ſi nihil opus eſt Chriſto, ſi noſtra dilectione poſſumus vincere mortem, ſi noſtra dilectione, ſine propitiatore Chriſto acceſſum habemus ad Deum. Adverſarii corrumpunt pleraque loca, quia ſuas opiniones ad ea afferunt, non ſumunt ex ipſis locis ſententiam. Quid enim habet hic locus incommodi, ſi detraxerimus interpretationem, quam adverſarii de ſuo aſſuunt, non intelligentes, quid ſit juſtificatio, aut quomodo fiat? Corinthii antea juſtificati multa acceperant excellentia dona. Fervebant initia, ut fit. Deinde cœperunt inter eos exiſtere ſimultates, ut ſignificat Paulus, cœperunt faſtidire bonos doctores. Ideo objurgat eos Paulus, revocans ad officia dilectionis, quæ etiamſi ſunt neceſſaria, tamen ſtultum fuerit ſomniare, quod opera ſecundæ tabulæ coram Deo juſtificent, per quam agimus cum hominibus, non agimus propriè cum Deo. At in juſtificatione agendum eſt cum Deo, placanda eſt ira ejus, conſcientia erga Deum pacificanda eſt. Nihil horum fit per opera ſecundæ tabulæ.

Sed objiciunt præferri dilectionem fidei & ſpei. Paulus enim ait: Major horum caritas. Porrò conſentaneum
1. Cor. 13. 13. eſt maximam & præcipuam virtutem juſtificare. Quanquam hoc loco Paulus proprie loquitur de dilectione proximi, & ſignificat dilectionem maximam eſſe, quia pluri-

plurimos fructus habet, fides & ſpes tantum agunt cum Deo, at dilectio foris erga homines infinita habet officia, tamen largiamur ſane adverſariis, dilectionem Dei & proximi, maximam virtutem eſſe, quia hoc ſummum præceptum eſt : Diliges Dominum Deum. Verum quomodo inde ratiocinabuntur, quod dilectio juſtificet? Maxima virtus, inquiunt, juſtificat. Imo ſicut lex etiam maxima ſeu prima non juſtificat, ita nec maxima virtus legis. Sed illa virtus juſtificat, quæ apprehendit Chriſtum, quæ communicat nobis Chriſti merita, qua accipimus gratiam & pacem à Deo. Hæc autem virtus, fides eſt; Nam ut ſæpe dictum eſt, fides non tantum notitia eſt, ſed multo magis velle accipere, ſeu apprehendere ea, quæ in promiſſione de Chriſto offeruntur. Eſt autem & hæc obedientia erga Deum, velle accipere oblatam promiſſionem non minus λατρείαν, quam dilectio, vult ſibi credi Deus, vult nos ab ipſo bona accipere, & id pronunciat eſſe verum cultum. *Matth. 22, 37.*

Cæterum adverſarii tribuunt dilectioni juſtificationem, quia ubique legis juſtitiam docent, & requirunt. Non enim poſſumus negare, quin dilectio ſit ſummum opus legis. Et humana ſapientia legem intuetur, & quærit in ea juſtitiam. Ideo & ſcholaſtici doctores, magni & ingenioſi homines, ſummum opus legis prædicant, huic operi tribuunt juſtificationem. Sed decepti humana ſapientia, non viderunt faciem Moyſi retectam, ſed velatam, ſicut Phariſæi, Philoſophi, Mahometiſtæ. Verum nos ſtultitiam Evangelii prædicamus, in quo alia juſtitia revelata eſt, videlicet, quod propter Chriſtum propitiatorem juſti reputemur, cum credimus nobis Deum propter Chriſtum placatum eſſe. Nec ignoramus, quantum hæc doctrina abhorreat à judicio rationis ac legis, nec ignoramus multo ſpecioſiorem eſſe doctrinam legis dilectione; eſt enim ſapientia. Sed non pudet nos ſtultitiæ Evangelii. Id propter

gloriam Christi defendimus & rogamus Christum, ut Spiritu Sancto suo adjuvet nos, ut id illustrare ac patefacere possimus.

Adversarii in confutatione & hunc locum contra nos citaverunt, ex Colos. 3. v. 14. Caritas est vinculum perfectionis. Hic ratiocinantur, quod dilectio justificet, quia perfectos efficit. Quanquam hic multis modis de perfectione responderi posset, tamen nos simpliciter sententiam Pauli recitabimus. Certum est, Paulum de dilectione proximi loqui. Neque vero existimandum est, quod Paulus aut justificationem, aut perfectionem coram Deo, tribuerit operibus secundæ tabulæ potius, quàm primæ. Et si dilectio efficit perfectos, nihil igitur opus erit propitiatore CHRISTO, nam fides tantùm apprehendit propitiatorem Christum. Hoc autem longissime abest à sententia Pauli ; qui nunquam patitur excludi propitiatorem Christum. Loquitur igitur non de personali perfectione, sed de integritate communi Ecclesiæ. Ideo enim ait, dilectionem esse vinculum, seu colligationem, ut significet se loqui de colligandis & copulandis pluribus membris Ecclesiæ inter se. Sicut enim in omnibus familiis, in omnibus rebuspublicis, concordia mutuis officiis alenda est, nec retineri tranquillitas potest, nisi quædam errata inter se dissimulent homines & condonent: Ita jubet Paulus in Ecclesia dilectionem existere, quæ retineat concordiam, quæ toleret, sicubi opus est, asperiores mores fratrum, quæ dissimulet quædam levia errata, ne dissiliat Ecclesia in varia schismata, & ex schismatis oriantur odia, factiones & hæreses. Necesse est enim dissilire concordiam, quando aut Episcopi imponunt populo duriora onera, nec habent rationem imbecillitatis in populo. Et oriuntur dissidia, quando populus nimis acerbe judicat de moribus doctorum, aut fastidit doctores propter quædam levia incommoda, quæruntur enim deinde & aliud

Col. 3, 14.

doctri-

doctrinæ genus, & alii doctores. Econtra perfectio, id est, integritas Ecclesiæ conservatur, quando firmi tolerant infirmos, quando populus boni consulit quædam incommoda in moribus doctorum, quando Episcopi quædam condonant imbecillitati populi. De his præceptis æquitatis pleni sunt libri omnium sapientum, ut in hac vitæ consuetudine multa condonemus inter nos, propter communem tranquillitatem. Et de ea cum hic, tum alias sæpe præcipit Paulus. Quare adversarii imprudenter ratiocinantur ex nomine perfectionis, quod dilectio justificet, cum Paulus de integritete & tranquillitate communi loquatur. Et sic interpretatur hunc locum Ambrosius. Sicut ædificium dicitur perfectum seu integrum, cùm omnes partes aptè inter se coagmentatæ sunt. Turpe est autem adversariis tantopere prædicare dilectionem, cum nusquam præstent eam. Quid nunc agunt? dissipant Ecclesias, scribunt leges sanguine, & has proponunt Cæsari, clementissimo principi, promulgandas, trucidant sacerdotes, & alios bonos viros, si quis leviter significavit se aliquem manifestum abusum non omnino probare. Hæc non conveniunt ad ista præconia dilectionis, quæ si sequerentur adversarii, Ecclesiæ tranquillæ essent, & respublica pacata. Nam hi tumultus consilescerent, si adversarii non nimis acerbè exigerent quasdam traditiones inutiles ad pietatem, quarum pleraque ne ipsi quidem observant, qui vehementissime defendunt eas. Sed sibi facilè ignoscunt, aliis non item, ut ille apud Poetam: Egomet mî ignosco, Mevius inquit. Id autem alienissimum est ab his encomiis dilectionis, quæ hic ex Paulò recitant, nec magis intelligunt, quam parietes intelligunt vocem, quam reddunt.

Ex Petro citant & hanc sententiam: Universa delicta operit caritas. Constat & Petrum loqui de dilectione erga proximum, quia hunc locum accommodat ad *1. Petr. 4, 8.*

præceptum, quo jubet, ut diligant ſe mutuo. Neque verò ulli Apoſtolo in mentem venire potuit, quod dilectio noſtra vincat peccatum & mortem, quod dilectio ſit propitiatio, propter quam Deus reconcilietur omiſſo mediatore Chriſto, quod dilectio ſit juſtitia, ſine mediatore Chriſto. Hæc enim dilectio, ſi qua eſſet, eſſet juſtitia legis, non Evangelii, quod promittit nobis reconciliationem, & juſtitiam, ſi credamus, quod propter Chriſtum propitiatorem pater placatus ſit, quod donentur nobis merita Chriſti. Ideo Petrus paulo ante jubet, ut accedamus ad Chriſtum, ut ædificemur ſuper Chriſtum. Et addit: Qui crediderit in eum, non confundetur. Dilectio noſtra non liberat nos à confuſione, cum Deus judicat & arguit nos, ſed fides in Chriſtum liberat in his pavoribus, quia ſcimus, propter Chriſtum nobis ignoſci. Cæterum hæc ſententia de dilectione, ſumta eſt ex proverbiis, ubi antitheſis clare oſtendit, quomodo intelligi debeat: Odium ſuſcitat rixas, & univerſa delicta tegit dilectio.

Proverb. 10, 12.

Idem prorſus docet, quod illa Pauli ſententia ex Coloſſenſibus ſumta, ut, ſi quæ diſſenſiones inciderint, mitigentur & componantur æquitate, & commoditate noſtra. Diſſenſiones, inquit, creſcunt odiis, ut ſæpe videmus ex leviſſimis offenſionibus maximas fieri tragœdias. Inciderant quædam inter C. Cæſarem & Pompejum leves offenſiones, in quibus ſi alter alteri paululum ceſſiſſet, non extitiſſet bellum civile, ſed dum uterq; morē gerit odio ſuo, ex re nihili, maximi motus orti ſunt. Et multæ in Eccleſia hæreſes ortæ ſunt, tantum odio doctorum. Itaq; non de propriis delictis, ſed de alienis loquitur, cum ait: Dilectio tegit delicta, videlicet aliena & quidem inter homines, id eſt, etiamſi quæ offenſiones incidunt, tamen dilectio diſſimulat, ignoſcit, cedit, non agit omnia ſummo jure. Petrus igitur non hoc vult, quod dilectio coram Deo mereatur remiſſionem peccatorum,

catorum, quod ſit propitiatio excluſo mediatore Chriſto; quod regeneret, ac juſtificet, ſed quod erga homines non ſit moroſa, non aſpera, non intractabilis, quod quædam errata amicorum diſſimulet, quod mores aliorum etiam aſperiores boni conſulat, ſicut vulgaris quædam ſententia præcipit: Mores amici noveris, non oderis. Neque temere de hoc officio dilectionis toties præcipiunt Apoſtoli, quod Philoſophi vocant ἀνεξικακίαν. Neceſſaria eſt enim hæc virtus ad publicam concordiam retinendam, quæ non poteſt durare, niſi multi diſſimulent, multa condonent inter ſe paſtores, & Eccleſiæ.

Ex Jacobo citant: Videtis igitur, quod ex operibus *Jac. 2. 24.* juſtificatur homo, & non ex fide ſola. Neque alius locus ullus magis putatur officere noſtræ ſententiæ, ſed eſt facilis & plana reſponſio. Si non aſſuant adverſarii ſuas opiniones de meritis operum, Jacobi verba nihil habent incommodi. Sed ubicunque fit mentio operum, adverſarii affingunt ſuas impias opiniones, quod per bona opera mereamur remiſſionem peccatorum, quod bona opera ſint propitiatio ad pretium, propter quod Deus nobis reconcilietur, quod bona opera vincant terrores peccati & mortis, quod bona opera coram Deo propter ſuam bonitatem ſint accepta, nec egeant miſericordia & propitiatore Chriſto. Horum nihil venit in mentem Jacobo, quæ tamen omnia nunc defendunt adverſarii prætextu ſententiæ Jacobi.

Primùm igitur hoc expendendum eſt, quod hic locus magis contra adverſarios facit, quam contra nos. Adverſarii enim docent hominem juſtificari dilectione & operibus. De fide, qua apprehendimus propitiatorem Chriſtum, nihil dicunt. Imo hanc fidem improbant, neque improbant tantum ſententiis aut ſcriptis, ſed etiam ferro & ſuppliciis conantur in Eccleſia delere. Quanto melius docet Jacobus, qui fidem non omittit, non ſub-

subjicit pro fide dilectionem, sed retinet fidem, ne propitiator Christus excludatur in justificatione, sicut & Paulus, cum summam tradit vitæ Christianæ, comple-
1. Tim. 1, 5. ctitur fidem & dilectionem, 1. Tim. 1. Finis mandati caritas est de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta.

Secundo, res ipsa loquitur, hic de operibus dici, quæ fidem sequuntur, & ostendunt fidem non esse mortuam, sed vivam & efficacem in corde. Non igitur sensit Jacobus, nos per bona opera mereri remissionem peccatorum, & gratiam. Loquitur enim de operibus justificatorum, qui jam sunt reconciliati, accepti & consecuti remissionem peccatorum. Quare errant adversarii, cum hinc ratiocinantur, quod Jacobus doceat nos per bona opera mereri remissionem peccatorum & gratiam, quod per opera nostra habeamus accessum ad Deum, sine propitiatore Christo.

Jac. 1, 18. Tertio, Jacobus paulo ante dixit de regeneratione, quod fiat per Evangelium, sic enim ait: Volens genuit nos verbo veritatis, ut nos essemus primitiæ creaturarum ejus. Cum dicit nos Evangelio renatos esse, docet, quod fide renati ac justificati simus. Nam promissio de Christo tantum fide apprehenditur, cum opponimus eam terroribus peccati & mortis. Non igitur sentit Jacobus, nos per opera nostra renasci.

Ex his liquet, non adversari nobis Jacobum, qui cùm otiosas & securas mentes, quæ somniabant se habere fidem, cum non haberent, vituperaret, distinxit inter mortuam fidem, ac vivam fidem. Mortuam ait esse, quæ non parit bona opera. Vivam ait esse, quæ parit bona opera. Porro nos sæpe jam ostendimus, quid appellemus fidem; Non enim loquimur de otiosa notitia, qualis est etiam in diabolis, sed de fide, quæ resistit terroribus conscientiæ, quæ erigit & consolatur perterrefacta corda. Talis fides neque facilis res est, ut somniant adversarii, neque humana potentia, sed divina potentia,

qua

qua vivificamur, qua diabolum & mortem vincimus, sicut Paulus ad Coloss. ait, quod fides sit efficax per potentiam Dei, & vincat mortem. In quo resuscitati estis per fidem potentiæ DEI. Hæc fides, cum sit nova vita, necessario parit novos motus & opera, ideo Jacobus rectè negat, nos tali fide justificari, quæ est sine operibus. Quod autem dicit nos justificari fide & operibus, certè non dicit nos per opera renasci, neque hoc dicit, quod partim Christus sit propitiator, partim opera nostra sint propitiatio. Nec describit hic modum justificationis, sed describit, quales sint justi, postquam jam sunt justificati & renati. Et justificari significat hic non ex impio justum effici, sed usu forensi justum pronunciari. Sicut hîc, Factores legis justificabuntur. Sicut igitur hæc verba nihil habent incommodi, Factores legis justificabuntur: Ita de Jacobi verbis sentimus, justificatur homo, non solum ex fide, sed etiam ex operibus. Quia certè justi pronunciantur homines habentes fidem, & bonâ opera. Nam bona opera in sanctis, ut diximus, sunt justitiæ, & placent propter fidem. Nam hæc tantùm opera prædicat Jacobus, quæ fides efficit, sicut testatur, cum de Abraham dicit: Fides adjuvat opera ejus. In hanc sententiam dicitur: Factores legis justificantur, hoc est, justi pronunciantur, qui corde credunt DEO, deinde habent bonos fructus, qui placent propter fidem, ideoque sunt impletio legis. Hæc simpliciter ita dicta nihil habent vitii; sed depravantur ab adversariis, qui de suo affingunt impias opiniones. Non enim sequitur hinc, opera mereri remissionem peccatorum, opera regenerare corda, opera esse propitiationem, opera placere sine propitiatore Christo, opera non indigere propitiatore Christo. Horum nihil dicit Jacobus, quæ tamen impudenter ratiocinantur adversarii ex Jacobi verbis.

Col. 2, 18.

Rom. 2, 13.

Jac. 2, 21.

Citantur adversus nos & aliæ quædam sententiæ de

Luc. 6, 38. de operibus. Luc. 6. Remittite & remittetur vobis.
Esa. 58, 7. Esa. 58. Frange esurienti panem tuum, tunc invocabis,
Dan. 4, 24. & Dominus exaudiet. Dan. 4. Peccata tua eleemo-
Matth. 5, 3. 7. synis redime. Matth. 5. Beati pauperes spiritu, quia talium est regnum cœlorum. Item, beati misericordes, quia misericordiam consequentur. Hæ sententiæ etiam nihil haberent incommodi, si nihil affingerent adversarii. Duo enim continent, alterum est prædicatio seu legis, seu pœnitentiæ, quæ & arguit malefacientes, & jubet benefacere, alterum est promissio, quæ additur. Neque vero adscriptum est, peccata remitti sine fide, aut ipsa opera propitiationem esse. Semper autem in prædicatione legis, hæc duo oportet intelligi, & quod lex non possit fieri, nisi fide in Christum renati simus. Joh. 15, 5. Sicut ait Christus: Sine me nihil potestis facere. Et ut maximè fieri possint quædam externa opera, retinenda est hæc universalis sententia, quæ totam legem interpretatur: Hebr. 11, 6. Sine fide impossibile est placere Deo. Retinendum est Evangelium, quod per Christum habeamus accessum ad Patrem.

Constat enim, quod non justificamur ex lege, alioqui quorsum opus esset Christo, aut Evangelio, si sola prædicatio legis sufficeret? Sic in prædicatione pœnitentiæ, non sufficit prædicatio legis seu verbum arguens peccata, quia lex iram operatur, tantùm accusat, tantum terret conscientias, quia conscientiæ nunquam acquiescunt, nisi audiant vocem DEI, in qua clare promittitur remissio peccatorum. Ideo necesse est addi Evangelium, quod propter Christum peccata remittantur, & quod fide in Christum consequamur remissionem peccatorum. Si excludunt adversarii à prædicatione pœnitentiæ Evangelium de Christo, merito sunt judicandi blasphemi adversus Esa. 1, 17. 18. Christum. Itaque cum Esaias primo cap. prædicat pœnitentiam: Quiescite agere perversè, discite benefacere, quærite judicium, subvenite oppresso, judicate

cate pupillo, defendite viduam, & venite, & expoſtulate mecum. Si fuerint peccata veſtra ut Coccinum, quaſi nix dealbabuntur. Sic & hortatur ad pœnitentiã Propheta, & addit promiſſionem. Et ſtultum fuerit in tali ſententia tantùm hæc opera conſiderare, ſubvenire oppreſſo, judicare pupillo; Initio enim ait: deſinite agere perverſe, ubi taxat impietatem cordis, & requirit fidem, nec dicit Propheta, quod per opera illa, ſubvenire oppreſſo, judicare pupillo, mereri poſſint remiſſionem peccatorum ex opere operato, ſed præcipit hæc opera, ut neceſſaria in nova vita. Interim tamen remiſſionem peccatorum fide accipi vult, ideoque additur promiſſio. Sic ſentiendum eſt de omnibus ſimilibus locis. Chriſtus prædicat pœnitentiam, cùm ait: Remittite, & addit promiſſionem. Remittetur vobis. *Luc. 6, 38.* Neque vero hoc dicit, quod illo noſtro opere, cùm remittimus, mereamur remiſſionem peccatorum, ex opere operato, ut vocant, ſed requirit novam vitam, quæ certè neceſſaria eſt, interim tamen vult fide accipi remiſſionem peccatorum. Sic cum ait *Eſa. 58, 1.* Eſaias: Frange eſurienti panem, novam vitam requirit; nec Propheta de illo uno opere loquitur, ſed de tota pœnitentia, ut indicat textus. Interim tamen vult remiſſionem peccatorum fide accipi. Certa eſt enim ſententia, quam nullæ portæ inferorum evertere poterunt, quod in prædicatione pœnitentiæ, non ſufficiat prædicatio legis, quia lex iram operatur, & ſemper accuſat. Sed oportet addi prædicationem Evãngelii, quod ita donetur nobis remiſſio peccatorum, ſi credamus nobis remitti peccata propter Chriſtum. Alioqui quorſum opus erat Evangelio, quorſum opus erat Chriſto? Hæc ſententia ſemper in conſpectu eſſe debet, ut opponi poſſit his, qui abjecto Chriſto, deleto Evangelio male detorquent ſcripturas ad humanas opiniones, quod remiſſionem peccatorum emamus noſtris operibus. Sic & in concione Danielis, fides requirenda eſt. *Dan. 4, 24.*

Non

Non enim volebat Daniel Regem tantùm eleemosynam largiri, sed totam pœnitentiam complectitur, cùm ait: Redime peccata tua eleemosynis, id est, redime peccata tua, mutatione cordis & operum. Hic autem & fides requiritur. Et Daniel de cultu unius Dei Israel multa ei concionatur, & regem convertit, non solùm ad eleemosynas largiendas, sed multo magis ad fidem. Extat enim egregia confessio Regis, de Deo Israel: Non est alius Deus, qui possit ita salvare. Itaque duæ sunt partes in concione Danielis, Altera pars est, quæ præcipit de nova vita & operibus novæ vitæ, Altera pars est, quòd Daniel promittit Regi remissionem peccatorum. Et hæc promissio remissionis peccatorum non est prædicatio legis, sed verè Prophetica & Evangelica vox, quàm certe voluit Daniel fide accipi. Norat enim Daniel, promissam esse remissionē peccatorum in Christo, non solum Israelitis, sed etiam omnibus gentibus. Alioqui non potuisset Regi polliceri remissionem peccatorum. Non est enim hominis, præsertim in terroribus peccati, sine certo verbo Dei, statuere de voluntate Dei, quod irasci desinat. *Dan. 4, 24.* Ac verba Danielis in sua lingua clarius de tota pœnitentia loquuntur, & clarius promissionem efferunt: Peccata tua per justitiam redime, & iniquitates tuas beneficiis erga pauperes. Hæc verba præcipiunt de tota pœnitentia. Jubent enim, ut fiat justus, deinde ut bene operetur, ut, quod Regis officium erat, miseros adversus injuriam defendat. Justitia autem est fides in corde. Redimuntur autem peccata per pœnitentiam, id est, obligatio seu reatus tollitur, quia Deus ignoscit agentibus pœnitentiam, sicut Ezech. 18. scriptum est. *Ezech. 18, 21.* Neque hinc ratiocinandum est, quod ignoscat propter opera sequentia, proprer eleemosynas, sed ignoscit propter suam promissionem, his, qui apprehendunt promissionem; Nec apprehendunt, nisi qui verè credunt, & fide peccatum vincunt, & mortem. Hi renati dignos fructus pœnitentiæ pare-

parere debent, ſicut Johannes ait. Eſt igitur addita promiſſio, ecce erit ſanatio delictorum tuorum. Hieronymus hic præter rem addit dubitativam particulam. Et multo imprudentius in Commentariis contendit, remiſſionem peccatorum incertam eſſe. Sed nos meminerimus, Evangelium certo promittere remiſſionem peccatorum. Et hoc planè fuerit Evangelium tollere, negare, quod certo debeat promitti remiſſio peccatorum. Dimittamus igitur hoc in loco Hieronymum, quanquam & in verbo redimendi promiſſio oſtenditur. Significatur enim, quod remiſſio peccatorum poſſibilis ſit, quod poſſint redimi peccata, id eſt, tolli obligatio ſeu reatus, ſeu placari ira Dei. Sed adverſarii noſtri, ubique omiſſis promiſſionibus, tantum præcepta intuentur, & affingunt humanam opinionem, quod propter opera contingat remiſſio, cùm hoc textus non dicat, ſed multo magis fidem requirat. Nam ubicunque promiſſio eſt, ibi fides requiritur. Non enim poteſt accipi promiſſio, niſi fide. *Luc. 3, 8.*

Verum opera incurrunt hominibus in oculos. Hæc naturaliter miratur humana ratio, & quia tantum opera cernit, fidem non intelligit, neque conſiderat; ideo ſomniat, hæc opera mereri remiſſionem peccatorum & juſtificare. Hæc opinio legis hæret naturaliter in animis hominum, neque excuti poteſt, niſi cum divinitus docemur. Sed revocanda mens eſt ab hujusmodi carnalibus opinionibus ad verbum Dei. Videmus nobis Evangelium & promiſſionem de Chriſto propoſitam eſſe. Cùm igitur lex prædicatur, cum præcipiuntur opera, non eſt repudianda promiſſio de Chriſto. Sed hæc prius apprehendenda eſt, ut bene operari poſſimus, & ut opera noſtra Deo placere queant, ſicut inquit Chriſtus: Sine me nihil poteſtis facere. Itaque ſi Daniel his verbis uſus eſſet, peccata tua redime per pœnitentiam, præterirent hunc locum adverſarii. Nunc cùm vere hanc *Joh. 15, 31.*

ipsam sententiam verbis aliis, ut videntur, extulit, detorquent verba adversarii contra doctrinam gratiæ & fidei, cum Daniel maxime voluerit complecti fidem. Sic igitur ad verba Danielis respondemus, quod, quia pœnitentiam prædicat, non doceat tantùm de operibus, sed de fide quoque, ut ipsa historia in textu testatur. Secundo, quia Daniel clare ponit promissionem, necessario requirit fidem, quæ credat gratis remitti peccata à Deo. Quanquam igitur in pœnitentia commemorat opera, tamen hoc Daniel non dicit, quod per opera illa mereamur remissionem peccatorum. Loquitur enim Daniel non solum de remissione culpæ, quia remissio pœnæ frustra quæritur, nisi fides apprehenderit prius remissionem culpæ. Cæterum si adversarii tantùm intelligunt Danielem de remissione pœnæ, nihil contra nos faciet hic locus, quia ita necesse erit ipsos fateri, quod remissio peccati & justificatio gratuita præcedat. Postea nos quoque concedimus, pœnas, quibus castigamur, mitigari nostris orationibus, & bonis operibus, denique tota pœnitentia, juxta illud: Si nos judicaremus, non judicaremur à Domino. Et Jeremiæ 15. Si converteris, convertam te. Zachar. 1. Convertimini ad me, & ego convertar ad vos. Et Psal. 49. Invocà me in die tribulationis.

1. Cor. 11, 31.
Jerem. 15, 19.
Zach. 1, 3.
Psal. 50, 15.

Teneamus igitur has regulas in omnibus encomiis operum, in prædicatione legis, quod lex non fiat sine Christo, sicut ipse inquit: Sine me nihil potestis facere. Item, quod sine fide impossibile sit placere Deo; Certissimum est enim, quod doctrina legis non vult tollere Evangelium, non vult tollere propitiatorem Christum. Et maledicti sint Pharisæi adversarii nostri, qui legem ita interpretantur, ut operibus tribuant gloriam Christi, videlicet quod sint propitiatio, quod mereantur remissionem peccatorum. Sequitur igitur semper ita laudari opera, quod placeant propter fidem, quia,

Joh. 15, 5.
Hebr. 11, 6.

opera

opera non placent, ſine propitiatore Chriſto; per hunc habemus acceſſum ad Deum, non per opera, ſine mediatore Chriſto. Ergo cum dicitur: Si vis in vitam ingredi, ſerva mandata, ſentiendum eſt, mandata ſine Chriſto non ſervari, nec placere ſine Chriſto. Sic in ipſo Decalogo, in primo præcepto, faciens miſericordiam in millia his, qui diligunt me & cuſtodiunt præcepta mea, ampliſſima promiſſio legis additur; ſed hæc lex non fit ſine Chriſto. Semper enim accuſat conſcientiam, quæ legi non ſatisfacit, quare territa fugit judicium & pœnam legis. Lex enim operatur iram, tunc autem facit legem, quando audit nobis propter Chriſtum reconciliari Deum, etiamſi legi non poſſumus ſatisfacere. Cum hac fide apprehenditur mediator Chriſtus, cor acquieſcit & incipit diligere Deum, & facere legem, & ſcit jam ſe placere Deo, propter mediatorem Chriſtum, etiamſi illa inchoata legis impletio procul abſit à perfectione, & valde ſit immunda. Sic judicandum eſt & de prædicatione pœnitentiæ. Quanquam enim Scholaſtici nihil omnino de fide in doctrina pœnitentiæ dixerunt, tamen arbitramur, neminem adverſariorum tam eſſe furioſum, ut neget abſolutionem Evangelii vocem eſſe. Porro abſolutio fide accipi debet, ut erigat perterrefactam conſcientiam.

Rom. 5, 1. *Matth. 19, 17.* *Exod. 20, 6.* *Rom. 4, 15.*

Itaque doctrina pœnitentiæ, quia non ſolum nova opera præcipit, ſed etiam promittit remiſſionem peccatorum, neceſſario requirit fidem. Non enim accipitur remiſſio peccatorum, niſi fide. Semper igitur in his locis de pœnitentia intelligere oportet, quod non ſolum opem, ſed etiam fides requiratur, ut hic Matth. 6. Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater veſter cœleſtis delicta veſtra. Hic requiritur opus, & additur promiſſio remiſſionis peccatorum, quæ non contingit propter opus, ſed propter Chriſtum per fidem, Sicut alibi multis locis teſtatur ſcriptura. Actorum 10.

Matth. 6, 14.

Actor. 10, 43. Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus, omnes
1. Joh. 2, 12. qui credunt in eum. Et 1. Joh. 2. Remittuntur vobis
Eph. 1, 7. peccata propter nomen ejus. Epheſ. 1. In quo habemus redemtionem per ſanguinem ejus in remiſſionem peccatorum. Quanquam quid opus eſt recitare teſtimonia? Hæc eſt ipſa vox Evangelii propria, quod propter Chriſtum, non propter noſtra opera, fide conſequamur remiſſionem peccatorum. Hanc Evangelii vocem adverſarii noſtri obruere conantur malè detortis locis, qui continent doctrinam legis aut operum. Verum eſt enim, quod in doctrina pœnitentiæ requiruntur opera, quia certe nova vita requiritur. Sed hic malè aſſuunt adverſarii, quod talibus operibus mereamur remiſſionem peccatorum, aut juſtificationem. Et tamen Chriſtus ſæpè annectit promiſſionem remiſſionis peccatorum bonis operibus, non quod velit bona opera propitiationem eſſe, ſequuntur enim reconciliationem, ſed propter duas cauſas: Altera eſt, quia neceſſario ſequi debent boni fructus. Monet igitur, hypocriſin & fictam pœnitentiam eſſe, ſi non ſequantur boni fructus. Altera cauſa eſt, quia nobis opus eſt habere externa ſigna tantæ promiſſionis, quia conſcientia pavida, multiplici conſolatione opus habet. Ut igitur Baptiſmus & Cœna Domini ſunt ſigna, quæ ſubinde admonent, erigunt & confirmant pavidas mentes, ut credant firmius, remitti peccata: Ita ſcripta & picta eſt eadem promiſſio in bonis operibus, ut hæc opera admoneant nos, ut firmius credamus. Et qui non benefaciunt, non excitant ſe ad credendum, ſed contemnunt promiſſiones illas; ſed pii amplectuntur eas, & gaudent habere ſigna & teſtimonia tantæ promiſſionis. Ideo exercent ſe in illis ſignis & teſtimoniis. Sicut igitur cœna Domini non juſtificat ex opere operato, ſine fide: Ita eleemoſynæ non juſtificant ſine fide, ex opere operato. Sic & Tobiæ

biæ concio cap. 4. v. 11. accipi debet: Eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat. Non dicemus hyperbolen eſſe, quanquam ita accipi debet, ne detrahat de laudibus Chriſti, cujus propria ſunt officia, liberare à peccato & morte; ſed recurrendum eſt ad regulam, quod doctrina legis ſine Chriſto non prodeſt. Placent igitur eleemoſynæ Deo, quæ ſequuntur reconciliationem ſeu juſtificationem, non quæ præcedunt. Itaque liberant à peccato & morte, non ex opere operato, ſed ut de pœnitentia ſupra diximus, quod fidem & fructus complecti debeamus. Ita hîc de eleemoſyna dicendum eſt, quod tota illa novitas vitæ ſalvet. Et eleemoſynæ ſunt exercitia fidei, quæ accipit remiſſionem peccatorum, quæ vincit mortem, dum ſe magis magisque exercet, & in illis exercitiis vires accipit. Concedimus & hoc, quod eleemoſynæ mereantur multa beneficia Dei, mitigent pœnas, quod mereantur, ut defendamur in periculis peccatorum & mortis, ſicut paulo ante de tota pœnitentia diximus. Ac tota concio Tobiæ inſpecta, oſtendit, ante eleemoſynas requiri fidem: Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum. Et poſtea: Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, ut vias tuas dirigat. Hoc autem proprie fidei eſt illius, de qua nos loquimur, quæ ſentit ſe habere Deum placatum, propter ipſius miſericordiam, & vult à Deo juſtificari, ſanctificari & gubernari. Sed adverſarii noſtri, ſvaves homines, excerpunt mutilatas ſententias, ut imperitis fucum faciant, poſtea affingunt aliquid de ſuis opinionibus. Requirendi igitur ſunt integri loci, quia juxta vulgare præceptum, incivile eſt, niſi tota lege perſpecta, una aliqua particula ejus propoſita, judicare vel reſpondere. Et loci integri prolati plerumque ſecum afferunt interpretationem.

Pſal. 41, 11.

Tob. 4, 6. 20.

Citatur mutilatus & hic locus Luc. 11, 41. Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Planè ſurdi

Luc. 11, 41.

ſunt adverſarii; toties jam dicimus, ad prædicationem legis oportere addi Evangelium de Chriſto, propter quem placent bona opera, ſed illi ubique excluſo Chriſto, docent mereri juſtificationem per opera legis. Hic locus integer prolatus, oſtendit fidem requiri. Chriſtus objurgat Phariſæos, ſentientes ſe coram Deo mundari, hoc eſt, juſtificari crebris ablutionibus, ſicuti Papa, neſcio quis, de aqua, ſale conſperſa, inquit, quod populum ſanctificet, ac mundet; & gloſſà ait, quod mundet a venialibus. Tales erant & Phariſæorum opiniones, quas reprehendit Chriſtus & opponit huic fictæ purgationi duplicem mundiciem, alteram internam, alteram externam. Jubet ut intus mundentur, & addit de mundicie externa: Date eleemoſynam, de eo, quod ſupereſt, & ſic omnia erunt vobis munda. Adverſarii non rectè accommodant particulam univerſalem omnia; Chriſtus enim addit hanc concluſionem utrique membro, tunc omnia erunt munda, ſi intus eritis mundi, & foris dederitis eleemoſynam. Significat enim, quod externa mundicies collocanda ſit in operibus à Deo præceptis, non in traditionibus humanis, ut tunc erant illæ ablutiones, & nunc eſt quotidiana illa aſperſio aquæ, veſtitus Monachorum, diſcrimina ciborum, & ſimiles pompæ. Sed adverſarii corrumpunt ſententiam, ſophiſticè translata particula univerſali, ad unam partem: Omnia erunt munda, datis eleemoſynis. Atqui Petrus dixit, fide purificari corda; ſed totus locus inſpectus, ſententiam offert conſentientem cum reliqua ſcriptura, quod ſi corda ſint mundata, & deinde foris accedant eleemoſynæ, hoc eſt, omnia opera caritatis. Ita totos eſſe mundos, hoc eſt, non intus ſolum, ſed foris etiam. Deinde cur non tota illa concio conjungitur? Multæ ſunt partes objurgationis, quarum aliæ de fide, aliæ de operibus præcipiunt. Nec eſt candidi lectoris excerpere præcepta operum, omiſſis locis de fide.

Act. 15, 9.

Poſtre-

Poſtremo, hoc monendi ſunt lectores, quod adverſarii peſſimè conſulunt piis conſcientiis, cum docent per opera mereri remiſſionem peccatorum, quia conſcientia colligens per opera remiſſionem non poteſt ſtatuere, quod opus ſatisfaciat Deo; ideo ſemper angitur, & ſub inde alia opera, alios cultus excogitat, donec prorſus deſperat. Hæc ratio extat apud Paulum Rom. 4. ubi probat, quod promiſſio Juſtitiæ non contingat propter opera noſtra, quia nunquam poſſemus ſtatuere, quod haberemus placatum Deum. Lex enim ſemper accuſat, ita promiſſio irrita eſſet, & incerta. Ideo concludit, quod promiſſio illa remiſſionis peccatorum & juſtitiæ fide accipiatur, non propter opera. Hæc eſt vera & ſimplex & germana ſententia Pauli, in qua maxima conſolatio piis conſcientiis propoſita eſt, & illuſtratur gloria Chriſti, qui certe ad hoc donatus eſt nobis, ut per ipſum habeamus gratiam, juſtitiam, & pacem. *Rom. 4, 5.*

Hactenus recenſuimus præcipuos locos, quos adverſarii contra nos citant, ut oſtendant, quod fides non juſtificet, & quod mereamur remiſſionem peccatorum & gratiam per opera noſtra. Sed ſperamus nos piis conſcientiis ſatis oſtendiſſe, quod hi loci non adverſentur noſtræ ſententiæ, quod adverſarii male detorqueant ſcripturas ad ſuas opiniones, quod plerosque locos citent truncatos, quod omiſſis locis clariſſimis de fide, tantum excerpant ex ſcripturis locos de operibus, eósque depravent, quod ubique affingant humanas quasdam opiniones, præter id, quod verba ſcripturæ dicunt, quod legem ita doceant, ut Evangelium de Chriſto obruant. Tota enim doctrina adverſariorum, partim eſt à ratione humana ſumpta, partim eſt doctrina legis, non Evangelii. Duos enim modos juſtificationis tradunt, quorum alter eſt ſumtus à ratione, alter ex lege, non ex Evangelio, ſeu promiſſione de Chriſto:

Prior modus juſtificationis eſt apud ipſos, quod docent, homines per bona opera mereri gratiam, tùm de congruo, cum de condigno. Hic modus eſt doctrina rationis, quia ratio non videns immundiciem cordis, ſentit ſe ita placare Deum, ſi bene operetur, & propterea ſubinde alia opera, alii cultus ab hominibus in magnis periculis excogitati ſunt, adverſus terrores conſcientiæ. Gentes & Iſraelitæ mactaverunt humanas hoſtias, & alia multa duriſſima opera ſuſceperunt, ut placarent iram Dei. Poſtea excogitati ſunt Monachatus, & hi certaverunt inter ſe acerbitate obſervationum, contra terrores conſcientiæ, contra iram Dei. Et hic modus juſtificationis, quia eſt rationalis, & totus verſatur in externis operibus, intelligi poteſt, & utcunque præſtari. Et ad hunc Canoniſtæ detorſerunt ordinationes Eccleſiaſticas, malè intellectas, quæ à patribus longè alio conſilio factæ ſunt, nempe, non ut per opera illa quæreremus juſtitiam, ſed ut ordo quidam propter tranquillitatem hominum inter ſe, in Eccleſia eſſet. Ad hunc modum detorſerunt & Sacramenta, maximeque Miſſam, per hanc quærunt juſtitiam, gratiam, ſalutem ex opere operato.

Alter modus juſtificationis traditur à Theologis Scholaſticis, cum docent, quod juſti ſimus, per quendam habitum à Deo infuſum, qui eſt dilectio, & quod hoc habitu adjuti intus & foris, faciamus legem DEI, & quod illa impletio legis ſit digna gratia & vita æterna. Hæc doctrina planè eſt doctrina legis; Verum eſt
Deut. 6, 5. enim, quod lex inquit: Diliges Dominum Deum tuum, &c. Diliges proximum tuum. Dilectio igitur eſt
Levit. 19, 18. impletio legis.

Facile eſt autem judicium homini Chriſtiano de utroque modo, quia uterque modus excludit Chriſtum, ideo reprehendendi ſunt. In priore manifeſta eſt impietas, qui docet, quod opera noſtra ſint propitiatio

pro

Digitized by Google

pro peccatis. Posterior modus multa habet incommoda: non docet uti Christo, cum renascimur. Non docet justificationem esse remissionem peccatorum. Non docet prius remissionem peccatorum contingere, quam diligimus, sed fingit, quod eliciamus actum dilectionis, per quam mereamur remissionem peccatorum. Nec docet fide in Christum vincere terrores peccati & mortis. Fingit homines propria impletione legis accedere ad Deum, sine propitiatore Christo. Fingit postea, ipsam impletionem legis sine propitiatore Christo justitiam esse, dignam gratia & vita æterna, cum tamen vix imbecillis & exigua legis impletio contingat etiam sanctis.

Verum si quis cogitabit, Evangelium non esse frustra datum mundo, Christum non esse frustra promissum, exhibitum, natum, passum, resuscitatum, facilimè intelliget, nos non ex ratione aut lege justificari. Nos igitur cogimur de justificatione dissentire ab adversariis. Evangelium enim alium modum ostendit; Evangelium cogit uti Christo in justificatione, docet, quod per ipsum habeamus accessum ad Deum per fidem, docet, quod ipsum mediatorem & propitiatorem debeamus opponere iræ Dei, docet fide in Christum accipi remissionem peccatorum, & reconciliationem, & vinci terrores peccati & mortis. Ita & Paulus ait: Justitiam esse non ex lege, sed ex promissione, in qua promisit pater, quod velit ignoscere, quod velit reconciliari propter Christum. Hæc autem promissio sola fide accipitur, ut testatur Paulus ad Rom. cap. 4. Hæc fides sola accipit remissionem peccatorum, justificat & regenerat. Deinde sequitur dilectio, & cæteri boni fructus. Sic igitur docemus hominem justificari, ut supra diximus, cum conscientia territa prædicatione pœnitentiæ, erigitur & credit se habere Deum placatum propter Christum. Hæc fides imputatur pro justitia coram Deo, Rom. 4. *Rom. 4, 13.* *Rom. 4, 3.*

Et cum hoc modo cor erigitur & vivificatur fide, concipit Spiritum Sanctum, qui renovat nos, ut legem facere possimus, ut possimus diligere Deum, verbum Dei, obedire Deo in afflictionibus, ut possimus esse casti, diligere proximum, &c. Hæc opera, etsi adhuc à perfectione legis procul absint, tamen placent propter fidem, qua justi reputamur, quia credimus nos propter Christum habere placatum Deum. Hæc plana sunt, & Evangelio consentanea, & à sanis intelligi possunt. Et ex hoc fundamento facile judicari potest, quare fidei tribuamus justificationem, non dilectioni, etsi dilectio fidem sequitur, quia dilectio est impletio legis. At Paulus docet, nos non ex lege, sed ex promissione justificari, quæ tantum fide accipitur. Neque enim accedimus ad Deum, sine mediatore Christo, neque accipimus remissionem peccatorum propter nostram dilectionem, sed propter Christum; ac ne diligere quidem possumus iratum Deum, & lex semper accusat nos, semper ostendit iratum Deum. Necesse est igitur nos prius fide apprehendere promissionem, quod propter Christum pater sit placatus, & ignoscat. Postea incipimus legem facere. Procul à ratione humana, procul à Moyse rejiciendi sunt oculi in Christum, & sentiendum, quod Christus sit nobis donatus, ut propter eum justi reputemur. Legi nunquam in carne satisfacimus. Ita igitur justi reputamur, non propter legem, sed propter Christum, quia hujus merita nobis donantur, si in eum credimus. Si quis igitur hæc fundamenta consideraverit, quod non justificemur ex lege, quia legem Dei humana natura non potest facere, non potest Deum diligere, sed quod justificemur ex promissione, in qua propter Christum promissa est reconciliatio, justitia & vita æterna: Is facile intelliget, necessario tribuendam esse justificationem fidei, si modo cogitabit, Christum non esse frustra promissum, exhibitum, natum, passum, resuscitatum.

Si

Si cogitabit promiſſionem gratiæ in Chriſto non eſſe fruſtra, præter legem, & extra legem factam eſſe ſtatim à principio mundi; ſi cogitabit promiſſionem fide accipiendam eſſe, ſicut Johannes inquit: Qui non credit Deo, mendacem facit eum, quia non credit in teſtimonium quod teſtificatus eſt Deus de Filio ſuo, & hoc eſt teſtimonium, quod vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in Filio ejus eſt. Qui habet Filium, habet vitam, qui non habet Filium DEI, vitam non habet. Et Chriſtus ait: Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis. Et Paulus: Per hunc habemus acceſſum ad DEUM, & addit, per fidem. Fide igitur in Chriſtum accipitur promiſſio remiſſionis peccatorum, & juſtitiæ, nec juſtificamur coram DEO ex ratione aut lege. Hæc tam perſpicua, tam manifeſta ſunt, ut miremur tantum eſſe furorem adverſariorum, ut hæc vocent in dubium. Manifeſta ἀπόδειξις eſt, cum non juſtificemur coram Deo ex lege, ſed ex promiſſione, quod neceſſe ſit fidei tribuere juſtificationem. Quid poteſt contra hanc ἀπόδειξιν oponi, niſi totum Evangelium, totum CHRISTUM abolere quis velet? Gloria CHRISTI fit illuſtrior, cum docemus eo uti mediatore, ac propitiatore. Piæ conſcientiæ vident in hac doctrina uberrimam conſolationem ſibi proponi, quod videlicet credere ac certo ſtatuere debent, quod propter Chriſtum habeant placatum Patrem, non propter noſtras juſtitias, & quod Chriſtus adjuvet tamen, ut facere etiam legem poſſimus. Hæc tanta bona eripiunt Eccleſiæ adverſarii noſtri, cum damnant, cum delere conantur doctrinam de Juſtitia fidei. Viderint igitur omnes bonæ mentes, non conſentiant impiis conſiliis adverſariorum. In doctrina adverſariorum de juſtificatione non fit mentio Chriſti, quomodo ipſum debeamus opponere iræ Dei, quaſi vero nos poſſimus iram DEI dilectione vincere, aut diligere DEUM iratum poſſimus. Adhæc conſcientiæ relin-

1. Joh. 5, 10. ſq.

Joh. 8, 36.

Rom. 5, 2.

relinquuntur incertæ. Si enim ideo ſentire debent ſe habere Deum placatum, quia diligunt, quia legem faciunt : Semper dubitare neceſſe eſt, utrum habeamus Deum placatum, quia dilectionem illam aut non ſentiunt, ut fatentur adverſarii, aut certè ſentiunt valde exiguam eſſe, & multo ſæpius ſentiunt ſe iraſci judicio Dei, qui humanam naturam multis terribilibus malis opprimit, ærumnis hujus vitæ, terroribus æternæ iræ, &c. Quando igitur acquieſcet, quando erit pacata conſcientia? Quando diliget Deum in hac dubitatione, in his terroribus? Quid eſt aliud hæc doctrina legis, niſi doctrina deſperationis? Ac prodeat aliquis ex adverſariis, qui doceat nos de hac dilectione, quomodo ipſe diligat Deum. Prorſus, quid dicant, non intelligunt, tantum vocabulum dilectionis non intellectum reddunt, ſicut parietes. Adeo confuſa & obſcura eſt eorum doctrina, & gloriam Chriſti transfert in humana opera, & conſcientias vel ad præſumrionem, vel ad deſperationem adducit. Noſtra vero ſperamus à piis mentibus facile intelligi, & ſperamus afferre perterrefactis conſcientiis piam & ſalubrem conſolationem. Nam quod adverſarii cavillantur, multos impios, ac diabolos etiam credere, ſæpe jam diximus, nos de fide in Chriſtum, hoc eſt, de fide remiſſionis peccatorum, de fide, quæ verè & ex corde aſſentitur promiſſioni gratiæ, loqui. Hæc non fit ſine magno agone in cordibus humanis. Et homines ſani facile judicare poſſunt, illam fidem, quæ credit nos à Deo reſpici, nobis ignoſci, nos exaudiri, rem eſſe ſupra naturam. Nam humanus animus per ſeſe nihil tale de Deo ſtatuit. Itaque neque in impiis, neque in diabolis hæc fides eſt, de qua loquimur. Præterea ſi quis Sophiſta cavillatur, juſtitiã in voluntate eſſe, quare non poſſit tribui fidei, quæ in intellectu eſt: facilis eſt reſponſio, quia iſti in ſcholis etiam fatentur, voluntatẽ imperare intellectui, ut aſſentiatur verbo Dei. Ac nos clarius dicimus:

ſicut

ſicut terrores peccati & mortis, non ſunt tantum cogitationes intellectus, ſed etiam horribiles motus voluntatis fugientis judicium Dei: Ita fides eſt non tantum notitia in intellectu, ſed etiam fiducia in voluntate, hoc eſt, eſt velle, & accipere hoc, quod in promiſſione affertur, videlicet, reconciliationem & remiſſionem peccatorum. Sic utitur nomine fidei ſcriptura, ut teſtatur hæc ſententia Pauli: Juſtificati ex fide pacem habemus erga Deum. Juſtificare vero hoc loco, forenſi conſuetudine ſignificat reum abſolvere, & pronunciare juſtum; ſed propter alienam juſtitiam, videlicet Chriſti, quæ aliena juſtitia communicatur nobis per fidem. Itaque cum hoc loco juſtitia noſtra ſit imputatio alienæ juſtitiæ, aliter hic de juſtitia loquendum eſt, quam cum in Philoſophia, aut in foro quærimus juſtitiam proprii operis, quæ certe eſt in voluntate. Ideo Paulus inquit 1. Cor. 1. Ex ipſo vos eſtis in Chriſto Jeſu, qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, juſtitia & ſanctificatio, & redemtio. Et 2. Cor. 5. Eum, qui non novit peccatum, pro nobis fecit peccatum, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo. Sed quia juſtitia Chriſti donatur nobis per fidem, ideo fides eſt juſtitia in nobis imputativè id eſt, eſt id, quo efficimur accepti Deo, propter imputationem & ordinationem Dei, ſicut Paulus ait: Fides imputatur ad juſtitiam. Et, ſi propter moroſos quosdam τεχνολογικῶς loquendum eſt: Fides rectè eſt juſtitia, quia eſt obedientia erga Evangelium. Conſtat enim, obedientiam erga edictum ſuperioris, verè eſſe ſpeciem diſtributivæ juſtitiæ. Et hæc obedientia erga Evangelium, imputatur pro juſtitia adeo, ut tantum propter hanc, quia hac apprehendimus propitiatorem Chriſtum, placeant bona opera, ſeu obedientia erga legem. Neque enim legi ſatisfacimus, ſed id propter Chriſtum condonatur nobis, ut Paulus ait: Nulla nunc damnatio eſt his, qui in Chriſto Jeſu, &c. Hæc fides reddit DEO honorem, reddit

Rom. 5, 1.

1. Cor. 1, 30.

2. Cor. 5, 28.

Rom. 4, 3.

Rom. 8, 1.

dit Deo, quod ſuum eſt, per hoc, quod obedit accipiens promiſſiones. Sicut & Paulus inquit Rom. 4. De promiſſione Dei non dubitavit per diffidentiam, ſed firmus fuit fide dans gloriam Deo. Ita cultus & λατρεία Evangelii eſt accipere bona à Deo; Econtra cultus legis eſt bona noſtra Deo offerre & exhibere. Nihil autem poſſumus Deo offerre, niſi antea reconciliati, & renati. Plurimum autem conſolationis affert hic locus, quod cultus in Evangelio præcipuus eſt, à Deo velle accipere remiſſionem peccatorum, gratiam, & juſtitiam. De hoc cultu ait Chriſtus, Joh. 6. Hæc eſt voluntas Patris mei, qui miſit me, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Et Pater inquit: Hic eſt Filius meus dilectus; in quo mihi complacitum eſt, hunc audite. Adverſarii de obedientia erga legem dicunt, non dicunt de obedientia erga Evangelium, cum tamen legi non poſſimus obedire, niſi renati per Evangelium; cum non poſſimus diligere Deum, niſi accepta remiſſione peccatorum. Donec enim ſentimus eum nobis iraſci, natura humana fugit iram & judicium ejus. Si quis hoc etiam cavilletur: Si fides eſt, quæ vult illa, quæ in promiſſione offeruntur, videntur confundi habitus, fides, & ſpes, quia ſpes eſt, quæ expectat res promiſſas. Ad hoc reſpondemus, hos affectus non ita divelli poſſe reipſa, ut in ſcholis diſtrahuntur ocioſis cogitationibus. Nam & ad Ebræos definitur fides eſſe expectatio rerum ſperandarum. Si quis tamen volet diſcerni, dicimus ſpei objectum proprie eſſe eventum futurum. Fidem autem de rebus futuris, & præſentibus eſſe, & accipere in præſentia remiſſionem peccatorum, exhibitam in promiſſione. Ex his ſperamus ſatis intelligi poſſe, & quid ſit fides, & quod cogamur ſentire, quod fide juſtificemur, reconciliemur & regeneremur. Siquidem juſtitiam Evangelii, non juſtitiam legis docere volumus. Nam qui docent, quod dile-

Rom. 4, 20.

Joh. 6, 39.
Matth. 17, 5.

Hebr. 11, 1.

dilectione juſtificemur, legis juſtitiam docent, nec uti docent Chriſto mediatore in juſtificatione. Et hæc manifeſta ſunt, quod non dilectione, ſed fide vincamus terrores peccati & mortis, quod non poſſimus noſtram dilectionem, & impletionem legis opponere iræ Dei, quia Paulus dicit: Per Chriſtum habemus acceſſum ad Deum per fidem. *Rom. 5, 2.* Hanc ſententiam toties inculcamus propter perſpicuitatem. Totius enim cauſæ noſtræ ſtatum clariſſimè oſtendit; Et diligenter inſpecta, abunde de tota re docere, & conſolari bonas mentes poteſt. Ideo prodeſt eam in promtu & in conſpectu habere, non ſolum ut opponere poſſimus adverſariorum doctrinæ, qui docent, non fide, ſed dilectione & meritis ſine mediatore Chriſto ad Deum accedere; ſed etiam, ut per eam erigamus nos in pavoribus & fidem exerceamus. Manifeſtum eſt & hoc, quod ſine auxilio Chriſti non poſſimus legem facere, ſicut ipſe inquit: Sine me nihil poteſtis facere. *Joh. 15, 5.* Ideo priusquam legem facimus, oportet corda fide renaſci.

Hinc etiam intelligi poteſt, quare reprehendamus adverſariorum doctrinam de merito condigni. Facillima dijudicatio eſt, quia non faciunt mentionem fidei, quod fide propter Chriſtum placeamus, ſed fingunt bona opera facta adjuvante illo habitu dilectionis, juſtitiam eſſe dignam, quæ per ſe placeat Deo, & dignam æterna vita, nec opus habere mediatore Chriſto. Quid eſt hoc aliud, quam transferre gloriam Chriſti in opera noſtra, quod videlicet propter opera noſtra placeamus, non propter Chriſtum? At hoc quoque eſt detrahere CHRISTO gloriam mediatoris, qui perpetuo eſt mediator, non tantum in principio juſtificationis. Et Paulus *Galat. 2, 15.* ait: Si juſtificatus in Chriſto, opus habet, ut poſtea alibi quærat juſtitiam, tribui CHRISTO, quod ſit miniſter peccati, id eſt, quod non plenè juſtificet.

Et

Et abſurdiſſimum eſt, quod adverſarii docent, quod bona opera de condigno mereantur gratiam, quaſi vero poſt principium juſtificationis, ſi conſcientia terreatur, ut ſit, gratia per bonum opus quærenda ſit, & non fide in Chriſtum?

Gal. 5, 17. Secundo. Doctrina adverſariorum relinquit conſcientias ambiguas, ut nunquam pacatæ eſſe queant, quia lex ſemper accuſat nos etiam in bonis operibus. Semper enim caro concupiſcit adverſus Spiritum. Quomodo igitur hic habebit conſcientia pacem ſine fide, ſi ſentiet, quod non propter Chriſtum, ſed propter opus proprium jam placere debeat? Quod opus inveniet, quod ſtatuit dignum eſſe vita æterna? Siquidem ſpes ex meritis tantum debet exiſtere. Adverſus has dubitationes *Rom. 5, 1.* Paulus inquit: Juſtificati ex fide pacem habemus, certo ſtatuere debemus, quod propter Chriſtum donetur nobis juſtitia, & vita æterna, & de Abraham *Rom. 4, 18.* ait: Contra ſpem in ſpem credidit.

Tertio. Quomodo ſciet conſcientia, quando opus inclinante illo habitu dilectionis factum ſit, ut ſtatuere poſſit, quod de condigno mereatur gratiam? Sed hæc ipſa diſtinctio tantum ad eludendas ſcripturas conficta eſt, quod alias de congruo, alias de condigno mereantur homines, quia, ut ſupra diximus, intentio operantis non diſtinguit genera meritorum, ſed Hypocritæ ſecuri ſentiunt ſimpliciter opera ſua eſſe digna, ut propterea juſti reputentur. Econtra territæ conſcientiæ de omnibus operibus dubitant. Ideo ſubinde alia quærunt. Hoc eſt enim de congruo mereri, dubitare, & ſine fide operari, donec deſperatio incidit. In ſumma, plena errorum & periculorum ſunt omnia, quæ in hac re tradunt adverſarii.

Quarto. Tota Eccleſia confitetur, quod vita æterna per miſericordiam contingat. Sic enim inquit Auguſtinus de gratia & libero arbitrio, cùm quidem loquitur de

de operibus ſanctorum poſt juſtificationem factis: Non meritis noſtris, Deus nos ad æternam vitam, ſed pro ſua miſeratione perducit. Et lib. 9. Confeſſ. Væ hominum vitæ quantumcunque laudabili, ſi remota miſericordia judicetur. Et Cyprianus in enarratione orationis Dominicæ: Ne quis ſibi quaſi innocens placeat, & ſe extollendo plus pereat, inſtruitur & docetur peccare quotidie, dum quotidie pro peccatis jubetur orare. Sed res nota eſt & habet plurima & clariſſima teſtimonia in ſcriptura & Eccleſiaſticis Patribus, qui uno ore omnes prædicant, nos, etiamſi habeamus bona opera, tamen in illis bonis operibus miſericordia indigere. Hanc miſericordiam intuens fides erigit & conſolatur nos. Quare adverſarii malè docent, cùm ita efferunt merita, ut nihil addant de hac fide apprehendente miſericordiam. Sicut enim ſupra diximus, promiſſionem & fidem correlativa eſſe, nec apprehendi promiſſionem niſi fide: Ita hic dicimus promiſſam miſericordiam correlative requirere fidem, nec poſſe apprehendi niſi fide. Jure igitur reprehendimus doctrinam de merito condigni, cum nihil de fide juſtificante tradat, & obſcuret gloriam & officium mediatoris Chriſti. Neque nos quidquam hac in re novi docere exiſtimandi ſumus, cum Patres in Eccleſia hanc ſententiam tam clarè tradiderint, quod miſericordia indigeamus etiam in bonis operibus. Et ſcriptura idem ſæpe inculcat, in Pſalmo: Non intres in *Pſal. 143, 2.* judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. Hic ſimpliciter detrahit omnibus etiam ſanctis & ſervis Dei gloriam juſtitiæ, ſi non ignoſcat Deus, ſed judicet & arguat corda eorum. Nam quod alibi gloriatur David de ſua juſtitia, loquitur de cauſa ſua adverſus perſecutores verbi DEI, non loquitur de perſonali mundicie, & rogat cauſam & gloriam Dei defendi, ut Pſalmo 7. Judica *Pſal. 7, 9.* me, Domine, ſecundum juſtitiam meam, & ſecun-

Pſal. 130, 3. dum innocentiam meam ſuper me. Rurſus Pſal. 130. ait: Neminem poſſe ſuſtinere judicium Dei, ſi obſervet peccata noſtra: Si iniquitates obſervaveris, Domine, Domine, quis ſuſtinebit? & Job. 9. Verebar omnia opera mea. Item: Si lotus fuero quaſi aquis nivis & fulſerint velut mundiſſimæ manus meæ, tamen ſordibus intinges me. Et Proverb. 20. Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum? purus ſum à peccato? Et 1. Joh. 1. Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt, &c. Et in oratione Dominica, Sancti petunt remiſſionem peccatorum. Habent igitur & ſancti peccata. In Numeris cap. 14. Et innocens non erit innocens. Et Deut. 4. Deus tuus ignis conſumens eſt. Et Zacharias ait: Sileat à facie DOMINI omnis caro. Et Eſaias: Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quaſi flos agri. Exiccatum eſt fœnum, & cecidit flos, quia Spiritus Domini ſufflavit in eo, id eſt, caro, & juſtitia carnis, non poteſt ſuſtinere judicium Dei. Et Jonas ait: cap. 2. Fruſtra obſervant vana, qui miſericordiam relinquunt, id eſt, omnis fiducia eſt inanis, præter fiduciam miſericordiæ, miſericordia ſervat nos. Propria merita, proprii conatus non ſervant nos. Ideo & Daniel orat. cap. 9. Neque enim in juſtificationibus noſtris proſternimus preces coram te, ſed in miſerationibus tuis multis; exaudi Domine, placare Domine, attende, & fac. Ne moreris propter temetipſum DEUS meus, quia nomen tuum invocatum eſt ſuper civitatem, & ſuper populum tuum. Sic docet nos Daniel apprehendere miſericordiam in orando, hoc eſt, confidere miſericordiæ Dei, non confidere noſtris meritis coram Deo. Et miramur, quid agant in precatione adverſarii, ſi tamen homines prophani unquam aliquid à Deo petunt. Si commemorant ſe dignos eſſe, quia dilectionem & bona opera habeant, & repoſcunt gratiam, tanquam debitam, perinde orant ut Phariſæus apud Luc. c. 18. qui

Job. 9, 30.

Proverb. 20, 9.

1. Joh. 1, 8.

Num. 14, 18.

Deut. 4, 24.

Zach. 2, 13.

Eſa. 40, 6.

Jon. 2, 9.

Dan. 9, 9.

Luc. 18, 11.

ait:

Digitized by Google

ait: Non ſum ſicut cæteri homines. Qui ſic petit gratiam, nec nititur miſericordia Dei, injuria afficit Chriſtum, qui cum ſit Pontifex noſter, interpellat pro nobis. Sic igitur nititur oratio miſericordia Dei, quando credimus, nos propter Chriſtum Pontificem exauditi, ſicut ipſe ait: Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. *Joh. 14. 13.* In nomine meo, inquit, quia ſine hoc Pontifice non poſſumus accedere ad Patrem. Huc pertinet & ſententia Chriſti Luc. c. 17. Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſervi inutiles ſumus. *Luc. 17, 10.* Hæc verba clare dicunt, quod Deus ſalvet per miſericordiam & propter ſuam promiſſionem, non quod debeat propter dignitatem operum noſtrorum. Sed adverſarii mirifice ludunt hic in verbis Chriſti. Primum faciunt ἀντιστρέφον & in nos retorquent; multo magis, inquiunt, dici poſſe: Si credideritis omnia, dicite, ſervi inutiles ſumus. Deinde addunt opera inutilia eſſe Deo, nobis vero non eſſe inutilia. Videte, quam delectet adverſarios puerile ſtudium Sophiſtices. Et quanquam hæ ineptiæ indignæ ſint, quæ refutentur, tamen paucis reſpondebimus. Ἀντιστρέφον eſt vitioſum. Primum enim decipiuntur adverſarii in vocabulo fidei, quod ſi ſignificaret nobis notitiam illam hiſtoriæ, quæ etiam in impiis & diabolis eſt, recte ratiocinarentur adverſarii, fidem inutilem eſſe, cum dicunt: Cum credideritis omnia, dicite, ſervi inutile ſumus. Sed nos non de notitia hiſtoriæ, ſed de fiducia promiſſionis & miſericordiæ Dei loquimur. Et hæc fiducia promiſſionis fatetur nos eſſe ſervos inutiles, imo, hæc confeſſio, quod opera noſtra ſint indigna, eſt ipſa vox fidei, ſicut apparet in hoc exemplo Danielis, quod paulo ante citavimus: Non in juſtificationibus noſtris proſternimus preces &c. *Dan. 9, 18.* Fides enim ſalvat, qnia apprehendit miſericordiam ſeu propromiſſionem gratiæ, etiamſi noſtra opera ſint indigna. Et in hanc ſententiam nihil ladit nos ἀντιστρέφον. Cum

credideritis omnia, dicite, ſervi inutiles ſumus, videlicet quod opera noſtra ſint indigna, hoc enim cum tota Eccleſia docemus, quod per miſericordiam ſalvemur. Sed ſi ex ſimili ratiocinari volunt, cum feceris omnia, noli confidere operibus tuis; Ita cum credideris omnia, noli confidere promiſſione divina. Hæc non cohærent, ſunt enim diſſimilia. Diſſimiles cauſæ diſſimilia objecta fiduciæ ſunt in priore propoſitione, & in poſteriore. Fiducia in priore, eſt fiducia noſtrorum operum; Fiducia in poſteriore, eſt fiducia promiſſionis divinæ. Chriſtus autem damnat fiduciam noſtrorum operum, non damnat fiduciam promiſſionis ſuæ. Non vult nos de gratia & miſericordia Dei deſperare, arguit opera noſtra, tanquam indigna, non arguit promiſſionem, quæ gratis offert miſericordiam. Et præclare hîc inquit Ambroſius: Agnoſcenda eſt gratia, ſed non ignoranda natura; promiſſioni gratiæ confidendum eſt, non naturæ noſtræ. Sed adverſarii ſuo more faciunt, contra fidei doctrinam detorquent ſententias pro fide traditas. Verum, hæc ſpinoſa rejiciamus ad ſcholas. Illa cavillatio plane puerilis eſt, cum interpretantur ſervos inutiles, quia opera Deo ſint inutilia, nobis vero ſint utilia. At Chriſtus de ea utilitate loquitur, quæ conſtituit nobis DEUM debitorem gratiæ. Quanquam alienum eſt hoc loco diſputare, de utili aut inutili. Nam ſervi inutiles ſignificant inſufficientes, quia nemo tantum timet, tantum diligit Deum, tantum credit Deo, quantum oportuit. Sed miſſas faciamus has frigidas cavillationes adverſariorum, de quibus quid judicaturi ſint homines, ſi quando proferentur in lucem, facile poſſunt exiſtimare viri prudentes. In verbis maxime planis & perſpicuis repererunt rimam. At nemo non videt, in illo loco fiduciam noſtrorum operum improbari.

Teneamus igitur hoc, quod Eccleſia confitetur, quod

per

per misericordiam salvemur. Et ne quis hic cogitet: Si per misericordiam salvandi sumus, incerta spes erit, si nihil præcedit in his, quibus contingit salus, quo discernantur ab illis, quibus non contingit: huic satisfaciendum est. Scholastici enim videntur hac ratione moti, quæsiviſſe meritum condigni. Nam hæc ratio valde potest exercere humanum animum. Breviter igitur respondemus. Ideo ut sit certa spes, ideo ut sit præcedens discrimen inter hos, quibus contingit, & illos, quibus non contingit salus, necesse est constituere, quod per misericordiam salvemur. Hoc cum ita nude dicitur, absurdum videtur. Nam in foro, & judiciis humanis, jus seu debitum certum est, misericordia incerta, sed alia res est de judicio Dei. Hic enim misericordia habet claram & certam promissionem, & mandatum Dei. Nam Evangelium proprie hoc mandatum est, quod præcipit, ut credamus Deum nobis propitium esse propter Christum. Non misit Deus Filium *Joh. 3, 17.* sum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non judicatur, &c. Quoties igitur de misericordia dicitur, addenda est fides promissionis. Et hæc fides parit certam spem, quia nititur verbo & mandato Dei. Si spes niteretur operibus, tunc vero esset incerta, quia opera non possunt pacare conscientiam, ut supra sæpe dictum est. Et hæc fides facit discrimen inter hos, quibus contingit salus, & quibus non contingit. Fides facit discrimen inter dignos & indignos, quia vita æterna promissa est justificatis, fides autem justificat.

Sed hic iterum clamitabunt adversarii, nihil opus esse bonis operibus, si non merentur vitam æternam. Has calumnias supra refutavimus. Imo vero necesse est bene operari. Justificatis dicimus promissam esse vitam æternam. At nec fidem, nec justitiam retinent illi, qui ambulant secundum carnem. Ideo justificamur, ut

justi, bene operari, & obedire legi Dei incipiamus. Ideo regeneramur, & Spiritum Sanctum accipimus, ut nova vita habeat nova opera, novos affectus, timorem, dilectionem Dei, odium concupiscentiæ, &c. Hæc fides, de qua loquimur, existit in pœnitentia. Et inter bona opera, inter tentationes & pericula confirmari & crescere debet, ut subinde certius apud nos statuamus, quod Deus propter Christum respiciat nos, ignoscat nobis, exaudiat nos. Hæc non discuntur sine magnis & multis certaminibus. Quoties recurrit conscientia, quoties sollicitat ad desperationem, cum ostendit, aut vetera peccata, aut nova, aut immundiciem naturæ? Hoc chirographum non deletur sine magno agone, ut testatur experientia, quam difficilis res sit fides. Et dum inter terrores erigimur & consolationem concipimus, simul crescunt alii motus spirituales, notitia Dei, timor Dei, spes, dilectio Dei, & regeneramur, ut ait Paulus, ad agnitionem Dei, & intuentes gloriam Domini transformamur in eandem imaginem, id est, concipimus veram notitiam Dei, ut vere timeamus eum, vere confidamus nos respici, nos exaudiri. Hæc regeneratio est quasi inchoatio æternæ vitæ, ut Paulus ait: Si Christus in vobis est, spiritus vivit, corpus autem mortuum est, &c. Et superinduemur, si tamen induiti, non nudi reperiemur. Ex his judicare candidus lector potest, nos maxime requirere bona opera, siquidem hanc fidem docemus in pœnitentia existere, & debere subinde crescere in pœnitentia, & in his rebus perfectionem Christianam, & spiritualem poni-mo, si simul crescant pœnitentia, & fides in pœnitentia. Hæc intellegi melius à piis possunt, quam quæ de contemplatione, aut perfectione apud adversarios docentur. Sicut autem justificatio ad fidem pertinet, ita pertinet ad fidem vita æterna. Et Petrus ait: Reportantes finem seu fructum fidei vestræ, salutem animarum. Fa-

Rom. 8, 10.

1. Petr. 1, 9.

ten-

tentur enim adverſarii, quod juſtificati ſint filii Dei, & cohæredes Chriſti. Poſtea opera, quia placent Deo propter fidem, merentur alia præmia corporalia & ſpiritualia. Erunt enim diſcrimina gloriæ ſanctorum.

Sed hic reclamant adverſarii, vitam æternam vocari mercedem, quare neceſſe ſit, eam de condigno mereri per bona opera. Breviter & plane reſpondemus, Paulus Rom. 6. vitam æternam donum appellat, quia donata juſtitia, propter CHRISTUM ſimul efficimur filii DEI & cohæredes CHRISTI; Sicut ait Johannes: Qui credit in Filium, habet vitam æternam. Et Auguſtinus inquit, & hunc ſecuti alii multi idem dixerunt: Dona ſua coronat DEUS in nobis. Alibi vero ſcriptum eſt: Merces veſtra copioſa erit in cœlis. Hæc ſi videntur adverſariis pugnare, ipſi expediant. Sed parum æqui judices ſunt; nam doni vocabulum omittunt, omittunt & fontes totius negotii, & excerpunt vocabulum mercedis, idque acerbiſſime interpretantur, non ſolum contra ſcripturam, ſed etiam contra ſermonis conſvetudinem. Hinc ratiocinantur, quia merces nominatur, igitur opera noſtra ſunt ejusmodi, quæ debeant eſſe pretium, pro quo debetur vita æterna. Sunt igitur digna gratia & vita æterna, nec indigent miſericordia, aut mediatore CHRISTO, aut fide. Plane nova eſt hæc Dialectica: vocabulum audimus mercedis, igitur nihil opus eſt mediatore CHRISTO, aut fide habente acceſſum ad DEUM propter CHRISTUM, non propter opera noſtra, quis non videt hæc eſſe ἀνακόλουθα? Nos non rixamur de vocabulo mercedis. De hac re litigamus, utrum bona opera per ſe ſint digna gratia & vita æterna, an vero placeant tantum propter fidem, quæ apprehendit mediatorem Chriſtum? Adverſarii noſtri non ſolum hoc tribuunt operibus, quod ſint digna gratia & vita æterna, ſed fingunt etiam, quod merita ſuperſint ſibi, quæ donare aliis,

Rom. 6, 23. Joh. 3, 36.

Luc. 6, 35.

& justificare alios queant, ut cum Monachi suorum ordinum merita vendunt aliis. Hæc portenta Chrysippeo more coacervant, hac una voce mercedis audita: Merces appellatur, igitur habemus opera, quæ sunt pretium, pro quo debetur merces. Igitur opera per sese, non propter mediatorem Christum placent. Et cum alius alio plura habeat merita, igitur quibusdam supersunt merita. Et hæc merita donare aliis possunt isti, qui merentur. Mane lector, nondum habes totum Soriten. Addenda sunt enim certa Sacramenta hujus donationis, mortuis induitur cucullus, &c. Talibus coacervationibus beneficium Christi, & justitia fidei obscurata sunt. Non movemus inanem λογομαχίαν de vocabulo mercedis. Si concedunt adversarii, quod fide propter Christum justi reputemur, & quod bona opera propter fidem placeant Deo, de nomine mercedis postea non valde rixabimur. Nos fatemur vitam æternam mercedem esse, quia est res debita, propter promissionem, non propter nostra merita. Est enim promissa justificatio, quam supra ostendimus proprie esse donum Dei, & huic dono conjuncta est promissio vitæ æternæ, juxta illud: Quos justificavit, eosdem & glorificavit. Huc pertinet, quod Paulus ait: Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus justus judex, &c. Debetur enim corona justificatis propter remissionem. Et hanc promissionem scire sanctos oportet, non ut propter suum commodum laborent. Debent enim laborare propter gloriam Dei, sed ne desperent in afflictionibus, scire eos oportet voluntatem Dei, quod velit eos adjuvare, eripere, servare. Etsi aliter perfecti, aliter infirmi audiunt mentionem pœnarum & præmiorum. Nam infirmi laborant sui commodi causa, & tamen prædicatio præmiorum & pœnarum necessaria est. In prædicatione pœnarum ira Dei ostenditur, quare ad prædicationem pœnitentiæ pertinet. In prædicatione præmio-

Rom. 8, 30.
2. Tim. 4, 8.

miorum, gratia oſtenditur; & ſicut ſcriptura ſæpe mentione bonorum operum fidem complectitur; vult enim complecti juſtitiam cordis cum fructibus: ita interdum cum aliis præmiis, ſimul offert gratiam, ut Eſ. 58. & ſæpe alias apud Prophetas. *Eſa. 58, 10. 11.* Fatemur & hoc, quod ſæpe teſtati ſumus, quod etſi juſtificatio & vita æterna ad fidem pertinent, tamen bona opera mereantur alia præmia corporalia & ſpiritualia, & gradus præmiorum juxta illud: Unusquisque accipiet mercedem juxta ſuum laborem. *1. Cor. 3, 8.* Nam juſtitia Evangelii, quæ verſatur circa promiſſionem gratiæ, gratis accipit juſtificationem & vivificationem. Sed impletio legis, quæ ſequitur fidem, verſatur circa legem, in qua non gratis, ſed pro noſtris operibus offertur & debetur merces; ſed qui hanc merentur, prius juſtificati ſunt, quam legem faciunt. Itaque prius ſunt translati in regnum Filii Dei, ut Paulus ait, & facti cohæredes Chriſti. Sed adverſarii, quoties de merito dicitur, ſtatim transferunt rem a reliquis præmiis, ad juſtificationem, cum Evangelium gratis offerat juſtificationem propter Chriſti merita, non noſtra, & merita Chriſti communicantur nobis per fidem. Cæterum opera & afflictiones merentur, non juſtificationem, ſed alia præmia, ut in his ſententiis merces operibus offertur: Qui parce ſeminat, parce metet, & qui largiter ſeminat, largiter metet. *Rom. 8, 17.* *2. Cor. 9, 6.* *Exod. 20, 12.* Hic clare modus mercedis, ad modum operis confertur. Honora patrem & matrem, ut ſis longævus ſuper terram. Et hic proponit lex certo operi mercedem. Quanquam igitur legis impletio meretur mercedem, proprie enim merces ad legem pertinet, tamen meminiſſe nos evangelii oportet, quod gratis offert juſtificationem propter Chriſtum. Nec legem prius facimus, aut facere poſſumus, quam reconciliati Deo, juſtificati & renati ſumus. Nec illa legis impletio placeret Deo, niſi propter fidem eſſemus accepti; & quia homines propter fidem ſunt accepti, ideo illa inchoa-

ta legis impletio placet, & habet mercedem in hac vita & poſt hanc vitam. De nomine mercedis pleraque alia hic etiam dici poterant ex natura legis, quæ, quia longiora ſunt, alio in loco explicanda erunt.

Verum urgent adverſarii, quod proprie mereantur vitam æternam bona opera, quia Paulus dicit Ro-
Rom. 2, 6. 10. man. 2. Reddet unicuique ſecundum opera ejus. Item,
Joh. 5, 29. gloria, honor, & pax omni operanti bonum. Joh. 5.
Matth. 25, 35. Qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ. Matth. 25. Eſurivi & dediſtis mihi manducare, &c. In his locis & ſimilibus omnibus, in quibus opera laudantur in ſcripturis, neceſſe eſt intelligere non tantum externa opera, ſed fidem etiam cordis, quia ſcriptura non loquitur de hypocriſi, ſed de juſtitia cordis cum fructibus ſuis. Quoties autem fit mentio legis & operum, ſciendum eſt, quod non ſit excludendus Chriſtus mediator. Is eſt enim finis legis, & ipſe inquit: Si-
Joh. 15, 5. ne me nihil poteſtis facere. Ex hoc Canone diximus ſupra, judicari poſſe omnes locos de operibus. Quare cum operibus redditur vita æterna, redditur juſtificatis, quia neque bene operari poſſunt homines, niſi juſtificati, qui aguntur Spiritu Chriſti. Nec ſine mediatore Chriſto & fide placent bona opera juxta illud:
Hebr. 11, 6. Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. Cum dicit Pau-
Rom. 2, 6. lus, reddet unicuique ſecundum opera ejus, intelligi debet non tantum opus externum, ſed tota juſtitia, vel injuſtitia. Sic gloria operanti bonum, hoc eſt, juſto. Dediſtis mihi manducare; fructus & teſtimonium juſtitiæ cordis, & fidei allegatur, redditur igitur vita æterna juſtitiæ. Ad hunc modum ſcriptura ſimul complectitur juſtitiam cordis cum fructibus, & ſæpe fructus nominat, ut ab imperitis magis intelligatur, & ut ſignificet requiri novam vitam & regenerationem, non hypocriſin. Fit autem regeneratio fide in pœnitentia. Nemo ſanus judicare aliter poteſt, nec non aliquam otioſam ſubtilitatem

hic

hic affectamus, ut divellamus fructus à juſtitia cordis, ſi tantum adverſarii conceſſerint, quod fructus propter fidem & mediatorem Chriſtum placeant, non ſint per ſeſe digni gratia & vita æterna. Hoc enim reprehendimus in adverſariorum doctrina, quod talibus locis ſcripturæ ſeu Philoſophico ſeu Judaico more intellectis abolent juſtitiam fidei, & excludunt mediatorem Chriſtum. Ex his locis ratiocinantur, quod hæc opera mereantur gratiam, alias de congruo, alias de condigno, cum videlicet accedit dilectio, id eſt, quod juſtificent, & quia ſint juſtitia, digna ſint vita æterna. Hic error manifeſte abolet juſtitiam fidei, quæ ſentit, quod acceſſum ad DEUM habeamus propter Chriſtum, non propter opera noſtra, quæ ſentit, nos per Pontificem & mediatorem Chriſtum adduci ad Patrem, & habere placatum Patrem, ut ſupra ſatis dictum eſt. Et hæc doctrina de juſtitia fidei, non eſt in Eccleſia Chriſti negligenda, quia ſine ea non poteſt officium Chriſti conſpici, & reliqua doctrina juſtificationis, tantum eſt doctrina legis. Atqui nos oportet retinere Evangelium & doctrinam de promiſſione propter Chriſtum donata. Non igitur litigamus in hoc loco de parva re cum adverſariis. Non quærimus otioſas ſubtilitates, cum reprehendimus eos, quod docent vitam æternam mereri operibus, omiſſa hac fide, quæ apprehendit mediatorem CHRISTUM. Nam de hac fide, quæ credit nobis Patrem propitium eſſe propter CHRISTUM, nulla apud ſcholaſticos ſyllaba extat. Ubique ſentiunt, quod ſumus accepti, juſti propter opera noſtra, vel ex ratione facta, vel certe facta inclinante illa dilectione, de qua dicunt. Et tamen habent quædam dicta, quaſi apophthegmata veterum autorum, quæ depravant interpretando. Jactatur in ſcholis, quod bona opera placeant propter gratiam; Et quod ſit confidendum gratiæ DEI.

Hic

Hic interpretantur gratiam habitum, quo nos diligimus Deum, quasi vero voluerint dicere veteres, quod debeamus confidere nostra dilectione, quæ quam sit exigua, quam sit immunda, certe experimur. Quanquam hoc mirum est, quomodo ista jubeant confidere dilectione, cum doceant, nesciri utrum adsit. Cur non exponunt hic gratiam, misericordiam DEI erga nos. Et quoties mentio hujus fit, addere oportebat fidem. Non enim apprehenditur, nisi fide, promissio misericordiæ, reconciliationis, dilectionis DEI erga nos. In hanc sententiam recte dicerent, confidendum esse gratia, placere bona opera propter gratiam, cum fides gratiam apprehendit. Jactatur & hoc in scholis, valere bona opera nostra virtute passionis Christi. Recte dicitur, sed cur non addunt de fide? Christus enim est propitiatio, ut Paulus ait, per fidem. Cum fide eriguntur pavidæ conscientiæ, & sentiunt peccata nostra deleta esse morte Christi, & Deum nobis reconciliatum esse propter passionem Christi, tum vero prodest nobis passio Christi. Si omittatur doctrina de fide, frustra dicitur opera valere virtute passionis Christi. Et plerasque alias sententias corrumpunt in scholis, propterea, quia non tradunt justitiam fidei, & fidem intelligunt tantum notitiam historiæ, seu dogmatum, non intelligunt hanc virtutem esse, quæ apprehendit promissionem gratiæ & justitiæ, quæ vivificat corda in terroribus peccati & mortis. Cum Paulus inquit: Corde creditur ad justitiam, ore fit confessio ad salutem. Hic fateri adversarios existimamus, quod confessio ex opere operato non justificet aut salvet tantum propter fidem cordis. Et Paulus sic loquitur, quod confessio salvet, ut ostendat, qualis fides consequatur vitam æternam, nempe firma & efficax fides. Non est autem firma fides, quæ non ostendit se in confessione. Si cætera bona opera placent propter fidem, sicut & orationes Ecclesiæ rogant, ut omnia sint accepta

pro-

Digitized by Google

propterChriſtum. Item petunt omnia propterChriſtum. Conſtat enim ſemper in fine precationum addi hanc clauſulam, per Chriſtum Dominum noſtrum, ideo concludimus, quod fide juſtificemur coram Deo, reconciliemur Deo, & regeneremur, quæ in pœnitentia apprehendit promiſſionem gratiæ, & vere vivificat perterritam mentem, ac ſtatuit, quod Deus ſit nobis placatus ac propitius propter Chriſtum. Et hac fide, *1. Petr. 1, 5.* ait Petrus, nos cuſtodiri ad ſalutem, quæ revelabitur. Hujus fidei cognitio Chriſtianis neceſſaria eſt, & uberrimam affert conſolationem in omnibus afflictionibus, & officium Chriſti nobis oſtendit, quia iſti, qui negant homines fide juſtificari, negant Chriſtum mediatorem eſſe ac propitiatorem, negant promiſſionem gratiæ & Evangelium. Tantum docent aut doctrinam rationis, aut legis, de juſtificatione. Nos, quantum hic fieri potuit, oſtendimus fontes hujus cauſæ, & expoſuimus ea, quæ adverſarii objiciunt. Quæ quidem facile dijudicabunt boni viti, ſi cogitabunt, quoties citatur locus de dilectione, aut operibus, legem non fieri ſine Chriſto, nec nos ex lege, ſed ex Evangelio, hoc eſt, promiſſione gratiæ in Chriſto promiſſæ juſtificari. Et ſperamus hanc, quamvis brevem, diſputationem bonis viris ad confirmandam fidem, ad docendam & conſolandam conſcientiam, utilem futuram eſſe. Scimus enim ea, quæ diximus, conſentanea eſſe ſcripturis Propheticis & Apoſtolicis, ſanctis Patribus, Ambroſio, Auguſtino, & plerisque aliis, & univerſæ Eccleſiæ Chriſti, quæ certe confitetur Chriſtum eſſe propitiatorem, & juſtificatorem. Nec ſtatim cenſendum eſt Romanam Eccleſiam ſentire, quidquid Papa, aut Cardinales, aut Epiſcopi, aut Theologi quidam, aut Monachi probant. Conſtat enim Pontificibus magis curæ eſſe dominationem ſuam, quam Evangelium Chriſti; Et plerosque compertum eſt palam Epicuræos eſſe, Theologos conſtat plura ex Philoſophia admiſcuiſſe doctri-

doctrinæ Christianæ, quam satis erat. Nec autoritas horum videri debet tanta, ut nusquam dissentire à disputationibus eorum liceat, cum multi manifesti errores apud eos reperiantur, ut quod possimus ex puris naturalibus DEUM super omnia diligere. Hoc dogma peperit alios errores multos, cum sit manifeste falsum. Reclamant enim ubique scripturæ, sancti Patres, & omnium piorum judicia. Itaque, etiamsi in Ecclesia Pontifices, aut nonnulli Theologi, ac Monachi docuerunt remissionem peccatorum, gratiam & justitiam per nostra opera & novos cultus quærere, qui obscuraverunt Christi officium, & ex Christo non propitiatorem & justificatorem, sed tantum legislatorem fecerunt, mansit tamen apud aliquos pios semper cognitio Christi. Porro scriptura prædixit fore, ut justitia fidei hoc modo obscuraretur per traditiones humanas, & doctrinam operum; Sicut Paulus sæpe queritur, tunc quoque fuisse, qui pro justitia fidei, docebant hòmines per opera propria & proprios cultus, non fide, propter Christum reconciliari Deo, & justificari, quia homines naturaliter ita judicant, DEUM per opera placandum esse. Nec videt ratio aliam justitiam, quam justitiam legis civiliter intellectæ. Ideo semper extiterunt in mundo, qui hanc carnalem justitiam solam docuerunt, oppressa justitia fidei, & tales doctores semper existent etiam. Idem accidit in populo Israel. Maxima populi pars sentiebat se per sua opera mereri remissionem peccatorum, cumulabant sacrificia, & cultus. Econtra Prophetæ damnata illa opinione, docebant justitiam fidei. Et res gestæ in populo Israel sunt exempla eorum, quæ in Ecclesia futura fuerunt. Itaque non perturbet pias mentes multitudo adversariorum, qui nostram doctrinam improbant. Facile enim judicari de spiritu eorum potest, quia in quibusdam articulis adeo perspicuam & manifestam veritatem damnaverunt, ut palam appareat eorum

eorum impietas. Nam & Bulla Leonis X. damnavit articulum maxime neceſſarium, quem omnes Chriſtiani teneant & credant, videlicet, non eſſe confitendum, quod ſimus abſoluti propter noſtram contritionem, ſed propter verbum Chriſti, quodcunque ligaveris, &c. *Matth. 16, 19.* Et nunc in hoc conventu autores confutationis damnaverunt apertis verbis hoc, quod fidem diximus partem eſſe pœnitentiæ, qua conſequimur remiſſionem peccatorum, & vincimus terrores peccatorum, & conſcientia pacata redditur. Quis autem non videt hunc articulum, quod fide conſequamur remiſſionem peccatorum, veriſſimum, certiſſimum, & maxime neceſſarium eſſe omnibus Chriſtianis? Quis ad omnem poſteritatem audiens, talem ſententiam damnatam eſſe, judicabit autores hujus condemnationis ullam Chriſti notitiam habuiſſe; Et de ſpiritu eorum conjectura fieri poteſt ex illa inaudita crudelitate, quam conſtat eos in bonos viros plurimos hactenus exercuiſſe. Et accepimus in hoc conventu, quendam Reverendum Patrem in Senatu imperii, cum de noſtra confeſſione ſententiæ dicerentur, dixiſſe, nullum ſibi conſilium videri utilius, quam ſi ad confeſſionem, quam nos exhibuiſſemus atramento ſcriptam, ſanguine reſcriberetur. Quid diceret crudelius Phalaris? Itaque hanc vocem nonnulli etiam Principes judicaverunt indignam eſſe, quæ in tali conſeſſu diceretur. Quare etiamſi vindicant ſibi adverſarii nomen Eccleſiæ, tamen nos ſciamus, Eccleſiam Chriſti apud hos eſſe, qui Evangelium Chriſti docent, non qui pravas opiniones contra Evangelium defendunt, ſicut inquit Dominus: Oves meæ vocem meam audiunt. *Joh. 10, 27.* Et Auguſtinus ait: Quæſtio eſt, ubi ſit Eccleſia? Quid ergo facturi ſumus. In verbis noſtris eam quæſituri ſumus, an in verbis capitis ſui Domini noſtri Jeſu Chriſti? puto quod in illius verbis quærere debemus, qui veritas eſt, & optime novit corpus ſuum.

Proin-

Proinde non perturbent nos judicia adversariorum, cùm humanas opiniones contra Evangelium, contra autoritatem sanctorum Patrum, qui in Ecclesia scripserunt, contra piarum mentium testimonia defendunt.

IV. DE ECCLESIA.

Aug. Conf. 11. Art. Sm. 335. SEPTIMUM articulum confessionis nostræ damnaverunt, in quo diximus Ecclesiam esse congregationem sanctorum. Et addiderunt longam declamationem, quod mali non sint ab Ecclesia segregandi, cùm

Matth. 3, 12. Johannes comparaverit Ecclesiam areæ, in qua triticum & paleæ simul coacervata sint. Et Christus

c. 13, 47. comparaverit eam lagenæ, in qua pisces boni & mali sunt, &c. Profecto verum est, quod ajunt: Nullum remedium esse adversus Sycophantæ morsum. Nihil tam circumspecte dici potest, ut calumniam evitare queat. Nos ob hanc ipsam causam adjecimus octavum articulum, ne quis existimaret nos segregare malos & hypocritas ab externa societate Ecclesiæ, aut adimere Sacramentis efficaciam, quæ per hypocritas, aut malos administrantur. Itaque hic non est opus longa defensione adversus hanc calumniam. Satis nos purgat articulus octavus. Concedimus enim, quod hypocritæ & mali in hac vita sint admixti Ecclesiæ, & sint membra Ecclesiæ secundum externam societatem signorum Ecclesiæ, hoc est, verbi, professionis, & Sacramentorum, præsertim si non sint excommunicati; nec Sacramenta ideo non sunt efficacia, quia per malos tractantur; imo recte uti possumus Sa-

2. Thess. 2, 4. cramentis, quæ per malos administrantur. Nam & Paulus prædicit futurum, ut Antichristus sedeat in templo Dei, hoc est, in Ecclesia dominetur, & gerat officia. At Ecclesia non est tantum societas externarum rerum ac rituum, sicut aliæ politiæ. Sed principaliter est societas fidei & Spiritus Sancti, in cordibus,

dibus, quæ tamen habet externas notas, ut agnoſci poſſit, videlicet puram Evangelii doctrinam, & adminiſtrationem Sacramentorum conſentaneam Evangelio Chriſti. Et hæc Eccleſia ſola dicitur corpus Chriſti, quod Chriſtus Spiritu ſuo renovat, ſanctificat & gubernat, ut teſtatur Paulus Eph. 1. cum ait: Et ipſum dedit caput ſuper omnia Eccleſiæ, quæ eſt corpus ejus, videlicet, integritas, id eſt, tota congregatio ipſius, qui omnia in omnibus perficit. Quare illi, in quibus nihil agit Chriſtus, non ſunt membra Chriſti. Idque fatentur adverſarii, malos eſſe mortua membra Eccleſiæ: Quare miramur, cur reprehenderint noſtram deſcriptionem, quæ de vivis membris loquitur. *Eph. 1, 22. 23.*

Neque novi quidquam diximus. Paulus omnino eodem modo definit Eccleſiam Eph. 5. quod purificetur, ut ſit ſancta; & addit externas notas, verbum & ſacramenta. Sic enim ait: Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe tradidit pro ea, ut eam ſanctificet, purificans lavacro aquæ, per verbum, ut exhibeat eam ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid tale, ſed ut ſit ſancta & inculpata. Hanc ſententiam pene totidem verbis nos in confeſſione poſuimus. Sic definit Eccleſiam & articulus in Symbolo, qui jubet nos credere, quod ſit ſancta Catholica Eccleſia. Impii vero non ſunt ſancta Eccleſia. Et videtur additum, quod ſequitur, ſanctorum communio, ut exponeretur, quid ſignificet Eccleſia, nempe congregationem ſanctorum, qui habent inter ſe ſocietatem ejusdem Evangelii, ſeu doctrinæ, & ejusdem Spiritus Sancti, qui corda eorum renovat, ſanctificat & gubernat. Et hic articulus neceſſaria de cauſa propoſitus eſt. Infinita pericula videmus, quæ minantur Eccleſiæ interitum. Infinita multitudo eſt impiorum in ipſa Eccleſia, qui opprimunt eam. Itaque ne deſperemus, ſed ſciamus, Eccleſiam tamen manſuram eſſe; item, ut ſciamus, quam- *Eph. 5, 25. 26.*

vis magna multitudo sit impiorum, tamen Ecclesiam existere, & Christum præstare illa, quæ promisit Ecclesiæ, remittere peccata, exaudire, dare Spiritum Sanctum. Has consolationes proponit nobis articulus ille in Symbolo. Et Catholicam Ecclesiam dicit, ne intelligamus, Ecclesiam esse politiam externam certarum gentium. Sed magis homines sparsos per totum orbem, qui de Evangelio consentiunt, & habent eundem Christum, eundem Spiritum S., & eadem Sacramenta, sive habeant easdem traditiones humanas, sive dissimiles. Et in Decretis inquit glossa, Ecclesiam largè dictam complecti bonos & malos. Item, malos nomine tantum in Ecclesia esse, non re, bonos vero re & nomine. Et in hanc sententiam multa leguntur apud Patres. Hieronymus enim ait: Quis ergo peccator est aliqua sorde maculatus, de Ecclesia CHRISTI non potest appellari, nec Christo subjectus dici.

Quanquam igitur hypocritæ & mali sint socii hujus veræ Ecclesiæ secundum externos ritus, tamen cum definitur Ecclesia, necesse est eam definiri, quæ est vivum corpus Christi. Item, quæ est nomine & re Ecclesia. Et multæ sunt causæ. Necesse est enim intelligi, quæ res principaliter efficiat nos membra, & viva membra Ecclesiæ. Si Ecclesiam tantum definiemus externam politiam esse bonorum & malorum, non intelligent homines regnum Christi esse justitiam cordis, & donationem Spiritus S., sed judicabunt tantum externam observationem esse certorum cultuum ac rituum. Item, quid intererit inter populum legis, & Ecclesiam, si Ecclesia est externa politia? At sic discernit Paulus Ecclesiam à populo legis, quod Ecclesia sit populus spiritualis, hoc est, non civilibus ritibus distinctus à gentibus, sed verus populus Dei, renatus per Spiritum Sanctum. In populo legis præter promissionem de Christo, habebat & carnale semen promissiones rerum corpora-

poralium, regni, &c. Et propter has dicebantur populus Dei, etiam mali in his, quia hoc carnale semen Deus separaverat ab aliis gentibus per certas ordinationes externas, & promissiones; & tamen mali illi non placebant Deo. At Evangelium affert non umbram æternarum rerum, sed ipsas res æternas, Spiritum Sanctum, & justitiam, qua coram Deo justi sumus. Igitur illi tantum sunt populus juxta Evangelium, qui hanc promissionem Spiritus accipiunt. Ad hæc Ecclesia est regnum Christi, distinctum contra regnum diaboli. Certum est autem, impios in potestate diaboli, & membra regni diaboli esse, sicut docet Paulus Eph. 2. cum ait: Diabolum efficacem esse in incredulis. Et Christus inquit ad Pharisæos, quibus certe erat externa societas cum Ecclesia, id est, cum sanctis in populo legis; Præerant enim, sacrificabant, & docebant: Vos ex patre diabolo estis. Itaque Ecclesia, quæ vere est regnum Christi, est proprie congregatio sanctorum. Nam impii reguntur à Diabolo, & sunt captivi diaboli, non reguntur Spiritu Christi. Sed quid verbis opus est in re manifesta? Si Ecclesia, quæ vere est regnum Christi, distinguitur à regno diaboli, necesse est impios, cum sint in regno diaboli, non esse Ecclesiam. Quanquam in hac vita, quia nondum revelatum est regnum Christi, sint admixti Ecclesiæ & gerant officia in Ecclesia. Nec propterea impii sunt regnum Christi, quia revelatio nondum facta est. Semper enim hoc est regnum Christi, quod Spiritu suo vivificat, sive sit revelatum, sive sit tectum cruce. Sicut idem est Christus, qui nunc glorificatus est, antea afflictus erat. Et conveniunt huc similitudines Christi, qui clare dicit Matth. 13. Bonum semen esse filios regni, at Zizania filios diaboli. Agrum dicit mundum esse, non Ecclesiam. Ita Johannes de illa tota gente Judæorum loquitur, & dicit fore, ut vera Ecclesia separetur ab illo populo. Itaque hic locus magis contra adver- *Matth. 13, 38.*

sarios facit, quam pro eis, quia ostendit verum & spiritualem populum, a populo carnali separandum esse.
Matth. 13, 47. Et Christus de specie Ecclesiæ dicit, cum ait: Simile est regnum cœlorum lagenæ, aut decem virginibus, & docet, ecclesiam tectam esse multitudine malorum, ne id scandalum pios offendat. Item, ut sciamus verbum & sacramenta efficacia esse, etsi tractentur à malis. Atque interim docet, impios illos, quamvis habeant societatem externorum signorum, tamen non esse verum regnum Christi, & membra Christi. Sunt enim membra regni diaboli. Neque vero somniamus nos Platonicam civitatem, ut quidam impie cavillantur. Sed dicimus existere hanc Ecclesiam, videlicet, vere credentes ac justos sparsos per totum orbem. Et addimus notas, puram doctrinam Evangelii, & Sacramenta. Et hæc Ecclesia proprie est columna veritatis. Retinet enim purum Evangelium, & ut Paulus inquit, fundamentum, hoc est, veram Christi cognitio-
1. Cor. 3, 12. nem & fidem, etsi sunt in his etiam multi imbecilles, qui supra fundamentum ædificant stipulas perituras, hoc est, quasdam inutiles opiniones, quæ tamen, quia non evertunt fundamentum, tum condonantur illis, tum etiam emendantur. Ac sanctorum Patrum scripta testantur, quod interdum stipulas etiam ædificaverint supra fundamentum, sed quæ non everterunt fidem eorum. Verum pleraque istorum, quæ adversarii nostri defendunt, fidem evertunt, ut quod damnant articulum de remissione peccatorum, in quo dicimus fide accipi remissionem peccatorum. Manifestus item & pernicioſus error est, quod docent adversarii, mereri homines remissionem peccatorum, dilectione erga Deum, ante gratiam, nam hoc quoque est tollere fundamentum, hoc est, Christum. Item, quid opus erit fide, si Sacramenta ex opere operato sine bono motu utentis justificant? Sicut autem habet Ecclesia promissionem, quod semper sit habitura Spiritum

tum Sanctum; Ita habet comminationes, quod sint futuri impii doctores, & lupi. Illa vero est proprie Ecclesia, quæ habet Spiritum Sanctum. Lupi & mali doctores, etsi grassantur in Ecclesia, tamen non sunt proprie regnum Christi. Sicut & Lyra testatur, cum ait: Ecclesia non consistit in hominibus ratione potestatis vel dignitatis Ecclesiasticæ vel secularis, quia multi principes & summi Pontifices & alii inferiores inventi sunt apostatasse à fide. Propter quod Ecclesia consistit in illis personis, in quibus est notitia vera & confessio fidei & veritatis. Quid aliud diximus nos in confessione nostra, quam quod hic dicit Lyra?

Sed fortassis adversarii sic postulant definiri Ecclesiam, quod sit Monarchia externa suprema totius orbis terrarum, in qua oporteat Romanum Pontificem habere potestatem ἀνυπεύθυνον, de qua nemini liceat disputare aut judicare, condendi articulos fidei, abolendi scripturas, quas velit, instituendi cultus & sacrificia; item condendi leges, quas velit, dispensandi & solvendi quibuscunque legibus velit, divinis, canonicis, & civilibus, à quo Imperator & reges omnes accipiant potestatem & jus tenendi regna, de mandato Christi. Cui cum Pater omnia subjecerit, intelligi oporteat, hoc jus in Papam translatum esse. Quare necesse sit Papam, dum totius orbis terrarum, omnium regnorum mundi, omnium rerum privatarum & publicarum, habere plenitudinem potestatis in temporalibus & spiritualibus, habere utrumque gladium, spiritualem & temporalem. Atque hæc definitio non Ecclesiæ Christi, sed regni Pontificii, habet autores non sólum canonistas, sed etiam Danielem c. 11.

Quod si hoc modo definiremus Ecclesiam, fortassis haberemus æquiores Judices. Multa enim extant immoderate & impie scripta de potestate Romani Pontificis, propter quæ nemo unquam reus factus est. Nos soli plectimur, quia prædicamus beneficium Christi, quod

fide in Christum consequamur remissionem peccatorum, non cultibus excogitatis à Pontifice. Porro Christus, Prophetæ & Apostoli, longe aliter definiunt Ecclesiam Christi, quam regnum Pontificium. Nec est ad Pontifices transferendum, quod ad veram Ecclesiam pertinet, quod videlicet sint columnæ veritatis, quod non terreni. Quotusquisque enim curat Evangelium, aut judicat dignum esse lectione? Multi etiam palam irrident religiones omnes, aut si quid probant, probant illa, quæ humanæ rationi consentanea sunt, cætera fabulosa esse arbitrantur, & similia tragœdiis Poetarum.

Quare nos juxta scripturas sentimus, Ecclesiam proprie dictam esse congregationem sanctorum, qui vere credunt Evangelio Christi, & habent Spiritum Sanctum. Et tamen fatemur, multos hypocritas & malos his in hac vita admixtos, habere societatem externorum signorum, qui sunt membra Ecclesiæ secundum societatem externorum signorum. Ideoque gerunt officia in Ecclesia. Nec adimit Sacramentis efficaciam, quod per indignos tractantur, quia repræsentant Christi personam, propter vocationem Ecclesiæ, non repræsentant proprias personas, ut testatur Christus: Qui vos audit, me audit. Cum verbum Christi, cum sacramenta porrigunt, Christi vice & loco porrigunt. Id docet nos illa vox Christi, ne indignitate ministrorum offendamur. Sed de hac re satis clare diximus in confessione, nos improbare Donatistas, & Vigleviſtas, qui senserunt homines peccare, accipientes sacramenta ab indignis in Ecclesia. Hæc in præsentia videbantur sufficere ad defensionem descriptionis Ecclesiæ, quam tradidimus. Neque videmus, cum Ecclesia proprie dicta appelletur corpus Christi, quomodo aliter describenda fuerit, quam nos descripsimus. Constat enim impios ad regnum & corpus diaboli pertinere, qui impellit & habet captivos impios. Hæc sunt luce meridiana clariora,

quæ

Digitized by Google

quæ tamen si pergent calumniari adversarii, non gravabimur copiosius respondere.

Damnant adversarii & hanc partem septimi articuli, quod diximus ad veram unitatem Ecclesiæ satis esse consentire de doctrina Evangelii, & administratione Sacramentorum, nec necesse esse, ubique similes traditiones humanas esse, seu ritus aut ceremonias ab hominibus institutas. Hic distinguunt universales & particulares ritus, & probant articulum nostrum, si intelgatur de particularibus ritibus; De universalibus ritibus, non recipiunt. Non satis intelligimus, quid velint adversarii. Nos de vera, hoc est, spirituali unitate loquimur, sine qua non potest existere fides in corde, seu justitia cordis coram Deo. Ad hanc dicimus non esse necessariam similitudinem rituum humanorum, sive universalium sive particularium, quia justitia fidei non est justitia alligata certis traditionibus, sicut justitia legis erat alligata Mosaicis ceremoniis, quia illa justitia cordis est res vivificans corda. Ad hanc vivificationem nihil conducunt humanæ traditiones, sive universales, sive particulares, nec sunt effectus Spiritus Sancti, sicut castitas, patientia, timor Dei, dilectio proximi, & opera dilectionis.

Nec leves causæ fuerunt, cur hunc articulum poneremus. Constat enim multas stultas opiniones de traditionibus serpsisse in Ecclesiam. Nonnulli putaverunt, humanas traditiones necessarios cultus esse ad promerendam Justificationem. Et postea disputaverunt, qui fieret, quod tanta varietate coleretur Deus, quasi vero observationes illæ essent cultus, & non potius externæ & politicæ ordinationes, nihil ad justitiam cordis seu cultum Dei pertinentes, quæ alibi casu, alibi propter quasdam probabiles rationes variant. Item aliæ Ecclesiæ, alias propter tales traditiones excommunicaverunt, ut propter observationem Paschatis, picturas

& res similes. Unde imperiti existimaverunt, fidem seu justitiam cordis coram Deo, non posse existere sine his observationibus. Extant enim de hoc negotio multa inepta scripta Summistarum & aliorum.

Sed sicut dissimilia spacia dierum ac noctium non lædunt unitatem Ecclesiæ : Ita sentimus non lædi veram unitatem Ecclesiæ dissimilibus ritibus institutis ab hominibus. Quanquam placet nobis, ut universales ritus propter tranquillitatem serventur. Sicut & nos in Ecclesiis ordinem missæ, diem Dominicum, & alios dies festos celebriores libenter servamus ; & gratissimo animo amplectimur utiles ac veteres ordinationes, præsertim cum contineant pædagogiam, qua prodest populum & imperitos assvefacere ac docere. Sed non disputamus nunc, an conducat propter tranquillitatem aut corporalem utilitatem servare. Alia res agitur. Disputatur enim : utrum observationes traditionum humanarum sint cultus necessarii ad justitiam coram Deo. Hoc est κρινόμενον in hac controversia, quo constituto, postea judicari potest, utrum ad veram unitatem Ecclesiæ necesse sit ubique similes esse traditiones humanas. Si enim traditiones humanæ non sunt cultus necessarii ad justitiam coram Deo, sequitur posse justos & filios Dei esse, etiamsi quas traditiones non habent, quæ alibi receptæ sunt. Ut si forma vestitus Germanici non est cultus Dei necessarius ad justitiam coram Deo, sequitur posse justos ac filios Dei & Ecclesiam Christi esse, etiamsi qui utantur non Germanico, sed Gallico vestitu. Hoc clare docet Paulus ad Col. cum ait : Nemo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi. Item: si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid adhuc tanquam viventes mundo decreta facitis? Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis, quæ omnia pereunt, usu consumpta, &

Coloss. 2, 16. v. 20.

v. 11. seq.

sunt

ſunt præcepta & doctrinæ hominum, ſpeciem habentia ſapientiæ in ſuperſtitione & humilitate. Eſt enim ſententia: Cum juſtitia cordis ſit res ſpiritualis vivificans corda, & conſtet, quod traditiones humanæ non vivificent corda, nec ſint effectus Spiritus Sancti, ſicut dilectio proximi, caſtitas, &c. nec ſint inſtrumenta, per quæ Deus movet corda ad credendum, ſicut verbum & ſacramenta divinitus tradita, ſed ſint uſus rerum nihil ad cor pertinentium, quæ uſu pereant, non eſt ſentiendum, quod ſint neceſſariæ ad juſtitiam coram Deo. Et in eandem ſententiam inquit Rom. 14. Regnum Dei *Rom. 14, 17.* non eſt eſca & potus; ſed juſtitia & pax & gaudium in Spiritu Sancto. Sed non eſt opus citare multa teſtimonia, cum ubique ſint obvia in ſcripturis, & nos plurima in confeſſione congeſſerimus in poſterioribus articulis. Et hujus controverſiæ *κρινόμενον* infra paulo poſt repetendum erit, videlicet, utrum traditiones humanæ ſint cultus neceſſarii ad juſtitiam coram Deo? Ubi de hac re copioſius diſputabimus. Adverſarii dicunt, univerſales traditiones ideo ſervandas eſſe, quia exiſtimentur ab Apoſtolis traditæ eſſe. O religioſos homines! Ritus ab Apoſtolis ſumtos retineri volunt, non volunt retineri doctrinam Apoſtolorum. Sic judicandum eſt de ritibus illis, ſicut ipſi Apoſtoli in ſuis ſcriptis judicant. Non enim voluerunt Apoſtoli, nos ſentire, quod per tales ritus juſtificemur, quod tales ritus ſint res neceſſariæ ad juſtitiam coram Deo. Non voluerunt Apoſtoli tale onus imponere conſcientiis, non voluerunt juſtitiam & peccatum collocare in obſervationibus dierum, ciborum, & ſimilium rerum. Imo Paulus appellat hujusmodi opiniones doctrinas dæmoniorum. Itaque voluntas & conſilium *1. Tim. 4, 1.* Apoſtolorum ex ſcriptis eorum quæri debet, non eſt ſatis allegare exemplum. Servabant certos dies, non quod ea obſervatio ad juſtificationem neceſſaria eſſet, ſed ut populus ſciret, quo tempore conveni-

endum esset, servabant & alios quosdam ritus, ordinem lectionum, si quando conveniebant. Quædam etiam ex patriis moribus, ut fit, retinebat populus, quæ Apostoli nonnihil mutata ad historiam Evangelii accommodaverunt, ut Pascha, Pentecosten, ut non solum docendo, sed etiam per hæc exempla memoriam maximarum rerum traderent posteris. Quod si hæc tradita sunt, tanquam necessaria ad justificationem, cur in iis ipsis postea multa mutarunt Episcopi? Quod si erant Juris divini, non licuit ea mutare autoritate humana. Pascha ante Synodum Nicenam, alii alio tempore servabant. Neque hæc dissimilitudo læsit fidem. Postea ratio inita est, ne incideret nostrum Pascha in Judaici Paschatis tempus. At Apostoli jusserant Ecclesias servare Pascha, cum fratribus conversis ex Judaismo. Itaque hunc morem quædam gentes pertinaciter post Synodum Nicenam retinuerunt, ut Judaicum tempus observarent. Verum Apostoli decreto illo non voluerunt Ecclesiis imponere necessitatem; Id quod verbi decreti testantur. Jubet enim, ne quis curet, etiamsi fratres servantes Pascha, non recte supputent tempus. Verba decreti extant apud Epiphanium, ὑμεῖς μὴ ψυφίζητε, ἀλλὰ ποιεῖτε, ὅταν οἱ ἀδελφοὶ ὑμῶν, οἱ ἐκ περιτομῆς, μετ' αὐτῶν ἅμα ποιεῖτε, κἂν τε πλανηθῶσι μηδὲν ὑμῖν μελέτω. Hæc scribit Epiphanius verba esse Apostolorum in decreto quodam posita de Paschate, in quibus prudens lector facile potest judicare, Apostolos voluisse populo stultam opinionem de necessitate certi temporis eximere, cum prohibent curare, etiamsi in supputando erretur. Porro quidam in oriente, qui Audiani appellati sunt ab autore dogmatis, propter hoc decretum Apostolorum contenderunt Pascha cum Judæis servandum esse. Hos refellens Epiphanius laudat Decretum, & inquit, nihil continere, quod dissentiat à fide aut Ecclesiastica regula, & vituperat Audianos, quod non recte intelligant

τὸ

τὸ ἐστ', & interpretatur in hanc ſententiam, in quam nos interpretamur, quod non ſenſerint Apoſtoli referre, quo tempore ſervaretur Paſcha. Sed quia præcipui fratres ex Judæis converſi erant, qui morem ſuum ſervabant, horum exemplum propter concordiam voluerunt reliquos ſequi. Et ſapienter admonuerunt lectorem Apoſtoli, ſe neque libertatem Evangelicam tollere, neque neceſſitatem conſcientiis imponere, quia addunt, non eſſe curandum, etiamſi erretur in ſupputando.

Multa hujus generis colligi poſſunt ex hiſtoriis, in quibus apparet, diſſimilitudinem humanarum obſervationum non lædere unitatem fidei. Quanquam quid opus eſt diſputatione? Omnino quid ſit juſtitia fidei, quid ſit regnum Chriſti, non intelligunt adverſarii, ſi judicant neceſſariam eſſe ſimilitudinem obſervationum in cibis, diebus, veſtitu, & ſimilibus rebus, quæ non habent mandatum Dei. Videte autem religioſos homines, adverſarios noſtros; Requirunt ad unitatem Eccleſiæ ſimiles obſervationes humanas, cum ipſi mutaverint ordinationem Chriſti in uſu Cœnæ, quæ certe fuit antea ordinatio univerſalis. Quod ſi ordinationes univerſales neceſſariæ ſunt, cur mutant ipſi ordinationem Cœnæ Chriſti, quæ non eſt humana, ſed divina? Sed de hac tota controverſia infra aliquoties dicendum erit.

OCTAVUS articulus approbatus eſt totus, in quo confitemur, quod hypocrita & mali admixti ſint Eccleſiæ. Et quod ſacramenta ſint efficacia, etiamſi per malos miniſtros tractentur, quia miniſtri funguntur vice Chriſti, non repræſentant ſuam perſonam; Juxta illud: Qui vos audit, me audit. Impii doctores deſerendi ſunt, *Luc. 10, 16.* quia hi jam non funguntur perſona Chriſti, ſed ſunt Antichriſti. Et Chriſtus ait: Cavete à Pſeudoprophetis. *Matth. 7, 15.* Et Paulus: Si quis aliud Evangelium evangelizaverit, *Galat. 1, 9.* anathema ſit.

Cæte-

Cæterum monuit nos Chriſtus in collationibus de Eccleſia, ne offenſi privatis vitiis ſive ſacerdotum ſive populi, ſchiſmata excitemus, ſicut ſcelerate fecerunt Donatiſtæ. Illos vero, qui ideo excitaverunt ſchiſmata, quia negabant ſacerdotibus licere, tenere poſſeſſiones aut proprium, plane ſeditioſos judicamus. Non tenere proprium civilis ordinatio eſt. Licet autem Chriſtianis uti civilibus ordinationibus, ſicut hoc aere, hac luce, cibo, potu. Nam ut hæc rerum natura, & hi ſiderum certi motus, vere ſunt ordinatio Dei, & conſervantur à Deo; ita legitimæ politiæ vere ſunt ordinatio Dei & retinentur ac defunduntur à Deo adverſus diabolum.

Aug. Conf. 12. Art. Sm 329. Cat. Min. 376. Cat. Maj. 401.

NONUS articulus approbatus eſt, in quo confitemur, quod Baptiſmus ſit neceſſarius ad ſalutem, & quod pueri ſint baptizandi, & quod baptiſmus puerorum non ſit irritus, ſed neceſſarius & efficax ad ſalutem. Et quoniam Evangelium pure & diligenter apud nos docetur, Dei beneficio hunc quoque fructum ex eo capimus, quod in Eccleſiis noſtris nulli extiterunt Anabaptiſtæ, quia populus verbo Dei adverſus impiam & ſeditioſam factionem illorum latronum munitus eſt. Et cum plerosque alios errores Anabaptiſtarum damnamus, tum hunc quoque, quod diſputant baptiſmum parvulorum inutilem eſſe. Certiſſimum eſt enim, quod promiſſio ſalutis pertinet etiam ad parvulos. Neque vero pertinet ad illos, qui ſunt extra Eccleſiam Chriſti, ubi nec verbum, nec ſacramenta ſunt, quia regnum Chriſti tantum cum verbo & ſacramentis exiſtit. Igitur neceſſe eſt baptizare parvulos, ut applicetur eis promiſſio ſalutis, juxta mandatum Chriſti: Baptizate omnes gentes. Ubi ſicut offertur omnibus ſalus, ita offertur omnibus baptiſmus, viris, mulieribus, pueris, infantibus; Sequitur igitur clare, infantes baptizandos eſſe, quia ſalus cum baptiſmo offertur.

Matth. 28, 19.

Secun-

Secundo. Manifeſtum eſt, quod Deus approbat baptiſmum parvulorum. Igitur Anabaptiſtæ impie ſentiunt, qui damnant baptiſmum parvulorum. Quod autem Deus approbet baptiſmum parvulorum, hoc oſtendit, quod Deus dat Spiritum Sanctum ſic baptizatis. Nam ſi hic baptiſmus irritus eſſet, nullis daretur Spiritus Sanctus, nulli fierent ſalvi, denique nulla eſſet Eccleſia. Hæc ratio bonas & pias mentes, vel ſola ſatis confirmare poteſt contra impias & fanaticas opiniones Anabaptiſtarum.

DECIMUS articulus approbatus eſt, in quo confitemur, nos ſentire, quod in cœna Domini vere & ſubſtantialiter adſint corpus & ſanguis Chriſti, & vere exhibeantur cum illis rebus, quæ videntur, pane & vino, his qui ſacramentum accipiunt. Hanc ſententiam conſtanter defendimus, re diligenter inquiſita & agitata. Cum enim Paulus dicat, panem eſſe participationem corporis Domini, &c. Sequeretur, panem non eſſe participationem corporis, ſed tantum ſpiritus Chriſti, ſi non adeſſet verè corpus Domini. Et comperimus non tantum Romanam Eccleſiam affirmare corporalem præſentiam Chriſti, ſed item & nunc ſentire, & olim ſenſiſſe Græcam Eccleſiam. Id enim teſtatur Canon Miſſæ apud illos, in quo aperte orat ſacerdos, ut mutato pane ipſum corpus Chriſti fiat. Et Vulgarius, ſcriptor, ut nobis videtur, non ſtultus, diſerte inquit, panem non tantum figuram eſſe, ſed vere in carnem mutari. Et longa ſententia eſt Cyrilli, in Johannem cap. 15. in qua docet, Chriſtum corporaliter nobis exhiberi in Cœna. Sic enim ait: Non tamen negamus, recta nos fide caritateque ſincera Chriſto ſpiritualiter conjungi. Sed nullam

Aug. Conf. 12. Art. Sm. 330. Cat. Min. 130. Cat. Maj. 402.

1. Cor. 10, 16.

lam nobis conjunctionis rationem ſecundum carnem cum illo eſſe, id profecto pernegamus. Idque à divinis ſcripturis omnino alienum dicimus. Quis enim dubitavit, Chriſtum etiam ſic vitem eſſe, nos vero palmi-
1. Cor. 10. 17. tes, qui vitam inde nobis acquirimus? Audi Paulum dicentem, quia omnes unum corpus ſumus in Chriſto, quia etſi multi ſumus, unum tamen in eo ſumus. Omnes enim uno pane participamus. An fortaſſe putat ignotam nobis myſticæ benedictionis virtutem eſſe? quæ cum in nobis ſit, nonne corporaliter quoque facit, communicatione carnis Chriſti, Chriſtum in nobis habitare? Et paulo poſt: unde conſiderandum eſt, non habitudine ſolum, quæ per caritatem intelligitur, Chriſtum in nobis eſſe, verum etiam participatione naturali, &c. Hæc recitavimus, non ut hic diſputationē de hac re inſtitueremus. Non enim improbat hunc articulum Cæſ. Maj. ſed ut clarius etiam perſpicerent, quicunque iſta legent, nos defendere receptam in tota Eccleſia ſententiam, quod in cœna Domini vere & ſubſtantialiter adſint corpus & ſanguis Chriſti, & vere exhibeantur cum his rebus, quæ videntur, pane & vino, & loquimur de præſentia vivi Chriſti; ſcimus enim, quod mors ei ultra non dominabitur.

Aug. Conf. 12. UNDECIMUS articulus de retinenda abſolutione
Art. Sm. 331. in Eccleſia probatur. Sed de Confeſſione addunt cor-
Cat. Min. 378. rectionem, videlicet, obſervandam eſſe conſtitutionem cap. Omnis utriusque, ut & quotannis fiat confeſſio, & quamvis omnia peccata enumerari non queant, tamen diligentiam adhibendam eſſe, ut colligantur, & illa, quæ redigi in memoriam poſſunt, recenſeantur. De hoc toto articulo dicemus paulo poſt copioſius, cum ſententiam noſtram de pœnitentia totam explicabimus. Conſtat nos beneficium Abſolutionis, & poteſtatem clavium, ita illuſtraviſſe & ornaviſſe, ut multæ afflictæ conſcientiæ, ex doctrina noſtrorum, conſolationem conceperint, poſtquam audiverunt, mandatum

tum Dei esse, imo propriam Evangelii vocem, ut absolutioni credamus, & certo statuamus, nobis gratis donari remissionem peccatorum, propter Christum, & sentiamus vere nos hac fide reconciliari Deo. Hæc sententia multas pias mentes erexit, & initio commendationem maximam, apud omnes bonos viros, attulit Luthero, cum ostendit certam & firmam consolationem conscientiis, quia antea tota vis Absolutionis erat oppressa doctrinis operum, cum de fide, & gratuita remissione nihil docerent Sophistæ & Monachi.

Cæterum de tempore, certe in Ecclesiis nostris plurimi sæpe in anno utuntur sacramentis, Absolutione, & Cœna Domini. Et qui docent de dignitate & fructibus sacramentorum, ita dicunt, ut invitent populum, ut sæpe utantur sacramentis: Extant enim de hac re multa à nostris ita scripta, ut adversarii, si qui sunt boni viri, haud dubie probent ac laudent: Denunciatur & excommunicatio flagitiosis & contemtoribꝰ sacramentorum. Hæc ita fiunt, & juxta Evangelium, & juxta veteres Canones; sed certum tempus non præscribitur, quia non omnes pariter eodem tempore idonei sunt. Imo si accurrant eodem tempore omnes, non possunt ordine audiri, & instituí homines. Et veteres Canones ac Patres non constituunt certum tempus. Tantum ita dicit Canon: Si qui intrant Ecclesiam Dei, & deprehenduntur nunquam communicare, admoneantur. Quod si non communicant, ad pœnitentiam accedant. Si communicant, non semper abstineant: Si non fecerint, abstineant. Christus ait, illos sibi judicium manducare, qui manducant indigne. Ideo pastores non cogunt hos, qui non sunt idonei, ut sacramentis utantur. 1. Cor. 11, 19.

De Enumeratione peccatorum in Confessione, sic docentur homines, ne laquei injiciantur conscientiis. Etiamsi prodest rudes assvefacere, ut quædam enumerent, ut doceri facilius possint. Verum disputamꝰ nunc, quid

quid ſit neceſſarium jure divino. Non igitur debebant adverſarii nobis allegare conſtitutionem: Omnis utriusque; quæ nobis non eſt ignota, ſed ex jure divino oſtendere, quod enumeratio peccatorum ſit neceſſaria ad conſequendam remiſſionem. Tota Eccleſia per univerſam Europam ſcit, quales laqueos injecerit conſcientiis illa particula conſtitutionis, quæ jubet omnia peccata confiteri. Nec tantum habet incommodi textus per ſe, quantum poſtea affinxerunt Summiſtæ, qui colligunt circumſtantias peccatorum; quales ibi Labyrinthi, quanta carnificina fuit optimatum mentium? Nam feros & prophanos iſta terriculamenta nihil movebant.

Poſtea quales tragœdias excitavit quæſtio, de proprio ſacerdote inter Paſtores, & fratres, qui tunc minime erant fratres, cum de regno confeſſionum belligerabantur. Nos igitur ſentimus: enumerationem peccatorum non eſſe neceſſariam jure divino, idque placet Panormitano & plerisque aliis eruditis Juriſconſultis. Nec volumus imponere neceſſitatem conſcientiis noſtrorum per conſtitutionem illam, omnis utriusque, de qua perinde judicamus, ut de aliis traditionibus humanis, de quibus ſentimus, quod non ſint cultus ad juſtificationem neceſſarii. Et hæc conſtitutio rem impoſſibilem præcipit, ut omnia peccata confiteamur. Conſtat autem, plurima nos nec meminiſſe, nec intelligere, juxta illud: Delicta quis intelligit?

Si ſint boni Paſtores, ſcient, quatenus proſit examinare rudes, ſed illam carnificinam Summiſtarum confirmare non volumus, quæ tamen minus fuiſſet intolerabilis, ſi verbum unum addidiſſent, de fide conſolante & erigente conſcientias. Nunc de hac fide conſequente remiſſionem peccatorum, nulla eſt ſyllaba in tanta mole conſtitutionum, gloſſarum, Summarum, Confeſſionalium; nusquam ibi Chriſtus legitur, tantum le-

gun-

guntur ſupputationes peccatorum. Et maxima pars conſumitur in peccatis, contra traditiones humanas, quæ eſt vaniſſima. Hæc doctrina adigit multas pias mentes ad deſperationem, quæ non potuerunt acquieſcere, quia ſentiebant, Jure divino neceſſariam eſſe enumerationem, & tamen experiebantur impoſſibilem eſſe. Sed hærent alia non minora vitia in doctrina adverſariorum de pœnitentia, quæ jam recenſebimus.

V. DE POENITENTIA.

IN articulo duodecimo probant primam partem, qua exponimus, lapſis poſt baptiſmum contingere poſſe remiſſionem peccatorum, quocunque tempore & quotiescunque convertuntur. Secundam partem damnant, in qua pœnitentiæ partes dicimus eſſe contritionem & fidem. Negant fidem eſſe alteram partem pœnitentiæ. Quid hic, Carole, Cæſar invictiſſime, faciamus? Hæc eſt propria vox Evangelii, quod fide conſequamur remiſſionem peccatorum. Hanc vocem Evangelii damnant iſti ſcriptores confutationis. Nos igitur nullo modo aſſentiri confutationi poſſumus. Non poſſumus ſaluberrimam vocem Evangelii, & plenam conſolationis damnare. Quid eſt aliud negare, quod fide conſequamur remiſſionem peccatorum, quam contumelia afficere ſanguinem & mortem Chriſti? Rogamus igitur te, Carole, Cæſar invictiſſime, ut nos de hac re maxima, quæ præcipuum Evangelii locum, quæ veram Chriſti cognitionem, quæ verum cultum Dei continet, patienter ac diligenter audias & cognoſcas. Comperient enim omnes boni viri, nos in hac re præcipue docuiſſe vera, pia, ſalubria & neceſſaria univerſæ Eccleſiæ Chriſti. Comperient ex ſcriptis noſtrorum plurimum lucis acceſſiſſe Evangelio, & multos pernicioſos errores emendatos eſſe, quibus antea obruta fuit doctrina de

Aug. Conf. 12. Art. Sm. 319. Ep. 591. Decl. 709.

pœnitentia, per Scholasticorum & Canonistarum opiniones.

Ac priusquam accedimus ad defensionem nostræ sententiæ, hoc præfandum est. Omnes boni viri, omnium ordinum ac Theologici ordinis etiam, haud dubiè fatentur, ante Lutheri scripta, confusissimam fuisse doctrinam pœnitentiæ. Extant libri Sententiariorum, ubi sunt infinitæ quæstiones, quas nulli Theologi unquam satis explicare potuerunt. Populus neque rei summam complecti potuit, nec videre, quæ præcipue requirerentur in pœnitentia, ubi quærenda esset pax conscientiæ. Prodeat nobis aliquis ex adversariis, qui dicat, quando fiat remissio peccatorum. Bone Deus, quantæ tenebræ sunt? Dubitant, utrum in attritione, vel in contritione fiat remissio peccatorum. Et si fit propter contritionem, quid opus est absolutione, quid agit potestas clavium, si peccatum jam est remissum? Hic vero multo magis etiam sudant, & potestatem clavium impie extenuant; alii somniant, potestate clavium non remitti culpam, sed mutari pœnas æternas in temporales. Ita saluberrima potestas esset ministerium non vitæ, & spiritus, sed tantum iræ & pœnarum. Alii videlicet cautiores fingunt potestate clavium remitti peccata coram Ecclesia, non coram Deo. Hic quoque pernicioſus error est. Nam si potestas clavium non consolatur nos coram Deo, quæ res tandem reddet pacatam conscientiam? Jam illa sunt magis etiam perplexa. Docent nos contritione mereri gratiam. Ubi si quis interroget, quare Saul, Judas, & similes non consequantur gratiam, qui horribiliter contriti sunt? Hic de fide, & de Evangelio respondendum erat, quod Judas non crediderit, non erexerit se Evangelio & promissione Christi. Fides enim ostendit discrimen inter contritionem Judæ & Petri. Verum adversarii de lege respondent, quod Judas non dilexerit Deum, sed timuerit

pœ-

Digitized by Google

pœnas. Quando autem territa conſcientia; præſertim in ſeriis, veris & illis magnis terroribus, qui deſcribuntur in Pſalmis ac Prophetis, & quos certe deguſtant iſti, qui vere convertuntur, judicare poterit, utrum Deum propter ſe timeat, an fugiat æternas pœnas? Hi magni motus literis & vocabulis diſcerni poſſunt, re ipſa non ita divelluntur, ut iſti ſvaves Sophiſtæ ſomniant. Hic appellamus judicia omnium bonorum & ſapientum virorum. Hi haud dubie fatebuntur, has diſputationes apud adverſarios perplexiſſimas & intricatiſſimas eſſe. Et tamen agitur de re maxima, de præcipuo Evangelii loco, de remiſſione peccatorum. Tota hæc doctrina de his quæſtionibus, quas recenſuimus, apud adverſarios plena eſt errorum & hypocriſis, & obſcurat beneficium Chriſti, poteſtatem clavium, & juſtitiam fidei.

Hæc fiunt in primo actu. Quid cum ventum eſt ad Confeſſionem? Quantum ibi negotii eſt in illa infinita enumeratione peccatorum, quæ tamen magna ex parte conſumitur in traditionibus humanis? Et quo magis crucientur bonæ mentes, fingunt hanc enumerationem eſſe Juris divini. Et cum ipſam enumerationem exigant, prætextu Juris divini, interim de abſolutione, quæ verè eſt juris divini, frigide loquuntur. Fingunt ipſum ſacramentum ex opere operato conferre gratiam ſine bono motu utentis, de fide apprehendente abſolutionem, & conſolante conſcientiam, nulla fit mentio. Hoc vere eſt, quod dici ſolet, ἀπιστίαν περὶ τῶν μυστηρίων. Reſtat tertius actus de ſatisfactionibus. Hic vero habet confuſiſſimas diſputationes. Fingunt æternas pœnas mutari in pœnas purgatorii. Et harum partem remitti poteſtate clavium, partem docent redimendam eſſe ſatisfactionibus. Addunt amplius, quod oporteat ſatisfactiones eſſe opera ſupererogationis, & hæc conſtituunt in ſtultiſſimis obſervationibus, velut in peregrinationibus, Roſariis, aut ſimilibus obſervationibus,

quæ non habent mandata Dei. Deinde, ſicut purgatorium ſatisfactionibus redimunt, ita excogitata eſt ars redimendi ſatisfactiones, quæ fuit quæſtuoſiſſima. Vendunt enim indulgentias, quas interpretantur eſſe remiſſiones ſatisfactionum. Et hic quæſtus non ſolum ex vivis, ſed multo amplior eſt ex mortuis. Neque ſolum indulgentiis, ſed etiam ſacrificio Miſſæ redimunt ſatisfactiones mortuorum, denique infinita res eſt de ſatisfactionibus. Inter hæc ſcandala, non enim poſſumus enumerare omnia, & doctrinas dæmoniorum, jacet obruta doctrina de juſtitia fidei in Chriſtum, & de beneficio Chriſti. Quare intelligunt omnes boni viri, utiliter & pie reprehenſam eſſe doctrinam Sophiſtarum & Canoniſtarum de pœnitentia. Nam hæc dogmata aperte falſa ſunt, & non ſolum aliena à ſcripturis ſanctis, ſed etiam ab Eccleſiaſticis patribus:

I. Quod per bona opera, extra gratiam facta, mereamur ex pacto divino gratiam.

II. Quod per attritionem mereamur gratiam.

III. Quod ad deletionem peccati ſola deteſtatio criminis ſufficiat.

IV. Quod propter contritionem, non fide in Chriſtum, conſequamur remiſſionem peccatorum.

V. Quod poteſtas clavium valeat ad remiſſionem peccatorum, non coram Deo, ſed coram Eccleſia.

VI. Quod poteſtate clavium non remittantur peccata coram Deo, ſed quod ſit inſtituta poteſtas clavium, ut mutet pœnas æternas in temporales, ut imponat certas ſatisfactiones conſcientiis, ut inſtituat novos cultus, & ad tales ſatisfactiones & cultus obliget conſcientias.

VII. Quod enumeratio delictorum in Confeſſione, de qua præcipiunt adverſarii, ſit neceſſaria Jure divino.

VIII. Quod Canonicæ ſatisfactiones neceſſariæ ſint ad pœnam purgatorii redimendam, aut proſint tanquam

quam compenſatio ad delendam culpam. Sic enim imperiti intelligunt.

IX. Quod ſuſceptio ſacramenti pœnitentiæ, ex opere operato, ſine bono motu utentis, hoc eſt, ſine fide in Chriſtum, conſequatur gratiam.

X. Quod poteſtate clavium per indulgentias liberentur animæ ex purgatorio.

XI. Quod in reſervatione caſuum, non ſolum pœna Canonica, ſed etiam culpa reſervari debeat, in eo, qui vere convertitur.

Nos igitur, ut explicaremus pias conſcientias ex his labyrinthis Sophiſtarum, conſtituimus duas partes pœnitentiæ, videlicet contritionem, & fidem. Si quis volet addere tertiam, videlicet, dignos fructus pœnitentiæ, hoc eſt, mutationem totius vitæ ac morum in melius, non refragabimur. De contritione præcidimus illas ocioſas & infinitas diſputationes, quando ex dilectione Dei, quando ex timore pœnæ doleamus. Sed dicimus contritionem eſſe veros terrores conſcientiæ, quæ Deum ſentit iraſci peccato, & dolet ſe peccaſſe. Et hæc contritio ita fit, quando verbo Dei arguuntur peccata, quia hæc eſt ſumma prædicationis Evangelii, arguere peccata, & offerre remiſſionem peccatorum, & juſtitiam propter Chriſtum, & Spiritum Sanctum, & vitam æternam, & ut renati benefaciamus. Sic complectitur ſummam Evangelii Chriſtus, cum ait Lucæ ultimo: Prædicari in nomine meo pœnitentiam & remiſſionem peccatorum inter omnes gentes. Et de his terroribus loquitur ſcriptura, ut Pſal. 38. Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, ſicut onus grave, gravatæ ſunt ſuper me, &c. Afflictus ſum & humiliatus ſum nimis; rugiebam à gemitu cordis mei. Et Pſal. 6. Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum, ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea, & anima mea turbata eſt valde; *Luc. 24, 47.* *Pſal. 38, 5.* *Pſal. 6, 3.*

Esa. 38, 13. Et tu Domine usque quo? Et Esaiæ 38. Ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferni. Sperabam usque ad mane. Quasi leo sic contrivit omnia ossa mea. In his terroribus sentit conscientia iram Dei adversus peccatum, quæ est ignota securis hominibus secundum carnem ambulantibus. Videt peccati turpitudinem, & serio dolet se peccasse, etiam fugit interim horribilem iram Dei, quia non potest eam sustinere humana natura, nisi sustentetur verbo Dei.

Galat. 2, 19. Ita Paulus ait: Per legem legi mortuus sum. Lex enim tantum accusat & terret conscientias. In his terroribus adversarii nostri nihil de fide dicunt; Ita tantum proponunt verbum, quod arguit peccata. Quod cum solum traditur, doctrina legis est, non Evangelii. His doloribus ac terroribus dicunt homines mereri gratiam, si tamen diligunt Deum. At quomodo diligent Deum homines in veris terroribus, cum sentiunt horribilem & inexplicabilem humana voce iram Dei? Quid aliud nisi desperationem docent, qui in his terroribus tantum ostendunt legem?

Nos igitur addimus alteram partem pœnitentiæ de fide in Christum, quod in his terroribus debeat conscientiis proponi Evangelium de Christo, in quo promittitur gratis remissio peccatorum per Christum. Debent igitur credere, quod propter Christum gratis remittantur ipsis peccata. Hæc fides erigit, sustentat & vivificat contritos, juxta illud: Justificati ex fide pacem habemus. Hæc fides consequitur remissionem

Rom. 5, 1. peccatorum. Hæc fides justificat coram Deo, ut idem locus testatur: Justificati ex fide. Hæc fides ostendit discrimen inter contritionem Judæ & Petri, Saulis & Davidis. Ideo Judæ aut Saulis contritio non prodest, quia non accedit ad eam hæc fides apprehendens remissionem peccatorum donatam propter Christum. Ideo prodest Davidis aut Petri contritio, quia ad eam fides

acce-

accedit, apprehendens remiſſionem peccatorum donatam propter Chriſtum. Nec prius dilectio adeſt, quam ſit facta fide reconciliatio. Lex enim non fit ſine Chriſto, juxta illud: Per Chriſtum habemus acceſſum ad Deum. Et hæc fides paulatim crefcit, & per omnem vitam luctatur cum peccato, ut vincat peccatum & mortem. Cæterum fidem ſequitur dilectio, ut ſupra diximus. Et ſic clare definiri poteſt filialis timor, talis pavor, qui cum fide conjunctus eſt, hoc eſt, ubi fides conſolatur & ſuſtentat pavidum cor. Servilis timor, ubi fides non ſuſtentat pavidum cor. *Rom. 5, 2.*

Porro poteſtas clavium adminiſtrat & exhibet Evangelium per Abſolutionem, quæ eſt vera vox Evangelii. Ita & abſolutionem complectimur, cum de fide dicimus, quia fides eſt ex auditu, ut ait Paulus. Nam audito Evangelio, audita abſolutione, erigitur & concipit conſolationem conſcientia. Et quia Deus vere per verbum vivificat, claves vere coram Deo remittunt peccata, juxta illud: Qui vos audit, me audit. Quare voci abſolventis, non ſecus ac voci de cœlo ſonanti credendum eſt. Et abſolutio proprie dici poteſt ſacramentum pœnitentiæ, ut etiam Scholaſtici Theologi eruditiores loquuntur. Interim hæc fides in tentationibus multipliciter alitur per Evangelii ſententias, & per uſum ſacramentorum. Hæc enim ſunt ſigna novi Teſtamenti, hoc eſt, ſigna remiſſionis peccatorum. Offerunt igitur remiſſionem peccatorum, ſicut clare teſtantur verba Cœnæ Domini: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur: Hic eſt calix Novi Teſtamenti, &c. Ita fides concipitur & confirmatur per abſolutionem, per auditum Evangelii, per uſum Sacramentorum, ne ſuccumbat, dum luctatur cum terroribus peccati & mortis. *Rom. 10, 17. Luc. 10, 16. Matth. 26, 26. 28.*

Hæc ratio pœnitentiæ plana & perſpicua eſt, & auget dignitatem poteſtatis clavium, & Sacramentorum, &

illuſtrat beneficium Chriſti, docet nos uti mediatore ac propitiatore Chriſto.

Sed quia confutatio damnat nos, quod has duas partes pœnitentiæ poſuerimus, oſtendendum eſt, quod ſcriptura in pœnitentia, ſeu converſione impii ponat has præcipuas partes. Chriſtus enim inquit Matth. 11. *Matth. 11, 28.* Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Hic duo membra ſunt, labor & onus ſignificant contritionem, pavores & terrores peccati & mortis. Venire ad Chriſtum, eſt credere, quod propter Chriſtum remittantur peccata; cum credimus, vivificantur corda Spiritu Sancto, per verbum Chriſti. Sunt igitur hic duæ partes præcipue, con- *Marc. 1, 15.* tritio & fides. Et Marci primo Chriſtus ait: Agite pœnitentiam, & credite Evangelio. Ubi in priore particula arguit peccata, in poſteriore conſolatur nos, & oſtendit remiſſionem peccatorum. Nam credere Evangelio, non eſt illa generalis fides, quam habent & diaboli, ſed proprie eſt credere remiſſionem peccatorum propter Chriſtum donatam. Hæc enim revelatur in Evangelio. Videtis & hîc duas partes conjungi, Contritionem, cum arguuntur peccata, & fidem, cum dicitur, credite Evangelio. Si quis hic dicat, Chriſtum complecti etiam fructus pœnitentiæ, ſeu totam novam vitam, non diſſentiemus. Nam hoc nobis ſufficit, quod hæ partes præcipuæ nominantur, contritio & fides.

Paulus fere ubique, cum deſcribit converſionem ſeu renovationem, facit has duas partes, mortificationem *Col. 2, 11.* & vivificationem, ut Col. 2. In quo circumciſi eſtis circumciſione non manu facta, videlicet exſpoliatione corporis peccatorum carnis. Et poſtea: in quo ſimul reſuſcitati eſtis per fidem efficaciæ Dei. Hîc duæ ſunt partes: Altera eſt exſpoliatio corporis peccatorum, Altera eſt reſuſcitatio per fidem. Neq; hæc verba, mortifi-

tificatio, vivificatio, exſpoliatio corporis peccatorum, reſuſcitatio, Platonice intelligi debent, de ſimulata mutatione; ſed mortificatio ſignificat veros terrores, quales ſunt morientium, quos ſuſtinere natura non poſſet, niſi erigeretur fide. Ita hic exſpoliationem corporis peccatorum vocat, quam nos dicimus uſitate contritionem, quia in illis doloribus concupiſcentia naturalis expurgatur. Et vivificatio intelligi debet, non imaginatio Platonica, ſed conſolatio, quæ vere ſuſtentat fugientem vitam in contritione. Sunt ergo hic duæ partes, contritio & fides. Quia enim conſcientia non poteſt reddi pacata, niſi fide, ideo ſola fides vivificat, juxta hoc dictum: Juſtus ex fide vivet. *Hab. 2, 4.*

Et deinde in Coloſſenſibus inquit, Chriſtum delere Chirographum, quod per legem adverſatur nobis. Hic quoque duæ ſunt partes, Chirographum, & deletio Chirographi. Eſt autem Chirographum conſcientia arguens & condemnans nos. Porro lex eſt verbum, quod arguit & condemnat peccata. Hæc igitur vox, quæ dicit, peccavi Domino, ſicut David ait, eſt Chirographum. Et hanc vocem impii & ſecuri homines non emittunt ſerio. Non enim vident, non legunt ſcriptam in corde ſententiam legis. In veris doloribus ac terroribus cernitur hæc ſententia. Eſt igitur Chirographum ipſa contritio, condemnans nos. Delere Chirographum eſt tollere hanc ſententiam, qua pronunciamus, fore ut damnemur, & ſententiam inſculpere, qua ſentiamus nos liberatos eſſe ab illa condemnatione. Eſt autem fides, nova illa ſententia, quæ abolet priorem ſententiam, & reddit pacem & vitam cordi. *Col. 2, 14.* *2. Sam. 12, 13.*

Quanquam quid opus eſt multa citare teſtimonia, cum ubique obvia ſint in ſcripturis? Pſalmo 117. Caſtigans caſtigavit me Dominus, & morti non tradidit me. Pſalm. 118. Defecit anima mea præ anguſtia; Confirma me verbo tuo. Ubi in priore membro contine- *Pſal. 117, 18.* *Pſal. 118, 28.*

tur contritio, in ſecundo modus clare deſcribitur, quomodo in contritione recreemur, ſcilicet verbo Dei, quod offert gratiam. Id ſuſtentat & vivificat corda. 1. Sam. 2, 6. Et 1. Reg. 2. Dominus mortificat, & vivificat, deducit ad inferos, & reducit. Horum altero ſignificatur contritio, altero ſignificatur fides. Eſa. 28, 22. Et Eſa. 28. Dominus iraſcetur, ut faciat opus ſuum. Alienum eſt opus ejus, ut operetur opus ſuum. Alienum opus Dei vocat, cum terret, quia Dei proprium opus eſt vivificare & conſolari. Verum ideo terret, inquit, ut ſit locus conſolationi & vivificationi, quia ſecura corda & non ſentientia iram Dei faſtidiunt conſolationem. Ad hunc modum ſolet ſcriptura hæc duo conjungere, terrores, & conſolationem, ut doceat, hæc præcipua membra eſſe in pœnitentia, contritionem, & fidem conſolantem & juſtificantem. Neque videmus, quomodo natura pœnitentiæ clarius & ſimplicius tradi poſſit. Hæc enim ſunt duo præcipua opera Dei in hominibus, perterrefacere, & juſtificare ac vivificare perterrefactos. In hæc duo opera diſtributa eſt univerſa ſcriptura. Altera pars lex eſt, quæ oſtendit, arguit & condemnat peccata. Altera pars Evangelium, hoc eſt, promiſſio gratiæ in Chriſto donatæ, & hæc promiſſio ſubinde repetitur in tota ſcriptura, primum tradita Adæ, poſtea Patriarchis, deinde à Prophetis illuſtrata. Poſtremo prædicata & exhibita à Chriſto inter Judæos, & ab Apoſtolis ſparſa in totum mundum. Nam fide hujus promiſſionis ſancti omnes juſtificati ſunt, non propter ſuas attritiones, vel contritiones. Et exempla oſtendunt ſimiliter has duas partes. Adam objurgatur poſt peccatum, & perterrefit. Hæc fuit contritio. Poſtea promittit Deus gratiam, dicit futurum ſemen, quo deſtruetur regnum diaboli, mors & peccatum. Ibi offert remiſſionem peccati. Hæc ſunt præcipua. Nam etſi poſtea additur pœna, tamen hæc pœna non meretur remiſſionem peccati.

Et

Et de hoc genere pœnarum paulo poſt dicemus. Sic David objurgatur à Nathan, & perterrefactus inquit: Peccavi Domino. Ea eſt contritio. Poſtea audit abſolutionem: Dominus ſuſtulit peccatum tuum: Non morieris. Hæc vox erigit Davidem, & fide ſuſtentat, juſtificat, & vivificat eum. Additur & hic pœna, ſed hæc pœna non meretur remiſſionem peccatorum. Nec ſemper adduntur peculiares pœnæ, ſed hæc duo ſemper exiſtere in pœnitentia oportet, contritionem & fidem, ut Lucæ 7. Mulier peccatrix venit ad Chriſtum lachrymans. Per has lachrymas agnoſcitur contritio. Poſtea audit abſolutionem: Remittuntur tibi peccata. Fides tua ſalvam te fecit, vade in pace. Hæc eſt altera pars pœnitentiæ, fides, quæ erigit & conſolatur eam. Ex his omnibus apparet piis lectoribus, nos eas partes pœnitentiæ ponere, quæ proprie ſunt in converſione, ſeu regeneratione & remiſſione peccati. Fructus digni & pœnæ ſequuntur regenerationem & remiſſionem peccati. Ideoque has duas partes poſuimus, ut magis conſpici fides poſſit, quam in pœnitentia requirimus. Et magis intelligi poteſt, quid ſit fides, quam prædicat Evangelium, cum opponitur contritioni, ac mortificationi.

2. Sam. 12, 13. 14.

Luc. 7, 38.

Sed quia adverſarii nominatim hoc damnant, quod dicimus homines fide conſequi remiſſionem peccatorum, addemus paucas quasdam probationes, ex quibus intelligi poterit, remiſſionem peccatorum contingere, non ex opere operato propter contritionem, ſed fide illa ſpeciali, qua unusquisque credit ſibi remitti peccata. Nam hic articulus præcipuus eſt, de quo digladiamur cum adverſariis, & cujus cognitionem ducimus maxime neceſſariã eſſe Chriſtianis omnibus. Cum autem ſupra de juſtificatione, de eadem re ſatis dictum videatur, hic breviores erimus. Sunt enim loci maxime cognati, doctrina pœnitẽtiæ, & doctrina juſtificationis.

Ad-

Adverſarii cum de fide loquuntur, & dicunt eam præcedere pœnitentiam, intelligunt fidem, non hanc, quæ juſtificat, ſed quæ in genere credit Devm eſſe, pœnas propoſitas eſſe impiis, &c. Nos præter illam fidem, requirimus, ut credat ſibi quisque remitti peccata. De hac fide ſpeciali litigamus, & opponimus eam opinioni, quæ jubet confidere non in promiſſione Chriſti, ſed in opere operato contritionis, confeſſionis & ſatisfactionum, &c. Hæc fides ita ſequitur terrores, ut vincat eos, & reddat pacatam conſcientiam. Huic fidei tribuimus, quod juſtificet & regeneret, dum ex terroribus liberat, & pacem, gaudium, & novam vitam in corde parit. Hanc fidem defendimus vere eſſe neceſſariam ad remiſſionem peccatorum, ideo ponimus inter partes pœnitentiæ. Nec aliud ſentit Eccleſia Chriſti, etiamſi adverſarii noſtri reclamant.

Principio autem interrogamus adverſarios, utrum abſolutionem accipere, pars ſit pœnitentiæ, nec ne? quod ſi à confeſſione ſeparant, ut ſunt ſubtiles in diſtingvendo, non videmus, quid proſit confeſſio ſine abſolutione. Sin autem non ſeparant à confeſſione acceptionem abſolutionis, neceſſe eſt, eos ſentire, quod fides ſit pars pœnitentiæ, quia abſolutio non accipitur ſine fide. Quod autem abſolutio non accipiatur niſi fide, ex
Rom. 4, 16. Paulo probari poteſt, qui docet Rom. 4. quod promiſſio non poſſit accipi, niſi fide. Abſolutio autem eſt promiſſio remiſſionis peccatorum. Igitur neceſſario requirit fidem. Nec videmus, quomodo dicatur is accipere abſolutionem, qui non aſſentitur ei. Et quid aliud eſt non aſſentiri abſolutioni, quam Deum accuſare mendacii? Si cor dubitet, ſentit incerta & inania eſſe,
1. Joh. 5, 10. quæ promittit Deus. Ideo 1. Joh. 5. ſcriptum eſt: Qui non credit Deo, mendacem facit eum, quia non credit in teſtimonium, quod teſtificatus eſt Deus de Filio ſuo.

Se-

Secundo fateri adversarios existimamus, remissionem peccatorum pœnitentiæ, seu partem, seu finem, seu, ut ipsorum more loquamur, terminum esse ad quem. Ergo id, quo accipitur remissio peccatorum, recte additur partibus pœnitentiæ. Certissimum est autem, etiamsi omnes portæ inferorum reclament, remissionem peccatorum non posse accipi, nisi sola fide, quæ credit peccata remitti propter Christum, juxta illud Rom. 3. Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem, in sanguine ipsius. Item Rom. 5. Per quem accessum habemus per fidem in gratiam, &c. Nam conscientia territa non potest opponere iræ DEI opera nostra, aut dilectionem nostram, sed ita demum sit pacata, cum apprehendit mediatorem Christum, & credit promissionibus propter illum donatis. Non enim intelligunt, quid sit remissio peccatorum, aut quomodo nobis contingat, qui somniant, corda pacata fieri, sine fide in Christum. Petrus citat ex Esaia: Qui crediderit in eum, non confundetur. Necesse est igitur confundi hypocritas, confidentes se accipere remissionem peccatorum propter sua opera, non propter Christum. Et Petrus ait in Actis c. 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus, omnes, qui credunt in eum. Non potuit dici magis dilucidè, quam quod ait, per nomen ejus, & addit, omnes, qui credunt in eum. Tantum igitur ita accipimus remissionem peccatorum, per nomen Christi, hoc est, propter Christum, non propter ulla nostra merita atque opera. Et hoc ita fit, cum credimus nobis remitti peccata propter Christum. Adversarii nostri vociferantur se esse Ecclesiam, se consensum Ecclesiæ sequi. At Petrus hic in nostra causa etiam allegat consensum Ecclesiæ, huic, inquit, omnes Prophetæ perhibent testimonium, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus, &c. Profecto consensus Prophetarum judi-

Rom. 3, 25.

Rom. 5, 2.

1. Petr. 2, 6.

Act. 10, 43.

judicandus est universalis Ecclesiæ consensus esse. Nec Papæ nec Ecclesiæ concedimus potestatem decernendi contra hunc consensum Prophetarum. At Bulla Leonis aperte damnat hunc articulum de remissione peccatorum, damnant & adversarii in confutatione. Qua ex re apparet, qualis sit Ecclesia judicanda istorum, qui non solum decretis improbant hanc sententiam, quod remissionem peccatorum consequamur fide, non propter opera nostra, sed propter Christum, sed etiam jubent eam vi ac ferro abolere. Jubent omni genere crudelitatis perdere viros bonos, qui sic sentiunt. Sed habent magni nominis autores, Scotum, Gabrielem & similes, dicta Patrum, quæ in Decretis truncata citantur. Certe si numeranda sunt testimonia, vincunt. Est enim maxima turba nugacissimorum scriptorum in sententias, qui tanquam conjurati defendunt illa figmenta de merito attritionis & operum, & cætera, quæ supra recitavimus. Sed ne quis multitudine moveatur, non magna autoritas est in testimoniis posteriorum, qui non genuerunt sua scripta, sed tantum compilatis superioribus, transfuderunt illas opiniones ex aliis libris in alios. Nihil judicii adhibuerunt, sed ut pedanei senatores taciti comprobaverunt superiorum errores, non intellectos. Nos igitur hanc Petri vocem non dubitemus opponere quamlibet multis legionibus Sententiariorum, quæ allegat consensum Prophetarum. Et accedit testimonium Spiritus Sancti ad hanc concionem Petri. Sic enim ait textus:

Actor. 10, 44. Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus Sanctus super omnes, qui audiebant verbum. Sciant igitur piæ conscientiæ hoc esse mandatum Dei, ut credant sibi gratis ignosci propter Christum, non propter opera nostra. Et hoc mandato Dei sustentent se adversus desperationem, & adversus terrores peccati & mortis. Et hanc sententiam sciant à principio mundi in Ecclesia extitisse apud sanctos. Petrus enim

enim clare allegat consensum Prophetarum, & Apostolorum scripta testantur, eos idem sentire. Nec desunt Patrum testimonia. Nam Bernhardus idem dicit verbis minime obscuris: Necesse est enim primo omnium credere, quod remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam Dei, sed adde adhuc, ut credas & hoc, quod per ipsum peccata tibi donantur. Hoc est testimonium, quod perhibet Spiritus S. in corde tuo dicens: Dimissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apostolus, gratis justificari hominem per fidem. Hæc Bernhardi verba mirifice illustrant causam nostram, quia non solum requirit, ut in genere credamus peccata remitti per misericordiam; Sed jubet addere specialem fidem, qua credamus & nobis ipsis remitti peccata. Et docet, quomodo certi reddamur de remissione peccatorum, videlicet cum fide corda eriguntur, & fiunt tranquilla per Spiritum Sanctum. Quid requirunt amplius adversarii? Num adhuc audent negare fide nos consequi remissionem peccatorum? aut fidem partem esse pœnitentiæ? *Matth. 9, 2. Eph. 2, 8.*

Tertio. Adversarii dicunt, peccatum ita remitti, quia attritus seu contritus elicit actum dilectionis Dei, per hunc actum meretur accipere remissionem peccatorum. Hoc nihil est, nisi legem docere, deleto Evangelio, & abolita promissione de Christo. Tantum enim requirunt legem & nostra opera, quia lex exigit dilectionem. Præterea docent confidere, quod remissionem peccatorum consequamur propter contritionem & dilectionem. Hoc quid est aliud, nisi collocare fiduciam in nostra opera, non in verbum & promissionem Dei de Christo? Quod si lex satis est ad consequendam remissionem peccatorum, quid opus est Evangelio? quid opus est Christo, si propter nostrum opus consequimur remissionem peccatorum? Nos contra à lege ad Evangelium revocamus conscientias, & à fiducia proprio-

tum

rum operum, ad fiduciam promiſſionis & Chriſti, quia Evangelium exhibet nobis Chriſtum, & promittit gratis remiſſionem peccatorum propter Chriſtum. Hac promiſſione jubet nos confidere, quod propter Chriſtum reconciliemur Patri, non propter noſtram contritionem aut dilectionem. Non enim alius eſt mediator aut propitiator, niſi Chriſtus. Nec legem facere poſſumus, niſi prius per Chriſtum reconciliati ſimus. Et ſi quid faceremus, tamen ſentiendum eſt, quod non propter illa opera, ſed propter Chriſtum mediatorem & propitiatorem conſequimur remiſſionem peccatorum. Imo contumelia Chriſti, & Evangelii abrogatio eſt, ſentire, quod remiſſionem peccatorum propter legem aut aliter conſequamur, quam fide in Chriſtum. Et hanc rationem ſupra tractavimus de juſtificatione, cum diximus: quare profiteamur homines fide juſtificari, non dilectione. Itaque doctrina adverſariorum, cum docent, homines contritione & dilectione ſua conſequi remiſſionem peccatorum, & confidere hac contritione & dilectione, tantum eſt doctrina legis & quidem non intellectæ, ſicut Judæi in velatam Moyſi faciem intuebantur. Fingamus enim adeſſe dilectionem, fingamus adeſſe opera, tamen neque dilectio, neque opera poſſunt eſſe propitiatio pro peccato. *Pſal. 143. 2.* Ac ne poſſunt quidem opponi iræ & judicio Dei, juxta illud: non intrabis in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. Nec debet honor Chriſti transferri in noſtra opera.

Propter has cauſas contendit Paulus, quod non juſtificemur ex lege, & opponit legi promiſſionem remiſſionis peccatorum, quæ propter Chriſtum donatur, ac docet nos gratis propter Chriſtum fide accipere remiſſionem peccatorum. *Rom. 3.* Ad hanc promiſſionem revocat nos Paulus à lege. In hanc promiſſionem jubet intueri, quæ certè irrita erit, ſi prius lege juſtificamur, quam

quàm per promiſſionem, aut ſi propter noſtram juſtitiam conſequimur remiſſionem peccatorum. At conſtat, quod ideo nobis data eſt promiſſio, ideo exhibitus eſt Chriſtus, quia legem non poſſumus facere. Quare neceſſe eſt, prius nos promiſſione reconciliari, quam legem facimus. Promiſſio autem tantum fide accipitur. Igitur neceſſe eſt, contritos apprehendere fide promiſſionem remiſſionis peccatorum donatæ propter Chriſtum, ac ſtatuere, quod gratis propter Chriſtum habeant placatum Patrem. Hæc eſt ſententia Pauli ad Rom. 4. ubi inquit: Ideo ex fide, ut ſecundum gratiam firma ſit promiſſio. Et ad Gal. 3. Concluſit ſcriptura omnia ſub peccatum, ut promiſſio ex fide Jeſu Chriſti detur credentibus; id eſt, omnes ſunt ſub peccato, nec poſſunt aliter liberari, niſi fide apprehendant promiſſionem remiſſionis peccatorum. Prius igitur oportet nos fide accipere remiſſionem peccatorum, quam legem facimus, etſi, ut ſupra dictum eſt, fidem dilectio ſequitur, quia renati Spiritum Sanctum accipiunt, ideo legem facere incipiunt. Citaremus plura teſtimonia, niſi obvia eſſent cuilibet pio lectori in ſcripturis. Et nos non nimis prolixe eſſe cupimus, ut facilius hæc cauſa perſpici poſſit. Neque vero dubium eſt, quin hæc ſit ſententia Pauli, quam defendimus, quod fide accipiamus remiſſionem peccatorum proter Chriſtum, quod fide mediatorem Chriſtum opponere debeamus iræ Dei, non opera noſtra. Nec perturbentur piæ mentes, etiamſi Pauli ſententias calumnientur adverſarii. Nihil tam ſimpliciter dicitur, quod non queat depravari cavillando. Nos ſcimus, hanc, quam diximus, veram & germanam ſententiam Pauli eſſe, ſcimus, hanc noſtram ſententiam piis conſcientiis firmam conſolationem afferre, ſine qua nemo conſiſtere in judicio Dei queat. Itaque repudientur illæ Phariſaicæ opiniones adverſariorum, quod non accipiamus

Rom. 4, 16. ſq.

Galat. 3, 22.

fide remissionem peccatorum, sed quod oporteat mereri dilectione nostra & operibus, quod dilectionem nostram & opera nostra iræ Dei opponere debeamus. Hæc doctrina legis est, non Evangelii, quæ fingit prius hominem lege justificari, quam per Christum reconciliatus sit DEO, cum Christus dicat: Sine me nihil potestis facere. Item: Ego sum vitis vera, vos palmites. Verum adversarii fingunt, nos esse palmites, non Christi, sed Moysis. Prius enim volunt lege justificari, dilectionem nostram & opera offerre DEO, quam reconcilientur Deo per Christum, quam sint palmites Christi. Paulus contra contendit, legem non posse fieri sine Christo. Ideo promissio prius accipienda est, ut fide reconciliemur Deo propter Christum, quam legem faciamus. Hæc satis perspicua esse piis conscientiis existimamus. Et hinc intelligent, cur supra professi simus justificari homines fidè, non dilectione, quia oportet nos opponere iræ Dei, non nostram dilectionem, aut opera, aut confidere nostra dilectione ac operibus; sed CHRISTUM mediatorem. Et prius oportet apprehendere promissionem remissionis peccatorum, quam legem facimus.

Joh. 15, 5.

Postremo, quando erit pacata conscientia, si ideo accipimus remissionem peccatorum, quia nos diligimus, aut legem facimus? Semper enim accusabit nos lex, quia nunquam legi Dei satisfacimus, sicut inquit Paulus: Lex iram operatur. Chrysostomus quærit de pœnitentia, unde certi reddamur, peccata nobis remissa esse? Quærunt & in sententiis eadem de re adversarii. Hoc non potest explicari, non possunt conscientiæ reddi tranquillæ, nisi sciant mandatum Dei esse, & ipsum Evangelium, ut certo statuant propter Christum gratis remitti peccata, nec dubitent sibi remitti. Si quis dubitat, is, ut Johannes ait, accusat promissionem divinam mendacii. Hanc certitudinem fidei nos docemus re-

Rom. 4, 15.

1. Joh. 5, 10.

Digitized by Google

requiri in Evangelio. Adversarii relinquunt conscientias incertas & ambigentes. Nihil autem agunt conscientiæ ex fide, cum perpetuo dubitant, utrum habeant remissionem. Quomodo possunt in hac dubitatione invocare Deum? quomodo possunt statuere, quod exaudiantur: Ita tota vita est sine DEO, & sine vero cultu Dei. Hoc est, quod Paulus inquit, peccatum esse, quicquid non fit ex fide. Et quia in hac dubitatione perpetuo versantur, nunquam experiuntur, quid sit fides. Ita fit, ut ad extremum ruant in desperationem. Talis est doctrina adversariorum, doctrina legis, abrogatio Evangelii, doctrina desperationis. Nunc libenter omnibus bonis viris permittimus judicium de hoc loco pœnitentiæ, nihil enim habet obscuri, ut pronuncient, utri magis pia & salubria conscientiis docuerint, nos, an adversarii. Profecto non delectant nos hæ dissensiones in Ecclesia, quare nisi magnas & necessarias causas haberemus dissentiendi ab adversariis, summa voluntate taceremus. Nunc cum ipsi manifestam veritatem damnent, non est integrum nobis, deserere causam non nostram, sed Christi & Ecclesiæ. *Rom. 14, 23.*

Diximus, quas ob causas posuerimus has duas partes pœnitentiæ, contritionem & fidem. Idque hoc fecimus libentius, quia circumferuntur multa dicta de pœnitentia, quæ truncata citantur ex Patribus, quæ ad obscurandam fidem detorserunt adversarii. Talia sunt, pœnitentia est mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere. Item: Pœnitentia est quædam dolentis vindicta, puniens in se, quod dolet se commisisse. In his dictis nulla fit mentio fidei, ac ne in scholis quidem, cum interpretantur, aliquid de fide additur. Quare nos eam, ut magis conspici doctrina fidei posset, inter partes pœnitentiæ numeraverimus. Nam illa dicta, quæ contritionem aut bona opera requirunt, & nullā fidei justificantis mentionem faciunt, periculosa

esse,res ipsa ostendit. Et merito desiderari prudentia in istis potest,qui centones illos sententiarum & decretorum congesserunt. Nam cum Patres alias de alia parte pœnitentiæ loquantur,non tantum de una parte,sed de utraque,hoc est,de contritione & fide, excerpere & conjungere sententias profuisset. Nam Tertullianus egregie de fide loquitur,amplificans jusjurandum illud
Ez. 33, 11. apud Prophetam : Vivo ego,dicit Dominus,nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Quia enim jurat Deus, nolle se mortem peccatoris,ostendit requiri fidem, ut juranti credamus, & certo statuamus, eum nobis ignoscere. Magna debet esse autoritas apud nos promissionum divinarum per sese. At hæc promissio etiam jurejurando confirmata est. Quare si quis non statuit sibi ignosci, is negat Deum verum juravisse, qua blasphemia atrocior nulla excogitari potest. Sic enim ait Tertullianus : Invitat præmio salutem, jurans etiam : Vivo dicens, cupit sibi credi. O beatos, quorum causa jurat Deus. O miserrimos, si nec juranti Domino credimus. Atque hic sciendum est, quod hæc fides debeat sentire, quod gratis nobis ignoscat Deus propter Christum, propter suam promissionem, non propter nostra opera, contritionem,confessionem, aut satisfactiones. Nam si fides nitatur his operibus,statim fit incerta, quia conscientia pavida videt hæc opera indigna esse. Ideo præclare ait Ambrosius de pœnitentia: Ergo & agendam pœnitentiam, & tribuendam veniam credere nos convenit,ut veniam tamen tanquam ex fide speremus,quam tanquã ex syngrapha fides impetrat. Item, fides est, quæ peccata nostræ cooperit. Extant itaq; sententiæ apud Patres, non solum de contritione & operibus, sed etiam de fide. Verum adversarii, cum neque naturam pœnitentiæ intelligant, neque sermonem Patrum, excerpunt dicta de parte pœnitentiæ, videlicet de operibus. Alibi dicta de fide, cum non intelligant, prætereunt.

VI. De

VI.

DE CONFESSIONE ET SATISFACTIONE.

BOni viri facile judicare poſſunt, plurimum referre, ut de ſuperioribus partibus, videlicet contritione & fide, conſervetur vera doctrina. Itaque in his locis illuſtrandis ſemper plus verſati ſumus, de confeſſione & ſatisfactionibus non admodum rixati ſumus. Nam & nos confeſſionem retinemus præcipue propter Abſolutionem, quæ eſt verbum Dei, quod de ſingulis autoritate divina pronunciat poteſtas clavium. Quare impium eſſet, ex Eccleſia privatam Abſolutionem tollere. Neque, quid ſit remiſſio peccatorum, aut poteſtas clavium, intelligunt, ſi qui privatam Abſolutionem aſpernantur. Cæterum de enumeratione delictorum in confeſſione ſupra diximus; quod ſentiamus, eam non eſſe jure divino neceſſariam. Nam quod objiciunt quidam, Judicem prius debere cognoſcere cauſam, priusquam pronunciat, hoc nihil ad hanc rem pertinet, quia miniſterium abſolutionis, beneficium eſt, ſeu gratia, non eſt judicium ſeu lex. Itaque miniſtri in Eccleſia habent mandatum remittendi peccata, non habent mandatum cognoſcendi occulta peccata. Et quidem abſolvunt ab his, quæ non meminimus; quare abſolutio, quæ eſt vox Evangelii remittens peccata & conſolans conſcientias, non requirit cognitionem. Et ridiculum eſt huc transferre dictum Salomonis: Diligenter cognoſce vultum pecoris tui. Nihil enim dicit Salomon de confeſſione, ſed tradit Oeconomicum præceptum patrifamilias, ut utatur ſuo, & abſtineat ab alieno, & jubet eum res ſuas diligenter curare, ita tamen, ne ſtudio augendarum facultatum occupatus animus abjiciat timorem DEI, aut fidem, aut curam verbi Dei. Sed adverſarii noſtri mirifica Metamorphoſi transformant dicta ſcriptu-

Aug. Conf. 27. Art. Sm. 330. 331. Cat. Min. 378.

ræ, in quaslibet ſententias. Hic cognoſcere ſignificat eis audire confeſſiones. Vultus non externam confeſſionem, ſed arcana conſcientiæ. Pecudes ſignicant homines. Sane bella eſt interpretatio, & digna iſtis contemtoribus ſtudiorum eloquentiæ. Quod ſi velit aliquis per ſimilitudinem transferre præceptum à patrefamilias ad paſtorem Eccleſiæ : certe vultum debebit interpretari de externa converſatione. Hæc ſimilitudo magis quadrabit. Sed omittamus iſta. Aliquoties fit in Pſalmis mentio confeſſionis, ut : Dixi, confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti iniquitatem peccati mei. Talis confeſſio peccati, quæ Deo fit, eſt ipſa contritio. Nam cum Deo fit confeſſio, corde fieri neceſſe eſt, non ſolum voce, ſicut fit in ſcenis ab hiſtrionibus. Eſt igitur talis confeſſio, contritio, in qua ſentientes iram Dei, confitemur Deum juſte iraſci, nec placari poſſe noſtris operibus. Et tamen quærimus miſericordiam, propter promiſſionem Dei. Talis eſt hæc confeſſio : Tibi ſoli peccavi, ut tu juſtificeris, & vincas cum judicaris, id eſt, fateor me peccatorem eſſe, & meritum æternam iram, nec poſſum opponere meas juſtitias, mea merita tuæ iræ. Ideo pronuncio te juſtum eſſe, cum condemnas & punis nos. Pronuncio te vincere, quando hypocritæ judicant te, quod ſis injuſtus, qui ipſos punias aut condemnes bene meritos. Imo noſtra merita non poſſunt opponi tuo judicio, ſed ita juſtificabimur, ſi tu juſtifices, ſi tu reputes nos juſtos per miſericordiam tuam. Fortaſſis & Jacobum citabit aliquis : Confitemini viciſſim delicta. Sed hic non loquitur de confeſſione ſacerdotibus facienda, ſed in genere de reconciliatione fratum inter ſe. Jubet enim mutuam eſſe confeſſionem.

Pſal. 32, 5.

Pſal. 51, 6.

Jac. 5, 16.

Porro adverſarii noſtri multos doctores receptiſſimos damnabunt, ſi contendent enumerationem delictorum in confeſſione neceſſariam eſſe Jure divino

Quan

Quanquam enim confeſſionem probamus,& quandam examinationem prodeſſe judicamus, ut inſtitui homines melius poſſint : tamen ita moderanda res eſt, ne conſcientiis injiciantur laquei, quæ nunquam erunt tranquillæ, ſi exiſtimabunt ſe non poſſe conſequi remiſſionem peccatorum, niſi facta illa ſcrupuloſa enumeratione. Hoc certe falſiſſimum eſt, quod adverſarii poſuerunt in confutatione,quod confeſſio integra ſit neceſſaria ad ſalutem. Eſt enim impoſſibilis. Et quales laqueos hic injiciunt conſcientiæ, cum requirunt integram confeſſionem ? Quando enim ſtatuet conſcientia integram eſſe confeſſionem ? apud ſcriptores Eccleſiaſticos fit mentio confeſſionis, ſed hi non loquuntur de hac enumeratione occultorum delictorum, ſed de ritu publicæ pœnitentiæ. Quia enim lapſi aut famoſi non recipiebantur ſine certis ſatisfactionibus, ideo confeſſionem faciebant iſti apud presbyteros, ut pro modo delictorum præſcriberentur eis ſatisfactiones. Hæc tota res nihil ſimile habuit huic enumerationi, de qua nos diſputamus. Confeſſio illa fiebat, non quod ſine ea non poſſet fieri remiſſio peccatorum coram DEO ; Sed quod non poterant ſatisfactiones præſcribi, niſi prius cognito genere delicti. Nam alia delicta habebant alios canones.

Et ex illo ritu publicæ pœnitentiæ reliquum habemus etiam nomen ſatisfactionis. Nolebant enim ſancti Patres recipere lapſos aut famoſos, niſi prius cognita & ſpectata pœnitentia eorum, quantum fieri poterat. Et hujus rei multæ videntur fuiſſe cauſæ. Nam ad exemplum pertinebat,caſtigare lapſos,ſicut & gloſſa in Decretis admonet;& indecorum erat,homines famoſos ſtatim admittere ad communionem. Hi mores diu jam antiquati ſunt ; Nec neceſſe eſt eos reſtituere,quia non ſunt neceſſarii ad remiſſionem peccatorum coram Deo. Neq; hoc ſenſerunt Patres, mereri homines remiſſionē

peccatorum per tales mores, aut talia opera, Quanquam hæc ſpectacula imperitos ſolent fallere, ut putent, ſe per hæc opera mereri remiſſionem peccatorum coram Deo. Verum ſi quis ſic ſenſit, Judaice, & gentiliter ſenſit. Nam & Ethnici habuerunt quasdam expiationes delictorum, per quas fingebant ſe reconciliari Deo. Nunc autem more antiquato, manet nomen ſatisfactionis, & veſtigium moris, quod in confeſſione præſcribuntur certæ ſatisfactiones, quas definiunt eſſe opera non debita. Nos vocamus ſatisfactiones Canonicas. De his ſic ſentimus, ſicut de enumeratione, quod ſatisfactiones Canonicæ non ſint neceſſariæ Jure divino ad remiſſionem peccatorum. Sicut neque illa ſpectacula vetera ſatisfactionum in pœnitentia publica Jure divino neceſſaria fuerunt ad remiſſionem peccatorum. Retinenda eſt enim ſententia de fide, quod fide conſequamur remiſſionem peccatorū propter Chriſtum, non propter noſtra opera præcedentia aut ſequentia. Et nos ob hanc cauſam præcipue de ſatisfactionibus diſputavimus, ne ſuſciperentur ad obſcurandam juſtitiam fidei, neve exiſtimarent homines ſe propter illa opera conſequi remiſſionem peccatorum. Et adjuvant errorem multa dicta, quæ in ſcholis jactantur, quale eſt, quod in definitione ſatisfactionis ponunt: fieri eam ad placandam divinam offenſam.

Sed tamen fatentur adverſarii, quod ſatisfactiones non proſint ad remiſſionem culpæ. Verum fingunt ſatisfactiones prodeſſe ad redimendas pœnas, ſeu purgatorii, ſeu alias. Sic enim docent, in remiſſione peccati DEUM remittere culpam; Et tamen, quia convenit juſtitiæ divinæ punire peccatum, mutare pœnam æternam in pœnam temporalem. Addunt amplius, partem illius temporalis pœnæ remitti poteſtate clavium, reliquam a. redimi per ſatisfactiones. Nec poteſt intelligi quarū pœnarum pars remittatur poteſtate clavium, niſi di-

dicant, partem pœnarum purgatorii remitti, qua ex re ſequeretur, ſatisfactiones tantum eſſe pœnas redimentes purgatorium. Et has ſatisfactiones dicunt valere, etiamſi fiant ab his, qui relapſi ſunt in peccatum mortale, quaſi vero divina offenſa placari queat ab his, qui ſunt in peccato mortali. Hæc tota res eſt commentitia, recens conficta, ſine autoritate ſcripturæ & veterum ſcriptorum Eccleſiaſticorum. Ac ne Longobardus quidem de ſatisfactionibus hoc modo loquitur. Scholaſtici viderunt in Eccleſia eſſe ſatisfactiones. Nec animadverterunt illa ſpectacula inſtituta eſſe, tum exempli cauſa, tum ad probandos hos, qui petebant recipi ab Eccleſia: In ſumma, non viderunt eſſe diſciplinam, & rem prorſus politicam. Ideo ſuperſtitiosè finxerunt, eas non ad diſciplinam coram Eccleſia, ſed ad placandum Deum valere. Et ſicut alias ſæpe incommode commiſcuerunt ſpiritualia & πολιτικὰ, idem accidit & in ſatisfactionibus. Atqui Gloſſa in Canonibus aliquoties teſtatur, has obſervationes inſtitutas eſſe propter diſciplinam Eccleſiæ.

Videte autem, quomodo in confutatione, quam auſi ſunt obtrudere Cæſ. Majeſt. probent hæc ſua figmenta. Multa dicta ex ſcripturis citant, ut fucum imperitis faciant, quaſi hæc res habeat autoritatem ex ſcripturis, quæ adhuc Longobardi tempore ignota erat. Allegant has ſententias: Facite fructus dignos pœnitentiæ. Item, exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ: Item, Chriſtus prædicat pœnitentiam: Agite pœnitentiam: Item, Chriſtus jubet Apoſtolos pœnitentiam prædicare: Et Petrus prædicat pœnitentiam, Actor. 2. Poſtea citant quædam dicta Patrum & Canones. Et concludunt: ſatisfactiones in Eccleſia, contra expreſſum Evangelium & Conciliorum & Patrum decreta abolendæ non ſunt, quin imo abſoluti à ſacerdote injunctam pœnitentiam perficere debent, illud Pauli ſequentes: Dedit ſemetipſum pro nobis, ut

Matth. 3, 8.
Rom. 6, 19.
Luc. 24, 47.
Actor. 2, 38.
Tit. 2, 14.

redimeret nos ab omni iniquitate,& mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum.

Deus perdat iſtos impios Sophiſtas, tam ſceleſte detorquentes verbum Dei ad ſua ſomnia vaniſſima. Quis bonus vir non commoveatur indignitate tanta? Chriſtus inquit: Agite pœnitentiam. Apoſtoli prædicant pœnitentiam. Igitur pœnæ æternæ compenſantur pœnis purgatorii; Igitur claves habent mandatum remittendi partem pœnarum purgatorii; Igitur ſatisfactiones redimunt pœnas purgatorii. Quis docuit iſtos aſinos hanc Dialecticam? Sed hæc neque Dialectica, neque Sophiſtica eſt, ſed eſt Sycophantica. Ideo allegant hanc vocem: Agite pœnitentiam, ut cum tale dictum contra nos citatum imperiti audiunt, concipiant opinionem, nos totam pœnitentiam tollere. His artibus alienare animos, & inflammare odia conantur, ut conclament contra nos imperiti, tollendos eſſe è medio tam peſtilentes hæreticos, qui improbent pœnitentiam.

Sed ſperamus apud bonos viros has calumnias parum profecturas eſſe. Et Deus tantam impudentiam ac malitiam non diu feret. Nec utiliter conſulit ſuæ dignitati Romanus Pontifex, quod tales patronos adhibet, quod rem maximam judicio horum Sophiſtarum permittit. Nam cum nos in confeſſione fere ſummam doctrinæ Chriſtianæ univerſæ complexi ſimus, adhibendi fuerant judices de tantis, tam multis & tam variis negotiis, pronunciaturi, quorum doctrina & fides probatior eſſet, quam horum Sophiſtarum, qui hanc confutationem ſcripſerunt. Idque te, Campegi, pro tua ſapientia providere decebat,ne quid in tantis rebus iſti ſcriberent, quod aut hoc tempore, aut ad poſteros videatur poſſe minuere Romanæ ſedis exiſtimationem. Si Romana ſedes cenſet æquum eſſe, ut omnes gentes agnoſcant eam pro magiſtra fidei, debet operam dare, ut docti & integri viri de religionibus cognoſcant.

ſcant. Quid enim judicabit mundus, ſi quando proferetur in lucem ſcriptum adverſariorum? quid judicabit poſteritas de his calumnioſis judiciis? Vides Campegi, hæc eſſe poſtrema tempora, in quibus Chriſtus prædixit, plurimum periculi fore religioni. Vos igitur, qui tanquam in ſpecula ſedere & gubernare religiones debetis, his temporibus oportuit ſingularem adhibere tum prudentiam, tum diligentiam. Multa ſunt ſigna, quæ niſi provideritis, minantur mutationem Romano ſtatui. Et erras, ſi tantum vi & armis exiſtimas Eccleſias retinendas eſſe. Doceri de religione poſtulant homines. Quam multos eſſe exiſtimas, non tantū in Germania, ſed etiam in Anglia, in Hiſpania, in Gallia, in Italia, denique in ipſa urbe Roma, qui, quoniã vident exortas eſſe de maximis rebus controverſias, dubitare alicubi incipiunt, & taciti indignantur, quod has tantas res rite cognoſcere & judicare recuſatis, quod non explicatis ambigentes conſcientias, quod tantum jubetis nos armis opprimi ac deleri. Multi ſunt boni viri, quibus hæc dubitatio morte acerbior eſt. Non ſatis expendis, quanta res ſit religio, ſi bonos viros leviter exiſtimas angi, ſicubi incipiunt ambigere de aliquo dogmate. Et hæc dubitatio non poteſt non parere ſummam odii acerbitatem adverſus illos, qui cum mederi conſcientiis debebant, obſiſtunt, quo minus explicari res poſſit. Non hic dicimus, Dei judicium vobis pertimeſcendum eſſe. Nam hoc leviter curare Pontifices putant, qui cum ipſi teneant claves, ſcilicet patefacere ſibi cœlum, cum volunt, poſſunt. De hominum judiciis, deque tacitis voluntatibus omnium gentium loquimur, quæ profecto hoc tempore requirunt, ut hæc negotia ita cognoſcantur, atque conſtituantur, ut ſanentur bonæ mentes, & à dubitatione liberentur. Quid enim futurum ſit, ſi quando eruperint odia illa adverſus vos, pro tua ſapientia facile judicare potes. Verum hoc beneficio devincere omnes gentes

vobis

vobis poteritis, quod omnes ſani homines ſummum & maximum judicant, ſi dubitantes conſcientias ſanaveritis. Hæc non eo diximus, quod nos de noſtra confeſſione dubitemus. Scimus enim eam veram, piam & piis conſcientiis utilem eſſe. Sed credibile eſt paſſim multos eſſe, qui non de levibus rebus ambigunt, nec tamen audiunt idoneos Doctores, qui mederi conſcientiis ipſorum poſſint.

Sed redeamus ad propoſitum. Scripturæ citatæ ab adverſariis, prorſus nihil loquuntur de Canonicis ſatisfactionibus & de opinionibus Scholaſticorum, cum conſtet, eas nuper natas eſſe. Quare mera calumnia eſt, quod detorquent ſcripturas ad illas ſuas opiniones. Nos dicimus, quod pœnitentiam, hoc eſt, converſionem ſeu regenerationem, boni fructus, bona opera in omni vita ſequi debeant. Nec poteſt eſſe vera converſio, aut vera contritio, ubi non ſequuntur mortificationes carnis, & boni fructus. Veri terrores, veri dolores animi, non patiuntur corpus indulgere voluptatibus, & vera fides non eſt ingrato Deo, nec contemnit mandata Dei. Denique nulla eſt interior pœnitentia, niſi foris pariat etiam caſtigationes carnis. Et hanc dicimus eſſe ſententiam Johannis, cum ait: Facite fructus dignos pœnitentiæ. Item Pauli, cum ait: Exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ, ſicut & alibi inquit: Exhibete corpora veſtra, hoſtiam vivam, ſanctam, &c. Et cum Chriſtus inquit: Agite pœnitentiam, certe loquitur de tota pœnitentia, de tota novitate vitæ & fructibus; non loquitur de illis hypocriticis ſatisfactionibus, quas fingunt Scholaſtici, tum quoque valere ad compenſationem pœnæ purgatorii, aut aliarum pœnarum, cum fiunt ab his, qui ſunt in peccato mortali.

Luc. 3, 8.
Rom. 6, 19.
Cap. 12, 1.
Matth. 4, 17.

Ac multa colligi argumenta poſſunt, quod hæc dicta ſcripturæ nullo modo pertineant ad Scholaſticas ſatisfactiones. Iſti fingunt ſatisfactiones eſſe opera inde-

debita, Scriptura autem in his ſententiis requirit opera debita. Nam hæc vox Chriſti eſt vox præcepti, agite pœnitentiam. Item, Adverſarii ſcribunt, confitentem, ſi recuſet ſuſcipere ſatisfactiones, non peccare, ſed perſoluturum eſſe has pœnas in purgatorio. Jam hæ ſententiæ ſine controverſia, præcepta ſunt ad hanc vitam pertinentia: Agite pœnitentiam, facite fructus dignos pœnitentiæ; Exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ. Quare non poſſunt detorqueri ad ſatisfactiones, quas recuſare licet. Non enim licet recuſare præcepta DEI. Tertio: Indulgentiæ remittunt Illas ſatisfactiones, ut docet cap. Cum ex eo, de pœnitentiis & remiſſion. At indulgentiæ non ſolvunt nos illis præceptis: Agite pœnitentiam, facite fructus dignos pœnitentiæ. Itaque manifeſtum eſt, male detorqueri illa dicta ſcripturæ ad Canonicas ſatisfactiones. Videte porro, quid ſequatur; Si pœnæ purgatorii ſunt ſatisfactiones ſeu ſatispaſſiones, aut ſatisfactiones ſunt redemtio pœnarum purgatorii, num etiam hæ ſententiæ præcipiunt, ut animæ caſtigentur in purgatorio? Id cum ſequi neceſſe ſit ex adverſariorum opinionibus, hæ ſententiæ novo modo interpretandæ erunt: Facite fructus dignos pœnitentiæ. Agite pœnitentiam, hoc eſt, patiamini pœnas purgatorii poſt hanc vitam. Sed piget has ineptias adverſariorum pluribus refellere. Conſtat enim, ſcripturam loqui de operibus debitis, de tota novitate vitæ, non de his obſervationibus operum non debitorum, de quibus loquuntur adverſarii. Et tamen his figmentis defendunt ordines, venditionem Miſſarum & infinitas obſervationes, quod ſcilicet ſint opera, ſi non pro culpa, tamen pro pœna ſatisfacientia.

Cum igitur ſcripturæ citatæ non dicant, quod operibus non debitis pœnæ æternæ compenſandæ ſint, temere affirmant adverſarii, quod per ſatisfactiones Canonicas pœnæ illæ compenſentur, nec habent claves man-

mandatum pœnas aliquas commutandi; Item, partem pœnarum remittendi. Ubi enim leguntur hæc in ſcripturis? Chriſtus de remiſſione peccati loquitur, cum ait: Quidquid ſolveritis, &c. quo remiſſo ſublata eſt
Matth. 18. 18. mors æterna, & reddita vita æterna. Neque hic loquitur de imponendis pœnis: quidquid ligaveris: Sed de retinendis peccatis illorum, qui non convertuntur. Sed dictum Longobardi de parte pœnarum remittenda, ſumptum eſt à Canonicis pœnis. Harum partem remittebant paſtores. Quanquam igitur ſentimus, quod pœnitentia debeat bonos fructus parere propter gloriam & mandatum Dei; Et boni fructus habent mandata Dei, vera jejunia, veræ orationes, veræ eleemoſynæ, &c. tamen hoc nusquam reperimus in ſcripturis ſanctis, quod pœnæ æternæ non remittantur, niſi propter pœnam purgatorii, aut ſatisfactiones Canonicas, hoc eſt, propter certa quædam opera non debita, aut quod poteſtas clavium habeat mandatum commutandi pœnas, aut partem remittendi. Hæc probanda erant adverſariis.

Præterea mors Chriſti non eſt ſolum ſatisfactio pro
Hoſ. 13, 14. culpa, ſed etiam pro æterna morte, juxta illud: Ero mors tua, ô mors. Quid eſt igitur monſtri, dicere, quod Chriſti ſatisfactio redimat culpam? Noſtræ pœnæ redimant mortem æternam? ut jam illa vox: Ero mors tua, intelligi debeat, non de Chriſto, ſed de noſtris operibus, & quidem non de operibus à Deo præceptis, ſed de frigidis quibusdam obſervationibus excogitatis ab hominibus? Et dicuntur mortem abolere, etiam cum fiunt in peccato mortali. Incredibile eſt, quanto cum dolore has ineptias adverſariorum recitemus, quas qui expendit, non poteſt non ſuccenſere iſtis doctrinis dæmoniorum, quas ſparſit in Eccleſia diabolus, ut opprimeret cognitionem legis, & Evangelii, pœnitentiæ, & vivificationis, & beneficiorum Chriſti. Nam de lege ſic dicunt: DEUS condeſcendens noſtræ infirmitati, conſtituit ho-

homini menſuram eorum, ad quæ de neceſſitate tenetur, quæ eſt obſervatio præceptorum, ut de reliquo, id eſt, de operibus ſupererogationis poſſit ſatisfacere de commiſſis. Hic fingunt homines legem Dei ita facere poſſe, ut plus etiam, quam lex exigit, facere poſſimus. Atqui ſcriptura ubique clamat, quod multum abſimus ab illa perfectione, quam lex requirit. Sed iſti fingunt, legem Dei contentam eſſe externa & civili juſtitia, non vident eam requirere veram dilectionem Dei ex toto corde, &c. damnare totam concupiſcentiam in natura. Itaque nemo tantum facit, quantum lex requirit. Ridiculum igitur eſt, quod fingunt nos amplius facere poſſe. Quanquam enim externa opera facere poſſumus, non mandata lege Dei, tamen illa eſt vana & impia fiducia, quod legi Dei ſit ſatisfactum. Et veræ orationes, veræ eleemoſynæ, vera jejunia, habent præcepta Dei; Et ubi habent præceptum Dei, non poſſunt ſine peccato omitti. Verum illa opera, quatenus non ſunt præcepta lege Dei, ſed habent certam formam ex humano præſcripto, ſunt opera traditionum humanarum, de quibus Chriſtus dicit: Fruſtra colunt me mandatis hominum, ut certa jejunia, inſtituta non ad carnem coercendam, ſed ut per id opus reddatur honos Deo, ut ait Scotus, & compenſetur mors æterna. Item certus numerus precum, certus modus eleemoſynarum, cum ita fiunt, ut ille modus ſit cultus ex opere operato, reddens honorem Deo, & compenſans mortem æternam. Tribuunt enim his ex opere operato ſatisfactionem, quia docent, quod valeant etiam in his, qui ſunt in peccato mortali. Jam illa longius recedunt à præceptis Dei, peregrinationes, & harum magna eſt varietas, alius facit iter cataphractus, alius facit iter nudis pedibus. Hæc vocat Chriſtus inutiles cultus, quare non proſunt ad plăcandam offenſam Dei, ut adverſarii loquuntur. Et tamen hæc opera magnificis titulis ornantur, vocantur opera ſupererogationis.

Matth. 15, 9.

Tri-

Tribuitur eis honos, quod sint pretium pro morte æterna. Ita præferuntur operibus præceptorum Dei. In hunc modum lex Dei bifariam obscuratur, & quia putatur legi Dei satisfactum esse, per externa & civilia opera, & quia adduntur traditiones humanæ, quarum opera præferuntur operibus legis divinæ. Deinde obscuratur pœnitentia & gratia. Nam mors æterna non redimitur illa compensatione operum, quia est ociosa, nec deguſtat in præsentia mortem. Alia res opponenda est morti, cum tentat nos. Sicut enim ira Dei fide in Christum vincitur: Ita vincitur mors fide in
1. Cor. 15. 17. Christum. Sicut Paulus ait: Deo gratia, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum; non inquit, qui dat nobis victoriam, si adversus mortem opponamus satisfactiones nostras. Adversarii ociosas speculationes tractant de remissione culpæ, nec vident, quomodo in remissione culpæ liberetur cor ab ira Dei, & à morte æterna, per fidem in Christum. Cum igitur mors Christi sit satisfactio pro morte æterna, & cum ipsi adversarii fateantur illa opera satisfactionum esse opera non debita, sed opera traditionum humanarum, de quibus Christus inquit, quod sint inutiles cultus: tutò possumus affirmare, quod satisfactiones Canonicæ non sint necessariæ jure divino, ad remissionem culpæ, aut pœnæ æternæ, aut pœnæ purgatorii.

Sed objiciunt adversarii vindictam seu pœnam necessariam esse ad pœnitentiam, quia Augustinus ait: Pœnitentiam esse vindictam punientem, &c. Concedimus vindictam seu pœnam in pœnitentia necessariam esse, non tanquam meritum, seu precium, sicut adversarii singunt satisfactiones, sed vindicta formaliter est in pœnitentia, hoc est, quia ipsa regeneratio fit perpetua mortificatione vetustatis. Sit sane belle dictum à Scoto, pœnitentiam appellari quasi pœnæ tenentiam. Sed de qua pœna, de qua vindicta loquitur Augustinus? certe

de

de vera pœna, de vera vindicta, ſcilicet de contritione, de veris terroribus. Neque hic excludimus mortificationes externas corporis, quæ ſequuntur veros animi dolores. Longe errant Adverſarii, ſi verius pœnam eſſe judicant ſatisfactiones Canonicas, quam veros terrores in corde. Stultiſſimum eſt, nomen pœnæ detorquere ad illas frigidas ſatisfactiones, non referre ad illos horribiles terrores Conſcientiæ, de quibus ait David: Circumdederunt me dolores mortis, &c. Quis non malit loricatus & cataphractus quærere templum Jacobi, Baſilicam Petri, &c. quam ſuſtinere illam ineffabilem vim doloris, quæ eſt etiam in mediocribus, ſi ſit vera pœnitentia. *Pſal. 18, 6.*

At inquiunt, convenit juſtitiæ Dei, punire peccatum. Certe punit in contritione, cum in illis terroribus iram ſuam oſtendit, ſicut ſignificat David, cum orat: Domine, ne in furore tuo arguas me. Et Jeremias cap. 10. Corripe me Domine, veruntamen in judicio, non in furore, ne ad nihilum redigas me. Hic ſanè de acerbiſſimis pœnis loquitur. Et fatentur adverſarii contritionem poſſe tantam eſſe, ut non requiratur ſatisfactio. Verius igitur contritio pœna eſt, quam ſatisfactio. Præterea ſubjecti ſunt ſancti morti, & omnibus communibus afflictionibus, ſicut ait Petrus 1. Petr. 4. Quia tempus eſt incipere judicium à domo DEI. Si autem primum à nobis, qualis erit finis iſtorum, qui non credunt Evangelio? Et ut hæ afflictiones plerumque ſint pœnæ peccatorum, tamen in piis habent alium finem potiorem, ſcilicet, ut exerceant eos, ut inter tentationes diſcant quærere auxilium Dei, agnoſcat diffidentiam cordium ſuorum, &c. ſicut Paulus de ſe inquit, 2. Corinth. 1. Sed ipſi in nobis ſententiam mortis habuimus, ne confideremus nobis ipſis, ſed DEO excitanti mortuos. Et Eſaias ait: Anguſtia, in qua clamant, diſciplina tua eſt ipſis, hoc eſt: Afflictiones ſunt diſciplina, *Pſal. 6, 1. Jer. 10, 24. 1. Pet. 4, 17. 2. Cor. 1, 9. Eſa. 26, 16.*

qua DEUS exercet ſanctos. Item: Afflictiones propter præſens peccatum infliguntur, quia in ſanctis mortificant, & extinguunt concupiſcentiam, ut renovari
Rom. 8, 10. ſpiritu poſſint, ſicut ait Paulus Roman. 8. Corpus mortuum eſt propter peccatum, id eſt, mortificatur propter præſens peccatum, quod adhuc in carne reliquum eſt. Et mors ipſa ſervit ad hoc, ut aboleat hanc carnem peccati, ut prorſus novi reſurgamus. Neque jam in morte credentis, poſtquam fide terrores mortis vicit, ille aculeus eſt, & ſenſus iræ, de quo
1. Cor. 15, 56. dicit Paulus: Aculeus mortis peccatum eſt; Potentia vero peccati lex. Illa potentia peccati, ille ſenſus iræ, vere eſt pœna, donec adeſt; mors ſine illo ſenſu iræ, proprie non eſt pœna. Porro ſatisfactiones Canonicæ non pertinent ad has pœnas, quia adverſarii dicunt, poteſtate clavium remitti aliquam partem pœnarum. Item, claves juxta ipſos condonant ſatisfactiones & pœnas, quarum cauſa fiunt ſatisfactiones. At conſtat, illas afflictiones communes non tolli poteſtate clavium. Et, ſi de his pœnis volunt intelligi, quare addunt, quod in purgatorio oporteat ſatisfacere?

Objiciunt de Adam, de Davide, qui propter adulterium punitus eſt. Ex his exemplis faciunt univerſalem regulam, quod ſingulis peccatis reſpondeant propriæ pœnæ temporales in remiſſione peccatorum. Prius dictum eſt, ſanctos ſuſtinere pœnas, quæ ſunt opera Dei, ſuſtinent contritionem ſeu terrores, ſuſtinent & alias communes afflictiones. Ita ſuſtinent aliqui proprias pœnas à Deo impoſitas, exempli cauſa. Et hæ pœnæ nihil pertinent ad claves, quia claves neque imponere, neque remittere eas poſſunt, ſed Deus ſine miniſterio clavium imponit & remittit. Nec ſequitur univerſalis regula: Davidi propria pœna impoſita eſt. Igitur præter communes afflictiones, alia quædam purgatorii pœna eſt, in qua ſingulis peccatis ſinguli gradus re-

respondent. Ubi docet hoc scriptura, non posse nos à morte æterna liberari, nisi per illam compensationem certarum pœnarum præter communes afflictiones? At contra sæpissime docet, remissionem peccatorum gratis contingere propter Christum, Christum esse victorem peccati & mortis, quare non est assuendum meritum satisfactionis. Et quamvis afflictiones reliquæ sint, tamen has interpretatur præsentis peccati mortificationes esse, non compensationes æternæ mortis, seu pretia pro æterna morte. Job excusatur, quod non sit afflictus propter præterita mala facta. Itaque afflictiones non semper sunt pœnæ, aut signa iræ. Imo pavidæ conscientiæ docendæ sunt, alios fines afflictionum potiores esse, ne sentiant, se à Deo rejici, si in afflictionibus nihil nisi pœnam & iram Dei videant. Alii fines potiores sunt considerandi, quod Deus alienum opus faciat, ut suum opus facere possit, &c. Sicut longa concione docet Esaias cap. 28. Et cum discipuli interrogarent de cœco, quis peccasset? Joh. 9. respondet Christus, causam cœcitatis esse non peccatum, sed ut opera Dei in eo manifestentur. Et apud Jeremiam dicitur: Quibus non erat judicium, bibentes bibent, &c. Sicut Prophetæ interfecti sunt, Johannes baptista, & alii sancti. Quare afflictiones non semper sunt pœnæ pro certis factis præteritis, sed sunt opera Dei destinata ad nostram utilitatem, & ut potentia Dei fiat conspectior in infirmitate nostra. Sic Paulus ait: Potentia Dei perficitur in infirmitate mea. Itaque corpora nostra debent esse hostiæ, propter voluntatem DEI, ad obedientiam nostram declarandam, non ad compensandam mortem æternam, pro qua aliud pretium habet DEUS, scilicet mortem Filii sui. Et in hanc sententiam interpretatur Gregorius ipsam etiam pœnam Davidis, cum ait: Si Deus propter peccatum illud fuerat comminatus, ut sic humiliaretur à filio, cur dimisso peccato, quod erat ei comminatus,

Esa. 28, 21.

Joh. 9, 3.

Jerem. 49, 12.

2. Cor. 12, 9.

implevit? Reſpondetur, remiſſionem illam peccati factam eſſe, ne homo ad percipiendam vitam impediretur æternam. Subſecutum vero illud comminationis exemplum, ut pietas hominis etiam in illa humilitate exerceretur atque probaretur. Sic & mortem corporis propter peccatum Deus homini inflixit, & poſt peccatorum remiſſionem propter exercendam juſtitiam non ademit, videlicet ut exerceatur & probetur juſtitia iſtorum, qui ſanctificantur.

Neque vero tolluntur communes calamitates proprie per illa opera traditionum Canonicarum, hoc eſt per illa opera traditionum humanarum, quæ ipſi ſic valere dicunt ex opere operato, ut etiamſi fiant in peccato mortali, tamen redimant pœnas. Et cum ob-
1. Cor. 11, 31. jicitur illud Pauli: ſi nos judicaremus ipſi, non judicaremur à Domino; verbum judicare intelligi debet de tota pœnitentia, & fructibus debitis, non de operibus non debitis. Adverſarii noſtri dant pœnas contemtæ Grammatices, cum intelligunt judicare idem eſſe, quod cataphractum peregrè ire ad S. Jacobum, aut ſimilia opera. Judicare ſignificat totam pœnitentiam, ſignificat damnare peccata. Hæc damnatio vere fit in contritione, & mutatione vitæ. Tota pœnitentia, contritio, fides, boni fructus, impetrant, ut mitigentur pœnæ & calamitates publicæ &
Eſa. 1, 17. privatæ, ſicut Eſaias capite primo docet: Deſinite male facere, & diſcite benefacere, &c. Si fuerint peccata veſtra, ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur. Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Nec eſt ad ſatisfactiones & opera traditionum humanarum transferenda graviſſima & ſaluberrima ſententia, à tota pœnitentia & operibus debitis, ſeu à Deo præceptis. Et hoc prodeſt docere, quod mitigentur communia mala per noſtram pœnitentiam, & per veros fructus pœnitentiæ, per bona opera facta ex fide, non ut iſti fingunt facta in peccato mortali. Et huc

per-

Digitized by Google

pertinet exemplum Niniuitarum, qui ſua pœnitentia (de tota loquimur) reconciliati ſunt Deo, & impetraverunt, ne deleretur civitas. *Jon. 3, 10.*

Quod autem Patres mentionem faciunt ſatisfactionis, quod concilia fecerunt Canones, diximus ſupra, diſciplinam Eccleſiaſticam fuiſſe exempli cauſa conſtitutam. Nec ſentiebant hanc diſciplinam neceſſariam eſſe, vel ad culpæ vel ad pœnæ remiſſionem. Nam ſi qui in his mentionem purgatorii fecerunt, interpretantur eſſe non compenſationem æternæ pœnæ, non ſatisfactionem, ſed purgationem imperfectarum animarum: ſicut Auguſtinus ait, venialia concremari, hoc eſt, mortificari diffidentiam erga Deum, & alios affectus ſimiles. Interdum ſcriptores transferunt ſatisfactionis vocabulum ab ipſo ritu, ſeu ſpectaculo, ad ſignificandam veram mortificationem. Sic Auguſtinus ait: Vera ſatisfactio eſt, peccatorum cauſas excidere, hoc eſt, mortificare carnem. Item coercere carnem, non ut compenſentur æternæ pœnæ, ſed ne caro pertrahat ad peccandum. Ita Gregorius de reſtitutione loquitur, falſam eſſe pœnitentiam, ſi non ſatisfiat illis, quorum res occupatas tenemus. Non enim vere dolet ſe furatum eſſe, aut rapuiſſe is, qui adhuc furatur. Tantisper enim fur aut prædo eſt, dum eſt injuſtus poſſeſſor alienæ rei. Civilis illa ſatisfactio neceſſaria eſt, quia ſcriptum eſt: Qui furatus eſt, deinceps non furetur. Item Chryſoſtomus inquit: in corde contritio, in ore confeſſio, in opere tota humilitas. Hoc nihil contra nos facit, debent ſequi bona opera pœnitentiam, debet pœnitentia eſſe, non ſimulatio, ſed totius vitæ mutatio in melius. *Eph. 4, 28.*

Item, Patres ſcribunt ſatis eſſe, ſi ſemel in vita fiat illa publica ſeu ſolennis pœnitentia, de qua ſunt facti Canones ſatisfactionum. Qua ex re intelligi poteſt, quod ſentiebant, illos Canones non eſſe neceſſarios ad

remissionem peccatorum. Nam præter illam solennem pœnitentiam, sæpe alias volunt pœnitentiam agi, ubi non requirebantur Canones satisfactionum.

Architecti confutationis scribunt, non esse tolerandum, ut satisfactiones contra expressum Evangelium aboleantur. Nos igitur hactenus ostendimus, Canonicas illas satisfactiones, hoc est, opera non debita, facienda propter compensationem pœnæ, non habere mandatum Evangelii. Res ipsa hoc ostendit, si opera satisfactionum sunt opera non debita, quare allegant expressum Evangelium? Nam si Evangelium juberet compensari pœnas per talia opera, jam essent debita opera. Sed sic loquuntur, ut fucum faciant imperitis, & allegant testimonia, quæ de debitis operibus loquuntur, cum ipsi in suis satisfactionibus præscribant opera non debita. Imo ipsi concedunt in scholis, sine peccato recusari posse satisfactiones. Falso igitur hic scribunt, quod expresso Evangelio cogamur satisfactiones illas Canonicas suscipere. Cæterum nos sæpe jam testati sumus, quod pœnitentia debeat bonos fructus parere, & qui sint boni fructus, docent mandata, videlicet invocatio, gratiarum actio, confessio Evangelii, docere Evangelium, obedire parentibus, & magistratibus, servire vocationi, non occidere, non retinere odia, sed esse placabilem, dare egentibus, quantum pro facultatibus possumus, non scortari, non mœchari, sed coercere, & refrenare, & castigare carnem, non propter compensationem pœnæ æternæ, sed ne obtemperet diabolo, ne offendat Spiritum Sanctum; item vera dicere. Hi fructus habent præcepta Dei, & propter gloriam & mandatum Dei fieri debent, habent & præmia. Sed quod non remittantur pœnæ æternæ, nisi propter compensationem certarum traditionum aut purgatorii, hoc non docet scriptura. Indulgentiæ olim erant condonationes publicarum illarum observationum, ne nimium gravarentur homines.

Quod

Quod ſi humana autoritate remitti ſatisfactiones & pœnæ queunt, non igitur Jure divino neceſſaria eſt illa compenſatio. Nam Jus divinum non tollitur humana autoritate. Porro cum nunc per ſe antiquatus ſit mos, & quidem diſſimulantibus Epiſcopis, nihil opus eſt remiſſionibus illis. Et tamen manſit nomen indulgentiarum. Et ſicut ſatisfactiones non intellectæ ſunt de politica diſciplina, ſed de compenſatione pœnæ: ita indulgentiæ malæ intellectæ ſunt, quod liberent animas ex purgatorio. At clavis non habet poteſtatem, niſi ſuper terram ligandi, & ſolvendi, juxta illud: Quicquid ligaveris ſuper terram, erit ligatum in cœlo. Quicquid ſolveris ſuper terram, erit ſolutum in cœlo. Quanquam, ut ſupra diximus, clavis poteſtatem habet non imponendi pœnas aut cultus inſtituendi, ſed tantum habet mandatum remittendi peccata, his, qui convertuntur, & arguendi & excommunicandi iſtos, qui nolunt converti. Sicut enim ſolvere ſignificat remittere peccata; Ita ligare ſignificat non remittere peccata. Loquitur enim CHRISTVS de regno ſpirituali. Et mandatum Dei eſt, ut miniſtri Evangelii abſolvant hos, qui convertuntur, juxta illud: Poteſtas nobis data eſt ad ædificationem. Quare reſervatio caſuum politica res eſt. Eſt enim reſervatio pœnæ Canonicæ, non eſt reſervatio culpæ coram Deo in his, qui vere convertuntur. Proinde recte judicant adverſarii, cum fatentur, quod in articulo mortis illa reſervatio caſuum non debeat impedire abſolutionem. Expoſuimus ſummam noſtræ doctrinæ de pœnitentia, quam certo ſcimus piam & ſalubrem bonis mentibus eſſe. Et boni viri, ſi contulerint noſtram doctrinam cum confuſiſſimis diſputationibus adverſariorum, perſpicient adverſarios omiſiſſe doctrinam de fide juſtificante, & conſolante pia corda. Videbunt etiam multa fingere adverſarios, de merito attritionis, de illa infinita enumeratione delictorum, de ſatisfactio-

Matth. 16, 19.

2. Cor. 10, 8.

nibus, ὅτε γῆς φασὶν, ὅτε ἀέρι ἁπτόμενα, quæ ne ipsi quidem adversarii satis explicare possunt.

VII. DE NUMERO ET USU SACRAMENTORUM.

Aug. Conf. 13. Art. Sm. 329. IN XIII. Articulo probant adversarii, quod dicimus, Sacramenta non esse tantum notas professionis inter homines, ut quidam fingunt, sed magis esse signa & testimonia voluntatis Dei erga nos, per quæ movet Deus corda ad credendum. Sed hic jubent nos etiam septem Sacramenta numerare. Nos sentimus præstandum esse, ne negligantur res & ceremoniæ in scripturis institutæ, quotcunque sunt. Nec multum referre putamus, etiamsi docendi causa alii numerant aliter, si tamen recte conservent res in scriptura traditas. Nec veteres eodem modo numeraverunt.

Si Sacramenta vocamus ritus, qui habent mandatum Dei, & quibus addita est promissio gratiæ, facile est judicare, quæ sint proprie Sacramenta. Nam ritus ab hominibus instituti non erunt hoc modo proprie dicta Sacramenta. Non est enim autoritatis humanæ, promittere gratiam. Quare signa sine mandato Dei instituta, non sunt certa signa gratiæ, etiamsi fortasse rudes docent, aut admonent aliquid. Verè igitur sunt Sacramenta, Baptismus, Cœna Domini, Absolutio, quæ est Sacramentum pœnitentiæ. Nam hi ritus habent mandatum Dei, & promissionem gratiæ, quæ est propria Novi Testamenti. Certò enim debent statuere corda, cum baptizamur, cum vescimur corpore Domini, cum absolvimur, quod vere ignoscat nobis DEUS propter *Rom. 10, 17.* Christum. Et corda simul per verbum & ritum movet Deus, ut credant, & concipiant fidem, sicut ait Paulus: Fides ex auditu est. Sicut autem verbum incurrit in aures, ut feriat corda: ita ritus ipse incurrit in oculos, ut mo-

moveat corda. Idem effectus eſt verbi & ritus, ſicut præclare dictum eſt ab Auguſtino, Sacramentum eſſe verbum viſibile, quia ritus oculis accipitur, & eſt quaſi pictura verbi, idem ſignificans, quod verbum. Quare idem eſt utriusque effectus.

Confirmatio & extrema unctio ſunt ritus accepti à Patribus, quos ne Eccleſia quidem tanquam neceſſarios ad ſalutem requirit, quia non habent mandatum Dei. Propterea non eſt inutile hos ritus diſcernere à ſuperioribus, qui habent expreſſum mandatum Dei, & claram promiſſionem gratiæ.

Sacerdotium intelligunt adverſarii non de miniſterio verbi & ſacramentorum aliis porrigendorum, ſed intelligunt de Sacrificio, quaſi oporteat eſſe in Novo Teſtamento Sacerdotium ſimile Levitico, quod pro populo ſacrificet & mereatur aliis remiſſionem peccatorum. Nos docemus, ſacrificium Chriſti morientis in cruce, ſatis fuiſſe pro peccatis totius mundi, nec indigere præterea aliis ſacrificiis, quaſi illud non ſatis fuerit pro peccatis noſtris. Ideo juſtificantur homines, non propter ulla reliqua ſacrificia, ſed propter illud unum Chriſti ſacrificium, ſi credant, illo ſacrificio ſe redemtos eſſe. Ideo ſacerdotes vocantur, non ad ulla ſacrificia velut in lege pro populo facienda, ut per ea mereantur populo remiſſionem peccatorum, ſed vocantur ad docendum Evangelium, & ſacramenta porrigenda populo. Nec habemus nos aliud ſacerdotium, ſimile Levitico, ſicut ſatis docet Epiſtola ad Ebræos. Si autem ordo de miniſterio verbi intelligatur, non gravatim vocaverimus ordinem ſacramentum. Nam miniſterium verbi habet mandatum DEI, & habet magnificas promiſſiones, Rom. 1. Evangelium eſt potentia DEI ad ſalutem omni credenti. Item, Eſa. 55. Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, ſed faciet, quæcunque volui, &c. Si ordo hoc modo intelli-

Rom. 1, 17.

Eſa. 55, 11.

telligatur, neque impoſitionem manuum vocare ſacramentum, gravemur. Habet enim Eccleſia mandatum de conſtituendis miniſtris, quod gratiſſimum eſſe nobis debet, quod ſcimus, Deum approbare miniſterium illud, & adeſſe in miniſterio. Ac prodeſt, quantum fieri poteſt, ornare miniſterium verbi, omni genere laudis, adverſus fanaticos homines, qui ſomniant Spiritum Sanctum dari non per verbum, ſed propter ſuas quasdam præparationes, ſi ſedeant ocioſi, taciti, in locis obſcuris, expectantes illuminationem, quemadmodum olim ἐνθουσιᾶσαι docebant, & nunc docent Anabaptiſtæ.

Matrimonium non eſt primum inſtitutum in novo Teſtamento, ſed ſtatim initio creato genere humano. Habet autem mandatum Dei, habet & promiſſiones, non quidem proprie ad novum Teſtamentum pertinentes, ſed magis pertinentes ad vitam corporalem, quare ſi quis volet ſacramentum vocare, diſcernere tamen à prioribus illis debet, quæ proprie ſunt ſigna novi Teſtamenti, & ſunt teſtimonia gratiæ & remiſſionis peccatorum. Quod ſi matrimonium propterea habebit appellationem ſacramenti, quia habet mandatum Dei, etiam alii ſtatus ſeu officia, quæ habent mandatum Dei, poterunt vocari ſacramenta, ſicut Magiſtratus. Poſtremo, ſi omnes res annumerari ſacramentis debent, quæ habent mandatum Dei, & quibus ſunt additæ promiſſiones, cur non addimus orationem, quæ veriſſime poteſt dici ſacramentum? Habet enim & mandatum Dei & promiſſiones plurimas. Et collocata inter ſacramenta, quaſi in illuſtriore loco, invitat homines ad orandum. Poſſent hic numerari etiam eleemoſynæ. Item afflictiones, quæ & ipſæ ſunt ſigna, quibus addidit Deus promiſſiones. Sed omittamus iſta: Nemo enim vir prudens de numero aut vocabulo magnopere rixabitur, ſi tamen illæ res retineantur, quæ habent mandatum Dei & promiſſiones.

Illud

Illud magis eſt neceſſarium, intelligere, quomodo ſit utendum ſacramentis. Hic damnamus totum populum Scholaſticorum doctorum, qui docent, quod ſacramenta non ponenti obicem, conferant gratiam ex opere operato ſine bono motu utentis. Hæc ſimpliciter Judaica opinio eſt, ſentire, quod per ceremoniam juſtificemur, ſine bono motu cordis, hoc eſt, ſine fide. Et tamen hæc impia & perniciosa opinio, magna autoritate docetur, in toto regno Pontificio. Paulus reclamat & negat, Abraham juſtificatum eſſe circumciſione, ſed circumciſionem eſſe ſignum propoſitum ad exercendam fidem. Ita nos docemus, quod in uſu ſacramentorum fides debeat accedere, quæ credat illis promiſſionibus, & accipiat res promiſſas, quæ ibi in ſacramento offeruntur. Et eſt ratio plana & firmiſſima. Promiſſio eſt inutilis, niſi fide accipiatur. At Sacramenta ſunt ſigna promiſſionum. Igitur in uſu debet accedere fides, ut ſi quis utetur Cœna Domini, ſic utatur. Quia id eſt ſacramentum novi Taſtamenti, ut CHRISTUS clare dicit. Ideo ſtatuat ſibi offerri res promiſſas in Novo Teſtamento, ſcilicet gratuitam remiſſionem peccatorum. Et hanc rem fide accipiat, erigat pavidam conſcientiam, & ſentiat hæc teſtimonia non eſſe fallacia, ſed tam certa, quam ſi Deus novo miraculo de cœlo promitteret ſe velle ignoſcere. Quid autem prodeſſent illa miracula & promiſſiones non credenti? Et loquimur hic de fide ſpeciali, quæ præſenti promiſſioni credit, non tantum quæ in genere credit Deum eſſe, ſed quæ credit offerri remiſſionem peccatorum. Hic uſus ſacramenti conſolatur pias & pavidas mentes. Quantum autem in Eccleſia abuſuum pepererit illa fanatica opinio, de opere operato ſine bono motu utentis, nemo verbis conſequi poteſt. Hinc eſt illa infinita prophanatio miſſarum. Sed de hac infra dicemus. Neque ulla litera ex veteribus ſcriptoribus proferri poteſt, quæ patro-

Rom. 4, 10. 11.

Luc. 22, 20.

ci-

cinetur hac in re Scholaſticis: imo contrarium ait Auguſtinus, quod fides ſacramenti, non ſacramentum juſtificet. Et eſt nota Pauli ſententia: Corde creditur ad juſtitiam.

Aug. Conf. 13. Art. Sm. 334. ARTICULUM XIV. in quo dicimus, nemini niſi rite vocato concedendam eſſe adminiſtrationem ſacramentorum & verbi in Eccleſia, ita recipiunt, ſi tamen utamur ordinatione Canonica. Hac de re in hoc conventu ſæpe teſtati ſumus, nos ſumma voluntate cupere conſervare politiam Eccleſiaſticam, & gradus in Eccleſia factos etiam humana autoritate. Scimus enim, bono & utili conſilio à Patribus Eccleſiaſticam diſciplinam hoc modo, ut veteres Canones deſcribunt, conſtitutam eſſe. Sed Epiſcopi Sacerdotes noſtros aut cogunt hoc doctrinæ genus, quod confeſſi ſumus, abjicere & damnare, aut nova & inaudita crudelitate miſeros & innocentes occidunt. Hæ cauſæ impediunt, quo minus agnoſcant hos Epiſcopos noſtri ſacerdotes. Ita ſævitia Epiſcoporum in cauſa eſt, quare alicubi diſſolvitur illa Canonica politia, quam nos magnopere cupiebamus conſervare. Ipſi viderint, quomodo rationem DEO reddituri ſint, quod diſſipant Eccleſiam. Noſtræ conſcientiæ hac in re nihil habent periculi, quia cum ſciamus, confeſſionem noſtram veram, piam & catholicam eſſe, non debemus approbare ſævitiam iſtorum, qui hanc doctrinam perſequuntur. Et Eccleſiam eſſe ſcimus apud hos, qui verbum Dei recte docent, & recte adminiſtrant ſacramenta; non apud illos, qui verbum Dei non ſolum edictis delere conantur, ſed etiam recta & vera docentes trucidant, erga quos, etiamſi quid contra Canones faciunt, tamen ipſi Canones mitiores ſunt. Porro hic iterum volumus teſtatum, nos libenter conſervaturos eſſe Eccleſiaſticam & Canonicam politiam, ſi modo Epiſcopi deſinant in noſtras Eccleſias ſævire. Hæc noſtra voluntas & coram Deo, & apud omnes gentes,

Digitized by Google

tes, ad omnem posteritatem excusabit nos, ne nobis imputari possit, quod Episcoporum autoritas labefactatur, ubi legerint atque audierint homines, nos injustam sævitiam Episcoporum deprecantes nihil æqui impetrare potuisse.

VIII. DE TRADITIONIBUS HUMANIS IN ECCLESIA.

IN Articulo XV. recipiunt primam partem, in qua dicimus observandos esse ritus Ecclesiasticos, qui sine peccato observari possunt, & ad tranquillitatem & bonum ordinem in Ecclesia prosunt. Alteram partem omnino damnant, in qua dicimus, traditiones humanas institutas ad placandum DEUM, ad promerendam gratiam, & satisfaciendum pro peccatis, adversari Evangelio. Quanquam in ipsa confessione de discrimine ciborum, satis multa diximus de traditionibus, tamen hîc quædam breviter repetenda sunt. Etiamsi arbitramur, adversarios ex aliis causis defensuros esse traditiones humanas: tamen hoc non putavimus futurum, ut hunc articulum damnarent: Non mereri nos remissionem peccatorum, aut gratiam, observatione traditionum humanarum. Postquam igitur hic articulus damnatus est, facilem & planam causam habemus. Nunc aperte judaizant adversarii, aperte obruunt Evangelium doctrinis dæmoniorum. Tunc enim scriptura vocat traditiones doctrinas dæmoniorum, quando docetur, quod sint cultus utiles ad promerendam remissionē peccatorum & gratiam. Tunc enim obscurant Evangelium, beneficium Christi, & justitiam fidei. Evangelium docet nos fide propter Christum gratis accipere remissionem peccatorum, & reconciliari DEO; adversarii contra alium mediatorem constituunt, scilicet has traditiones. Propter has volunt consequi remissionem peccatorum, per

Aug. Conf. 18. Art. Sm. 337. Ep. 614. Decl. 789.

per has volunt placare iram Dei. At Christus aperte
Matthæi. 9. dicit: Frustra colunt me mandatis hominum. Supra copiose disputavimus, homines justificari fide, cum credunt se habere DEUM placatum, non propter nostra opera, sed gratis propter Christum. Hanc certum est Evangelii doctrinam esse, quia Paulus clare
Eph. 2, 6. dicit ad Ephes. 2. Gratis salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus. Nunc isti dicunt, promereri homines remissionem peccatorum per has observationes humanas. Quid hoc est aliud, quam præter Christum alium justi-
Galat. 5, 4. ficatorem, alium mediatorem constituere? Paulus inquit ad Galatas: Evacuati estis à Christo, qui lege justificamini, id est: Si sentitis vos mereri observatione legis, ut justi coram DEO reputemini, nihil proderit vobis Christus, quia quorsum opus est Christo istis, qui sentiunt se justos esse sua observatione legis? Deus proposuit CHRISTUM, quod propter hunc mediatorem, non propter nostras justitias velit nobis esse propitius. At isti sentiunt Deum esse placatum, propitium propter traditiones & non propter Christum. Adimunt igitur Christo honorem mediatoris. Nec interest inter nostras traditiones, & Mosaicas ceremonias, quod ad hanc rem attinet. Paulus ideo damnat Mosaicas ceremonias, sicut traditiones damnat, quia existimabantur esse opera, quæ mererentur justitiam coram Deo. Ita obscurabatur officium Christi & justitia fidei. Quare remota lege, remotis traditionibus, contendit, quod non propter ista opera, sed propter Christum gratis promissa sit remissio peccatorum, modo ut fide accipiamus eam. Nam promissio non accipitur, nisi fide. Cum igitur fide accipiamus remissionem peccatorum, cum fide habeamus propitium Deum, propter Christum, error & impietas est constituere, quod per has observationes mereamur remissionem peccatorum. Si quis hic dicat non mereri nos remissio-

missionem peccatorum. Sed jam justificatos, per has traditiones mereri gratiam. Hic iterum reclamat Paulus, Christum peccati ministrum fore, si post justificationem sentiendum sit, quod deinde non propter Christum justi reputemur, sed primum mereri debeamus per alias observationes, ut justi reputemur. Item: hominis testamento nihil addi debet. Ergo nec Dei testamento, qui promittit, quod propter Christum propitius nobis esse velit, addi debet, quod primum per has observationes debeamus mereri, ut accepti & justi reputemur. *Gal. 2, 17.* *Gal. 3, 15.*

Quanquam quid opus est longa disputatione? Nulla traditio à sanctis Patribus hoc consilio instituta est, ut mereatur remissionem peccatorum aut justitiam; sed sunt institutæ propter bonum ordinem in Ecclesia, & propter tranquillitatem. Et ut velit aliquis instituere certa opera ad promerendam remissionem peccatorum aut justitiam, quomodo sciet illa opera Deo placere, cum non habeat testimonium verbi Dei, quomodo de voluntate Dei certos reddet homines, sine mandato & verbo Dei? Nonne ubique in Prophetis prohibet instituere peculiares cultus sine suo mandato? Ezech. 20. scriptum est: in præceptis Patrum vestrorum nolite incedere, nec judicia eorum custodiatis, nec in Idolis eorum polluamini. Ego Dominus Deus vester, in præceptis meis ambulate, & judicia mea custodite, & facite ea. Si licet hominibus instituere cultus & per hos cultus merentur gratiam, jam omnium gentium cultus erunt approbandi, cultus instituti à Jeroboam & aliis extra legem erunt approbandi. Quid enim interest, si nobis licuit instituere cultus utiles ad promerendam gratiam aut justitiam, cur non licuit idem gentibus & Israelitis? Ideo gentium & Israelitarum cultus improbati sunt, quod sentiebant, sese per illos mereri remissionem peccatorum & justitiam, & justitiam *Ezech. 20, 18.*

fidei

fidei non norant. Poſtremo, unde reddimur certi, quod cultus ab hominibus inſtituti ſine mandato Dei juſtificent. Siquidem de voluntate Dei nihil affirmari poteſt ſine verbo Dei? Quid ſi hos cultus non approbat
Rom. 14, 23. Deus? Quomodo igitur affirmant adverſarii, quod juſtificent? Sine verbo ac teſtimonio Dei hoc non poteſt affirmari. Et Paulus ait: Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſſe. Cum autem hi cultus nullum habeant teſtimonium verbi Dei, dubitare conſcientiam neceſſe eſt, utrum placeant Deo.

Et quid in re manifeſta verbis opus eſt? ſi hos humanos cultus defendunt adverſarii noſtri, tamquam promerentes juſtificationem, gratiam, remiſſionem peccatorum, ſimpliciter conſtituunt regnum Antichriſti. Nam regnum Antichriſti, eſt novus cultus DEI, excogitatus humana autoritate, rejiciens Chriſtum, ſicut regnum Mahometi habet cultus, habet opera, per quæ vult juſtificari coram Deo, nec ſentit homines coram Deo gratis juſtificari fide propter Chriſtum. Ita & Papatus erit pars regni Antichriſti, ſi ſic defendit humanos cultus, quod juſtificent. Detrahitur enim honos Chriſto, cum docent, quod non propter Chriſtum gratis juſtificemur per fidem, ſed per tales cultus, maximeque cum docent, tales cultus non ſolum utiles eſſe ad juſtificationem, ſed neceſſarios etiam, ſicut ſupra in articulo octavo ſentiunt, ubi damnant nos, quod diximus, quod non ſit neceſſarium ad veram unitatem Eccleſiæ, ubique ſimiles eſ-
Dan. 11, 38. ſe ritus ab hominibus inſtitutos. Daniel capite undecimo ſignificat, novos cultus humanos, ipſam formam & πολιτειαν regni Antichriſti fore. Sic enim inquit: DEUM Maoſin in loco ſuo colet, & Deum, quem non noverunt patres ejus, colet auro & argento, & lapidibus precioſis. Hic deſcribit novos cultus, quia inquit, talem Deum coli, qualem Patres ignoraverint. Nam S. Patres etſi habuerunt & ipſi ritus

&

& traditiones, tamen non ſentiebant has res utiles aut neceſſarias eſſe ad juſtificationem, non obſcurabant gloriam & officium Chriſti, ſed docebant nos juſtificari fide propter Chriſtum, non propter illos humanos cultus. Cæterum ritus humanos obſervabant propter utilitatem corporalem, ut ſciret populus, quo tempore conveniendum eſſet, ut ordine & graviter in templis exempli cauſa fierent omnia, denique ut vulgus etiam haberet quandam pædagogiam. Nam diſcrimina temporum, & varietas rituum valet ad admonendum vulgus. Has cauſas habebant Patres rituum ſervandorum, & propter has cauſas nos quoque recte ſervari traditiones poſſe judicamus. Et valde miramur, adverſarios alium finem traditionum defendere, quod videlicet mereantur remiſſionem peccatorum, gratiam, aut juſtificationem. Quid hoc aliud eſt, quam colere DEUM auro, & argento, & rebus pretioſis, id eſt, ſentire, quod Deus fiat placatus varietate veſtitus, ornamentorum, & ſimilibus ritibus, quales ſunt infiniti in traditionibus humanis?

Paulus ad Coloſſenſes ſcribit, traditiones habere ſpeciem ſapientiæ. Et habent profecto. Nam ἐυταξία illa valde decet in Eccleſia, eamque ob cauſam neceſſaria eſt; ſed humana ratio, quia non intelligit juſtitiam fidei, naturaliter affingit, quod talia opera juſtificent homines, quod reconcilient Deum, &c. Sic ſentiebat vulgus inter Iſraelitas, & hac opinione augebant tales ceremonias, ſicut apud nos in monaſteriis creverunt. Sic judicat humana ratio etiam de exercitiis corporis, de jejuniis, quorum finis cum ſit coercere carnem, ratio affingit finem, quod ſint cultus, qui juſtificent. Sicut Thomas ſcribit: Jejunium valere ad delectionem & prohibitionem culpæ. Hæc ſunt verba Thomæ: Ita ſapientiæ ac juſtitiæ ſpecies in talibus operibus decipit homines. Et accedunt exempla Sanctorum, quos, Coloſſ. 2, 23.

dum ſtudent imitari homines, imitantur plerumque externa exercitia, non imitantur fidem eorum.

Poſtquam fefellit homines hæc ſpecies ſapientiæ ac juſtitiæ, deinde ſequuntur infinita incommoda, obſcuratur Evangelium de juſtitia fidei in Chriſtum, & ſuccedit vana fiducia talium operum. Deinde obſcurantur præcepta Dei, hæc opera arrogant ſibi titulum perfectæ & ſpiritualis vitæ, & longe præferuntur operibus præceptorum Dei, ut operibus ſuæ cujusque vocationis, adminiſtrationi Reipublicæ, adminiſtrationi Oeconomiæ, vitæ conjugali, educationi liberorum. Hæc præ illis ceremoniis judicantur eſſe prophana, ita ut cum quadam dubitatione conſcientiæ à multis exerceantur. Conſtat enim multos deſerta adminiſtratione reipublicæ, deſerto conjugio, illas obſervationes amplexos eſſe tanquam meliores & ſanctiores. Neque hoc ſatis eſt, ubi occupavit animos perſuaſio, quod tales obſervationes ad juſtificationem neceſſariæ ſint, miſere vexantur conſcientiæ, quia non poſſunt omnes obſervationes exacte præſtare. Nam quotusquisque numerare omnes potuit? Extant immenſi libri, imo Bibliothecæ totæ, nullam ſyllabam de Chriſto, de fide in Chriſtum, de bonis operibus ſuæ cujusque vocationis continentes, ſed tantum colligentes traditiones, & harum interpretationes, quibus interdum exacerbantur, interdum relaxantur. Quomodo torquetur vir optimus Gerſon, dum quærit gradus & latitudines præceptorum? Nec tamen poteſt conſtituere ἐντείνειαν in gradu certo. Interim graviter deplorat pericula piarum conſcientiarum, quæ parit hæc acerba interpretatio traditionum.

Non igitur contra illam ſpeciem ſapientiæ & juſtitiæ in humanis ritibus, quæ fallit homines, muniamus nos verbo Dei, & primum ſciamus, eas neque remiſſionem peccatorum, neque juſtificationem mereri coram Deo, neque ad juſtificationem neceſſaria eſſe. Teſtimonia

nia quædam ſupra citavimus. Et plenus eſt Paulus; Ad Coloſſ. 2. clare dicit: Nemo vos judicet in cibo, potu, aut ſtato feſto, aut novilunio, aut ſabbatis, quæ ſunt umbræ futurorum, corpus autem Chriſti. Atque hic ſimul & legem Moyſi & traditiones humanas complectitur, ne adverſarii eludant hæc teſtimonia, ut ſolent, quod Paulus tantum de lege Moyſi loquatur. Ille vero hic clare teſtatur, ſe loqui de traditionibus humanis. Quanquam, quid dicant adverſarii, non vident; ſi Evangelium negat ceremonias Moyſi, quæ erant divinitus inſtitutæ, juſtificare, quanto minus juſtificant traditiones humanæ? *Coloſſ. 2, 16.*

Nec habent Epiſcopi poteſtatem inſtituendi cultus tanquam juſtificantes, aut neceſſarios ad juſtificationem. Imo Apoſtoli Actor. 15. dicunt: Quid tentatis Deum, imponentes jugum, &c. ubi velut magnum peccatum accuſat Petrus hoc conſilium onerandæ Eccleſiæ. Et ad Galat. 5. vetat Paulus iterum ſervituti ſubjici. Volunt igitur Apoſtoli, in Eccleſia manere hanc libertatem, ne judicentur ulli cultus legis aut traditionū neceſſarii eſſe, ſicut in lege fuerunt neceſſariæ ceremoniæ ad Tempus, ne obſcuretur Juſtitia fidei, ſi judicent homines, cultus illos mereri Juſtificationem, aut ad juſtificationem neceſſarios eſſe. Multi varias ἐπιεικείας quærunt in traditionibus, ut conſcientiis medeantur, neque tamen certos gradus reperiunt, per quos explicent conſcientias ex his vinculis. Verū ſicut Alexander ſolvit Gordium nodum, quem cum explicare non poſſet, gladio ſemel diſſecuit; ita Apoſtoli ſemel liberant conſcientias traditionibus, præſertim ſi tradantur ad promerendam juſtificationem. Huic doctrinæ cogunt nos Apoſtoli adverſari docendo, & exemplis. Cogunt nos docere, quod traditiones non juſtificent, quod non ſint neceſſariæ ad juſtificationem, quod nemo debeat condere aut recipere traditiones hac opinione, quod mereantur juſtificationem. Tunc etiamſi quis obſer- *Actor. 15, 9. Galat. 5, 1.*

vat, obſervet ſine ſuperſtitione tanquam politicos mores, ſicut ſine ſuperſtitione aliter veſtiuntur milites, aliter Scholaſtici. Apoſtoli violant traditiones, & excuſantur à CHRISTO. Erat enim exemplum oſtendendum Phariſæis, quod illi cultus eſſent inutiles. Et ſi quas traditiones parum commodas omittunt noſtri, ſatis nunc excuſati ſunt, cum requiruntur, tanquam promereantur juſtificationem. Talis enim opinio in traditionibus eſt impia.

Cæterum traditiones veteres factas in Eccleſia, utilitatis & tranquillitatis cauſa libenter ſervamus, easque interpretamur πρὸς τὸ εὐφημότερον excluſa opinione, quæ ſentit, quod juſtificent. Ac falſo nos accuſant inimici noſtri, quod bonas ordinationes, quod diſciplinam Eccleſiæ aboleamus. Vere enim prædicare poſſumus, publicam formam Eccleſiarum apud nos honeſtiorem eſſe, quam apud adverſarios. Et ſi quis recte expendere velit, verius ſervamus Canones, quam adverſarii. Apud adverſarios Miſſas faciunt ſacrificuli inviti, & mercede conducti; & plerumque tantum mercedis cauſa, canunt Pſalmos, non ut diſcant aut orent, ſed cultus cauſa, quaſi illud opus ſit cultus, aut certe mercedis cauſa. Apud nos utuntur cœna Domini, multi ſingulis Dominicis, ſed prius inſtituti, explorati, & abſoluti; Pueri canunt Pſalmos, ut diſcant; canit & populus, ut vel diſcat, vel oret. Apud Adverſarios nulla prorſus eſt κατήχησις puerorum, de qua quidem præcipiunt Canones. Apud nos coguntur paſtores & miniſtri Eccleſiarum publice inſtituere & audire pueritiam. Et hæc ceremonia optimos fructus parit. Apud adverſarios in multis regionibus toto anno nullæ habentur conciones, præterquam in quadrageſima. Atqui præcipuus cultus Dei eſt, docere Evangelium. Et cum concionantur adverſarii, dicunt de traditionibus humanis, de cultu ſanctorum, & ſimilibus nugis, quas jure faſtidit populus.

lus. Itaque deseruntur statim initio, postquam recitatus est Evangelii textus. Pauci quidam meliores nunc de bonis operibus dicere incipiunt. De justitia fidei, de fide in Christum, de consolatione scientiarum nihil dicunt. Imo hanc saluberrimam Evangelii partem lacerant convitiis. Econtra in nostris Ecclesiis omnes conciones in his locis consumuntur, de pœnitentia, de timore Dei, de fide in CHRISTUM, de justitia fidei, de consolatione conscientiarum per fidem, de exercitiis fidei, de oratione, qualis esse debeat, & quod certo statuendum sit, quod sit efficax, quod exaudiatur, de cruce, de dignitate magistratuum & omnium civilium ordinationum, de discrimine regni CHRISTI, seu regni spiritualis & politicarum rerum, de conjugio, de educatione & institutione puerorum, de castitate, de omnibus officiis caritatis. Ex hoc statu Ecclesiarum judicari potest, nos disciplinam Ecclesiasticam, & pias ceremonias, & bonos mores Ecclesiasticos diligenter conservare.

Ac de mortificatione carnis, & disciplina corporis ita docemus, sicut narrat confessio, quod vera & non simulata mortificatio fiat per crucem & afflictiones, quibus Deus exercet nos. In his obediendum est voluntati Dei, sicut ait Paulus: Exhibete corpora vestra hostiam &c. *Rom. 12, 1.* Et hæc sunt spiritualia exercitia timoris & fidei. Verum præter hanc mortificationem, quæ fit per crucem, est & voluntarium quoddam exercitii genus necessarium, de quo Christus ait: Cavete, ne corda vestra graventur crapula. *Luc. 21, 34.* Et Paulus: Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, &c. *1. Cor. 9, 24.* Et hæc exercitia suscipienda sunt, non quod sint cultus justificantes, sed ut coerceant carnem, ne saturitas obruat nos, & reddat securos & otiosos, qua ex re fit, ut affectibus carnis indulgeant & obtemperent homines. Hæc diligentia debet esse perpetua, quæ habet perpetuum

mandatum Dei. Et illa præscripta forma certorum ciborum ac temporum, nihil facit ad coercendam carnem. Est enim delicatior & sumptuosior, quam reliqua convivia. Et ne adversarii quidem observant formam in Canonibus traditam.

Multas & difficiles disputationes habet hic locus de traditionibus, ac nos reipsa experti sumus, traditiones vere esse laqueos conscientiarum. Cum exiguntur tanquam necessariæ, miris modis cruciant conscientias prætermittentes aliquam observationem. Rursus abrogatio sua habet incommoda, suas quæstiones. Sed nos facilem & planam causam habemus, quia adversarii damnant nos, quod docemus traditiones humanas non mereri remissionem peccatorum. Item requirunt universales traditiones, quas sic vocant, tanquam necessarias ad justificationem. Hic habemus Patronum constantem Paulum, qui ubique contendit, has observationes neque justificare, neque necessarias esse supra justitiam fidei. Et tamen usum libertatis in his rebus ita moderandum esse docemus, ne imperiti offendantur, & propter abusum libertatis fiant iniquiores veræ doctrinæ Evangelii, néve sine probabili causa mutetur aliquid in usitatis ritibus, sed ut propter alendam concordiam serventur veteres mores, qui sine peccato, aut sine magno incommodo servari possunt. Et in hoc ipso conventu satis ostendimus, nos propter caritatem ἀδιάφορα non gravatim observaturos esse cum aliis, etiamsi quid incommodi haberent, sed publicam concordiam, quæ quidem sine offensione conscientiarum fieri posset, judicavimus, omnibus aliis commodis anteferendam esse. Sed de hac tota re paulo post etiam dicemus, cum de votis, & de potestate Ecclesiastica disputabimus.

Aug. Conf. 14. Articulum XVI. recipiunt adversarii sine ulla exceptione, in quo confessi sumus, quod liceat Christiano gerere magistratus, exercere judicia, ex imperatoriis legi-

legibus, ſeu aliis præſentibus legibus, ſupplicia jure conſtituere, jure bella gerere, militare, jure contrahere, tenere proprium, jusjurandum poſtulantibus magiſtratibus dare, contrahere matrimonium, denique quod legitimæ ordinationes civiles, ſint bonæ creaturæ Dei, & ordinationes divinæ, quibus tuto Chriſtianus uti poteſt. Hic totus locus de diſcrimine regni Chriſti, & regni civilis, literis noſtrorum utiliter illuſtratus eſt, quod regnum Chriſti ſit ſpirituale, hoc eſt, in corde notitiam Dei, timorem Dei, & fidem, juſtitiam æternam & vitam æternam inchoans. Interim foris ſinat nos uti politicis ordinationibus legitimis, quarumcunque gentium, inter quas vivimus, ſicut ſinit nos uti medicina, aut Architectonica, aut cibo, potu, aere, nec fert Evangelium novas leges de ſtatu civili, ſed præcipit, ut præſentibus legibus obtemperemus, ſive ab Ethnicis, ſive ab aliis conditæ ſint, & hac obedientia caritatem jubet exercere. Inſaniebat enim Caroloſtadius, qui nobis imponebat leges judiciales Moyſi. De his rebus ideo copioſius ſcripſerunt noſtri, quia Monachi multas perniciosas opiniones ſparſerunt in Eccleſiam. Vocaverunt politiam Evangelicam, communionem rerum, dixerunt eſſe conſilia, non tenere proprium, non ulciſci. Hæ opiniones valde obſcurant Evangelium & regnum ſpirituale, & ſunt periculoſæ rebuspublicis. Nam Evangelium non diſſipat politiam aut Oeconomiam, ſed multo magis approbat, & non ſolum propter pœnam, ſed etiam propter conſcientiam jubet illis parere tanquam divinæ ordinationi.

Julianus Apoſtata, Celſus & plerique alii, objecerunt Chriſtianis, quod Evangelium diſſiparet respublicas, quia prohiberet vindictam, & alia quædam traderet parum apta civili ſocietati. Et hæ quæſtiones mire exercuerunt Origenem, Nazianzenum & alios, cum quidem facilimè explicari poſſint, ſi ſciamus, Evangelium non

ferre leges de ſtatu civili, ſed eſſe remiſſionem peccatorum, & inchoationem vitæ æternæ in cordibus credentium. Cæterum non ſolum externas politias approbare, ſed nos etiam ſubjicere illis, ſicut neceſſario ſubditi ſumus legibus temporum, vicibus hyemis & æſtatis tanquam divinis ordinationibus. Evangelium prohibet vindictam privatam; Idque hoc conſilio Chriſtus toties inculcat, ne Apoſtoli putarent ſe Imperia debere iſtis eripere, qui alioqui tenebant, ſicut Judæi de regno Meſſiæ ſomniabant, ſed ut ſcirent ſe de regno ſpirituali docere oportere, non mutare civilem ſtatum. Itaque privata vindicta non conſilio, ſed præcepto prohibetur, Matth. 5. & Rom. 12. Publica, quæ fit ex officio Magiſtratus, non diſſvadetur, ſed præcipitur & eſt opus Dei: juxta Paulum Rom. 13. Jam publicæ vindictæ ſpecies ſunt, judicia, ſupplicia, bella, militia. De his rebus quam male judicaverint multi ſcriptores, conſtat, quia in hoc errore fuerunt, Evangelium externam quandam, novam & monaſticam politiam eſſe, nec viderunt, Evangelium cordibus afferre juſtitiam æternam, foris autem probare ſtatum civilem.

Matth. 5, 39. Rom. 12, 20. Cap. 13, 2. 5.

Vaniſſimum & hoc eſt, quod ſit perfectio Chriſtiana non tenere proprium. Nam perfectio Chriſtiana eſt ſita non in contemtu civilium ordinationum, ſed in motibus cordis, in magno timore Dei, in magna fide, ſicut Abraham, David, Daniel, etiam in magnis opibus atque in imperiis non minus perfecti erant, quam ullæ eremitæ. Sed Monachi illam externam hypocriſin offuderunt oculis hominum, ne videri poſſet, in quibus rebus ſit vera perfectio. Quibus laudibus vexerunt communionem rerum, quaſi Evangelicam? At hæ laudes plurimum habent periculi, præſertim cum longe diſſentiant a ſcripturis. Scriptura enim non præcipit, ut res ſint communes, ſed lex Decalogi, cum inquit: Non furtum facies, dominia diſtinguit, & ſuum quemque

que tenere jubet. Plane furebat Wiglefus, qui negabat licere ſacerdotibus tenere proprium. Sunt infinitæ diſputationes de contractibus, de quibus nunquam ſatisfieri bonis conſcientiis poteſt, niſi ſciant hanc regulam, quod Chriſtiano liceat uti civilibus ordinationibus, ac legibus. Hæc regula tuetur conſcientias, cum docent eatenus licitos eſſe contractus coram Deo, quatenus eos magiſtratus ſeu leges approbant.

Hic totus locus rerum politicarum à noſtris ita patefactus eſt, ut plurimi boni viri, qui verſantur in republica, & in negotijs, prædicaverint ſe magnopere adjutos eſſe, qui antea Monachorum opinionibus vexati dubitabant, utrum illa civilia officia & negotia evangelium permitteret. Hæc ideo recitavimus, ut etiam exteri intelligant, hoc doctrinæ genere, quod nos ſequimur, non labefactari, ſed multo magis muniri autoritatem magiſtratuum, & dignitatem omnium ordinationum civilium, quarum rerum magnitudo fatuis illis opinionibus monaſticis, mirifice antea fuit obſcurata, quæ longe præferebant hypocriſin paupertatis & humilitatis, politiæ & Oeconomiæ, cum hæ mandatum Dei habeant, illa communio Platonica non habeat mandatum Dei.

Articulum XVII. recipiunt adverſarii ſine exceptione, in quo confitemur Chriſtum in conſummatione mundi appariturum eſſe, ac mortuos omnes reſuſcitaturum, & piis æternam vitam & æterna gaudia daturum, impios vero condemnaturum eſſe, ut cum diabolo ſine fine crucientur. *Aug. Conf. 14.*

Articulum XVIII. recipiunt adverſarii de libero arbitrio. Etſi quædam addunt teſtimonia parum apta ad eam cauſam. Addunt & declamationem, quod non ſit nimium tribuendum libero arbitrio cum Pelagianis, neq; omnem ei libertatem adimendam eſſe cum Manichæis. Præclare ſane, ſed quid intereſt inter Pelagianos *Aug. Conf. 14. Art. Sm. 318.*

& adverſarios noſtros? cum utrique ſentiant, homines ſine Spiritu Sancto poſſe Deum diligere, & præcepta Dei facere, quoad ſubſtantiam actuum, mereri gratiam ac juſtificationem operibus, quæ ratio per ſe efficit ſine Spiritu S. Quam multa abſurda ſequuntur ex his Pelagianis opinionibus, quæ in ſcholis magna autoritate docentur. Has Auguſtinus, ſequens Paulum, magna contentione refutat. Cujus ſententiam ſupra in articulo de Juſtificatione recitavimus. Neque vero adimimus humanæ voluntati libertatem. Habet humana voluntas libertatem in operibus & rebus deligendis, quas ratio per ſe comprehendit. Poteſt aliquo modo efficere juſtitiam civilem, ſeu juſtitiam operum, poteſt loqui de Deo, exhibere Deo certum cultum, externo opere obedire magiſtratibus, parentibus, in opere externo eligendo, poteſt continere manus à cæde, ab adulterio, à furto. Cum reliqua ſit in natura hominis ratio & judicium de rebus ſenſui ſubjectis, reliquus eſt etiam delectus earum rerum & libertas & facultas efficiendæ juſtitiæ civilis. Id enim vocat ſcriptura juſtitiam carnis, quam natura carnalis, hoc eſt, ratio per ſe efficit ſine Spiritu Sancto. Quanquam tanta eſt vis concupiſcentiæ, ut malis affectibus ſæpius obtemperent homines, quam recto judicio. Et diabolus, qui eſt efficax in impiis, ut ait Paulus, non deſinit incitare hanc imbecillem naturam ad varia delicta. Hæ cauſæ ſunt, quare & civilis juſtitia rara ſit inter homines, ſicut videmus, ne ipſos quidem Philoſophos eam conſecutos eſſe, qui videntur eam expetiviſſe. Illud autem falſum eſt, non peccare hominem, qui facit opera præceptorum extra gratiam. Et addunt amplius, talia opera etiam de congruo mereri remiſſionem peccatorum ac juſtificationem. Nam humana corda ſine Spiritu Sancto, ſunt ſine timore Dei, ſine fiducia erga Deum, non credunt ſe exaudiri, ſibi ignoſci, ſe juvari & ſervari à Deo. Igitur ſunt impia. Porro arbor mala non poteſt

teſt ferre bonos fructus. Et ſine fide impoſſibile eſt Deo placere. *Hebr. 11, 6.*

Igitur etiamſi concedimus libero arbitrio libertatem & facultatem externa opera legis efficiendi, tamen illa ſpiritualia non tribuimus libero arbitrio, ſcilicet vere timere Deum, vere credere Deo, vere ſtatuere ac ſentire, quod Deus non reſpiciat, exaudiat, ignoſcat nobis, &c. Hæc ſunt vera opera primæ tabulæ, quæ non poteſt humanum cor efficere, ſine Spiritu Sancto, ſicut ait Paulus: Animalis homo, hoc eſt, homo tantum naturalibus viribus utens, non percipit ea, quæ Dei ſunt. Et hoc judicari poteſt, ſi conſiderent homines, quomodo corda de voluntate Dei ſentiant, utrum vere ſtatuant ſe reſpici & exaudiri à Deo. Hanc fidem difficile eſt & ſanctis retinere, tantum abeſt, ut ſit in impiis. Concipitur autem, ut ſupra diximus, cum corda perterrefacta Evangelium audiunt, & conſolationem concipiunt. *2. Cor. 2, 14.*

Prodeſt igitur iſta diſtributio, in qua tribuitur libero arbitrio juſtitia civilis, & juſtitia ſpiritualis gubernationi Spiritus Sancti in renatis. Ita enim retinetur pædagogia, quia omnes homines pariter debent ſcire, & quod Deus illam civilem juſtitiam requirat, & quod aliquo modo præſtare eam poſſimus. Et tamen oſtenditur diſcrimen inter juſtitiam humanam & ſpiritualem, inter Philoſophicam, & doctrinam Spiritus Sancti, & intelligi poteſt, ad quid opus ſit Spiritu Sancto. Neque hæc diſtributio à nobis inventa eſt, ſed ſcriptura clariſſime tradit eam. Tractat eam & Auguſtinus, & eſt recens egregie tractata à Guilielmo Pariſienſi, ſed ſceleſte obruta eſt ab iſtis, qui ſomniaverunt homines legi Dei obedire poſſe ſine Spiritu Sancto, dari autem Spiritum Sanctum, ut accedant reſpectus meritorii.

Articulum XIX. recipiunt adverſarii, in quo confitemur, quod etſi unus ac ſolus DEUS condiderit uni- *Aug. Conf. 19.*

universam naturam, & conservet omnia, quæ existunt, tamen causa peccati sit voluntas in diabolo & hominibus, avertens se à Deo, juxta dictum Christi de diabolo: Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur.

In Articulo XX. diserte ponunt hæc verba, quod rejiciant & improbent hoc, quod dicimus, quod non mereantur homines remissionem peccatorum bonis operibus. Hunc articulum clare prædicant se rejicere & improbare. Quid in re tam manifesta dicendum est? Hic aperte ostendunt architecti confutationis, quo Spiritu agantur. Quid est enim certius in Ecclesia? quam quod remissio peccatorum contingat gratis propter Christum, quod Christus sit propitiatio pro peccatis, non nostra opera, sicut Petrus inquit: Huic omnes Prophetæ perhibent testimonium, in nomine ipsius accipere remissionem peccatorum omnes, qui credunt in eum. Huic Ecclesiæ Prophetarum assentiamur potius, quam istis perditis Scriptoribus confutationis, qui tam impudenter blasphemant Christum. Nam etiamsi qui fuerunt Scriptores, qui senserunt, post remissionem peccatorum homines justos esse coram Deo, non fide, sed ipsis operibus, tamen hoc non senserunt, quod ipsa remissio peccatorum contingat propter opera nostra, non gratis propter Christum. Non ferenda est igitur blasphemia, tribuere honorem Christi nostris operibus. Nihil pudet jam istos Theologos, si talem sententiam in Ecclesia audent ferre. Neque dubitamus, quin optimus Imperator, ac plerique Principum, hunc locum nullo modo fuerint in confutatione relicturi, si essent admoniti. Infinita hoc loco testimonia ex Scriptura, ex Patribus, citare possemus. Verum & supra satis multa de hac re diximus. Et nihil opus est pluribus testimoniis, illi, qui scit, quare CHRISTVS nobis donatus sit, qui scit, Christum esse propitiationem pro peccatis nostris. Esaias inquit: Posuit

Actor. 10, 43.

Actor. 14, 38.

Esa. 53, 6.

Do-

Dominus in eo iniquitates omnium noſtrum. Adverſarii contra docent, Deum ponere iniquitates noſtras, non in Chriſto, ſed in noſtris operibus. Neque hic dicere libet, qualia opera doceant. Videmus horribile decretum contra nos compoſitum eſſe, quod magis terreret nos, ſi de ambiguis, aut levibus rebus contenderemus. Nunc cum conſcientiæ noſtræ intelligant, damnari ab adverſariis manifeſtam veritatem, cujus propugnatio Eccleſiæ neceſſaria eſt, & amplificat gloriam Chriſti, facile terrores mundi contemnimus, & ingenti animo, ſi quid erit patiendum propter gloriam Chriſti, propter utilitatem Eccleſiæ, feremus. Quis non gaudeat mori in confeſſione horum articulorum, quod remiſſionem peccatorum fide conſequamur gratis propter Chriſtum, quod operibus noſtris non mereamur remiſſionem peccatorum? Nullam habebunt ſatis firmam conſolationem conſcientiæ piorum adverſus terrores peccati & mortis, & adverſus diabolum ſollicitantem ad deſperationem, ſi non ſciant, ſe debere ſtatuere, quod gratis propter Chriſtum habeant remiſſionem peccatorum. Hæc fides ſuſtentat, & vivificat corda in illo aſperrimo certamine deſperationis. Digna igitur cauſa eſt, propter quam nullum recuſemus periculum. Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito, quisquis aſſentiris confeſſioni noſtræ, cum adverſarii terroribus, cruciatibus, ſuppliciis, conantur excutere tibi tantam conſolationem, quæ univerſæ Eccleſiæ in hoc articulo propoſita eſt. Non deerunt quærenti teſtimonia Scripturæ, quæ confirmabunt animum. Nam Paulus tota voce, ut dicitur, clamitat, Rom. 3. & 4. gratis remitti peccata propter Chriſtum. Ideo inquit, ex fide juſtificamur, & gratis, ut firma ſit promiſſio; Id eſt: Si ex noſtris operibus penderet promiſſio non eſſet firma. Si propter noſtra opera daretur remiſſio peccatorum, quando ſciremus eam nos conſecutos eſſe? quando reperiret opus con-

Rom. 3, 24. Cap. 4, 16.

conſcientia territa, quod ſtatueret ad placandam iram Dei ſufficere? Sed ſupra de tota re diximus. Inde lector ſumat teſtimonia. Nam hanc non diſputationem ſed querelam indignitas rei nobis expreſſit, quod hoc loco diſerte poſuerunt, ſe improbare hunc noſtrum articulum, quod remiſſionem peccatorum conſequamur non propter opera noſtra, ſed fide & gratis propter Chriſtum. Adverſarii etiam addunt teſtimonia ſuæ condemnationi. Et operæ pretium eſt unum atque alterum recitare. Allegant ex Petro: Studete firmam facere vocationem veſtram, &c. Jam vides, lector, adverſarios noſtros non perdidiſſe operam in diſcenda Dialectica, ſed habere artificium ratiocinandi ex Scripturis prorſus quidquid libet. Facite firmam vocationem veſtram, per bona opera. Igitur opera merentur remiſſionem peccatorum. Sane concinna erit argumentatio, ſi quis ſic ratiocinetur de reo capitalis pœnæ, cui pœna remiſſa eſt: Magiſtratus præcipit, ut in poſterum abſtineas ab alieno. Igitur per hoc meritus es condonationem pœnæ, quod nunc ab alieno abſtines. Sic argumentari, eſt ex non cauſa cauſam facere. Nam Petrus loquitur de operibus ſequentibus remiſſionem peccatorum, & docet, quare ſint facienda, ſcilicet, ut ſit firma vocatio, hoc eſt, ne vocatione ſua excidant, ſi iterum peccent. Facite bona opera, ut perſeveretis in vocatione, ne amittatis dona vocationis, quæ prius contigerunt, non propter ſequentia opera, ſed jam retinentur fide, & fides non manet in his, qui amittunt Spiritum Sanctum, qui abjiciunt pœnitentiam, ſicut ſupra diximus, fidem exiſtere in pœnitentia. Addunt alii teſtimonia non melius cohærentia. Poſtremo dicunt, hanc opinionem ante mille annos Auguſtini tempore damnatam eſſe. Id quoque falſiſſimum eſt: Semper enim Eccleſia Chriſti ſenſit remiſſionem peccatorum gratis contingere. Imo Pelagiani damnati ſunt, qui gratiam propter opera noſtra dari con-

2. Petr. 1, 10.

contendebant. Cæterum ſupra ſatis oſtendimus, quod ſentiamus bona opera neceſſario ſequi debere fidem. Non enim abolemus legem, inquit Paulus, ſed ſtabilimus, quia cum fide accepimus Spiritum Sanctum, neceſſario ſequitur legis impletio, qua ſubinde creſcit dilectio, patientia, caſtitas & alii fructus ſpiritus. *Rom. 3, 31.*

IX. DE INVOCATIONE SANCTORUM.

ARTICULUM XXI. ſimpliciter damnant, quod invocationem ſanctorum non requirimus. Nec ullo in loco prolixius rhetoricantur. Neque tamen aliud quicquam efficiunt, quam ſanctos honorandos eſſe: Item ſanctos, qui vivunt, orare pro aliis, quaſi vero propterea neceſſaria ſit invocatio mortuorum ſanctorum. Allegant Cyprianum, quod vivum Cornelium rogaverit, ut diſcedens pro fratribus oret. Hoc exemplo probant mortuorum invocationem. Citant & Hieronymum contra Vigilantium: In hac arena, inquiunt, ante mille & centum annos vicit Hieronymus Vigilantium. Sic triumphant adverſarii, quaſi jam ſit debellatum; nec vident iſti aſini, apud Hieronymum contra Vigilantium nullam extare ſyllabam de invocatione. Loquitur de honoribus ſanctorum, non de invocatione. Neque reliqui veteres Scriptores ante Gregorium, fecerunt mentionem invocationis. Certe hæc invocatio cum his opinionibus, quas nunc docent adverſarii de applicatione meritorum, non habet teſtimonia veterum Scriptorum. *Aug. Conf. 19. Art. Smſ. 310.*

Confeſſio noſtra probat honores ſanctorum. Nam hic triplex honos probandus eſt. Primus eſt gratiarum actio. Debemus enim Deo gratias agere, quod oſtenderit exempla miſericordiæ, quod ſignificaverit, ſe

se velle salvare homines, quod dederit doctores aut alia dona Ecclesiæ. Et hæc dona, ut sunt maxima, amplificanda sunt, & laudandi ipsi sancti, qui his donis fideliter usi sunt, sicut Christus laudat fideles negotiatores. Secundus cultus est, confirmatio fidei nostræ, cum videmus Petro condonari negationem, erigimur & nos, ut magis credamus, quod vere gratia exuberet supra peccatum. Tertius honos est imitatio, primum fidei, deinde cæterarum virtutum, quas imitari pro sua quisque vocatione debet. Hos veros honores non requirunt adversarii. Tantum de invocatione, quæ etiamsi nihil haberet periculi, tamen non est necessaria, rixantur.

Rom. 5, 20.

Præterea & hoc largimur, quod Angeli orent pro nobis. Extat enim testimonium Zachar. 1. ubi Angelus orat: Domine exercituum, usque quo tu non misereberis Jerusalem, &c. De sanctis etsi concedimus, quod sicut vivi orant pro Ecclesia universa in genere, ita in cœlis orent pro Ecclesia in genere, tametsi testimonium nullum de mortuis orantibus extat in Scripturis, præter illud somnium sumtum ex libro Macchabæorum posteriore.

Zach. 1, 12.

Porro ut maxime pro Ecclesia orent Sancti, tamen non sequitur, quod sint invocandi. Quanquam confessio nostra hoc tantum affirmat, quod scriptura non doceat Sanctorum invocationem, seu petere à sanctis auxilium. Cum autem neque præceptum, neque promissio, neque exemplum ex Scripturis de invocandis Sanctis afferri possit; sequitur conscientiam nihil posse certi de illa invocatione habere. Et cum oratio debeat ex fide fieri, quomodo scimus, quod Deus approbet illam invocationem? Unde scimus sine testimonio Scripturæ, quod sancti intelligant singulorum preces? Quidam plane tribuunt divinitatem sanctis, videlicet, quod tacitas cogitationes mentium in nobis cernant. Disputant de matutina & vespertina cognitione, fortassis, quia

quia dubitant ; Utrum mane, an veſperi audiant. Hæc comminiſcuntur, non ut ſanctos honore afficiant, ſed ut quæſtuoſos cultus defendant. Nihil afferri poteſt ab adverſariis contra hanc rationem, quod cum invocatio non habeat teſtimonium ex verbo Dei, non poſſit affirmari, quod ſancti intelligant invocationem noſtram, aut, ut maxime intelligant, quod Deus eam approbet. Quare adverſarii non debebant nos ad rem incertam cogere, quia oratio ſine fide non eſt oratio. Nam quod allegant Eccleſiæ exemplum, conſtat novum hunc in Eccleſia morem eſſe ; Nam veteres orationes etſi mentionem ſanctorum faciunt, non tamen invocant Sanctos. Quanquam etiam illa nova invocatio in Eccleſia, diſſimilis eſt invocationi ſingulorum.

Deinde adverſarii non ſolum invocationem in cultu ſanctorum requirunt, ſed etiam applicant merita ſanctorum pro aliis, & faciunt ex ſanctis non ſolum deprecatores, ſed etiam propitiatores. Id nullo modo ferendum eſt. Nam hic prorſus transfertur in ſanctos proprius honor Chriſti. Faciunt enim eos mediatores, & propitiatores, & quanquam diſtinguunt de mediatoribus interceſſionis & mediatoribus redemtionis, tamen plane faciunt ex ſanctis mediatores redemtionis. Atque etiam illud dicunt ſine Teſtimonio ſcripturæ, quod ſint mediatores interceſſionis, quod ut verecundiſſime dicatur, tamen obſcurat officium Chriſti, & fiduciam miſericordiæ debitam Chriſto, transfert in ſanctos. Fingunt enim homines, Chriſtum duriorem eſſe, & ſanctos placabiliores, & magis confidunt miſericordia ſanctorum, quam miſericordia Chriſti, & fugientes Chriſtum, quærunt ſanctos. Ita faciunt ex eis reipſa mediatores redemtionis.

Itaque oſtendemus, quod vere faciant ex ſanctis non tantum deprecatores, ſed propitiatores, hoc eſt, mediatores redemtionis. Nondum recitavimus hic vulgi

abuſus. De doctorum opinionibus adhuc loquimur. Reliqua etiam imperiti judicare poſſunt. In propitiatore hæc duo concurrunt. Primum oportet extare verbum Dei: Ex quo certo ſciamus, quod Deus velit miſereri & exaudire invocantes per hunc propitiatorem. Talis extat de Chriſto promiſſio: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. De ſanctis nulla extat talis promiſſio. Quare conſcientiæ non poſſunt certò ſtatuere, quod per ſanctorum invocationem exaudiamur. Itaque invocatio illa non fit ex fide. Deinde mandatum etiam habemus, ut invocemus Chriſtum? juxta illud: Venite ad me, qui laboratis, &c. quod certe nobis quoque dictum eſt. Et Eſaias ait 11. In die illa, ſtabit radix Jeſſæ, in ſignum populorum. Ipſum gentes deprecabuntur. Et Pſal. 43. Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis. Et Pſal. 71. Et adorabunt eum omnes reges terræ. Et paulo poſt: orabunt coram eo jugiter. Et Joh. 5. inquit Chriſtus: Ut omnes honorificent filium, ſicut honorificant Patrem. Et Paulus 1. Theſſ. 2. orans inquit: Ipſe autem Dominus noſter Jeſus Chriſtus & Deus, & Pater noſter exhortetur corda veſtra, & confirmet vos, &c. At de ſanctorum invocatione quod poſſunt adverſarii præceptum, quod exemplum ex Scripturis afferre? Alterum eſt in propitiatore, quod merita ipſius propoſita ſunt, ut quæ pro aliis ſatisfacerent, quæ aliis donentur imputatione divina, ut per ea, tanquam propriis meritis juſti reputentur, ut ſi quis amicus pro amico ſolvit æs alienum, debitor alieno merito tanquam proprio liberatur. Ita Chriſti merita nobis donantur, ut juſti reputemur fiducia meritorum Chriſti, cum in eum credimus, tanquam propria merita haberemus.

Joh. 16, 24.

Matth. 11, 28.

Eſa. 11, 10.

Pſal. 71, 11.

Joh. 5, 23.

1. Theſſ. 2, 16. 17.

Et ex utroque, nempe ex promiſſione, & donatione meritorum oritur fiducia miſericordiæ. Talis fiducia promiſſionis divinæ: Item meritorum Chriſti debet af-

afferri ad orandum. Verè enim ſtatuere debemus, & quod propter Chriſtum exaudiamur, & quod ipſius meritis habeamus placatum patrem. Hic adverſarii primum jubent invocare ſanctos, cum neque promiſſionem Dei, neque mandatum, neque exemplum Scripturæ habeant. Et tamen faciunt, ut major fiducia miſericordiæ ſanctorum concipiatur, quam Chriſti, cum Chriſtus ad ſe venire juſſerit, non ad ſanctos. Secundo, applicant merita ſanctorum aliis, ſicut merita Chriſti: Jubent confidere meritis ſanctorum, quaſi reputemur juſti propter merita ſanctorum, ſicut juſti reputamur meritis Chriſti. Nihil hic fingimus. In indulgentiis dicunt ſe applicare merita ſanctorum. Et Gabriel interpres Canonis Miſſæ confidenter pronunciat nos ordine inſtituto à Deo, debere ad auxilia ſanctorum confugere, ut ſalvemur eorum meritis & votis. Hæc ſunt verba Gabrielis: Et tamen paſſim in libris & concionibus adverſariorum leguntur abſurdiora; Quid eſt facere propitiatores, ſi hoc non eſt? Prorſus æquantur Chriſto, ſi confidere debemus, quod meritis eorum ſalvemur. Ubi autem inſtitutus eſt ille ordo à Deo, quem dicit iſte, quod debeamus ad auxilia ſanctorum confugere? proferat exemplum ex ſcripturis, aut præceptum. Fortaſſis ex aulis Regum ſumunt hunc ordinem, ubi amicis interceſſoribus utendum eſt. At ſi rex conſtituerit certum interceſſorem, non volet ad ſe cauſas per alios deferri. Ita cum Chriſtus ſit conſtitutus interceſſor & Pontifex, cur quærimus alios? Paſſim uſurpatur hæc forma abſolutionis: Paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti, merita beatiſſimæ virginis Mariæ & omnium ſanctorum ſint tibi in remiſſionem peccatorum. Hic pronunciatur abſolutio, quod non ſolum meritis Chriſti, ſed meritis aliorum ſanctorum reconciliemur & juſti reputemur. Quidam è nobis viderunt morientem doctorem Theologiæ, ad quem conſolandum adhibitus erat

Monachus quispiam Theologus. Is morienti nihil inculcabat, nisi hanc precationem: Mater gratiæ, nos ab hoste protege, in hora mortis suscipe. Ut largiamur quod beata Maria oret pro Ecclesia, num ipsa suscipit animas in morte, num vincit mortem, num vivificat? Quid agit Christus, si hæc facit beata Maria? quæ etsi est dignissima amplissimis honoribus, tamen non vult se æquari Christo, sed potius exempla sua nos intueri & amplecti vult. At res loquitur ipsa, quod publica persvasione beata virgo prorsus in locum Christi successerit. Hanc invocaverunt homines, hujus misericordia confisi sunt, per hanc voluerunt placare Christum, quasi is non esset propitiator, sed tantum horrendus Judex, & ultor. Nos autem sentimus, quod non sit confidendum, quod merita sanctorum nobis applicentur, quod propter illa Deus nobis reconcilietur, aut reputet nos justos, aut salvet nos. Tantum enim Christi meritis consequimur remissionem peccatorum, cum in eum credimus. De aliis sanctis dictum est: 1. Cor. 3, 8. Unusquisque recipiet mercedem secundum suum laborem, id est, ipsi inter se donare sua merita alii aliis non possunt, sicut Monachi vendunt suorum ordinum merita. Et Hilarius ait, de fatuis virginibus: Et quia prodire obviam fatuæ extinctis lampadibus non possunt, deprecantur eas, quæ prudentes erant, ut oleum mutent, quibus responderunt, non posse sedare, quia non sit forte, quod omnibus satis sit, alienis scilicet operibus ac meritis neminem adjuvandum unicuique lampadi suæ emere oleum necesse sit. Cum igitur adversarii doceant fiduciam collocare in invocationem sanctorum, cum neque verbum DEI, neque exemplum Scripturæ habeant, cum applicent merita sanctorum pro aliis non secus ac merita Christi, & proprium Christi honorem in sanctos transferant: neque opiniones eorum de cultu sanctorum, neque consuetudinem invocationis, reci-

recipere possumus. Scimus enim, fiduciam in Christi intercessionem collocandam esse, quia hæc sola habet promissionem Dei. Scimus, solius Christi merita propitiationem pro nobis esse. Propter Christi merita reputamur justi, cum credimus in eum, sicut textus ait: Omnes, qui confidunt in eum, non confundentur. Nec est confidendum, quod justi reputemur meritis beatæ virginis, aut aliorum sanctorum. *Rom. 9, 23.*

Hæret & hic error apud doctos, quod singulis sanctis certæ procurationes commissæ sint, ut Anna divitias largiatur, Sebastianus arceat pestilentiam, Valentinus medeatur morbo comitiali, Georgius tueatur equites. Hæ persuasiones planæ sunt ortæ ex ethnicis exemplis. Sic enim apud Romanos putabatur Juno ditare, Febris arcere febrem, Castor & Pollux defendere equites, &c. Et fingamus moderatissime tradi invocationem sanctorum, tamen cum exemplum sit periculosissimum, quorsum opus est eam defendere, cum nullum habeat mandatum aut testimonium ex verbo Dei? Imo nec veterum Scriptorum testimonium habet. Primum quia, ut supra dixi, cum alii mediatores præter Christum quæruntur, collocatur fiducia in alios, obruitur tota notitia Christi, idque res ostendit. Videtur initio mentio sanctorum, qualis est in veteribus orationibus, tolerabili consilio recepta esse. Postea secuta est invocatio, invocationem prodigiosi & plus quam ethnici abusus secuti sunt. Ab invocatione ad imagines ventum est, hæ quoque colebantur, & putabatur eis inesse quædam vis, sicut magi vim inesse fingunt imaginibus signorum cœlestium certo tempore sculptis. Vidimus in quodam monasterio simulachrum beatæ virginis, quod, quasi αὐτόματον, arte movebatur, ut videretur aut aversari petentes, aut annuere. Et tamen omnium statuarum atque picturarum portenta superant fabulosæ historiæ de sanctis, quæ magna au-

toritate publice tradebantur. Barbara petit inter tormenta præmium, ne quis invocans ipſam moriatur ſine euchariſtia. Alius totum Pſalterium, ſtans pede in uno, quotidie recitavit. Chriſtophorum pinxit aliquis vir prudens, ut ſignificaret per allegoriam magnum oportere robur animi eſſe in his, qui ferrent Chriſtum, hoc eſt, qui docent Evangelium, aut confiterentur, quia neceſſe ſit ſubire maxima pericula. Deinde ſtolidi monachi apud populum docuerunt invocare Chriſtophorum, quaſi talis polyphemus aliquando extitiſſet. Cumque ſancti maximas res geſſerint, vel reipublicæ utiles, vel continentes privata exempla, quarum commemoratio tum ad fidem confirmandam, tum ad imitationem in rebus gerendis multum conduceret, has nemo ex veris hiſtoriis conquiſivit. At vero prodeſt audire, quomodo ſancti viri adminiſtraverint respublicas, quos caſus, quæ pericula ſubierint, quomodo ſancti viri regibus auxilio fuerint in magnis periculis, quomodo docuerint Evangelium, quas habuerint cum hæreticis dimicationes, proſunt & exempla miſericordiæ, ut cum videmus, Petro condonatam eſſe negationem, cum videmus Cypriano condonatum eſſe, quod magus fuiſſet, cum videmus Auguſtinum in morbo expertum vim fidei, conſtanter affirmare, quod vere Deus exaudiat preces credentium. Hujusmodi exempla, quæ vel fidem vel timorem, vel adminiſtrationem reipublicæ continent, proderat recitari. Sed hiſtriones quidam nulla neque fidei, neque rerumpublicarum regendarum ſcientia prædiți, confinxerunt fabulas imitatione Poematum, in quibus tantum inſunt ſuperſtitioſa exempla, de certis precibus, certis jejuniis, & addita ſunt quædam ad quæſtum facientia. Cujusmodi ſunt miracula de roſariis, & ſimilibus ceremoniis confiƈta. Neque opus eſt hic recitare exempla. Extant enim legendæ, ut vocant, & ſpecula exemplorum, & Roſaria, in quibus pleraque ſunt non diſſimilia

veris

veris narrationibus Luciani. His prodigiosis & impiis fabulis applaudunt Episcopi, Theologi, Monachi, qui faciunt πρὸς τὰ ἄλφιτα: Nos non ferunt, qui ut Christi honos & officium magis conspici possit, non requirimus invocationem sanctorum, & abusus in cultu sanctorum taxamus. Cumque omnes boni viri ubique desiderent in his abusibus corrigendis vel Episcoporum autoritatem, vel diligentiam concionantium, tamen adversarii nostri in confutatione, omnino dissimulant etiam manifesta vitia, quasi recepta confutatione, velint nos cogere, ut etiam notissimos abusus approbemus. Ita insidiose scripta est confutatio non tantum in hoc loco, sed fere ubique. Nullus est locus, in quo à dogmatibus suis discernant manifestos abusus. Et tamen apud ipsos, si qui sunt saniores, fatentur, multas falsas persuasiones hærere in doctrina Scholasticorum & Canonistarum, multos præterea abusus in tanta insciția & negligentia pastorum irrepsisse in Ecclesiam. Neque enim primus fuit Lutherus, qui de publicis abusibus quereretur. Multi docti & præstantes viri longe ante hæc tempora deploraverunt abusus Missæ, fiduciam observationum Monasticarum, quæstuosos cultus sanctorum, confusionem doctrinæ de pœnitentia, quam vel maxime oportebat perspicuam & explicatam extare in Ecclesia. Ipsi audivimus excellentes Theologos desiderare modum in Scholastica doctrina, quæ multo plus habet rixarum philosophicarum, quam pietatis. Et tamen in his veteres fere propiores sunt scripturæ, quam recentiores. Ita magis magisque degeneravit istorum Theologia. Nec alia causa fuit multis bonis viris, qui initio amare Lutherum cœperunt, quam quod videbant, eum explicare animos hominum ex illis labyrinthis confusissimarum & infinitarum disputationum, quæ sunt apud Scholasticos Theologos & Canonistas, & res utiles ad pietatem docere.

Quare non fecerunt candide adversarii, quod cum vellent nos assentiri confutationi, dissimulaverunt abusus. Ac si vellent Ecclesiæ consultum, maxime isto in loco, in hac occasione, debebant hortari optimum Imperatorem, ut de corrigendis abusibus consilium caperet, quem quidem non obscure animadvertimus cupidissimum esse bene constituendæ, & sanandæ Ecclesiæ. Sed adversarii non hoc agunt, ut honestissimam & sanctissimam voluntatem Imperatoris adjuvent; Sed ut nos quoquo modo opprimant. De statu Ecclesiæ multa signa ostendunt, eos parum sollicitos esse: Non dant operam, ut extet apud populum certa quædam summa dogmatum Ecclesiasticorum. Manifestos abusus nova & inusitata crudelitate defendunt. Nullos patiuntur in Ecclesiis idoneos doctores. Hæc quo spectent, boni viri facile judicare possunt. Sed hac via neque suo regno, neque Ecclesiæ bene consulunt. Nam interfectis bonis doctoribus, oppressa sana doctrina, postea existent fanatici spiritus, quos non poterunt reprimere adversarii, qui & Ecclesiam impiis dogmatibus perturbabunt, & totam Ecclesiasticam politiam evertent, quam nos maxime cupimus conservare. Quare te, optime Imperator Carole, propter gloriam Christi, quam nihil dubitamus te cupere ornare atque augere, oramus, ne violentis consiliis adversariorum nostrorum assentiaris, sed ut quæras alias honestas vias concordiæ ita constituendæ, ne piæ conscientiæ graventur, néve sævitia aliqua in homines innocentes, sicut hactenus fieri vidimus, exerceatur, néve sana doctrina in Ecclesia opprimatur. Hoc officium Deo maxime omnium debes, sanam doctrinam conservare & propagare ad posteros, & defendere recta docentes. Id enim postulat Deus, cum Reges ornat nomine suo, & Deos appellat, inquiens: Ego dixi: Dii estis, ut res divinas, hoc est, Evangelium Christi in terris conservari & propagari curent, & tanquam vicarii Dei vitam & salutem innocentium defendant.

X. DE

Digitized by Google

X. DE UTRAQUE SPECIE COENÆ DOMINI.

NOn potest dubitari, quin pium sit, & consentaneum institutioni Christi, & verbis Pauli, uti utraque parte in Cœna Domini. CHRISTVS enim instituit utramque partem, & instituit, non pro parte Ecclesiæ; sed pro tota Ecclesia. Nam non presbyteri solum, sed tota Ecclesia autoritate Christi, non autoritate humana utitur Sacramento, idque fateri adversarios existimamus. Jam si Christus instituit pro tota Ecclesia, cur altera species adimitur parti Ecclesiæ? Cur prohibetur usus alterius speciei? Cur mutatur ordinatio Christi? præsertim, cum ipse vocet eam testamentum suum. Quod si hominis testamentum rescindere non licet, multo minus Christi testamentum rescindere licebit. Et Paulus inquit, se à Domino accepisse, quod tradidit. Tradiderat autem usum utriusque speciei, sicut clare ostendit textus 1. Cor. 11. Hoc facite, inquit, primum de corpore, postea eadem verba de poculo repetit. Et deinde: Probet seipsum homo, & sic de pane comedat, & ex poculo bibat. Hæc sunt verba disponentis. Et quidem præfatur, ut qui sunt usuri cœna Domini, simul utantur. Quare constat, pro tota Ecclesia sacramentum institutum esse. Et manet mos adhuc in Ecclesiis Græcis, & fuit quondam etiam in Latinis Ecclesiis, sicut Cyprianus & Hieron. testantur. Sic enim inquit Hieronymus in Sophoniam: Sacerdotes, qui Eucharistiæ serviunt, & sanguinem Domini populis ejus dividunt, &c. Idem testatur Synodus Toletana. Nec difficile fuerit, magnum acervum testimoniorum congerere. Hic nihil exaggeramus, tantum relinquimus prudenti lectori expendendum, quid sentiendum sit de divina ordinatione.

Aug. Conf. 12. Art. Sm. 330.

1. Cor. 11, 23.

v. 28.

Adversarii in confutatione non hoc agunt, ut excusent Ecclesiam, cui adempta est altera pars sacramenti;

Id decuit bonos & religioſos viros. Erat quærenda firma rario excuſandæ Eccleſiæ, & docendarum conſcientiarum, quibus non poteſt contingere niſi pars ſacramenti. Nunc ipſi defendunt, recte probiberi alteram partem, & vetant concedere uſum utriusque partis. Primum fingunt, initio Eccleſiæ alicubi morem fuiſſe, ut una pars tantum porrigeretur. Neque tamen exemplum hujus rei vetus ullum afferre poſſunt. Sed allegant locos, in quibus fit mentio panis, ut apud Lucam, ubi ſcriptum eſt, quod diſcipuli agnoverunt Chriſtum in fractione panis. Citant & alios locos
Luc. 24. 35. de fractione panis. Quanquam autem non valde repugnamus, quo minus aliqui de ſacramento accipiantur, tamen hoc non conſequitur, unam partem tantum datam eſſe, quia partis appellatione reliquum ſignificatur communi conſvetudine ſermonis. Addunt de Laica communione, quæ non erat uſus alterius tantum ſpeciei, ſed utriusque. Et ſi quando Sacerdotes Laica communione uti jubentur, ſignificatur, quod à miniſterio conſecrationis remoti fuerint. Neque hoc ignorant adverſarii, ſed abutuntur inſcitia imperitorum, qui cum audiunt Laicam communionem, ſtatim ſomniant morem noſtri temporis, quo datur Laicis tantum pars ſacramenti. At videte impudentiam, Gabriel inter cæteras cauſas recitat, cur non detur utraque pars, quia fuerit diſcrimen inter Laicos & Presbyteros faciendum. Et credibile eſt hanc præcipuam cauſam eſſe, cur defendatur prohibitio unius partis, ut dignitas ordinis religione quadam fiat commendatior. Hoc eſt conſilium humanum, ut nihil dicamus incivilius, quod,
1. Reg. 2, 29. quo ſpectet, facile judicari poteſt. Et in confutatione allegant de filiis Heli, quod amiſſo ſummo ſacerdotio, perdituri ſint unam partem ſacerdotalem 1. Regum 2. Hic dicunt uſum unius ſpeciei ſignificatum eſſe. Et addunt: Sic ergo & noſtri Laici una parte ſacerdotali, una ſpecie contenti eſſe debent.

Plane

Plane ludunt adverſarii, cum ad ſacramentum transferunt hiſtoriam de poſteris Heli. Ibi deſcribitur pœna Heli: Num hoc quoque dicent, Laicos propter pœnam removeri ab altera parte? Sacramentum inſtitutum eſt ad conſolandas & erigendas territas mentes, cum credunt carnem Chriſti datam pro vita mundi, cibum eſſe, cum credunt ſe conjunctos CHRISTO, vivificari. Verum adverſarii argumentantur, Laicos removeri ab altera parte pœnæ cauſa. Debent, inquiunt, eſſe contenti. Satis pro imperio: Cur autem debent? non eſt quærenda ratio, ſed lex eſto, quidquid dicunt Theologi: Hæc eſt ἰωλοχρασία Eccia-na. Agnoſcimus enim iſtas Thraſonicas voces, quas ſi exagitare vellemus, non defutura nobis eſſet oratio. Videtis enim quanta ſit impudentia. Imperat tanquam aliquis Tyrannus in Tragœdiis: Quod nolint, velint, debent eſſe contenti. Num hæ rationes, quas citat, excuſabunt hos in judicio Dei, qui prohibent partem ſacramenti, qui ſæviunt in homines bonos, utentes integro ſacramento? Si hac ratione prohibent, ut ſit ordinis diſcrimen, hæc ipſa ratio movere debeat, ne aſſentiamur adverſariis, vel ſi alioqui morem cum ipſis ſervaturi eramus. Alia ſunt diſcrimina ordinis ſacerdotum, & populi, ſed non eſt obſcurum, quid habeant conſilii, cur hoc diſcrimen tantopere defendant. Nos, ne de vera dignitate ordinis detrahere videamur, de hoc callido conſilio plura non dicemus.

Allegant & periculum effuſionis & ſimilia quædam, quæ non habent tantam vim, ut ordinationem Chriſti mutent. Et fingamus ſane liberum eſſe: Uti una parte aut ambabus, quomodo poterit prohibitio defendi. Quanquam Eccleſia non ſumit ſibi hanc libertatem, ut ex ordinationibus Chriſti faciat res indifferentes. Nos quidem Eccleſiam excuſamus, quæ hanc injuriam pertulit, cum utraque pars ei contingere non poſſet, ſed

ſed autores, qui defendunt, recte prohiberi uſum integri ſacramenti, quiq; nunc non ſolum prohibent, ſed etiam utentes integro ſacramento excommunicant, & vi perſequuntur, non excuſamus. Ipſi viderint, quomodo Deo rationem ſuorum conſiliorum reddituri ſint. Neque ſtatim judicandum eſt, Eccleſiam conſtituere aut probare, quidquid Pontifices conſtituunt, præſertim cum Scriptura de Epiſcopis & paſtoribus vaticinetur in hanc ſententiam, ut Ezechiel ait: Peribit lex à ſacerdote.

Ezech. 7, 27.

XI. DE CONJUGIO SACERDOTUM.

Aug. Conf. 21. Art. Sm. 334.

IN tanta infamia inquinati cœlibatus, audent adverſarii non ſolum defendere legem Pontificiam impio & falſo prætextu nominis divini, ſed etiam hortari Cæſarem ac Principes, ne tolerent conjugia ſacerdotum ad ignominiam & infamiam Romani Imperii. Sic enim loquuntur. Quæ major impudentia unquam ulla in hiſtoria lecta eſt, quam hæc eſt adverſariorum? Nam argumenta, quibus utuntur, poſtea recenſebimus. Nunc hoc expendat prudens lector, quid frontis habeant iſti nihili homines, qui dicunt, conjugia parere infamiam & ignominiam Imperio, quaſi vero Eccleſiam valde ornet iſta publica infamia flagitioſarum ac prodigioſarum libidinum, quæ flagrant apud iſtos S. Patres, qui Curios ſimulant, & bacchanalia vivunt. Ac pleraque ne verecunde quidem nominari queunt, quæ iſti ſumma licentia faciunt. Et has ſuas libidines caſtiſſima dextra tua, Carole Cæſar, (quem etiam vetera quædam vaticinia appellant regem pudica facie? De te enim dictum apparet: Pudicus facie regnabit ubique) propugnari poſtulant. Poſtulant, ut contra Jus divinum, contra Jus gentium, contra Canones conciliorum diſſipes matrimonia, ut in homines innocentes tantum propter conjugium

jugium atrocia ſupplicia conſtituas, ut Sacerdotes trucides, quibus religioſe parcunt etiam barbari, ut in exilium agas extorres mulieres, orbos pueros. Tales leges tibi ferunt, optime & caſtiſſime Imperator, quas nulla barbaria, quamlibet immanis ac fera, poſſet audire; Sed quia nulla cadit in hos tuos mores vel turpitudo, vel ſævitia, ſperamus, te & in hac cauſa clementer nobiſcũ acturum eſſe, præſertim ubi cognoveris, nos graviſſimas habere cauſas noſtræ ſententiæ, ſumtas ex verbo Dei, cui adverſarii nugaciſſimas & vaniſſimas perſuaſiones opponunt. Et tamen non tuentur ſerio cœlibatum. Neque enim ignorant, quam pauci præſtent caſtitatem, ſed prætexunt ſpeciem religionis regno ſuo, cui prodeſſe cœlibatum putant, ut intelligamus Petrum recte monuiſſe, futurum ut Pſeudoprophetæ fictis verbis decipiant homines. Nihil enim verè, ſimpliciter & candide in hac tota cauſa dicunt, ſcribunt, aut agunt adverſarii, ſed reipſa dimicant de dominatione, quam falſo putant periclitari, & hanc impio prætextu pietatis munire conantur. 2. Petr. 2, 23.

Nos hanc legem de cœlibatu, quam defendunt adverſarii, ideo non poſſumus approbare, quia cum Jure divino & naturali pugnat, & ab ipſis Canonibus conciliorum diſſentit. Et conſtat, ſuperſtitioſam & periculoſam eſſe. Parit enim infinita ſcandala, peccata & corruptelam publicorum morum. Aliæ controverſiæ noſtræ aliquam diſputationem doctorum deſiderant. In hac ita manifeſta res eſt, in utraque parte, ut nullam requirat diſputationem. Tantum requirit judicem virum bonum & timentem DEI. Et cum defendatur à nobis manifeſta veritas, tamen adverſarii calumnias quasdam architectati ſunt, ad cavillanda argumenta noſtra.

Primum. Geneſis docet, homines conditos eſſe, ut ſint fœcundi, & ſexus recta ratione ſexum appetat. Loquimur enim non de concupiſcentia, quæ peccatum eſt, ſed *Gen. 1, 28.*

ſed de illo appetitu, qui in integra natura futurus erat, quem vocant σοργὴν φυσικὴν. Et hæc σοργὴ eſt vere ordinatio divina ſexus ad ſexum. Cùm autem hæc ordinatio Dei ſine ſingulari opere Dei tolli non poſſit; ſequitur jus contrahendi matrimonii non poſſe tolli ſtatutis aut votis. Hæc cavillantur adverſarii, dicunt initio fuiſſe mandatum, ut repleretur terra, nunc repleta terra non eſſe mandatum conjugium. Videte quam prudenter judicent. Natura hominum formatur
Geneſ. 1, 11. illo verbo Dei, ut ſit fœcunda, non ſolum initio creationis, ſed tantiſper, dum hæc corporum natura exiſtit. Sicut hoc verbo terra ſit fœcunda: Germinet terra herbam virentem. Propter hanc ordinationem, non ſolum initio cœpit terra producere gramina, ſed quotannis veſtiuntur agri, donec exiſtit hæc natura. Sicut igitur legibus humanis non poteſt natura terræ mutari: Ita neque votis neque lege humana poteſt natura hominis mutari, ſine ſpeciali opere Dei.

Secundo. Et quia hæc creatio, ſeu ordinatio divina in homine, eſt jus naturale, ideo ſapienter & recte dixerunt Jurisconſulti, conjunctionem maris & fœminæ eſſe juris naturalis. Cum autem jus naturale ſit immutabile, neceſſe eſt ſemper manere jus contrahendi conjugii. Nam ubi natura non mutatur, neceſſe eſt, & illam ordinationem manere, quam Deus indidit naturæ, nec poteſt legibus humanis tolli. Ridiculum igitur eſt, quod adverſarii nugantur, initio fuiſſe mandatum conjugium, nunc non eſſe. Hoc perinde eſt, ac ſi dicerent: Olim naſcentes homines ſecum attulerunt ſexum, nunc non afferunt. Olim ſecum attulerunt jus naturale naſcentes, nunc non afferunt. Nullus Faber fabrilius cogitare quidquam poſſet, quam hæ ineptiæ excogitatæ ſunt, ad eluendum jus naturæ. Maneat igitur hoc in cauſa, quod & ſcriptura docet, & jurisconſultus ſapienter dixit: conjunctionem maris & fœminæ eſſe juris naturalis. Porro jus naturæ-

turale vere est jus divinum, quia est ordinatio divinitus impressa naturæ. Quia autem hoc jus mutari non potest, sine singulari opere Dei, necesse est manere jus contrahendi conjugii, quia ille naturalis appetitus, est ordinatio Dei in natura sexus ad sexum, & propterea jus est, alioqui quare uterque sexus conderetur? Et loquimur, ut supra dictum est, non de concupiscentia quæ peccatum est, sed de illo appetitu, quem vocant ῥαχὺν φυσικὸν, quem concupiscentia non sustulit ex natura, sed accendit, ut nunc remedio magis opus habeat, & conjugium non solum procreationis causa necessarium sit, sed etiam remedii causa. Hæc sunt perspicua, & adeo firma, ut nullo modo labefactari queant.

Tertio. Paulus ait: Propter fornicationem unusquisque habere uxorem suam. Hoc jam expressum mandatum est, ad omnes pertinens, qui non sunt idonei ad cœlibatum. Adversarii jubent sibi ostendi præceptum, quod præcipit Sacerdotibus uxores ducere, quasi Sacerdotes non sint homines. Nos quæ de natura hominum in genere disputamus, profecto etiam ad sacerdotes pertinere judicamus. An non præcipit hic Paulus, ut ducant uxorem isti, qui non habent donum continentiæ? Interpretatur enim se ipse paulo post, cum ait: Melius est nubere, quam uri. Et Christus clare dixit: Non omnes capiunt hoc verbum, sed quibus datum est, quia nunc post peccatum concurrunt hæc duo, naturalis appetitus & concupiscentia, quæ inflammant naturalem appetitum; ut jam magis opus sit conjugio, quam in natura integra. Ideo Paulus de conjugio tanquam de remedio loquitur, & propter illa incendia jubet nubere. Neque hanc vocem: Melius est nubere, quam uri, ulla humana autoritas, ulla lex, ulla vota tollere possunt, quia hæc non tollunt naturam aut concupiscentiã. Retinent igitur jus ducendi, omnes qui uruntur. Et tenentur hoc mandato Pauli, propter fornicatio-

1. Cor. 7, 2.

v. 9.

Matth. 19, 11.

tionem unusquisque habeat uxorem suam, omnes qui non vere continent, de qua re judicium ad conscientiam cujusque pertinet. Nam quod hic jubent petere à Deo continentiam, jubent corpus laboribus & inedia conficere, cur sibi quoque non canunt hæc magnifica præcepta? Sed ut supra diximus: Tantum ludunt adversarii, nihil agunt serio. Si continentia esset omnibus possibilis, non requireret peculiare donum. At Christus ostendit, eam peculiari dono opus habere, quare non contingit omnibus. Reliquos vult Deus uti communi lege naturæ, quam instituit; Non enim vult Deus contemni suas ordinationes, suas creaturas. Ita vult illos castos esse, ut remedio divinitus proposito utantur, sicut ita vult vitam nostram alere, si cibo, si potu utamur. Et Gerson testatur, multos fuisse bonos viros, qui conati domare corpus, tamen parum profecerunt. Ideo recte ait Ambrosius: Sola virginitas est, quæ svaderi potest, imperari non potest, res magis voti, quam præcepti est. Si quis hic objecerit, Christum laudare hos, qui se castrant propter regnum cœlorum, is hoc quoque consideret, quod tales laudat, qui donum continentiæ habent. Ideo enim addidit: Qui potest capere, capiat. Non enim placet CHRISTO immunda continentia. Laudamus & nos veram continentiam; Sed nunc de lege disputamus, & de his, qui non habent donum continentiæ. Res debebat relinqui libera, non debebant injici laquei imbecillibus per hanc legem.

Matth. 19, 12.

Quarto. Dissentit lex Pontificia & à Canonibus conciliorum. Nam veteres Canones non prohibent conjugium, nec contracta conjugia dissolvunt, etsi hos, qui in ministerio contraxerunt, removent ab administratione; Hæc missio istis temporibus beneficii loco erat. Sed novi Canones, qui non sunt in Synodis conditi, sed privato consilo Pontificum facti, & prohibent contrahere matrimonia, & contracta dissolvunt; Idque palam

palam eſt, fieri contra mandatum Chriſti: Quos Deus conjunxit, homo non ſeparet. *Matth. 19, 6.* Adverſarii vociferantur in confutatione, cœlibatum præceptum eſſe à conciliis. Nos non accuſamus decreta conciliorum: Nam hæc certa conditione permittunt conjugium, ſed accuſamus leges, quas poſt veteres Synodos Romani Pontifices contra autoritatem Synodorum condiderunt. Adeo Pontifices contemnunt autoritatem Synodorum, quam aliis volunt videri ſacroſanctam. Propria igitur eſt hæc lex de perpetuo cœlibatu, hujus novæ Pontificiæ dominationis. Neque id abs re. Daniel enim tribuit hanc notam regno Antichriſti, videlicet contemtum mulierum. *Dan. 11, 37.*

Quinto. Etſi adverſarii non defendunt legem ſuperſtitionis cauſa, cum videant non ſolere obſervari, tamen ſuperſtitioſas opiniones ſerunt, dum prætexunt religionem. Cœlibatum ideo prædicant ſe requirere, quod ſit mundities, quaſi conjugium ſit immundities ac peccatum, aut quaſi cœlibatus magis mereatur juſtificationem, quam conjugium. Et huc allegant ceremonias legis Moſaicæ, quod, cum in lege, tempore miniſterii, ſacerdotes ſeparati fuerint ab uxoribus, in novo teſtamento ſacerdos, cum ſemper orare debeat, ſemper debeat continere. Hæc inepta ſimilitudo allegatur tanquam demonſtratio, quæ cogat ſacerdotes ad perpetuum cœlibatum, cum quidem in ipſa ſimilitudine conjugium concedatur, tantum miniſterii tempore conſvetudo interdicitur. Et aliud eſt orare, aliud miniſtrare. Orabant Sancti tunc quoque, cum non exercebant publicum miniſterium, nec conſvetudo cum conjuge prohibeant, ne orarent. Sed reſpondebimus ordine ad hæc figmenta. Primum hoc fateri neceſſe eſt adverſarios, quod conjugium ſit mundum in credentibus, quia eſt ſacrificatum verbo Dei, hoc eſt, eſt res licita & approbata verbo Dei, ſicut copioſe teſtatur

Matth. 19, 6. Scriptura. Chriſtus enim vocat conjugium conjunctionem divinam, cum ait: Quos Deus conjunxit.
1. Tim. 4, 5. Et Paulus de conjugio, de cibis, & ſimilibus rebus inquit: Sanctificantur per verbum & orationem, hoc eſt, per verbum, quo conſcientia fit certa, quod Deus approbet, & per orationem, hoc eſt, per fidem, quæ cum gratiarum actione tanquam dono Dei utitur. Item
1. Cor. 7, 14. 1. Corinth. 7. Sanctificatur vir infidelis per uxorem fidelem, &c. id eſt, uſus conjugalis licitus & ſanctus eſt, propter fidem in Chriſtum, ſicut licitum eſt uti ci-
1 Tim. 2, 15. bo, &c. Item 1. Tim. 2. Salvatur mulier per filiorum generationem, &c. Si talem locum adverſarii de cœlibatu proferre poſſent, tum vero miros triumphos agerent. Paulus dicit, ſalvari mulierem per filiorum generationem. Quid potuit dici contra hypocriſin cœlibatus honorificentius? quam mulierem ſalvari ipſis conjugalibus operibus, uſu conjugali, pariendo & reliquis œconomicis officiis. Quid autem ſentit Paulus? Lector obſervet, addi fidem, nec laudari officia œconomica, ſine fide, ſi manſerint, inquit, in fide. Loquitur enim de toto genere matrum. Requirit igitur præcipue fidem, qua mulier accipit remiſſionem peccatorum & juſtificationem. Deinde addit certum opus vocationis, ſicut in ſingulis hominibus fidem ſequi debet bonum opus certæ vocationis. Id opus placet Deo propter fidem. Ita mulieris officia placent Deo propter fidem, & ſalvatur mulier fidelis, quæ in talibus officiis vocationis ſuæ pie ſervit. Hæc teſtimonia docent, conjugium rem licitam eſſe. Si igitur mundities ſignificat id, quod coram Deo licitum & approbatum eſt; Conjugia ſunt munda, quia ſunt ap-
Tit. 1, 15. probata verbo Dei. Et Paulus ait de rebus licitis: Omnia munda mundis, hoc eſt, his, qui credunt Chriſto, & fide juſti ſunt. Itaque ut virginitas in impiis eſt immunda, ita conjugium in piis eſt mundum propter verbum Dei, & fidem.

Dein-

Digitized by Google

Deinde. Si mundities proprie opponitur concupiſcentiæ, ſignificat mundiciem cordis, hoc eſt, mortificatam concupiſcentiam, quia lex non prohibet conjugium, ſed concupiſcentiam, adulterium, ſcortationem. Quare cœlibatus non eſt mundities. Poteſt enim eſſe major mundities cordis in conjuge, velut in Abraham, aut Jacob, quam in plerisque etiam vere continentibus.

Poſtremo. Si ita intelligunt cœlibatum munditiem eſſe, quod mereatur juſtificationem magis, quam conjugium, maxime reclamamus. Juſtificamur enim neque propter virginitatem, neque propter conjugium, ſed gratis propter Chriſtum, cum credimus, nos propter eum habere Deum propitium. Hic exclamabunt fortaſſis, Joviniani more æquari conjugium virginitati. Sed propter hæc convitia non abjiciemus veritatem de juſtitia fidei, quam ſupra expoſuimus. Neque tamen æquamus conjugio virginitatem. Sicut enim donum dono præſtat, Prophetia præſtat eloquentiæ, Scientia rei militaris præſtat agriculturæ, Eloquentia præſtat architectonicæ; ita virginitas donum eſt præſtantius conjugio. Et tamen ſicut Orator non eſt magis juſtus coram Deo propter eloquentiam, quam Architectus propter Architectonicam; ita virgo non magis meretur juſtificationem virginitate, quam conjux conjugalibus officiis, ſed unusquisq; in ſuo dono fideliter ſervire debet, ac ſentire, quod propter Chriſtum fide conſequatur remiſſionem peccatorum, & fide juſtus coram Deo reputetur.

Nec Chriſtus aut Paulus laudant virginitatem, ideo quod juſtificet, ſed quia ſit expeditior, & minus diſtrahatur domeſticis occupationibus in orando, docendo, ſerviendo. Ideo Paulus ait: Virgo curat ea, quæ ſunt Domini. Laudatur igitur virginitas propter meditationem & ſtudium. Sic CHRISTVS non ſimpliciter laudat hos, qui ſe caſtrant, ſed addit, propter regnum

1. Cor. 7, 34.

cœlorum, hoc eſt, ut diſcere aut docere Evangelium vacet. Non enim dicit virginitatem mereri remiſſionem peccatorum aut ſalutem. Ad exempla Sacerdotum Leviticorum reſpondimus, quod non efficiunt, oportere perpetuum cœlibatum imponi ſacerdotibus. Deinde immunditiæ Leviticæ non ſunt ad nos transferendæ. Conſuetudo contra legem tunc erat immunditia; Nunc non eſt immunditia, quia Paulus dicit: Omnia munda mundis. Liberat enim nos Evangelium ab illis immunditiis Leviticis. Ac ſi quis hoc conſilio legem cœlibatus defendit, ut illis obſervationibus Leviticis gravet conſcientias, huic perinde ad-
Actor. 15, 10. verſandum eſt, ut Apoſtoli in Actis c. 15. adverſantur his, qui circumciſionem requirebant, & legem Moyſi Chriſtianis imponere conabantur. Interim tamen boni ſcient moderari uſum conjugalem, præſertim cum ſunt occupati publicis miniſteriis, quæ quidem ſæpe tantum faciunt negotii bonis viris, ut omnes domeſticas cogitationes animis excutiant. Sciunt boni &
1. Theſſ. 4. hoc, quod Paulus jubet vaſa poſſidere in ſanctificatione. Sciunt item, quod interdum ſecedendum ſit, ut va-
1. Cor. 7, 5. cent orationi, ſed Paulus hoc ipſum non vult eſſe perpetuum: Jam talis continentia facilis eſt bonis & occupatis, ſed illa magna turba otioſorum ſacerdotum, quæ in collegiis eſt, in his deliciis, ne quidem hanc Leviticam continentiam præſtare poteſt, ut res oſtendit. Et nota ſunt poemata: Deſidiam puer ille ſequi ſolet, odit agentes, &c.

Multi hæretici male intellecta lege Moyſi, contumelioſe de conjugio ſenſerunt, quibus tamen peperit ſingularem admirationem cœlibatus. Et Epiphanius queritur, Encratitas hac commendatione præcipue cepiſſe imperitorum animos. Hi abſtinebant à vino, etiam in cœna Domini abſtinebant à carnibus omnium animantium, qua in re ſuperabant fratres Dominici, qui piſcibus veſcuntur. Abſtinebant & à conjugio, ſed

hæc

hæc res præcipuam admirationem habuit. Hæc opera, hos cultus ſentiebant magis mereri gratiam, quam uſum vini & carnium, & quam conjugium, quod videbatur res eſſe prophana & immunda, & quæ vix poſſet placere Deo, etiamſi non in totum damnaretur. Has religiones Angelorum Paulus ad Coloſſenſes valde improbat. Opprimunt enim cognitionem Chriſti, cùm ſentiunt homines, ſe mundos ac juſtos eſſe propter talem hypocriſin, opprimunt cognitionem donorum & præceptorum Dei. Vult enim Deus nos piè uti bonis ſuis. Ac nos exempla commemorare poſſemus, ubi valde perturbatæ ſunt piæ quædam conſcientiæ, propter legitimum uſum conjugii. Id malum erat natum ex opinionibus Monachorum ſuperſtitioſe laudantium cœlibatum. Neque tamen temperantiam aut continentiam vituperamus, ſed ſupra diximus, exercitia & caſtigationes corporis neceſſarias eſſe. Fiduciam vero juſtitiæ detrahimus certis obſervationibus. Et eleganter dixit Epiphanius, obſervationes illas laudandas eſſe διὰ τὴν ἐγκράτειαν, καὶ διὰ τὴν πολιτείαν, hoc eſt, ad coercendum corpus, aut propter publicos mores, ſicut ſunt inſtituti quidam ritus, ad commonefaciendos imperitos, non quod ſint cultus juſtificantes. *Coloſſ. 2, 18.*

Sed adverſarii noſtri non requirunt cœlibatum per ſuperſtitionem. Sciunt enim non ſolere præſtari caſtitatem. Verum prætexunt ſuperſtitioſas opiniones, ut imperitis fucum faciant. Magis igitur odio digni ſunt, quam Enkratitæ, qui quadam ſpecie religionis lapſi videntur, illi Sardanapali conſulto abuntuntur prætextu religionis.

Sexto. Cum habeamus tot cauſas improbandæ legis de perpetuo cœlibatu, tamen præter has accedunt etiam pericula animarum, & publica ſcandala, quæ, etiamſi lex non eſſet injuſta, tamen abſterrere bonos viros debent, ne approbent tale onus, quod innume-

rabiles animas perdidit. Diu omnes boni viri de hoc onere queſti ſunt vel ſua, vel aliorum cauſa, quos periclitari videbant, ſed has querelas nulli Pontifices audiunt. Neque obſcurum eſt, quantum hæc lex noceat publicis moribus, quæ vitia, quam flagitioſas libidines pepererit. Extant Romanæ Satyræ: In his etiamnum agnoſcit mores Roma, legitque ſuos. Sic ulciſcitur Deus contemtum ſui doni, ſuæque ordinationis, in iſtis, qui conjugium prohibent. Cum autem hoc fieri in aliis legibus conſveverit, ut mutentur, ſi id evidens utilitas ſvaſerit, cur idem non fit in hac lege, in qua tot graves cauſæ concurrunt, præſertim his poſtremis temporibus, cur mutari debeat? Natura ſeneſcit, & fit paulatim debilior, & creſcunt vitia, quo magis remedia divinitus tradita adhibenda erant. Videmus, quod vitium accuſet Deus ante diluvium, quod accuſet ante conflagrationem quinque urbium. Similia vitia præceſſerunt excidia aliarum urbium multarum, ut Sybaris, Romæ. Et in his imago temporum propoſita eſt, quæ proxima erunt rerum fini. Ideo inprimis oportuit hoc tempore ſe veriſſimis legibus atque exemplis munire conjugium, & ad conjugium invitare homines. Id ad magiſtratus pertinet, qui debent publicam diſciplinam tueri. Interim doctores Evangelii utrumque faciant, hortentur ad conjugium incontinentes, hortentur alios, ut donum continentiæ non aſpernentur. Pontifices quotidie diſpenſant, quotidie mutant alias leges optimas, in hac una lege cælibatus, ferrei & inexorabiles ſunt, cum quidem conſtet, eam ſimpliciter humani juris eſſe. Et hanc ipſam legem nunc exacerbant multis modis. Canon jubet ſuſpendere ſacerdotes, iſti parum commodi interpretes, ſuſpendunt non ab officio, ſed ab arboribus. Multos bonos viros crudeliter occidunt, tantum propter conjugium. Atque hæc ipſa parricidia oſtendunt, hanc legem doctrinam eſſe Dæmonio-

moniorum. Nam diabolus,cum ſit homicida, legem ſuam defendit his parricidiis. Scimus aliquid offenſionis eſſe in ſchiſmate, quod videmur divulſi ab his, qui exiſtimantur eſſe ordinarii Epiſcopi. Sed noſtræ conſcientiæ tutiſſimæ ſunt,poſtquam ſcimus, nos ſummo ſtudio concordiam conſtituere cupientes,non poſſe placare adverſarios, niſi manifeſtam veritatem projiciamus, deinde niſi cum ipſis conſpiremus, quod velimus hanc injuſtam legem defendere,contracta matrimonia diſſolvere, interficere ſacerdotes, ſi qui non obtemperent,in exilium agere miſeras mulieres atque orbos pueros. Cum autem certum ſit, has conditionesDeo diſplicere,nihil doleamus,nos non habere συμμαχίαν tot parricidiorum cum adverſariis.

Expoſuimus cauſas, quare non poſſimus bona conſcientia aſſentiri adverſariis, legem Pontificiam de perpetuo cœlibatu defendentibus, quia pugnet cum jure divino, & naturali, ac diſſentiat ab ipſis Canonibus,& ſit ſuperſtitioſa, & plena periculi. Poſtremo,quia tota res ſit fimulata, Non enim imperatur lex religionis cauſa, ſed dominationis cauſa,& huic impie prætexitur religio.Neque quidquam à ſanis hominibus contra has firmiſſimas rationes afferri poteſt. Evangelium permittit conjugium his, quibus opus eſt. Neque tamen hos cogit ad conjugium, qui continere volunt, modo ut vere contineant.Hanc libertatem & ſacerdotibus concedendam eſſe ſentimus,nec volumus quenquã vi cogere ad cœlibatum, nec contracta matrimonia diſſolvere.

Obiter etiam,dum recenſuimus argumenta noſtra, indicavimus,quomodo adverſarii unum atque alterum cavillentur,& calumnias illas diluimus. Nunc breviſſime commemorabimus, quam gravibus rationibus defendant legem. Primum dicunt à Deo revelatam eſſe. Videtis extremam impudentiam iſtorum nebulonum. Audent affirmare, quod divinitus revelata ſit lex

1. Cor. 7, 2. de perpetuo cœlibatu, cum adverſetur manifeſtis Scripturæ teſtimoniis, quæ jubent, ut unusquisque habeat uxorem ſuam propter fornicationem. Item, quæ vetant
1. Tim. 4, 1. diſſolvere contracta matrimonia. Paulus admonet, quem autorem habitura fuerit iſta lex, cum vocat eam doctrinam dæmoniorum. Et fructus indicant autorem, tot monſtroſæ libidines, tot parricidia, quæ nunc ſuſcipiuntur prætextu illius legis.

Secundum argumentum adverſariorum eſt, quod
Eſa. 52, 11. ſacerdotes debeant eſſe mundi, juxta illud: Mundamini, qui fertis vaſa Domini: Et citant in hanc ſententiam multa. Hanc rationem, quam oſtentant velut maxime ἐπιρόσωπον, ſupra diluimus. Diximus enim, virginitatem ſine fide non eſſe munditiem coram Deo. Et conjugium propter fidem mundum eſſe, juxta illud:
Tit. 1, 15. Omnia munda mundis. Diximus & hoc, externas munditias & ceremonias legis non eſſe huc transferendas, quia Evangelium requirit munditiem cordis, non requirit ceremonias legis. Et fieri poteſt, ut cor mariti velut Abrahæ, aut Jacob, qui fuerunt πολύγαμοι, mundius ſit, & minus ardeat cupiditatibus, quam multarum virginum, etiam verè continentium. Quod vero Eſaias ait: Mundamini, qui fertis vaſa Domini, intelligi debet de munditie cordis, de tota pœnitentia. Cæterum Sancti in externo uſu ſcient, quatenus con-
2. Theſſ. 4, 4. ducat moderari uſum conjugalem, & ut Paulus ait, poſſidere vaſa in ſanctificatione. Poſtremo, cum conjugium ſit mundum, recte dicitur his, qui in cœlibatu non continent, ut ducant uxores, ut ſint mundi. Ita eadem lex: Mundamini, qui fertis vaſa Domini, præcipit, ut immundi cœlibes fiant mundi conjuges.

Tertium argumentum horribile eſt, quod ſit hæreſis Joviniani, conjugium Sacerdotum: bona verba. Novum hoc crimen eſt, conjugium eſſe hæreſin. Joviniani tempore nondum norat mundus legem de perpetuo cœli-

cœlibatu. Impudens igitur mendacium eſt, conjugium ſacerdotum, Joviniani hæreſin eſſe, aut ab Eccleſia tunc id conjugium damnatum eſſe. In hujusmodi locis eſt videre, quid conſilii habuerint adverſarii in ſcribenda confutatione. Judicaverunt: Ita facillime moveri imperitos, ſi crebro audiant convitium hæreſis, ſi fingant, noſtram cauſam multis ante judiciis Eccleſiæ confoſſam & damnatam eſſe. Itaque ſæpe falſo allegant Eccleſiæ judicium. Id quia non ignorant, exhibere nobis exemplum Apologiæ noluerunt, ne hæc vanitas, ne hæ calumniæ coargui poſſent. Quod vero ad Joviniani cauſam attinet, de collatione virginitatis & conjugii, ſupra diximus, quid ſentiamus. Non enim æquamus conjugium & virginitatem, etſi neque virginitas, neque conjugium meretur juſtificationem. Talibus argumentis tam vanis defendunt legem impiam, & perniciosam bonis moribus. Talibus rationibus muniunt Principum animos adverſus judicium Dei, in quo Deus repoſcet rationem, cur diſſipaverint conjugia, cur cruciaverint, cur interfecerint Sacerdotes. Nolite enim dubitare, quin, ut ſanguis Abel mortui clamabat, ita clamat etiam ſanguis multorum bonorum virorum, in quos injuſte ſævitum eſt. Et ulciſcetur hanc ſævitiam Deus, ibi comperietis, quam ſint inanes hæ rationes adverſariorum, & intelligetis, in judicio Dei nullas calumnias adverſus verbum Dei conſiſtere, ut ait Eſaias: Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quaſi flos fœni. Noſtri Principes, quidquid acciderit, conſolari ſe conſcientia rectorum conſiliorum poterunt, quia etiamſi quid Sacerdotes in contrahendis conjugiis mali feciſſent, tamen illa diſſipatio conjugiorum, illæ proſcriptiones, illa ſævitia manifeſte adverſatur voluntati & verbo Dei. Nec delectat noſtros Principes novitas aut diſſidium, ſed magis fuit habenda ratio verbi Dei, præſertim in cauſa non dubia, quam aliarum rerum omnium.

XII. DE MISSA.

Aug. Conf. 23. Art. Sm. 305.

INITIO hoc iterum præfandum est, nos non abolere Missam, sed religiose retinere ac defendere. Fiunt enim apud nos Missæ singulis Dominicis, & aliis festis, in quibus porrigitur sacramentum his, qui uti volunt, postquam sunt explorati atque absoluti. Et servantur usitatæ ceremoniæ publicæ, ordo lectionum, orationum, vestitus, & alia similia. Adversarii longam declamationem habent, de usu Latinæ Linguæ in Missa, in qua svaviter ineptiunt, quomodo prosit auditori indocto in fide Ecclesiæ, Missam non intellectam audire, videlicet, fingunt ipsum opus audiendi cultum esse, & prodesse, sine intellectu. Hæc nolumus odiose exagitare, sed judicio lectorum relinquimus. Nosque ideo commemoramus, ut obiter admoneamus, & apud nos retineri Latinas lectiones atque orationes. Cum autem ceremoniæ debeant observari, tum ut discant homines Scripturam, tum ut verbo admoniti concipiant fidem, timorem, atque ita orent etiam, nam hi sunt fines ceremoniarum: Latinam linguam retinemus propter hos, qui latine discunt atque intelligunt. Et admiscemus Germanicas cantiones, ut habeat & populus, quod discat, & quo excitet fidem, & timorem. Hic mos semper in Ecclesiis fuit. Nam etsi aliæ frequentius, aliæ rarius admiscuerunt Germanicas cantiones, tamen fere ubique aliquid canebat populus sua lingua. Illud vero nusquam scriptum aut pictum est, hominibus prodesse opus audiendi lectiones non intellectas, prodesse ceremonias, non quia doceant, vel admoneant, sed ex opere operato, quia sic fiant, quia spectentur. Male valeant istæ Pharisaicæ opiniones.

Quod vero tantum fit apud nos publica Missa, seu communis, nihil fit contra catholicam Ecclesiam. Nam in Græcis parochiis ne hodie quidem fiunt privatæ Missæ,

Digitized by Google

ſæ, ſed ſit una publica miſſa, idque tantum Dominicis diebus, & feſtis. In Monaſteriis ſit quotidie Miſſa, ſed tantum publica. Hæc ſunt veſtigia morum veterum. Nusquam enim veteres Scriptores, ante Gregorium, mentionem faciunt privatarum Miſſarum. Qualia fuerint initia, nunc omittimus. Hoc conſtat, quod, poſtquam Monachi mendicantes regnare cœperunt, ex falſiſſimis perſuaſionibus, propter quæſtum, ita auctæ ſunt, ut omnes boni diu jam ejus rei modum deſideraverint. Quanquam S. Franciſcus recte voluit ei rei proſpicere, qui conſtituit, ut ſingula collegia quotidie unica communi Miſſa contenta eſſent. Hoc poſtea mutatum eſt ſive per ſuperſtitionem, ſive quæſtus cauſa. Ita, ubi commodum eſt, inſtituta majorum mutant ipſi, poſtea nobis allegant autoritatem majorum. Epiphanius ſcribit, in Aſia Synaxin ter celebratam eſſe ſingulis ſeptimanis, nec quotidianas fuiſſe Miſſas. Et quidem ait, hunc morem ab Apoſtolis traditum eſſe. Sic enim inquit: συνάξεις δὲ ἐπιτελόμεναι τρεῖς εἰσὶν ἀπὸ τῶν ἀποστόλων, τετράδι, καὶ προσαββάτῳ καὶ κυριακῇ.

Etſi autem adverſarii in hoc loco multa congerunt, ut probent, miſſam eſſe ſacrificium, tamen ille ingens tumultus verborum prolata hac unica reſponſione conſileſcet, quod hæc quamvis longa coacervatio autoritatum, rationum, teſtimoniorum, non oſtendat, quod Miſſa ex opere operato conferat gratiam, aut applicata pro aliis mereatur eis remiſſionem venialium, & mortalium peccatorum, culpæ & pœnæ. Hæc una reſponſio evertit omnia, quæ adverſarii objiciunt non ſolum in hac confutatione, ſed in omnibus ſcriptis, quæ de Miſſa ediderunt. Et hic cauſæ ſtatus eſt, de quo ita nobis admonēdi ſunt lectores, ut Æſchines admonebat Judices, ut perinde ac pugiles de ſtatu inter ſe certant, ita cū adverſario dimicarent ipſi de ſtatu controverſiæ, nec ſinerent eum extra cauſam egredi. Ad eundē modū

hic

hic adversarii nostri cogendi sunt, ut de re proposita dicant. Et cognito controversiæ statu, facilima erit dijudicatio de argumentis in utraque parte. Nos enim in confessione nostra ostendimus, nos sentire, quod cœna Domini non conferat gratiam ex opere operato, nec applicata pro aliis vivis aut mortuis, mereatur eis ex opere operato remissionem peccatorum, culpæ aut pœnæ. Et hujus status clara & firma probatio est hæc, quia impossibile est consequi remissionem peccatorum propter opus nostrum ex opere operato, sed fide oportet vinci terrores peccati & mortis, cum erigimus corda cognitione Christi, & sentimus nobis ignosci propter
Rom. 5, 1. Christum, ac donari merita & justitiam Christi, Roman. 5. Justificati ex fide pacem habemus. Hæc tam certa, tam firma sunt, ut adversus omnes portas inferorum consistere queant. Si, quantum opus est, dicendum fuit, jam causa dicta est. Nemo enim sanus illam Pharisaicam & Ethnicam persvasionem de opere operato probare potest. Et tamen hæc persvasio hæret in populo, hæc auxit in infinitum Missarum numerum. Conducuntur enim Missæ, ad iram Dei placandam, & hoc opere remissionem culpæ & pœnæ consequi volunt, volunt impetrare, quidquid in omni vita opus est. Volunt etiam mortuos liberare. Hanc Pharisaicam opinionem docuerunt in Ecclesia Monachi & Sophistæ.

Quanquam autem causa jam dicta est, tamen quia adversarii multas scripturas inepte detorquent ad defensionem suorum errorum, pauca ad hunc locum addemus. Multa de sacrificio in confutatione dixerunt, cum nos in confessione nostra consulto id nomen, propter ambiguitatem, vitaverimus. Rem exposuimus, quid sacrificium isti nunc intelligant, quorum improbamus abusus. Nunc ut male detortas scripturas explicemus, necesse est initio, quid sit sacrificium, exponere. Toto jam decennio infinita pene volumina ediderunt adver-

adversarii de sacrificio, neque quisquam eorum definitionem sacrificii hactenus posuit. Tantum arripiunt nomen sacrificii, vel ex scripturis vel ex Patribus. Postea affingunt sua somnia, quasi vero sacrificium significet, quidquid ipsis libet.

QVID SIT SACRIFICIVM ET QVÆ SINT SACRIFICII SPECIES.

SOCRATES in Phædro Platonis ait, se maxime cupidum esse divisionum, quod sine his nihil neque explicari dicendo, neque intelligi possit, ac si quem deprehenderit peritum dividendi, hunc inquit se assectari, ejusque tanquam Dei vestigia sequi. Et jubet dividentem in ipsis articulis membra secare, ne quod membrum mali coqui more quassatum frangat. Sed hæc præcepta adversarii magnifice contemnunt, ac vere sunt juxta Platonem κακοὶ μάγειροι sacrificii membra corrumpentes, quemadmodum intelligi poterit, cum species sacrificii recensuerimus.

Theologi recte solent distinguere sacramentum & sacrificium: Sit igitur genus horum, vel ceremonia, vel opus sacrum. Sacramentum est ceremonia, vel opus, in quo Deus nobis exhibet hoc, quod offert annexa ceremoniæ promissio, ut Baptismus est opus, non quod nos Deo offerimus, sed in quo Deus nos baptizat, videlicet, minister vice Dei, & hic offert & exhibet Deus remissionem peccatorum, &c. juxta promissionem: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. Econtra, Sacrificium est ceremonia, vel opus, quod nos Deo reddimus, ut eum honore afficiamus. Sunt autem sacrificii species proximæ duæ, nec sunt plures. Quoddam est sacrificium propitiatorium, id est, opus satisfacto- *Marc. 16. 16.*

rium

rium pro culpa, & pœna, hoc eſt reconcilians Deum, ſeu placans iram Dei, ſeu quod meretur aliis remiſſionem peccatorum. Altera ſpecies eſt ſacrificium εὐχαριστικόν, quod non meretur remiſſionem peccatorum, aut reconciliationem, ſed fit à reconciliatis, ut pro accepta remiſſione peccatorum, & pro aliis beneficiis acceptis, gratias agamus, ſeu gratiam referamus.

Has duas ſpecies ſacrificii magnopere oportet & in hac controverſia, & in aliis multis diſputationibus in conſpectu & ob oculos poſitas habere, & ſingulari diligentia cavendum eſt, ne confundantur. Quod ſi modus hujus libri pateretur, rationes hujus diviſionis adderemus. Habet enim ſatis multa teſtimonia in Epiſtola ad Ebræos & alibi. Et omnia ſacrificia Levitica ad hæc membra referri, tanquam ad ſua domicilia poſſunt. Dicebantur enim in lege quædam propitiatoria ſacrificia propter ſignificationem, ſeu ſimilitudinem, non quod mererentur remiſſionem peccatorum coram DEO; Sed quia merebantur remiſſionem peccatorum ſecundum juſtitiam legis, ne illi, pro quibus fiebant, excluderentur ab iſta politia. Dicebantur itaque propitiatoria pro peccato, pro delicto, holocauſtum. Illa vero erant εὐχαριστικά, oblatio, libatio, retributiones, primitiæ, decimæ.

Sed revera unicum tantum in mundo fuit ſacrificium propitiatorium, videlicet mors Chriſti, ut docet Epiſtola ad Ebræos, quæ ait: Impoſſibile eſt ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Et paulo poſt de voluntate Chriſti: In qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Jeſu Chriſti ſemel. Et Eſaias interpretatur legem, ut ſciamus, mortem Chriſti verè eſſe ſatisfactionem pro peccatis noſtris, ſeu expiationem, non ceremonias legis, quare ait: Poſtquam poſuerit animam ſuam, hoſtiam pro delictis, videbit ſemen longævum, &c. Nam vocabulum אשם quo

Ebr. 10, 4. c. 9, 26. c. 10, 14.

hic

hic usus est, significat hostiam pro delicto, quæ in lege significavit, quod ventura esset hostia quædam, satisfactura pro peccatis nostris, & reconciliatura Deum, ut scirent homines, quod non propter nostras justitias, sed propter aliena merita, videlicet Christi, velit Deus nobis reconciliari. Paulus idem nomen חטאת *Rom. 8, 3.* interpretatur peccatum, Rom. 8. de peccato damnavit peccatum, id est, peccatum punivit de peccato, id est, per hostiam pro peccato. Significantia verbi facilius intelligi potest ex moribus gentium, quos videmus ex Patrum sermonibus male intellectis acceptos esse. Latini vocabant, piaculum, hostiam, quæ in magnis calamitatibus, ubi insigniter videbatur Deus irasci, offerebatur ad placandam iram Dei, & litaverunt aliquando humanis hostiis, fortassis quia audierant, quandam humanam hostiam placaturam esse Deum toti generi humano. Græci alibi καθάρματα, alibi περιψήματα appellaverunt. Intelligunt igitur Esaias & Paulus, Christum factum esse hostiam, hoc est, piaculum, ut ipsius meritis, non nostris reconciliaretur Deus. Maneat ergo hoc in causa, quod sola mors Christi est vere propitiatorium sacrificium. Nam Levitica illa sacrificia propitiatoria, tantùm sic appellabantur ad significandum futurum piaculum. Propterea similitudine quadam erant satisfactiones redimentes justitiam legis, ne ex politia excluderentur isti, qui peccaverant. Debebant autem cessare post revelatum Evangelium. Et quia cessare in Evangelii revelatione debebant, non erant verè propitiationes, cum Evangelium ideo promissum sit, ut exhibeat propitiationem.

Nunc reliqua sunt sacrificia εὐχαριστικὰ, quæ vocantur sacrificia laudis, prædicatio Evangelii, fides, invocatio, gratiarum actio, confessio, afflictiones sanctorum: Imo omnia bona opera sanctorum. Hæc sacrificia non

non ſunt ſatisfactiones pro facientibus, vel applicabiles pro aliis, quæ mereantur eis ex opere operato remiſſionem peccatorum, ſeu reconciliationem. Fiunt enim à reconciliatis. Et talia ſunt ſacrificia novi teſtamenti, ſicut docet Petrus 1. Petr. 2. Sacerdotium ſanctum, ut offeratis hoſtias ſpirituales. Opponuntur autem hoſtiæ ſpirituales, non tantum pecudibus, ſed etiam humanis operibus, ex opere operato oblatis, quia ſpirituale ſignificat motus Spiritus Sancti in nobis. Idem docet Paulus Rom. 12. exhibete corpora veſtra, hoſtiam viventem, ſanctam, cultum rationalem. Significat autem cultus rationalis, cultum, in quo Deus intelligitur, mente apprehenditur, ut fit in motibus timoris, & fiduciæ erga Deum. Opponitur igitur non ſolum cultui Levitico, in quo pecudes mactabantur, ſed etiam cultui, in quo fingitur opus ex opere operato offerri. Idem docet Epiſtola ad Ebræos c. 13. Per ipſum offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, & addit interpretationem, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini ejus. Jubet offerre laudes, hoc eſt, invocationem, gratiarum actionem, confeſſionem & ſimilia. Hæc valent non ex opere operato, ſed propter fidem. Id monet particula, per ipſum offeramus, hoc eſt, fide in Chriſtum.

1. Petr. 2, 5. *Rom. 12, 1.* *Ebr. 13, 15.*

In ſumma cultus novi teſtamenti eſt ſpiritualis, hoc eſt, juſtitia fidei in corde, & fructus fidei. Ideoque abrogat Leviticos cultus. Et Chriſtus ait Joh. 4. Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Deus eſt ſpiritus, & eos, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. Hæc ſententia clare damnat opiniones de ſacrificiis, quæ fingunt ex opere operato valere: Et docet, quod oporteat ſpiritu, id eſt, motibus cordis, & fide adorare. Ideo & Prophetæ damnant in veteri teſtamento opinionem populi de opere operato, & docent juſtitiam, & ſacrificia ſpiritus, Jerem. 7. Non

Joh. 4, 23. *Jerem. 7. 23.*

ſam

ſum locutus cum Patribus veſtris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Ægypti, de holocauſtis & victimis. Sed hoc verbum præcepi eis dicens: Audite vocem meam, & ero vobis Deus, &c. Quomodo exiſtimemus Judæos hanc concionem excepiſſe, quæ videtur palam pugnare cum Moyſe? Conſtabat enim, Deum præcepiſſe Patribus de holocauſtis ac victimis, ſed Jeremias opinionem de ſacrificiis damnat, hanc non tradiderat Deus, videlicet, quod illi cultus ex opere operato placarent eum. Addit autem de fide, quod hoc præceperit Deus: Audite me, hoc eſt, credite mihi, quod ego ſim DEUS veſter, quod velim ſic innoteſcere, cum miſereor & adjuvo, nec habeam opus veſtris victimis, confidite, quod ego velim eſſe DEUS, juſtificator, ſalvator, non propter opera, ſed propter verbum & promiſſionem meam, à me vere & ex corde petite & expectate auxilium.

Damnat opinionem de opere operato & Pſalm. 49. qui repudiatis victimis requirit invocationem. Nunquid manducabo carnes taurorum, &c. Invoca me in die tribulationis tuæ, & eripiam te, & honorificabis me. Teſtatur hanc eſſe veram λατρείαν, hunc eſſe verum honorem, ſi ex corde invocemus ipſum. Item Pſ. 39. Sacrificium & oblationem noluiſti. Aures autem aperuiſti mihi, id eſt, verbum mihi propoſuiſti, quod audirem, & requiris, ut credam verbo tuo, & promiſſionibus tuis, quod vere velis miſereri, opitulari &c. Item Pſal. 50. Holocauſtis non delectaberis. Sacrificium DEO ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum DEUS non deſpicies. Item Pſal. 4. Sacrificate ſacrificium juſtitiæ, & ſperate in Domino. Jubet ſperare, & dicit, id eſſe juſtum ſacrificium, ſignificans cætera ſacrificia non eſſe vera, & juſta ſacrificia. Et Pſal. 115. Sacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini invocabo. Vocat invocationem hoſtiam laudis.

Pſal. 50, 13.

Pſal. 40, 7.

Pſal. 51, 19.

Pſal. 4, 6.

Pſal. 116, 17.

Sed plena eſt ſcriptura talibus teſtimoniis, quæ docent, quod ſacrificia ex opere operato non reconcilient Deum. Ideoque in novo Teſtamento abrogatis cultibus Leviticis docet fore, ut nova & munda ſacrificia fiant, videlicet fides, invocatio, gratiarum actio, confeſſio, & prædicatio Evangelii, afflictiones propter Evangelium, & ſimilia.

Malach. 1, 11. Et de his ſacrificiis loquitur Malachias: Ab ortu ſolis usque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco incenſum offertur nomini meo, & oblatio munda. Hunc locum detorquent adverſarii ad Miſſam, & allegant autoritatem Patrum. Facilis eſt autem reſponſio, quod, ut maxime loqueretur de Miſſa, non ſequatur, Miſſam ex opere operato juſtificare, aut applicatam aliis mereri remiſſionem peccatorum, &c. Nihil horum dicit Propheta, quæ Monachi & Sophiſtæ impudenter affingunt.

Cæterum ipſa Prophetæ verba offerunt ſententiam. Primum enim hoc proponunt, magnum fore nomen Domini: Id fit per prædicationem Evangelii. Per hanc enim innoteſcit nomen Chriſti, & miſericordia Patris in Chriſto promiſſa cognoſcitur. Prædicatio Evangelii parit fidem in his, qui recipiunt Evangelium. Hi invocant Deum, hi agunt Deo gratias, hi tolerant afflictiones in confeſſione, hi bene operantur propter gloriam Chriſti. Ita fit magnum nomen Domini in gentibus. Incenſum igitur & oblatio munda, ſignificant non ceremoniam ex opere operato, ſed omnia illa ſacrificia, per quæ fit magnum nomen Domini, ſcilicet fidem, invocationem, prædicationem Evangelii, confeſſionem, &c. Et facile patimur, ſi quis hic velit complecti ceremoniam, modo neque intelligat ſolam ceremoniam, neque doceat ceremoniam ex opere operato prodeſſe. Sicut enim inter ſacrificia laudis, hoc eſt, inter laudes Dei complectimur prædicationem verbi: ita laus eſſe poteſt,

poteſt, ſeu gratiarum actio, ipſa ſumtio cœnæ Domini, ſed non ex opere operato juſtificans, aut applicanda aliis, ut mereatur eis remiſſionem peccatorum. Sed paulo poſt exponemus, quomodo & ceremonia ſacrificium ſit. Verum quia Malachias de omnibus cultibus novi teſtamenti, non ſolum de cœna Domini loquitur, item quia non patrocinatur Phariſaicæ opinioni, de opere operato, ideo nihil contra nos facit, ſed magis adjuvat nos. Requirit enim cultus cordis, per quos verè fit magnum nomen Domini.

Citatur ex Malachia & alius locus: Et purgabit filios Levi, & colabit eos quaſi aurum, & quaſi argentum, & erunt Domino offerentes ſacrificia in juſtitia. *Mal. 3, 3.* Hic locus aperte requirit, ſacrificia juſtorum, quare non patrocinatur opinioni de opere operato. Sunt autem ſacrificia filiorum Levi, hoc eſt, docentium in novo teſtamento, prædicatio Evangelii, & boni fructus prædicationis, ſicut Paulus ait Rom. 15. Sacrifico Evangelium Dei, ut oblatio gentium fiat accepta, ſanctificata Spiritu Sancto, id eſt, ut gentes fiant hoſtiæ, acceptæ Deo per fidem, &c. *Rom. 15, 16.* Nam illa mactatio in lege, ſignificabat & mortem Chriſti, & prædicationem Evangelii, qua hanc vetuſtatem carnis mortificari oportet, & inchoari novam & æternam vitam in nobis. Sed adverſarii ubique ſacrificii nomen ad ſolam ceremoniam detorquent, prædicationem Evangelii, fidem, invocationem, & ſimilia omittunt, cum ceremonia propter hæc inſtituta ſit. Et Novum Teſtamentum debeat habere ſacrificia cordis, non ceremonialia pro peccatis facienda, more Levitici ſacerdotii.

Allegant & juge ſacrificium, quod ſicut in lege fuit juge ſacrificium, ita Miſſa debeat eſſe juge ſacrificium novi Teſtamenti. Bene cum adverſariis agitur, ſi patimur nos vinci allegoriis. Conſtat autem, quod allegoriæ non pariunt firmas probationes. Quanquam nos

quidem facile patimur, Missam intelligi juge sacrificium, modo ut tota Missa intelligatur, hoc est, ceremonia cum prædicatione Evangelii, fide, invocatione, & gratiarum actione. Nam hæc simul conjuncta, sunt
1. Cor. 11, 26. juge sacrificium Novi Testamenti, quia ceremonia propter hæc instituta est, nec ab his divellenda est. Ideo Paulus ait: Quoties comedetis panem hunc, & poculum Domini bibetis, annunciate mortem Domini. Illud vero nullo modo sequitur ex hoc typo Levitico, quod ceremonia sit opus ex opere operato justificans, aut applicandum pro aliis, ut mereatur eis remissionem peccatorum, &c.

Et typus apte pingit non ceremoniam solam, sed
Numer. 28. etiam prædicationem Evangelii. In Numer. cap. 28. tres ponuntur partes illius quotidiani sacrificii, crematio agni, libatio, & oblatio similæ. Lex habebat picturas seu umbras rerum futurarum. Ideo in hoc spectaculo CHRISTVS, & totus cultus Novi Testamenti pingitur. Crematio agni significat mortem CHRISTI. Libatio significat, ubique in toto mundo credentes illius agni sanguine aspergi per Evangelii
1. Petr. 1, 2. prædicationem, hoc est, sanctificari, sicut Petrus loquitur: In sanctificationem spiritus, in obedientiam, & aspersionem sanguinis JESU Christi: Oblatio similæ, significat fidem, invocationem, & gratiarum actionem in cordibus. Ut igitur in veteri Testamento umbra cernitur, ita in novo res significata quærenda est, non alius typus tanquam ad sacrificium sufficiens. Quare etiamsi ceremonia est memoriale mortis Christi, tamen sola non est juge sacrificium; sed ipsa memoria est juge sacrificium, hoc est, prædicatio, & fides, quæ vere credit, Deum morte Christi reconciliatum esse. Requiritur libatio, hoc est, effectus prædicationis, ut per Evangelium aspersi sanguine Christi, sanctificemur, mortificati, ac vivificati. Requiruntur & oblationes, hoc est, gratiarum actiones, confessiones

&

Digitized by Google

& afflictiones. Sic abjecta Phariſaica opinione de opere operato, intelligamus ſignificari cultum ſpiritualem, & juge ſacrificium cordis, quia in Novo Teſtamento corpus bonorum, hoc eſt, Spiritus Sanctus, mortificatio & vivificatio, requiri debent. Ex his ſatis apparet, typum de jugi ſacrificio nihil contra nos facere, ſed magis pro nobis, quia nos omnes partes ſignificatas jugi ſacrificio requirimus. Adverſarii falſo ſomniant ſolam ceremoniam ſignificari, non etiam prædicationem Evangelii, mortificationem & vivificationem cordis, &c.

Nunc igitur boni viri facile judicare poterunt, falſiſſimam hanc criminationem eſſe, quod juge ſacrificium aboleamus. Res oſtendit, qui ſint Antiochi illi, qui regnum tenent in Eccleſia, qui prætextu religionis trahunt ad ſe regnum mundi, & abjecta cura religionis & docendi Evangelii, dominantur, belligerantur velut reges mundi, qui novos cultus inſtituerunt in Eccleſia. Nam adverſarii in Miſſa ſolam retinent ceremoniam, eamque conferunt publice ad ſacrilegum quæſtum. Poſtea fingunt hoc opus applicatum pro aliis, mereri eis gratiam, & omnia bona. In concionibus non docent Evangelium, non conſolantur conſcientias, non oſtendunt gratis remitti peccata propter Chriſtum, ſed proponunt cultus ſanctorum, ſatisfactiones humanas, traditiones humanas, per has affirmant homines, coram Deo juſtificari. Et harum quædam cum ſint manifeſte impiæ, tamen vi defenduntur. Si qui concionatores volunt perhiberi doctores, tradunt quæſtiones Philoſophicas, quas neque populus, neque ipſi, qui proponunt, intelligunt. Poſtremo, qui ſunt tolerabiliores, legem docent, de juſtitia fidei nihil dicunt. Adverſarii in confutatione miras tragœdias agunt de deſolatione templorum, quod videlicet ſtent inornatæ aræ, ſine candelis, ſine ſtatuis. Has nugas indicant eſſe ornatum Eccleſiarum. Longe aliam deſo- *Dan. 11.*

videlicet ignorationem Evangelii. Nam populus obrutus multitudine & varietate traditionum atque opinionum, nullo modo potuit complecti ſummam doctrinæ Chriſtianæ. Quis enim unquam de populo intellexit doctrinam de pœnitentia, quam adverſarii tradiderunt? Et hic præcipuus locus eſt doctrinæ Chriſtianæ, vexabantur conſcientiæ enumeratione delictorum & ſatisfactionibus. De fide, qua gratis conſequimur remiſſionem peccatorum, nulla prorſus fiebat ab adverſariis mentio, de exercitiis fidei luctantis cum deſperatione, de gratuita remiſſione peccatorum propter Chriſtum omnes libri, omnes conciones adverſariorum mutæ erant. Adhæc acceſſit horribilis prophanatio Miſſarum, & alii multi impii cultus in templis. Hæc eſt deſolatio, quam Daniel deſcribit.

Econtra Dei beneficio apud nos ſerviunt miniſterio verbi ſacerdotes, docent Evangelium de beneficiis Chriſti, oſtendunt remiſſionem peccatorum gratis contingere propter Chriſtum. Hæc doctrina affert firmam conſolationem conſcientiis. Additur & doctrina bonorum operum, quæ Deus præcipit. Dicitur de dignitate atque uſu ſacramentorum. Quod ſi juge ſacrificium eſſet uſus Sacramenti, tamen nos magis retineremus quam adverſarii, quia apud illos ſacerdotes mercede conducti utuntur Sacramento. Apud nos crebrior & religioſior uſus eſt. Nam populus utitur, ſed prius inſtitutus, atque exploratus. Docentur enim homines de vero uſu Sacramenti, quod ad hoc inſtitutum ſit, ut ſit ſigillum, & teſtimonium gratuitæ remiſſionis peccatorum, ideoque debeat pavidas conſcientias admonere, ut vere ſtatuant & credant ſibi gratis remitti peccata. Cum igitur & prædicationem Evangelii & legitimum uſum ſacramentorum retineamus, manet apud nos juge ſacrificium. Et, ſi de externa dicendum ſpecie eſt, frequentia in templis apud nos major eſt,

quam

Digitized by Google

quam apud adversarios. Tenentur enim auditoria, utilibus & perspicuis concionibus. Verum adversariorum doctrinam, nunquam neque populus, neque doctores intellexerunt. Et verus ornatus est Ecclesiarum, doctrina pia, utilis & perspicua, usus pius Sacramentorum, oratio ardens, & similia. Candelæ, vasa aurea, & similes ornatus, decent, sed non sunt proprius ornatus Ecclesiæ. Quod si adversarii in talibus rebus collocant cultus, non in prædicatione Evangelii, in fide, in certaminibus fidei, sunt in istis numerandi, quos Daniel describit colere DEUM suum auro & argento.

Allegant ex Epistola ad Ebræos: Omnis Pontifex ex hominibus assumtus pro hominibus, constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis. Hinc ratiocinantur, cum in novo Testamento sunt Pontifices & Sacerdotes, sequitur, quod sit & sacrificium aliquod pro peccatis. Hic locus vel maxime movet indoctos, præsertim cum illa pompa sacerdotii & sacrificiorum veteris Testamenti offunditur oculis. Hæc similitudo decepit imperitos, ut judicent, oportere ad eundem modum apud nos existere aliquod ceremoniale sacrificium, applicandum pro peccatis aliorum, sicut in veteri Testamento. Neque aliud est ille cultus Missarum, & reliqua politia Papæ, quam κακοζηλία Leviticæ politiæ male intellectæ. *Ebr. 5, 1.*

Et cum sententia nostra habeat præcipua testimonia in Epistola ad Ebræos, tamen adversarii locos ex illa Epistola truncatos contra nos detorquent, ut in hoc ipso loco, ubi dicitur, Pontificem constitui, ut offerat sacrificia pro peccatis, Scriptura ipsa statim attexit Christum Pontificem. Verba præcedentia de Levitico sacerdotio loquuntur, & significant, Leviticum Pontificatum fuisse imaginem Pontificatus Christi. Nam sacrificia Levitica pro peccatis, non merebantur remissionem peccatorum coram Deo, tantum erant imago *Ebr. 5, 1.*

ſacrificii Chriſti, quod unum futurum erat propitiatorium ſacrificium, ut ſupra diximus. Itaque Epiſtola magna ex parte conſumitur in hoc loco, quod vetus Pontificatus, & vetera ſacrificia non fuerint ad hoc inſtituta, ut mererentur remiſſionem peccatorum coram Deo, ſeu reconciliationem, ſed tantum ad ſignificandum futurum ſacrificium unius Chriſti. Oportuit enim ſanctos in veteri Teſtamento juſtificari fide, ex promiſſione remiſſionis peccatorum donandæ propter Chriſtum, ſicut & ſancti in Novo Teſtamento juſtificantur. Omnes ſanctos ab initio mundi ſentire oportuit, hoſtiam & ſatisfactionem fore pro peccato, *Eſa. 53, 11.* Chriſtum, qui promiſſus erat, ſicut Eſaias docet c. 53. Cum poſuerit animam ſuam hoſtiam pro peccato, &c. Cum igitur in veteri Teſtamento ſacrificia non mererentur reconciliationem, niſi ſimilitudine quadam, (merebantur enim reconciliationē politicam) ſed ſignificarent venturum ſacrificium: Sequitur unicum eſſe ſacrificium Chriſti applicatum pro aliorum peccatis. Nullum igitur reliquum eſt in novo Teſtamento ſacrificium Chriſti applicandum pro peccatis aliorum, præter unum Chriſti ſacrificium in cruce.

Tota via errant, qui fingunt, ſacrificia Levitica coram Deo meruiſſe remiſſionem peccatorum: Et hoc exemplo ſacrificia applicando pro aliis in Novo Teſtamento requirunt præter mortem Chriſti. Hæc imaginatio ſimpliciter obruit meritum paſſionis Chriſti, & juſtitiam fidei, & corrumpit veteris & novi Teſtamenti doctrinam; & pro Chriſto alios mediatores & propitiatores nobis efficit Pontifices & ſacrificulos, qui quotidie vendunt operam ſuam in templis.

Quare ſi quis ita argumentatur, oportere in novo Teſtamento Pontificem eſſe, qui pro peccatis offerat, tantum de Chriſto concedendum eſt. Et hanc ſolutionem confirmat tota Epiſtola ad Ebræos. Et id prorſus

eſſet

eſſet alios mediatores conſtituere præter Chriſtum, ſi aliam ſatisfactionem applicandam pro peccatis aliorum & reconciliantem Deum, præter mortem Chriſti requiremus. Deinde quia ſacerdotium novi Teſtamenti eſt miniſterium ſpiritus, ut docet Paulus 2. Corinth. 3. Ideo unicum habet ſacrificium Chriſti ſatisfactorium & applicatum pro peccatis aliorum. Cæterum nulla habet ſacrificia ſimilia Leviticis, quæ ex opere operato applicari pro aliis poſſint, ſed exhibet aliis Evangelium, & Sacramenta, ut per hæc concipiant fidem & Spiritum Sanctum, & mortificentur, & vivificentur, quia miniſterium Spiritus pugnat cum applicatione operis operati. Eſt enim miniſterium Spiritus, per quod Spiritus Sanctus efficax eſt in cordibus, quare habet tale miniſterium, quod ita prodeſt aliis, cum in eis efficax eſt, cum regenerat & vivificat eos. Id non fit applicatione alieni operis pro aliis ex opere operato. *2. Cor. 3, 6.*

Oſtendimus rationem, quare Miſſa non juſtificet ex opere operato, nec applicata pro aliis mereatur eis remiſſionem, quia utrumque pugnat cum juſtitia fidei. Impoſſibile eſt enim remiſſionem peccatorum contingere, vinci terrores peccati & mortis, ullo opere, aut ulla re, niſi fide in Chriſtum, juxta illud: Juſtificati ex fide pacem habemus. *Rom. 5, 1.* Adhæc oſtendimus, ſcripturas, quæ contra nos citantur, minime patrocinari impiæ opinioni adverſariorum de opere operato. Idque judicare omnes boni viri apud omnes gentes poſſunt. Quare repudiandus eſt error Thomæ, qui ſcripſit, corpus Domini ſemel oblatum in cruce, pro debito originali, jugiter offerri pro quotidianis delictis in altari, ut habeat in hoc Eccleſia munus ad placandum ſibi Deum. Repudiandi ſunt & reliqui communes errores, quod Miſſa conferat gratiam ex opere operato facienti. Item quod applicata pro aliis, etiã injuſtis non ponentibus obicem, mereatur eis remiſſionem peccatorum,

culpæ & pœnæ. Hæc omnia falſa & impia ſunt, nuper ab indoctis Monachis conficta, & obruunt gloriam paſſionis Chriſti, & juſtitiam fidei.

Et ex his erroribus infiniti alii nati ſunt, quantum Miſſæ valeant applicatæ ſimul pro multis, quantum valeant ſingulæ pro ſingulis. Sophiſtæ habent deſcriptos gradus meritorum, ſicut argentarii gradus ponderum in auro aut argento. Deinde, vendunt Miſſam, tanquam pretium ad impetrandum, quod quisque expetit, Mercatoribus, ut felix ſit negotiatio, venatoribus, ut felix ſit venatio. Et alia infinita. Poſtremo transferunt eam & ad mortuos, liberant animas applicatione ſacramenti, à pœnis purgatorii, cum ſine fide nec vivis Miſſa proſit. Neque ex ſcripturis adverſarii afferre vel unam ſyllabam poſſunt ad defenſionem iſtarum fabularum, quas in Eccleſia magna autoritate docent. Neque Eccleſiæ veteris, neque Patrum teſtimonia habent.

QVID PATRES DE SACRIFICIO SENSERINT.

ET quoniam loca Scripturæ, quæ contra nos citantur, explicavimus, de Patribus etiam reſpondendum eſt. Non ignoramus, Miſſam à Patribus appellari ſacrificium, ſed hi non hoc volunt, Miſſam ex opere operato conferre gratiam, & applicatam pro aliis mereri eis remiſſionem peccatorum, culpæ & pœnæ. Ubi leguntur hæc portenta verborum apud Patres? ſed aperte teſtantur, ſe de gratiarum actione loqui. Ideoque vocant εὐχαριστίαν. Diximus autem ſupra, ſacrificium εὐχαριστικόν, non mereri reconciliationem, ſed fieri à reconciliatis, ſicut afflictiones non merentur reconciliationem, ſed tunc ſunt ſacrificia εὐχαριστικά, quando reconciliati ſuſtinent eas. Et hoc reſponſum in genere ad Patrum dicta, ſatis tuetur nos contra adverſarios. Certum eſt enim, illa figmenta de merito operis ope-

operati nusquam extare apud Patres ; Sed ut tota causa magis perspici possit, dicemus & nos de usu sacramenti, ea, quæ certum est consentanea esse Patribus & Scripturæ.

DE USU SACRAMENTI, ET DE SACRIFICIO.

QUIDAM belli homines fingunt, Cœnam Domini institutam esse propter duas causas. Primum, ut sit nota & testimonium professionis, sicut certa forma cuculli est signum certæ professionis. Deinde cogitant, præcipue talem notam Christo placuisse, videlicet convivium, ut significaret mutuam inter Christianos conjunctionem atque amicitiam, quia sympolia sunt signa fœderum & amicitiæ. Sed hæc opinio est civilis, nec ostendit præcipuum usum rerum à Deo traditarum; Tantum de caritate exercenda loquitur, quam homines prophani & civiles utcunque intelligunt; De fide non loquitur, quæ, quid sit, pauci intelligunt.

Sacramenta sunt signa voluntatis Dei erga nos, non tantum signa sunt hominum inter sese. Et recte definiunt sacramenta in Novo Testamento esse signa gratiæ. Et quia in sacramento duo sunt, Signum & verbum: Verbum in novo Testamento est promissio gratiæ addita: Promissio novi Testamenti est promissio remissionis peccatorum, sicut Textus hic dicit: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: Hic est calix Novi Testamenti, cum sanguine meo, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Verbum igitur offert remissionem peccatorum. Et ceremonia est quasi pictura verbi seu sigillum, ut Paulus vocat, ostendens promissionem. Ergo sicut promissio inutilis est, nisi fide accipiatur, ita inutilis est ceremonia, nisi fides accedat, quæ vere statuat hic offerri remissionem peccatorū.

Luc. 22, 19.

Rom. 4, 11.

Et

Et hæc fides erigit contritas mentes. Et ſicut verbum ad hanc fidem excitandam traditum eſt. Ita ſacramentum inſtitutum eſt, ut illa ſpecies incurrens in oculos moveat corda ad credendum. Per hæc enim, videlicet per verbum & ſacramentum, operatur Spiritus Sanctus. Et talis uſus ſacramenti, cum fides vivificat perterrefacta corda, cultus eſt Novi Teſtamenti, quia Novum Teſtamentum habet motus ſpirituales, mortificationem & vivificationem. Et ad hunc uſum inſtituit Chriſtus, cum jubet facere in ſui commemorationem. Nam meminiſſe Chriſti, non eſt otioſa ſpectaculi celebratio, aut exempli cauſa inſtituta, ſicut in Tragœdiis celebratur memoria Herculis, aut Ulyſſis: Sed eſt meminiſſe beneficia Chriſti, eaque fide accipere, ut per
Pſal. 111, 4. ea vivificemur. Ideo Pſalmus ait: Memoriam fecit mirabilium ſuorum, miſericors & miſerator Dominus: Eſcam dedit timentibus ſe. Significat enim, voluntatem & miſericordiam Dei agnoſcendam eſſe in illa ceremonia. Illa autem fides, quæ agnoſcit miſericordiam, vivificat. Et hic principalis uſus eſt ſacramenti, in quo apparet, qui ſint idonei ad ſacramentum, videlicet perterrefactæ conſcientiæ, & quomodo uti debeant.

Accedit & ſacrificium. Sunt enim unius rei plures fines. Poſtquam conſcientia fide erecta ſenſit, ex qualibus terroribus liberetur, tum vero ſerio agit gratias pro beneficio & paſſione Chriſti, & utitur ipſa ceremonia ad laudem Dei, ut hac obedientia gratitudinem oſtendat, & teſtatur, ſe magnifacere dona Dei. Ita fit ceremonia ſacrificium laudis. Ac Patres quidem de duplici effectu loquuntur, de conſolatione conſcientiarum, & de gratiarum actione ſeu laude. Horum effectuum prior ad ſacramenti rationem pertinet, poſterior pertinet ad ſacrificium. De conſolatione ait Ambroſius: Accedite ad eum & abſolvimini, quia eſt remiſſio peccatorum. Qui fit, quæritis? Audite ipſum dicentem:

Digitized by Google

tem: Ego sum panis vitæ, qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non sitiet unquam. *Joh. 6, 38.* Hic testatur, in sacramento offerri remissionem peccatorum, testatur & fide accipi debere. Infinita testimonia leguntur in hanc sententiam apud Patres, quæ omnia detorquent adversarii ad opus operatum & applicandum pro aliis, cum Patres aperte requirant fidem, & de propria cujusque consolatione loquantur, non de applicatione. Præter hæc leguntur & sententiæ de gratiarum actione, qualis illa est svavissime dicta à Cypriano de pie communicantibus: Pietas, inquit, inter data & condonata se dividens, gratias agit tam uberis beneficii largitori, id est, pietas, intuetur data & condonata, hoc est, confert inter se magnitudinem beneficiorum Dei & magnitudinem nostrorum malorum, mortis & peccati, & agit gratias, &c. Et hinc extitit appellatio εὐχαριστίας in Ecclesia. Neque vero ceremonia ipsa est gratiarum actio ex opere operato applicanda pro aliis, ut mereatur eis remissionem peccatorum, &c. ut liberet animas defunctorum. Hæc pugnant cum justitia fidei; quasi ceremonia sine fide prosit aut facienti, aut aliis.

XII. DE VOCABULIS MISSÆ.

ADVERSARII revocant nos etiam ad Grammaticam, sumunt argumenta ex appellationibus Missæ; quæ non opus habent longa disputatione. Non enim sequitur, Missam, etiamsi vocatur sacrificium, opus esse ex opere operato gratiam conferens, aut applicatum pro aliis, mereri eis remissionem peccatorum, &c. λειτουργία, inquiunt, significat sacrificium. Et Græci Missam appellant liturgiam. Cur hic omittunt appellationem veterem Synaxis? quæ ostendit, Missam olim

olim fuiſſe multorum communicationem. Sed dicamus de Liturgia. Ea vox non ſignificat propriè ſacrificium, ſed potius publicum miniſterium, & apte quadrat ad noſtram ſententiam, quod videlicet unus miniſter conſecrans, reliquo populo exhibet corpus & ſanguinem Domini, ſicut unus miniſter docens exhibet Evangelium populo, ſicut ait Paulus : Sic nos exiſtimet homo, tanquam miniſtros Chriſti, & diſpenſatores ſacramentorum Dei, hoc eſt, Evangelii & ſacramentorum. Et 2. Cor. 5. Propter cauſam Chriſti legationes fungimur tanquam DEO per nos adhortante, rogamus Chriſti cauſa, reconciliamini, &c. Ita apte quadrat nomen λειτουργία ad miniſterium. Eſt enim vetus verbum, uſurpatum in publicis miniſteriis civilibus, ac ſignificat Græcis onera publica, ſicut tributum, ſumtum inſtruendæ claſſis, aut ſimilia, ut teſtatur oratio Demoſthenis πρὸς λεπτίνην, quæ tota conſumitur in diſputatione de publicis muneribus, & immunitatibus : φησὶ δὲ ἀναξίους τινὰς ἀνθρώπους ἐυρομένους ἀτέλειαν ἐκδιδύναι τὰς λειτουργίας, id eſt, dicet indignos quosdam homines inventa immunitate detrectare publica onera. Et ſic Romanis temporibus locuti ſunt, ut oſtendit reſcriptum Pertinacis ff. de jure immunitatis l. Semper. εἰ καὶ μὴ πασῶν λειτουργίων τοὺς πατέρας ὁ τῶν τέκνων ἀριθμὸς ἀνῆκεν. Etſi non liberat parentes omnibus oneribus publicis numerus natorum. Et Commentarius Demoſthenis ſcribit, λειτουργίαν genus eſſe tributorum, ſumtus ludorum, ſumtus inſtruendarum navium, curandi gymnaſii, & ſimilium publicarum curationum. Et Paulus pro collatione uſurpavit, 2. Cor. 9. Officium hujus collationis non ſolum ſupplet ea, quæ deſunt ſanctis; Sed etiam efficit, ut plures Deo ubertim agant gratias &c. Et Phil. 2. appellat Epaphroditum λειτουργὸν, miniſtrum neceſſitatis ſuæ, ubi certe non poteſt intelligi ſacrificulus.

1. Cor. 4, 1.

2. Cor. 5, 20.

2. Cor. 9, 12.

Phil. 2, 25.

Sed

Sed nihil opus est pluribus testimoniis, cum exempla ubique obvia sint legentibus Græcos scriptores, in quibus λειτουργία usurpatur pro publicis oneribus civilibus, seu ministeriis. Et propter diphthongum Grammatici non deducunt à λιτὴ, quod significat preces, sed à publicis bonis, quæ vocant λῆται, ut λειτουργέω curo, tracto publica bona.

Illud est ridiculum, quod argumentantur, altaris mentionem fieri in sacris literis, quare necesse sit, Missam esse sacrificium, cum parabola altaris per similitudinem à Paulo citetur. Et Missam fingunt dictam ab altari מזבח. Quorsum opus erat tam procul accersere etymologiam, nisi volebant ostentare scientiam Ebraicæ linguæ? Quorsum opus est procul quærere etymologiam; cum extet nomen Missa Deut. 16. ubi significat collationes, seu munera populi, non oblationem sacerdotis. Debebant enim singuli venientes ad celebrationem Paschæ aliquod munus, quasi symbolum offerre. Hunc morem initio retinuerunt & Christiani. Convenientes afferebant panes, vinum & alia, ut testantur Canones Apostolorum. Inde sumebatur pars, quæ consecraretur. Reliquum distribuebatur pauperibus. Cum hoc more retinuerunt & nomen collationum, Missa. Et propter tales collationes apparet etiam alicubi Missam dictam esse ἀγαπὴν, nisi quis mavult ita dictam esse propter commune convivium; sed omittamus has nugas. Ridiculum est enim adversarios in re tanta adeo leves conjecturas afferre. Nam etiamsi Missa dicitur oblatio, quid facit vocabulum ad illa somnia de opere operato & applicatione, quam fingunt aliis mereri remissionem peccatorum? Et potest oblatio dici propterea, quia ibi offeruntur orationes, gratiarum actiones & totus ille cultus, sicut & εὐχαριστία dicitur. Verum neque ceremoniæ, neque orationes ex opere operato sine fide pro-

Deut. 16, 17.

prosunt. Quanquam nos hic non de orationibus, sed proprie de Cœna Domini disputamus.

Græcus Canon etiam multa dicit de oblatione, sed palam ostendit, se non loqui proprie de corpore & sanguine Domini, sed de toto cultu, de precibus & gratiarum actionibus. Sic enim ait: καὶ ποίησον ἡμᾶς ἀξίους γενέσθαι τῆ προσφέρειν σοι δεήσεις, καὶ ἱκεσίας καὶ θυσίας ἀναιμάκτους ὑπὲρ παντὸς λαοῦ. Nihil offendit recte intellectum. Orat enim nos dignos effici, ad offerendos preces, & supplicationes, & hostias incruentas: Sicut & paulo post: ἔτι προσφέρομεν σοὶ τὴν λογικὴν ταύτην καὶ ἀναίμακτον λατρείαν. Offerimus, inquit, hunc rationalem, & incruentum cultum. Inepte enim exponunt, qui hic rationalem hostiam malunt interpretari, & transferunt ad ipsum corpus Christi, cum Canon loquatur de toto cultu, & λογικὴ λατρεία à Paulo dicta sit, contra opus operatum, videlicet, de cultu mentis, de timore, de fide, de invocatione, de gratiarum actione, &c.

Quod vero defendunt adversarii nostri applicationem ceremoniæ pro liberandis animabus defunctorum, qua ex re quæstum infinitum faciunt, nulla habent testimonia, nullum mandatum ex scripturis. Neque vero est leve peccatum, tales cultus sine mandato Dei, sine exemplo scripturæ, in Ecclesia instituere, & cœnam Domini institutam ad recordationem & prædicationem inter vivos, transferre ad mortuos. Hoc est abuti nomine Dei contra secundum præceptum. Primum enim contumelia est Evangelii, sentire, quod ceremonia, ex opere operato, sine fide sit sacrificium reconcilians Deum, & satisfaciens pro peccatis. Horribilis oratio est, tantumdem tribuere operi sacerdotis, quantum morti CHRISTI. Deinde peccatum & mors non possunt vinci nisi fide in Christum, sicut Paulus docet, Justificati ex fide

Rom. 5. 1.

pacem

pacem habemus, quare non potest vinci pœna purgatorii, applicatione alieni operis.

Omittemus jam, qualia habeant adversatii testimonia de purgatorio, quales existiment pœnas esse purgatorii, quales habeat causas doctrina satisfactionum, quam supra ostendimus vanissimam esse. Illud tantum opponemus: Certum est, cœnam Domini institutam esse propter remissionem culpæ. Offert enim remissionem peccatorum, ubi necesse est vere culpam intelligere. Et tamen pro culpa non satisfacit, alioqui Missa esset par morti Christi. Nec remissio culpæ accipi potest aliter, nisi fide. Igitur Missa non est satisfactio; sed promissio & Sacramentum requirens fidem. Ac profecto necesse est omnes pios acerbissimo dolore affici, si cogitent, Missam magna ex parte ad mortuos & ad satisfactiones pro pœnis translatam esse. Hoc est tollere juge sacrificium ex Ecclesia, 1. Cor. 11, 27.
hoc est Antiochi regnum, qui saluberrimas promissiones de remissione culpæ, de fide, transtulit ad vanissimas opiniones de satisfactionibus: Hoc est Evangelium contaminare, corrumpere usum sacramentorum. Hi sunt, quos Paulus dixit reos esse corporis & sanguinis Domini, qui oppresserunt doctrinam de fide, & remissionem culpæ, & corpus & sanguinem Domini ad sacrilegum quæstum prætextu satisfactionum contulerunt. Et hujus sacrilegii pœnas aliquando dabunt. Quare cavendum est nobis & omnibus piis conscientiis, ne approbent adversariorum abusus.

Sed redeamus ad causam. Cum Missa non sit satisfactio, nec pro pœna, nec pro culpa, ex opere operato sine fide; Sequitur applicationem pro mortuis inutilem esse. Neque hic opus est longiore disputatione. Constat enim, quod illæ applicationes pro mortuis nulla habeant ex scripturis testimonia. Nec tutum est in Ecclesia cultus instituere, sine autoritate scripturæ.

Et, si quando opus erit, prolixius de tota re dicemus. Quid enim nunc rixemur cum adversariis, qui neque quid sacrificium, neque quid sacramentum, neque quid remissio peccatorum, neque quid sit fides, intelligunt?

Nec Græcus Canon applicat oblationem tanquam satisfactionem pro mortuis, quia applicat eam pariter beatis omnibus Patriarchis, Prophetis, Apostolis. Apparet igitur, Græcos tanquam gratiarum actionem offerre, non applicare tanquam satisfactionem pro pœnis. Quanquam etiam loquuntur non de sola oblatione corporis & sanguinis Domini: Sed de reliquis Missæ partibus, videlicet orationibus & gratiarum actionibus. Nam post consecrationem precantur, ut sumentibus prosit, non loquuntur de aliis. Deinde addunt: ἔτι προσφέρομέν σοι τὴν λογικὴν ταύτην λατρείαν ὑπὲρ τῶν ἐν πίστει ἀναπαυσαμένων προπατόρων, πατέρων, πατριαρχῶν, προφητῶν, ἀποστόλων, &c. At λογικὴ λατρεία non significat ipsam hostiam, sed orationes & omnia, quæ ibi geruntur. Quod vero allegant adversarii Patres de oblatione pro mortuis: Scimus veteres loqui de oratione pro mortuis, quam nos non prohibemus, sed applicationem cœnæ Domini pro mortuis ex opere operato, improbamus. Nec patrocinantur adversariis veteres de opere operato. Et ut maxime Gregorii aut recentiorum testimonia habeant, nos opponimus clarissimas & certissimas scripturas. Et Patrum magna dissimilitudo est. Homines erant, & labi ac decipi poterant. Quanquam si nunc reviviscerent, ac viderent sua dicta prætexi luculentis illis mendaciis, quæ docent adversarii de opere operato, longe aliter se ipsi interpretarentur.

Falso enim citant adversarii contra nos damnationem Aerii, quem dicunt propterea damnatum esse, quòd negaverit in Missa oblationem fieri pro vivis & mortuis. Sæpe hoc colore utuntur, allegant veteres hæreses,

ſes, & cum his falſo comparant noſtram cauſam, ut illa collatione prægravent nos. Epiphanius teſtatur Aerium ſenſiſſe, quod orationes pro mortuis ſint inutiles. Id reprehendit. Neque nos Aerio patrocinamur, ſed vobiſcum litigamus, qui hæreſin manifeſte pugnantem cum Prophetis, Apoſtolis, & Patribus ſceleſte defenditis, videlicet, quod Miſſa ex opere operato juſtificet, quod mereatur remiſſionem culpæ & pœnæ, etiam injuſtis, pro quibus applicatur, ſi non ponant obicem. Hos pernicioſos errores improbamus, qui lædunt gloriam paſſionis Chriſti, & penitus obruunt doctrinam de juſtitia fidei. Similis fuit perſvaſio impiorum in lege, quod mererentur remiſſionem peccatorum, non gratis, per fidem, ſed per ſacrificia ex opere operato. Itaque augebant illos cultus & ſacrificia, inſtituebant cultum Baal in Iſrael, in Juda etiam ſacrificabant in lucis. Quare Prophetæ damnata illa perſvaſione, belligerantur non ſolum cum cultoribus Baal, ſed etiam cum aliis ſacerdotibus, qui ſacrificia à Deo ordinata cum illa opinione impia faciebant. Verum hæret in mundo hæc perſuaſio, & hærebit ſemper, quod cultus & ſacrificia ſint propitiationes. Non ferunt homines carnales ſoli ſacrificio Chriſti tribui hunc honorem, quod ſit propitiatio, quia juſtitiam fidei non intelligunt, ſed parem honorem tribuunt reliquis cultibus & ſacrificiis. Sicut igitur in Juda hæſit apud impios Pontifices falſa parſvaſio de ſacrificiis, ſicut in Iſrael Báalitici cultus duraverunt, & tamen erat ibi Eccleſia Dei, quæ impios cultus improbabat: Ita hæret in regno Pontificio cultus Baaliticus, hoc eſt, abuſus Miſſæ, quam applicant, ut per eam mereantur injuſtis remiſſionem culpæ & pœnæ. Et videtur hic Baaliticus cultus una cum regno Pontificio duraturus eſſe, donec veniet Chriſtus ad judicandum, & gloria adventus ſui perdet regnum Antichriſti. Interim omnes, qui vere credunt Evangelio,

debent improbare illos impios cultus excogitatos contra mandatum Dei, ad obſcurandam gloriam Chriſti, & juſtitiam fidei.

Hæc de Miſſa breviter diximus, ut omnes boni viri ubique gentium intelligere queant, nos ſummo ſtudio dignitatem Miſſæ tueri, & verum uſum oſtendere, & juſtiſſimas habere cauſas, quare ab adverſariis diſſentiamus. Ac volumus admonitos eſſe omnes bonos viros, ne adjuvent adverſarios defendentes prophanationem Miſſæ, ne gravent ſe ſocietate alieni peccati. Magna cauſa, magna res eſt, nec inferior illo negotio Eliæ Propheræ, qui cultum Baal improbat. Nos modeſtiſſime cauſam tantam propoſuimus, & nunc ſine contumelia reſpondimus. Quod ſi commoverint nos adverſarii, ut omnia genera abuſuum Miſſæ colligamus, non tam clementer erit agenda cauſa.

XIII. DE VOTIS MONASTICIS.

Aug. Conf. 32. Art. Sm. 321. 336.

APUD nos in oppido Thuringiæ Iſenaco Franciſcanus quidam fuit ante annos triginta, Johannes Hilten, qui à ſuo ſodalitio conjectus eſt in carcerem, propterea, quod quosdam notiſſimos abuſus reprehenderat. Vidimus enim ejus ſcripta, ex quibus ſatis intelligi poteſt, quale fuerit ipſius doctrinæ genus. Et qui norunt eum, teſtantur fuiſſe ſenem placidum, & ſine moroſitate gravem. Is multa prædixit, quæ partim evenerunt hactenus, partim jam videntur impendere, quæ non volumus recitare, ne quis interpretetur, ea aut odio cujusquam, aut in gratiam alicujus narrari. Sed poſtremo, cum vel propter ætatem, vel propter ſqualorem carceris in morbum incidiſſet, accerſivit ad ſe Guardianum, ut ſuam valetudinem illi indicaret, cumque

que Guardianus accensus odio Pharisaico duriter objurgare hominem propter doctrinæ genus, quod videbatur officere culinæ, cœpisset, tum iste omissa jam mentione valetudinis ingemiscens inquit: se has injurias æquo animo propter Christum tolerare, cum quidem nihil scripsisset aut docuisset, quod labefactare statum Monachorum posset, tantum notos quosdam abusus reprehendisset. Sed alius quidam, inquit, veniet anno Domini M. D. XVI. qui destruet vos, nec poteritis ei resistere. Hanc ipsam sententiam de inclinatione regni Monachorum, & hunc annorum numerum postea etiam repererunt ejus amici perscriptum ab ipso in commentariis suis, inter annotationes, quas reliquerat in certos locos Danielis. Quanquam autem, quantum huic voci tribuendum sit, eventus docebit, tamen extant alia signa, quæ minantur mutationem regno Monachorum, non minus certa, quam oracula. Constat enim, quantum sit in Monasteriis hypocrisis, ambitionis, avaritiæ, quanta inscitia, & indoctissimi cujusque sævitia, quanta vanitas in concionibus, in excogitandis subinde novis aucupiis pecuniæ. Et sunt alia vitia, quæ non libet commemorare. Cumque fuerint olim Scholæ doctrinæ Christianæ, nunc degeneraverunt velut ab aureo genere in ferreum, seu ut cubus Platonicus in malas harmonias degenerat, quas Plato ait exitium afferre. Locupletissima quæque Monasteria tantum alunt otiosam turbam, quæ ibi falso prætextu religionis helluatur de publicis eleemosynis Ecclesiæ. Christus autem admonet de sale insipido, quod soleat effundi & conculcari. Quare ipsi sibi Monachi his moribus fata canunt. Et accedit nunc aliud signum, quod passim autores sunt interficiendorum bonorum virorum. Has cædes Deus haud dubie brevi ulciscetur. Neque vero accusamus omnes. Arbitramur enim passim aliquos viros bonos in Monasteriis esse, qui de humanis cultibus & factitiis, ut quidam sapiento-

res vocant, moderate ſentiunt, nec probant ſævitiam, quam exercent hypocritæ apud ipſos.

Sed de genere doctrinæ diſputamus, quod nunc defendunt Architecti confutationis, non utrum vota ſervanda ſint. Sentimus enim, licita vota ſervari debere, ſed utrum cultus illi mereantur remiſſionem peccatorum & juſtificationem; Utrum ſint ſatisfactiones pro peccatis; Utrum ſint pares Baptiſmo; Utrum ſint obſervatio præceptorum & conſiliorum; Utrum ſint perfectio Evangelica; Utrum habeant merita ſupererogationis; Utrum merita illa applicata aliis ſalvent eos; Utrum ſint licita vota his opinionibus facta; Utrum licita ſint vota, quæ prætextu religionis tantum ventris & otioſi cauſa ſuſcepta ſunt. Utrum vere ſint vota, quæ ſunt extorta aut invitis, aut his, qui per ætatem nondum judicare poterant de genere vitæ, quos parentes aut amici intruſerunt in Monaſteria, ut de publico alerentur, ſine patrimonii privati jactura. Utrum licita ſint vota, quæ palam vergunt ad malum exitum, vel quia propter imbecillitatem non ſervantur, vel quia hi, qui ſunt in illis ſodalitiis, coguntur abuſus Miſſarum, impios cultus ſanctorum, conſilia ſæviendi in bonos viros, approbare & adjuvare. De his quæſtionibus diſputamus. Et cum nos in confeſſione pleraque diximus de ejusmodi votis, quæ etiam Canones Pontificum improbant, tamen adverſarii jubent omnia, quæ produximus, rejicere: His enim verbis uſi ſunt. Ac operæ pretium eſt audire, quomodo cavillentur noſtras rationes, & quid afferant ad muniendam ſuam cauſam. Ideo breviter percurremus pauca quædam argumenta noſtra, & diluemus in his obiter cavillationes adverſariorum. Cum autem hæc tota cauſa diligenter & copioſe à Luthero tractata ſit, in libro, cui titulum fecit: De votis Monaſticis, volumus hic librum illum pro repetito habere.

Primum

Primum hoc certissimum est, non esse licitum votum, quo sentit is, qui vovet, se mereri remissionem peccatorum coram Deo, aut satisfacere pro peccatis coram Deo. Nam hæc opinio est manifesta contumelia Evangelii, quod docet, nobis gratis donari remissionem peccatorum propter Christum, ut supra copiose dictum est. Recte igitur citavimus Pauli locum ad Galatas: Evacuati estis à Christo, qui in lege justificamini, à gratia excidistis. Qui quærunt remissionem peccatorum, non fide in Christum, sed operibus Monasticis, detrahunt de honore Christi, & iterum crucifigunt Christum. Audite autem, audite, quomodo hic elabantur Architecti confutationis. Pauli locum tantum de lege Moysi exponunt, & addunt Monachos omnia propter Christum observare, & conari propius secundum Evangelium vivere, ut mereantur vitam æternam. Et addunt horribilem Epilogum, his verbis: Quare impia sunt, quæ hic contra Monasticen allegantur. O Christe, quamdiu feres has contumelias, quibus Evangelium tuum afficiunt hostes nostri? Diximus in confessione, remissionem peccatorum gratis accipi, propter Christum per fidem. Si hæc non est ipsa Evangelii vox, si non est sententia Patris æterni, quam tu, qui es in sinu Patris, revelasti mundo, jure plectimur. Sed tua mors testis est, tua resurrectio testis est, Spiritus Sanctus testis est, tota Ecclesia tua testis est, vere hanc esse Evangelii sententiam, quod consequamur remissionem peccatorum, non propter nostra merita, sed propter te, per fidem. Paulus cum negat, homines lege Moysi mereri remissionem peccatorum, multo magis detrahit hanc laudem traditionibus humanis: Idque aperte ad Colossenses testatur. Si lex Moysi, quæ erat divinitus revelata, non merebatur remissionem peccatorum, quanto minus istæ fatuæ observationes, abhorrentes à civili consuetudine vitæ, merentur remissionem

Galat. 5. 4.

peccatorum. Adverſarii fingunt, Paulum abolere legem Moyſi, & Chriſtum ita ſuccedere, ut non gratis donet remiſſionem peccatorum, ſed propter opera aliarum legum, ſi quæ nunc excogitentur. Hac impia & fanatica imaginatione obruunt beneficium Chriſti. Deinde fingunt inter hos, qui obſervant illam legem Chriſti, Monachos propius obſervare, quam alios, propter hypocriſin paupertatis, obedientiæ, & caſtitatis, cum quidem omnia ſint plena ſimulationis. Paupertatem jactant in ſumma copia rerum omnium, obedientiam jactant, cum nullum genus hominum libertatem habeat majorem, quam Monachi. De cœlibatu non libet dicere, qui quam purus ſit in plerisque, qui ſtudent continere, Gerſon indicat. Et quotusquisque continere ſtudet? Scilicet hac ſimulatione propius ſecundum Evangelium vivunt Monachi. Chriſtus non ita ſuccedit Moyſi, ut propter noſtra opera remittat peccata, ſed ut ſua merita, ſuam propitiationem opponat iræ Dei pro nobis, ut gratis nobis ignoſcatur. Qui vero præter Chriſti propitiationem propria merita opponit iræ Dei, & propter propria merita conſequi remiſſionem peccatorum conatur, ſive afferat opera legis Moſaicæ, ſive Decalogi, ſive Regulæ Benedicti, ſive Regulæ Auguſtini, ſive aliarum Regularum: is abolet promiſſionem Chriſti, abjecit Chriſtum, & excidit gratia. Hæc eſt Pauli ſententia. Vide autem, Carole Cæſar Imperator clementiſſime, videte Principes, videte omnes ordines, quanta ſit impudentia adverſariorum, cum Pauli locum in hanc ſententiam citaverimus, ipſi adſcripſerunt: Impia ſunt, quæ hic contra Monaſticen allegantur. Quid eſt autem certius, quam quod remiſſionem peccatorum conſequuntur homines fide, propter Chriſtum? Et hanc ſententiam audent iſti nebulones impiam vocare. Nihil dubitamus, quin ſi admoniti fuiſſetis de hoc loco, eximi è confutatione tantam blaſphemiam

miam curaſſetis. Cum autem ſupra copioſe oſtenſum ſit, impiam opinionem eſſe, quod propter opera noſtra conſequamur remiſſionem peccatorum, breviores in hoc loco erimus. Facile enim inde prudens lector ratiocinari poterit, quod non mereamur remiſſionem peccatorum per opera Monaſtica. Itaque & illa blaſphemia nullo modo ferenda eſt, quæ apud Thomam legitur, profeſſionem Monaſticam parem eſſe Baptiſmo. Furor eſt, humanam traditionem, quæ neque mandatum Dei, neque promiſſionem habet, æquare ordinationi Chriſti, quæ habet & mandatum & promiſſionem Dei, quæ continet pactum gratiæ, & vitæ æternæ.

Secundo. Obedientia, paupertas, & cœlibatus, ſi tamen non ſit impurus, exercitia ſunt ἀδιάφορα. Ideoq; ſancti uti eis ſine impietate poſſunt, ſicut uſi ſunt Bernhardus, Franciſcus, & alii viri ſancti. Et hi uſi ſunt propter utilitatem corporalem, ut expeditiores eſſent ad docendum, & ad alia pia officia, non quod opera ipſa per ſe ſint cultus, qui juſtificent, aut mereantur vitam æternam. Denique ſunt ex illo genere, de quo Paulus ait: Corporalis exercitatio parumper utilis eſt. *1. Tim. 4, 8.* Et credibile eſt, alicubi nunc quoque eſſe bonos viros in Monaſteriis, qui ſerviunt miniſterio verbi, qui illis obſervationibus ſine impiis opinionibus utuntur. Aſſentire, quod illæ obſervationes ſint cultus, propter quos coram Deo juſti reputentur, & per quos mereantur vitam æternam, hoc pugnat cum Evangelio de juſtitia fidei, quod docet, quod propter Chriſtum donetur nobis juſtitia, & vita æterna. Pugnat & cum dicto *Matth. 15, 9.* Chriſti: Fruſtra colunt me mandatis hominum. Pu- *Rom. 14, 23.* gnat & cum hac ſententia: Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Quomodo autem poſſunt affirmare, quod ſint cultus, quos Deus approbet, tanquam juſtitiam coram ipſo, cum nullum habeant teſtimonium verbi Dei?

Sed videte impudentiam adverſariorum. Non ſolum docent, quod obſervationes illæ ſint cultus juſtificantes, ſed addunt, perfectiores eſſe cultus, hoc eſt, magis merentes remiſſionem peccatorum & juſtificationem, quam ſint alia vitæ genera. Et hic concurrunt multæ falſæ ac perniciosæ opiniones, fingunt ſe ſervare præcepta & conſilia. Poſtea homines liberales, cum ſomnient, ſe habere merita ſupererogationis, vendunt hæc aliis. Hæc omnia plena ſunt Phariſaicæ vanitatis. Extrema enim impietas eſt ſentire, quod decalogo ita ſatisfaciant, ut ſuperſint merita, cum hæc præcepta omnes ſanctos accuſent: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Item: Non concupiſcas. Propheta ait: Omnis homo mendax, id eſt, non recte de Deo ſentiens, non ſatis timens, non ſatis credens Deo. Quare falſo gloriantur Monachi, in obſervatione Monaſticæ vitæ præceptis ſatisfieri, ac plus quam præcepta fieri.

Deuter. 6, 5.
Rom. 7, 7.
Pſal. 116, 11.

Deinde falſum & hoc eſt, quod obſervationes Monaſticæ ſint opera conſiliorum Evangelii. Nam Evangelium non conſulit diſcrimina veſtitus, ciborum, abdicationem rerum propriarum. Hæ ſunt traditiones humanæ, de quibus omnibus dictum eſt: Eſca non commendat Deo. Quare neque cultus juſtificantes ſunt, neque perfectio, imo cum his titulis fucatæ proponuntur, ſunt meræ doctrinæ dæmoniorum. Virginitas ſvadetur, ſed his, qui dominum habent, ut ſupra dictum eſt. Error eſt autem perniciosiſſimus, ſentire, quod perfectio Evangelica ſit in traditionibus humanis: Nam ita etiam Mahemotiſtarum Monachi gloriari poſſent, ſe habere perfectionem Evangelicam. Neque eſt in obſervatione aliorum, quæ dicuntur ἀδιάφορα, ſed quia regnum Dei eſt juſtitia & vita in cordibus, ideo perfectio eſt, creſcere timorem Dei, fiduciam miſericordiæ promiſſæ in Chriſto, & curam obediendi vocationi, ſicut & Paulus deſcribit perfectionem: transfor-

Rom. 14, 7.
2. Cor. 3, 18.

formamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu. Non ait, alium ſubinde cucullum accipimus, aut alios calceos, aut alia cingula. Miſerabile eſt, in Eccleſia tales Phariſaicas, imo Mahometicas voces lege atque audiri, videlicet perfectionem Evangelii, regni Chriſti, quod eſt vita æterna, in his ſtultis obſervationibus veſtium, & ſimilium nugarum collocari.

Nunc audite Areopagitas noſtros, quam indignam ſententiam poſuerint in confutatione. Sic ajunt: SACRIS LITERIS EXPRESSUM eſt, Monaſticam vitam, debita obſervatione cuſtoditam, quam per gratiam Dei quilibet Monaſtici cuſtodire poſſunt, mereri vitam æternam, & quidem multo auctiorem Chriſtus eis promiſit, qui reliquerint domum aut fratres, &c. *Matth. 19, 29.* Hæc ſunt verba adverſariorum, in quibus hoc primum impudentiſſime dicitur, quod ſacris literis expreſſum ſit, vitam Monaſticam mereri vitam æternam. Ubi enim loquuntur ſacræ literæ de Monaſtica? Sic agunt cauſam adverſarii, ſic citant ſcripturas nihili homines, cum nemo neſciat, Monaſticam recens excogitatam eſſe, tamen allegant autoritatem ſcripturæ, & quidem dicunt, hoc ſuum decretum expreſſum eſſe in ſcripturis. Præterea contumelia afficiunt Chriſtum, cum dicunt, homines per Monaſticam mereri vitam æternam. Deus ne ſuæ quidem legi hunc honorem tribuit, quod mereatur vitam æternam, ſicut clare dicit apud Ezech. c. 20. Ego dedi eis præcepta non bona, & judicia, in quibus non vivent. *Ezech. 20, 26.* Primum hoc certum eſt, quod vita Monaſtica non meretur remiſſionem peccatorum, ſed hanc fide gratis accipimus, ut ſupra dictum eſt. Deinde propter Chriſtum, per miſericordiam donatur vita æterna his, qui fide accipiunt remiſſionem, nec opponunt merita ſua judicio Dei, ſicut & Bernhardus graviſſime dicit: Neceſſe eſt primo omnium credere, quod remiſſionem peccatorum habere non poſſis, niſi per indulgentiam Dei. Deinde, quod nihil prorſus habere queas

operis

operis boni, niſi & hoc dederit ipſe. Poſtremo, quod æternam vitam nullis potes operibus promereri, niſi gratis detur & illa. Cætera, quæ in eandem ſententiam ſequuntur, ſupra recitavimus. Addit autem in fine Bernhardus: Nemo ſe ſeducat, quia ſi bene cogitare voluerit, inveniet procul dubio, quod nec cum decem millibus poſſit occcurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe. Cum autem nec divinæ legis operibus mereamur remiſſionem peccatorum aut vitam æternam, ſed neceſſe ſit quærere miſericordiam promiſſam in Chriſto, multo minus obſervationibus Monaſticis, cum ſint meræ traditiones humanæ, tribuendus eſt hic honor, quod mereantur remiſſionem peccatorum, aut vitam æternam. Ita ſimpliciter obruunt Evangelium de gratuita remiſſione peccatorum, & de apprehendenda miſericordia promiſſa in Chriſto, qui docent, Monaſticam vitam mereri remiſſionem peccatorum, aut vitam æternam, & fiduciam debitam Chriſto, transferunt in illas ſtultas obſervationes. Pro Chriſto colunt ſuos cucullos, ſuas ſordes. Cum autem & ipſi egeant miſericordia, impiè faciunt, quod fingunt merita ſupererogationis, eaque aliis vendunt. Brevius de his rebus dicimus, quia ex his, quæ ſupra de juſtificatione, de pœnitentia, de traditionibus humanis diximus, ſatis conſtat, vota Monaſtica non eſſe pretium, propter quod detur remiſſio peccatorum & vita æterna. Et cum Chriſtus vocet traditiones cultus inutiles, nullo modo ſunt perfectio Evangelica.

Verum adverſarii videri volunt aſtutè moderari vulgarem perſvaſionem de perfectione. Negant Monaſticam vitam perfectionem eſſe, ſed dicunt ſtatum eſſe acquirendæ perfectionis. Belle dictum eſt, & meminimus hanc correctionem extare apud Gerſonem. Apparet enim, prudentes viros offenſos immodicis illis encomiis vitæ Monaſticæ, cum non auderent in totum detra-

Digitized by Google

trahere ei laudem perfectionis, addidiſſe hanc ἐπαγόγην, quod ſit ſtatus acquirendæ perfectionis. Hoc ſi ſequimur, nihilo magis erit Monaſtica ſtatus perfectionis, quam vita agricolæ, aut fabri. Nam hi quoque ſunt ſtatus acquirendæ perfectionis. Omnes enim homines in quacunque vocatione perfectionem expetere debent, hoc eſt, creſcere in timore Dei, in fide, in dilectione proximi & ſimilibus virtutibus ſpiritualibus. Extant in hiſtoriis Eremitarum exempla, Antonii & aliorum, quæ exæquant genera vitæ. Scribitur Antonio petenti, ut Deus ſibi oſtenderet, quantum in hoc vitæ genere proficeret, quendam in urbe Alexandria ſutorem monſtratum eſſe per ſomnium, cui compararetur. Poſtridie Antonius veniens in urbem, accedit ad ſutorē, exploraturus illius exercitia & dona, collocutus cum homine, nihil audit, niſi mane eum pro univerſa civitate paucis verbis orare, deinde arti ſuæ operam dare. Hic intellexit Antonius, non eſſe juſtificationem tribuendam illi vitæ generi, quod ſuſceperat.

Sed adverſarii, etſi nunc moderantur laudes de perfectione, tamen aliter reipſa ſentiunt. Vendunt enim merita, & applicant pro aliis hoc prætextu, quod obſervent præcepta & cōnſilia, quare reipſa ſentiunt ſibi ſupereſſe merita. Quid eſt autem arrogare ſibi perfectionem, ſi hoc non eſt? Deinde in ipſa confutatione poſitum eſt, quod Monaſtici contendant propius ſecundum Evangelium vivere. Tribuit igitur perfectionem traditionibus humanis, ſi ideo propius ſecundum Evangelium vivunt Monachi, quia non habent proprium, quia ſunt cœlibes, quia obediunt Regulæ in veſtitu, cibis, & ſimilibus nugis.

Item, confutatio dicit, Monachos mereri vitam æternam auctiorem, & allegat Scripturam: Qui reliquerit domum, &c. ſcilicet hic quoque perfectionem arrogat factitiis religionibus. Sed hic locus Scripturæ *Matth. 19, 29.*

nihil

nihil facit ad vitam Monasticam. Non enim hoc vult Christus, quod deserere parentes, conjugem, fratres, sit opus ideo faciendum, quia mereatur remissionem peccatorum & vitam æternam. Imo maledicta est illa desertio. Fit enim cum contumelia Christi, si quis ideo deserat parentes, aut conjugem, ut hoc ipso opere mereatur remissionem peccatorum & vitam æternam. Duplex autem desertio est, quædam fit sine vocatione, sine mandato Dei, hanc non probat Christus. Nam opera à nobis electa, sunt inutiles cultus. Clarius autem hinc apparet, Christum non probare hanc fugam, quia loquitur de deserenda uxore, & liberis. Scimus autem quod mandatum Dei prohibet, deserere uxorem & liberos. Alia desertio est, quæ fit mandato Dei, videlicet, cum cogit nos potestas aut tyrannis cedere, aut negare Evangelium. Hic habemus mandatum, ut potius sustineamus injuriam, potius eripi nobis patiamur, non solum facultates, conjugem, liberos, sed vitam quoque. Hanc desertionem probat Christus, ideoque addit, propter Evangelium, ut significet se de his loqui, non qui faciunt injuriam uxori & liberis, sed qui propter confessionem Evangelii sustinent injuriam. Corpus nostrum etiam deserere debemus propter Evangelium. Hic ridiculum fuerit sentire, quod cultus Dei sit, seipsum occidere & relinquere corpus sine mandato Dei. Ita ridiculum est sentire, quod cultus Dei sit, deserere possessiones, amicos, conjugem, liberos, sine mandato Dei. Constat igitur, male detorqueri dictum Christi ad vitam Monasticam. Nisi fortassis hoc quadrat, quod centuplum in hac vita recipiunt. Plurimi enim fiunt Monachi, non propter Evangelium, sed propter culinam & otium, qui pro exiguis patrimoniis inveniunt ampliſſimas opes. Sed ut tota res Monastica simulationis plena est, ita falso prætextu testimonia scripturæ citant, ut dupliciter peccent, hoc est, ut fallant homines, & fallant prætextu nominis divini. Ci-

Matth. 19. 9.

Citatur & alius locus de perfectione : Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & veni, & sequere me. *Matth. 19, 21.* Hic locus exercuit multos, qui finxerunt perfectionem esse, possessiones ac dominia rerum abjicere. Sinamus Philosophos Aristippum prædicare, qui magnum auri pondus abjecit in mare. Talia exempla nihil pertinent ad Christianam perfectionem. Rerum divisio, dominia, & possessio, sunt ordinationes civiles, approbatæ verbo Dei, in præcepto : Non furtum facies. Desertio facultatum non habet mandatum, aut consilium in Scripturis. *Exod. 21, 15.* Nam Evangelica paupertas non est desertio rerum, sed non esse avarum, non confidere opibus, sicut David pauper erat, in ditissimo regno. Quare cum desertio facultatum sit mere traditio humana, est inutilis cultus. Et immodica sunt illa encomia in extravagante, quæ ait, abdicationem proprietatis omnium rerum, propter Deum, meritoriam & sanctam, & viam perfectionis esse. Et periculosissimum est, rem pugnantem cum civili consuetudine, talibus immoderatis laudibus efferre. At Christus hic perfectionem vocat. Imo injuriam faciunt textui, qui truncatum allegant. Perfectio est in hoc, quod addit Christus, sequere me. Exemplum obedientiæ in vocatione propositum est. Et quia vocationes dissimiles sunt, ita hæc vocatio non est omnium, sed proprie ad illam personam, cum qua ibi loquitur CHRISTUS, pertinet, sicut vocatio David ad regnum, Abraham ad mactandum filium non sunt nobis imitandæ. Vocationes sunt personales, sicut negotia ipsa variant temporibus & personis, sed exemplum obedientiæ est generale. Perfectio erat futura illi juveni, si huic vocationi credidisset & obediviſſet. Ita perfectio nobis est, obedire unumquemque vera fide suæ vocationi.

Ter-

Tertio. In votis Monaſticis promittitur caſtitas. Supra autem diximus de conjugio Sacerdotum, non poſſe votis aut legibus tolli Jus naturæ in hominibus. Et quia non omnes habent donum continentiæ, multi propter imbecillitatem infeciliter continent. Neque vero ulla vota, aut ullæ leges poſſunt abolere mandatum Spiritus Sancti: propter fornicationem unusquisque habeat uxorem ſuam. Quare hoc votum non eſt licitum in his, qui non habent donum continentiæ, ſed propter imbecillitatem contaminantur. De hoc toto loco ſatis ſupra dictum eſt, in quo profecto mirum eſt, cum verſentur ob oculos pericula & ſcandala, tamen adverſarios defendere ſuas traditiones, contra manifeſtum DEI præceptum. Nec commovet eos vox Chriſti, qui objurgat Phariſæos, qui traditiones contra mandatum Dei fecerant.

1. Cor. 7, 9.

Quarto. Liberant hos, qui vivunt in Monaſteriis, impli cultus, quales ſunt, prophanatio Miſſæ ad quæſtum collatæ pro mortuis, cultus ſanctorum, in quibus duplex vitium eſt, & quod ſancti in locum Chriſti ſurrogantur, & impie coluntur, ſicut finxerunt Dominicaſtri Roſarium B. Virginis, quod eſt mera βαττολογία non minus ſtulta, quam impia, vaniſſimam fiduciam alens. Deinde hæ ipſæ impietates tantum conferuntur ad quæſtum. Item, Evangelium de gratuita remiſſione peccatorum propter Chriſtum, de juſtitia fidei, de vera pœnitentia, de operibus, quæ habent mandatum Dei, neque audiunt, neque docent. Sed verſantur aut in Philoſophicis diſputationibus, aut in traditionibus ceremoniarum, quæ obſcurant CHRISTUM. Non hic dicemus de illo toto cultu ceremoniarum, de lectionibus, cantu, & ſimilibus rebus, quæ poterant tolerari, ſi haberentur pro exercitiis, ſicut lectiones in Scholis, quarum finis eſt, docere audientes, & inter docendum aliquos commovere ad timorem, aut fidem.

Sed

Sed nunc fingunt, has ceremonias esse cultus Dei, qui mereantur remissionem peccatorum ipsis & aliis. Ideo enim augent has ceremonias. Quod si susciperent ad docendos & adhortandos auditores, breves & accuratæ lectiones plus prodessent, quam illæ infinitæ βαττολογίαι. Ita tota vita Monastica plena est hypocrisi, & falsis opinionibus. Ad hæc omnia accedit & hoc periculum, quod qui sunt in illis collegiis, coguntur assentiri persequentibus veritatem. Multæ igitur graves & magnæ rationes sunt, quæ liberant bonos viros ab hoc vitæ genere.

Postremo multos liberant ipsi Canones, qui aut illecti artibus Monachorum sine judicio voverunt, aut coacti ab amicis voverunt. Talia vota ne Canones quidem pronunciant esse vota. Ex his omnibus appareret plurimas esse causas, quæ docent vota Monastica, qualia hactenus facta sunt, non esse vota, quare tuto deseri potest vitæ genus plenum hypocrisis & falsarum opinionum.

Hic objiciunt ex lege Nazaræos. Sed hi non susci- *Numer. 6.*
piebant vota sua cum his opinionibus, quas hactenus diximus nos reprehendere in votis Monachorum. Nazaræorum ritus erat exercitium, aut protestatio fidei coram hominibus, non merebatur remissionem peccatorum coram DEO, non justificabat coram DEO. Deinde sicut nunc circumcisio, aut mactatio victimarum non esset cultus, ita nec ritus Nazaræorum nunc debet proponi tanquam cultus, sed debet judicari simpliciter ἀδιάφορον. Non igitur recte confertur Monachatus sine verbo DEI excogitatus, ut sit cultus, qui mereatur remissionem peccatorum & justificationem, cum ritu Nazaræorum, qui habebat verbum DEI, nec traditus erat in hoc, ut mereretur remissionem peccatorum, sed ut esset exercitium externum, sicut aliæ ceremoniæ legis. Item de aliis votis in lege traditis dici potest.

Allegantur Rechabitæ, qui nec poſſeſſiones habe-
Jerem. 35. bant ullas, nec vinum bibebant, ut ſcribit Jeremias c. 35. Scilicet pulchre quadrat exemplum Rechabitarum ad Monachos noſtros, quorum Monaſteria ſuperant palatia Regum, qui lautiſſime vivunt. Et Rechabitæ in illa omnium rerum penuria, tamen erant conjuges. Noſtri Monachi, cum affluant omnibus delitiis, profitentur cœlibatum. Cæterum exempla juxta regulam, hoc eſt, juxta ſcripturas certas & claras, non contra regulam, ſeu contra ſcripturas interpretari convenit: Certiſſimum eſt autem, obſervationes noſtras non mereri remiſſionem peccatorum, aut juſtificationem. Quare cum laudantur Rechabitæ, neceſſe eſt, eos morem ſuum non ideo ſervaſſe, quod ſentirent, ſe per eum mereri remiſſionem peccatorum, aut opus ipſum cultum eſſe juſtificantem, aut propter quem conſequerentur vitam æternam, non per miſericordiam Dei, propter ſemen promiſſum. Sed quia habuerunt mandatum parentum, laudatur obedientia, de qua extat præceptum Dei: Honora patrem & matrem. Deinde mos habebat finem proprium, quia peregrini erant, non Iſraelitæ, apparet, patrem voluiſſe eos certis notis diſcernere à ſuis popularibus, ne relaberentur ad impietatem popularium. Volebat his notis eos admonere doctrinæ fidei, & immortalitatis. Talis finis eſt licitus. At fines Monaſticæ longe alii traduntur. Fingunt opera Monaſtices cultus eſſe, fingunt ea mereri remiſſionem peccatorum ac juſtificationem. Eſt igitur diſſimile Monaſticæ exemplum Rechabitarum, ut omittamus hic alia incommoda, quæ hærent in præſenti Monaſtica.

Citant & ex priore ad Timotheum cap. 5. de viduis,
1. Tim. 5. 15. quæ ſervientes Eccleſiæ, alebantur de publico, ubi ait: Nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Primum hic fingamus

Apo-

Apoſtolum de votis loqui, tamen hic locus non patrocinabitur Monaſticis votis, quæ fiunt de impiis cultibus,& hac opinione, ut mereantur remiſſionem peccatorum & juſtificationem. Paulus enim tota voce damnat omnes cultus, omnes leges, omnia opera, ſi ita obſerventur, ut mereantur remiſſionem peccatorum, aut ut propter ea conſequamur vitam æternam, non propter Chriſtum per miſericordiam. Ideo neceſſe eſt vota viduarum, ſi qua fuerunt, diſſimilia fuiſſe votis Monaſticis. Præterea ſi non deſinant adverſarii detorquere locum ad vota, detorquendum erit eodem hoc quoque,quod vetat eligi viduam minorem annis ſexaginta. Ita vota ante eam ætatem facta erunt irrita. Sed nondum norat Eccleſia hæc vota. Itaque damnat Paulus viduas, non quia nubunt: Jubet enim *1. Tim. 5, 8.* nubere juniores, ſed quia publico ſumtu alitæ laſciviebant, ideoque fidem abjiciebant. Hoc vocat primam fidem, ſcilicet, non voti Monaſtici, ſed Chriſtianiſmi. Et hoc modo fidem accipit in eodem cap. Si quis proprios,& maxime domeſticos non curat, fidem abnegavit. Aliter enim de fide loquitur, quam Sophiſtæ. Non tribuit fidem his, qui habent peccatum mortale. Ideo dicit hos abjicere fidem, qui non curant propinquos: Et ad eundem modum dicit, mulierculas petulantes fidem abjicere.

Percurrimus aliquot noſtras rationes,& obiter diluimus ea, quæ adverſarii objiciunt. Et hæc colligimus non ſolum propter adverſarios, ſed multo magis propter pias mentes, ut habeant in conſpectu cauſas, quare improbare debeant hypocriſin & fictos cultus Monaſticos,quos quidem totos hæc una vox Chriſti abrogat, cum ait: Fruſtra colunt me mandatis hominum. *Matth. 15, 9.* Quare vota ipſa, & obſervationes ciborum, lectionum, cantuum, veſtitus, calceorum, cingulorum, inutiles cultus ſunt coram DEO. Et certo ſciant omnes piæ mentes, ſimpliciter Phariſaicam & damnatam

opinionem esse, quod illæ observationes mereantur remissionem peccatorum, quod propter eas justi reputemur, quod propter eas consequamur vitam æternam, non per misericordiam propter Christum. Et necesse est sanctos viros, qui in his vitæ generibus vixerunt, abjecta fiducia talium observationum, didicisse, quod remissionem peccatorum propter Christum gratis haberent, quod propter Christum per misericordiam consecuturi essent vitam æternam, non propter illos cultus, quod Deus tantum approbet cultus suo verbo institutos, qui valeant in fide.

XIV.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

Aug. Conf. 37. Art. Sm. 351. Vehementer hic vociferantur adversarii de privilegiis & immunitatibus Ecclesiastici status. Et addunt Epilogum; Irrita sunt omnia, quæ in præsenti articulo contra immunitatem Ecclesiarum & Sacerdotum inferuntur. Hæc est mera calumnia: Nos enim de rebus aliis in hoc articulo disputavimus. Cæterum sæpe testati sumus, nos politicas ordinationes, & donationes Principum & privilegia non reprehendere. Sed utinam vicissim audirent adversarii querelas Ecclesiarum & piarum mentium. Dignitates & opes suas fortiter tuentur adversarii, Interim statum Ecclesiarum negligunt, non curant recte doceri Ecclesias, & Sacramenta rite tractari. Ad Sacerdotium admittunt quoslibet sine discrimine: Postea imponunt onera intolerabilia, quasi delectentur exitio aliorum, suas traditiones longe accuratius servari postulant, quam Evangelium. Nunc in gravissimis & difficillimis controversiis, de quibus populus miser cupit doceri, ut habeat aliquid certi, quod sequatur, non expediunt mentes, quas dubitatio acerbissime cruciat, tantum conclamant ad arma. Præterea

terea in rebus manifeſtis decreta ſanguine ſcripta proponunt, quæ minantur horrenda ſupplicia hominibus, niſi manifeſte contra mandata Dei faciant. Hic viciſſim oportebat vos videre lachrymas miſerorum, & audire miſerabiles querelas multorum bonorum hominum, quas haud dubie reſpicit, & exaudit Deus, cui aliquando rationem procurationis veſtræ reddituri eſtis.

Cum autem nos in confeſſione, in hoc articulo, varios locos complexi ſimus, adverſarii nihil reſpondent, niſi Epiſcopos habere poteſtatem regiminis & coercitivæ correctionis, ad dirigendum ſubditos in finem beatitudinis æternæ. Et ad poteſtatem regiminis, requiri poteſtatem judicandi, definiendi, diſcernendi & ſtatuendi ea, quæ ad præfatum finem expediunt aut conducunt. Hæc ſunt verba confutationis, in quibus docent nos adverſarii, quod Epiſcopi habeant autoritatem condendi leges utiles ad conſequendam vitam æternam. De hoc articulo controverſia eſt.

Oportet autem in Eccleſia retinere hanc doctrinam, quod gratis propter Chriſtum fide accipiamus remiſſionem peccatorum. Oportet & hanc doctrinam retineri, quod humanæ traditiones ſint inutiles cultus, quare nec peccatum, nec juſtitia in cibo, potu, veſtitu, & ſimilibus rebus collocanda eſt, quarum uſum voluit Chriſtus liberum relinqui, cum ait: Quod intrat in os, *Matth. 5, 11.* non coinquinat hominem. Et Paulus: Regnum Dei *Rom. 14, 17.* non eſt eſca, aut potus. Itaque nullum habent jus Epiſcopi condendi traditiones extra Evangelium, ut mereantur remiſſionem peccatorum, ut ſint cultus, quos approbet Deus tanquam juſtitiam, & qui gravent conſcientias, ita ut peccatum ſit eos omittere. Hæc omnia docet vel unus locus in Actis, ubi Apoſtoli dicunt: Fi- *Act. 15, 10.* de purificari corda. Et deinde prohibent imponere jugum, & oſtendunt, quantū periculi ſit, exaggerant pec-

Actor. 15. catum istorum, qui onerant Ecclesiam. Quid tentatis Deum? inquiunt. Hoc fulmine nihil terrentur adversarii nostri, qui vi defendunt traditiones & impias opiniones. Nam & supra damnaverunt articulum XV. in quo posuimus, quod traditiones non mereantur remissionem peccatorum, & hic dicunt, traditiones conducere ad vitam æternam. Num merentur remissionem peccatorum? num sunt cultus, quos approbat Deus, tanquam justitiam? num vivificant corda? Paulus ad Colóssenses, ideo negat prodesse traditiones ad justitiam æternam & vitam æternam, quia cibus, potus, vestitus, & similia sint res usu pereuntes. At vita æterna in corde, rebus æternis, hoc est, verbo Dei & Spiritu Sancto efficitur. Expediant igitur adversarii, quomodo conducant traditiones ad vitam æternam.

Cum autem Evangelium clare testetur, quod non debeant imponi Ecclesiæ traditiones, ut mereantur remissionem peccatorum, ut sint cultus, quos approbet Deus tanquam justitiam, ut gravent conscientias, ita ut omittere eas judicetur esse peccatum: nunquam poterunt adversarii ostendere, quod Episcopi habeant potestatem tales cultus instituendi.

Cæterum quam potestatem tribuat Evangelium Episcopis, diximus in confessione. Qui nunc sunt Episcopi, non faciunt Episcoporum officia juxta Evangelium, sed sint sane Episcopi juxta politiam Canonicam, quam non reprehendimus. Verum nos de Episcopo loquimur juxta Evangelium. Et placet nobis vetus partitio potestatis, in potestatem ordinis, & potestatem Jurisdictionis. Habet igitur Episcopus potestatem ordinis, hoc est, ministerium verbi, sacramentorum, habet & potestatem Jurisdictionis, hoc est, autoritatem excommunicandi obnoxios publicis criminibus, & rursus absolvendi eos, si conversi petant absolutionem. Neque vero habent potestatem Tyrannicam, hoc est,

sine

ſine certa lege, neque regiam, hoc eſt ſupra legem, ſed habent certum mandatum, certum verbum Dei, quod docere, juxta quod exercere ſuam Jurisdictionem debent. Quare non ſequitur, etiamſi habeant aliquam Jurisdictionem, quod poſſint novos cultus inſtituere. Nam cultus nihil pertinent ad Jurisdictionem. Et habent verbum, habent mandatum, quatenus exercere Jurisdictionem debeant, ſcilicet, ſi quis commiſerit adverſus illud verbum, quod acceperunt à Chriſto.

Quanquam nos in confeſſione addidimus etiam, quatenus liceat eis condere traditiones, videlicet, non tanquam neceſſarios cultus, ſed ut ſit ordo in Eccleſia propter tranquillitatem. Et hæ non debent laqueos injicere conſcientiis, tanquam præcipiant neceſſarios cultus, ſicut Paulus docet, cum ait: In libertate, qua Chriſtus vos liberavit, ſtate, nec iterum jugo ſervitutis ſubjiciamini. Oportet igitur liberum uſum talium ordinationum relinqui, modo ut ſcandala videntur, ne judicentur eſſe cultus neceſſarii, ſicut pleraque ordinaverunt ipſi Apoſtoli, quæ tempore mutata ſunt. Neque ita tradiderunt, ut mutare non liceret. Non enim diſſentiebant à ſuis ſcriptis, in quibus magnopere laborant, ne Eccleſiam opprimat opinio, quod ritus humani ſint neceſſarii cultus. *Galat. 5, 1.*

Hæc eſt ſimplex ratio traditionum interpretandarum: videlicet, ut ſciamus, eas non eſſe neceſſarios cultus, & tamen propter vitanda ſcandala in loco ſine ſuperſtitione obſervemus. Et ſic multi docti & magni viri in Eccleſia ſenſerunt: Nec videmus, quid opponi poſſit. Certũ eſt enim, ſententiam illam: Qui vos audit, me audit, non loqui de traditionibus, ſed maxime contra traditiones facere. Non eſt enim mandatum cum libera, ut vocant, ſed cautio de rato, de ſpeciali mandato, hoc eſt, teſtimonium datum Apoſtolis, ut eis de alieno verbo, non de proprio credamus. Vult enim Chriſtus *Luc. 10, 16.*

nos confirmare, quemadmodum opus erat, ut sciremus, verbum traditum per homines efficax esse, nec quærendum esse aliud verbum de cœlo. De traditionibus non potest accipi, qui vos audit, me audit. Requirit enim Christus, ut ita doceant, ut ipse audiatur, quia dicit: Me audit. Igitur suam vocem, suum verbum vult audiri, non traditiones humanas. Ita dictum, quod maxime pro nobis facit, & gravissimam consolationem & doctrinam continet, detorquent isti asini ad res nugacissimas, discrimina ciborum, vestitus, & similia.

Ebr. 13, 17. Citant & hoc: Obedite præpositis vestris. Hæc sententia requirit obedientiam erga Evangelium. Non enim constituit regnum Episcopis extra Evangelium. Nec debent Episcopi traditiones contra Evangelium condere, aut traditiones suas contra Evangelium interpretari. Idque cum faciunt, obedientia prohibetur, juxta illud: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit. Idem respondemus ad hunc locum: Quidquid dixerint, facite, quod constet, non universaliter præcipi, ut omnia recipiamus, quia alibi jubet scriptura plus obedire Deo, quam hominibus. Quando igitur impia docent, non sunt audiendi. Hæc autem impia sunt, quod traditiones humanæ sint cultus Dei, quod sint necessarii cultus, quod mereantur remissionem peccatorum & vitam æternam. Objiciunt & scandala publica, & motus, qui exorti sunt prætextu nostræ doctrinæ. Ad hæc breviter respondemus. Si in unum conferantur omnia scandala, tamen unus articulus de remissione peccatorum, quod propter Christum gratis consequamur remissionem peccatorum per fidem, tantum affert boni, ut omnia incommoda obruat. Et hic initio conciliavit Luthero non tantum nostrum favorem, sed etiam multorum, qui nunc nos oppugnant. Παλαιὰ γὰρ ἔυδει χάρις, ἀμνάμονες δὲ βροτοί inquit Pindarus. Nos tamen neq; deserere veritatem necessariã

Matth. 23, 3.

Galat. 1, 8.

Actor. 5, 29.

Eccle-

Ecclesiæ volumus, neque assentiri adversariis condemnantibus eam possumus. Oportet enim Deo magis obedire, quam hominibus. Isti rationem Schismatis excitati reddent, qui manifestam veritatem initio condemnaverunt, & nunc summa crudelitate persequuntur. Deinde nullane scandala hærent apud adversarios? Quantum mali est in sacrilega prophanatione Missæ ad quæstum collatæ? quanta turpido in cœlibatu? sed omittamus comparationem. Hæc pro tempore respondimus ad confutationem. Nunc judicium permittimus omnibus piis, an adversarii recte glorientur, se confessionem nostram scripturis vere confutasse.

ΤΕΛΟΣ.

ARTICVLI CHRISTIANÆ DOCTRINÆ, QVI A NOSTRIS Concilio, si quod vel Mantuæ vel alibi congregandum fuisset, exhibendi fuerant, indicantes: Quid recipere vel concedere possemus &: quid non: Scripti à D. MARTINO LUTHERO

ANNO 1537.

PRÆFATIO D. MART. LUTH.

CUm Papa Paulus hujus nominis tertius Concilium indiceret anno superiori, circa Pentecosten Mantuæ congregandum, & paulo post ab urbe Mantua alio transferret, (unde nondum constat, quo illud convocare vel velit vel possit) & nobis quoque sperandum esset, ut ad Concilium ipsi etiam vocaremur, vel metuendum, ne non vocati damnaremur: injungebatur mihi, ut Articulos doctrinæ nostræ conscriberem & colligerem, si forte res procederet, ut constaret, quid & quatenus Pontificiis cedere, & in quibus capitibus constanter perseverare & vellemus & possemus.

Conscripsi igitur hosce Articulos, & nostræ parti tradidi. A nostris illi recepti & unanimi confessione approbati sunt, & decretum est, ut Concilio (si quod à Papa & Pontificiis tandem sine mendaciis & fraudibus, vero, legitimo & Christiano modo institueretur, sicut omnino deberet) publice offerrentur, & fidei nostræ confessionem explicarent.

Cum

Cum autem Romana iſta aula ſeu Curia adeo formidet Chriſtianum liberumq; Concilium, & lucem turpiſſime fugiat, ita ut etiam ipſis Pontificiis ſpes Concilii Chriſtiani non tantum convocandi, ſed etiam ferendi & concedendi prorſus ademta ſit, unde ſane offenduntur merito multi Pontificii, & ægre ferunt negligentiam iſtam Papæ, ac inde facile colligunt, malle Papam interitum totius Chriſtianitatis, & damnationem omnium animarum, quam ſui, & ſuorum vel exiguam ſaltem reformationem, & quam tyrannidi ſuæ modum præſcribi patiatur: ideo & nihilominus articulos hos in publicum emittere volui, ut ſi citius ex hac vita evocarer, quam Concilium congregaretur, (quod ita eventurum eſſe, omnino confido & ſpero, cum lucifugi iſti nebulones nimium in protrahendo & impediendo Concilio laborent) ut inquam ii, qui poſt me vivent & remanebunt, teſtimonium & confeſſionem meam haberent & proponere poſſent adjunctam Confeſſioni, quam antea publicavi, in qua hactenus conſtanter permanſi, & permanebo deinceps per Dei gratiam.

Quid enim dicam? Quomodo querelam inſtituam? Adhuc ſuperſtes ſum, ſcribo, contiones habeo, & prælego publice & quotidie: & tamen virulenti homines non tantum ex adverſariis, ſed etiam falſi fratres, qui nobiſcum ſe ſentire ajunt, mea ſcripta & doctrinam meam ſimpliciter contra me adferre & allegare audent, me vivente, vidente, & audiente, etiamſi ſciant, me aliter docere, & volunt virus ſuum meo labore exornare, & miſeros homines meo ſub nomine decipere & ſeducere. Quid ergo, bone Deus, poſt obitum meum fiet?

Deberem quidem ad omnia reſpondere, dum adhuc vivo. Sed quæſo, quomodo omnia diaboli ora obſtruere ſolus poſſum? præſertim eorum (utpote venenatorum omnium) qui nec audire nec attendere volunt, quid ſcribamus, ſed in eo toti ſunt, ut verba noſtra etiam in minutiſſimis literis ſcelerate pervertant & depravent. His

ergo

ergo diabolus respondeat, & tandem iræ Dei, quemadmodum merentur. Sæpe recordor boni Gersonis, dubitantis, num quid boni publice scribendum & proferendum sit : Si scriptio omittitur, multæ animæ neglguntur, quæ liberari potuissent. Si vero illa præstatur, statim diabolus præsto est cum linguis pestiferis & calumniarum plenis, quæ omnia corrumpunt, & veneno inficiunt, ut utilitas scriptorum impediatur. Quid tamen ex ista malitia sua commodi recipiant, manifestum est. Quia enim nos mendaciis perdite onerarunt, & simpliciores per ista mendacia in suo cœtu retinere voluerunt, Deus opus suum subinde promovit, & ipsorum cœtum reddidit minorem, nostrorum vero majorem, ac ipsos ob mendacia confudit, & confundit etiamnum.

Recitabo historiam. Fuit VVitteberge Doctor quidam ex Gallis missus, qui nobis palam indicabat, Regi suo certo certius persuasum esse, apud nos nullam esse Ecclesiam, nullum magistratum, nullum conjugium, sed promiscue omnes pecudum more vivere pro arbitrio. Dic jam, quo vultu nos coram tribunali Christi in ultimo judicio sint aspecturi ii, qui tam crassa & prodigiosa mendacia Regi & aliis regnis per sua scripta inculcarunt seu veritatem ? Christus omnium nostrum Dominus & judex scit ipse, istos mentiri & semper mentitos esse. Hujus sententiam vicissim audire cogentur, quod certo scio. Deus convertat convertendos, ut agant pœnitentiam : ceteros obruet Væ & ab in æternum.

Ut autem redeam ad rem, Optarim ex animo, Concilium Christianum & liberum aliquando congregari, ut multis & rebus & hominibus consuleretur, non quod nos Concilio indigeamus, (nostræ enim Ecclesiæ per Dei gratiam, puritate verbi & vero usu Sacramentorum ac cognitione vocationum & verorum operum, ita sunt illustratæ & constitutæ, ut Concilio opus nobis non sit, nec

à Concilio de his rebus quidquam melius ſperare & expectare poſſimus) ſed quod in Epiſcopatibus videamus paſſim multas parochias plane deſertas & vacuas, ita ut præ dolore cor hominis pii extingui facile poſſit. Et tamen nec Epiſcopi, nec Canonici curant, quomodo miſeri homines vel vivant vel moriantur, pro quibus tamen Chriſtus eſt mortuus, quem miſeri homines ut verum paſtorem cum ovibus ſuis loquentem audire non poſſunt. Et hoc me movet, ut exhorreſcens vehementer metuam, ne Chriſtus ipſe aliquando convocet Concilium Angelicum contra Germaniam, quo funditus deleamur, ſicut Sodoma & Gomorrha, quandoquidem tam temere ipſi illudimus nomine & prætextu Concilii.

Præter hæc tam neceſſaria negotia Eccleſiaſtica, eſſent quoque res magnæ in ſtatu politico corrigendæ, ut diſcordia Principum & ſtatuum. Uſura & avaritia ceu diluvium inundarunt, & ſpecie juris defenduntur. Petulantia, laſcivia, ſuperbia, & luxus ac faſtus in veſtitu, crapula, alea, pompa, vitiorum & ſcelerum concurſus, malitia, contumacia ſubditorum, familiæ, opificum, mercenariorum, ruſticorum aucupia, & iniquiſſima in venditionibus æſtimatio, (& quis recitare poteſt omnia?) adeo accreverunt, ut decem Conciliis & viginti Comitiis politicis corrigi nequeant. Si hæc principalia in Eccleſiaſtico & politico ſtatu, quæ contra Deum ſiunt, in Concilio tractarentur, ſatis ſuperque eſſet, de quibus ageretur, nec opus eſſet ludicris & jocularibus confabulationibus de veſte talari, de inſignibus verticalibus, raſuris & tonſuris, de cingulis latis ſeu baltheis, de Epiſcoporum & Cardinalium infulis, galeris, pileis & baculis, & ſimilibus vanitatibus: Si antea Dei mandatum & voluntatem in Eccleſiaſtico & politico ordine expedivisſemus, ſatis poſtea otii & temporis nobis relinqueretur ad reformationem ciborum, veſtium, cereorum, raſurarum, caſularum, &c. At, quia camelos deglutimus, & interea culices excolamus,

mus, trabes relinquimus, & festucas inquirimus & judicamus, supersedere Concilio possumus.

Paucos igitur Articulos conscripsi. Habemus enim jam antea satis mandatorum Dei in Ecclesia, in politia, in œconomia, quibus satisfacere nunquam possumus. Ad quid ergo prodest copia ista decretorum, traditionum & legum in Concilio, cum præcipua capita à Deo mandata nec curentur, nec serventur? quasi vero Deus in ludicris fabulis nostris acquiescere, & interea sua divina mandata pedibus ut conculcentur, ferre cogatur. Peccata autem nostra nos aggravant, nec sinunt Deum nobis esse propitium, quia pœnitentiam non agimus, & insuper omnem abominationem defendere volumus.

O Domine JESU CHRISTE, indicito & celebra tu ipse Concilium, & libera tuos adventu tuo glorioso. Actum est de Papa & Pontificiis. Hi te non curant. Juva ergo nos miseros & inopes, qui ad te gemimus, & te ex corde quærimus secundum gratiam, quam nobis dedisti, per Spiritum Sanctum tuum, qui tecum & cum Patre vivit & regnat, benedictus in secula, Amen.

PRI-

Digitized by Google

PRIMA PARS DE SUMMIS ARTICULIS DIVINÆ MAJESTATIS.

I.

PATER, Filius, & Spiritus Sanctus, in una divina eſſentia & natura, tres diſtinctæ perſonæ, ſunt unus Deus, qui creavit cœlum & terram. *Aug. Conf. 9. 10. Apol. 50. ſeq.*

II.

Pater à nullo, Filius à Patre genitus eſt, Spiritus Sanctus à Patre & Filio procedit.

III.

Non Pater, non Spiritus Sanctus, ſed Filius homo factus eſt.

IV.

Filius ita factus eſt homo, ut à Spiritu S. ſine virili opera conciperetur, & ex Maria pura, ſancta, ſemper virgine naſceretur. Poſtea paſſus & mortuus eſt, ſepultus, deſcendit ad inferna, reſurrexit à mortuis, aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei, venturus judicare vivos & mortuos, &c. ſicut de his Symbolum Apoſtolicum, & Athanaſianum, & Cathechiſmus noſter puerilis, nos edocent.

De his articulis nulla eſt inter nos & adverſarios controverſia, cum illos utrinque confiteamur: quamobrem non eſt neceſſe, ut pluribus jam de illis agamus.

SE-

SECUNDA PARS EST DE ARTICULIS, QUI OFFICIUM ET OPUS JESU CHRISTI, SIVE REDEMTIONEM NOSTRAM CONCERNUNT.

Hic primus & principalis Articulus est.

Aug. Conf. 9. seq. Apol. 50.

QUod JESUS CHRISTUS, DEUS & Dominus noster, sit propter peccata nostra mortuus, & propter justitiam nostram resurrexerit, Rom. 4.

Rom. 4, 24.

Et quod ipse solus sit Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, Joh. 1. Et quod Deus omnium nostrum iniquitates in ipsum posuerit, Esa. 53.

Joh. 1, 30.

Esa. 53, 4.

Omnes peccaverunt, & justificantur gratis absque operibus seu meritis propriis, ex ipsius gratia, per redemtionem, quæ est in Christo Jesu, in sanguine ejus, Rom. 3.

Rom. 3, 24.

Hoc cum credere necesse sit, & nullo opere, aut lege, aut merito acquiri & apprehendi possit, certum est & manifestum, solam hanc fidem nos justificare, sicut Paulus Rom. 3. inquit: Statuimus, justificari hominem per fidem absque operibus legis. Item: Ut sit ipse justus & justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi.

v. 28.

v. 26.

De

De hoc articulo cedere, aut aliquid contra illum largiri aut permittere nemo piorum potest, etiamsi cœlum & terra, & omnia corruant. Non enim est aliud nomen hominibus datum, per quod salvari possimus (inquit Petrus Actor. 4.) Et per vulnera ejus sanati sumus, Es. 53. Et in hoc articulo sita sunt & consistunt omnia, quæ contra Papam, diabolum & universum mundum in vita nostra docemus, testamur & agimus. Quare oportet nos de hâc doctrina esse certos, & minime dubitare, alioquin actum est prorsus, & Papa & diabolus, & omnia adversa jus & victoriam contra nos obtinent.

II. Articulus de Missa docet.

QVod Missa in Papatu sit maxima & horrenda abominatio, simpliciter & hostiliter è diametro pugnans contra Articulum primum, quæ tamen præ omnibus aliis Pontificiis idololatriis summa & speciosissima fuit. Statuerunt enim, quod sacrificium istud seu opus Missæ, etiam ab impio ac perdito nebulone præstitum, liberet hominem à peccatis cum in hac vita, tum in purgatorio, cum tamen solus agnus Dei nos liberet, ut supra dictum est. Hic nihil permittendum, nec cedendum est, quia prior articulus id non fert. *Aug. Conf. 23. Apol. 210. 269.*

Cum sanioribus Pontificiis placide hoc modo conferri posset. Primum: Quare tam rigidæ Missæ patrocinium suscipiant, cum illa tantummodo sit hominum inventum, à Deo non mandata sit? Hominum vero inventiones tuto omittere possumus, ut Christus testatur Matth. 15. Frustra colunt me mandatis hominum.

Secundo: Res est non necessaria, quæ sine peccato & periculo omitti potest.

Tertio: Sacramentum meliori, ac Deo magis accepto, imo hoc solo accepto, salutari & beato modo

secundum Christi institutionem sumi potest. Cur igitur propter figmentum humanum & non necessarium, cum aliter & rectius res ipsa haberi possit, ad extremas miserias homines cogerentur & adigerentur?

Curetur, ut publice hominibus ostendatur, Missam ut rem commentitiam, seu humanum figmentum posse sine peccato omitti, & neminem damnari, qui Missam non curat, sed etiam sine Missa, meliore ratione homines salvari posse. Sic fiet, ut Missa sit sponte corruitura, non tantum in vulgo rudi, sed etiam in animis omnium piorum, Christianorum, & sanorum: idque multo magis, cum audierint, Missam esse quiddam valde periculosum, sine Dei verbo & voluntate confictum atque inventum.

Quarto. Cum fere innumeri, & inenarrabiles abusus in universo mundo, ex negotiatione Missarum extiterint, abroganda merito Missa est, ut abusus isti removeantur, etiamsi quid utilitatis & boni in se contineret. Quanto magis autem, cum plane inutilis, non necessaria, & periculosa sit, & omnia utilius, atque certius absque Missa haberi possint, eam missam facere debemus, ut abusus istos tertos perpetuo fugiamus?

Quinto. Cum Missa nihil sit aliud, nec aliud esse possit, (sicut Canon & omnes libri pronunciant) quam opus hominum, (etiam impiorum nebulonum) quo opere aliquis seipsum, & alios una cum se ipso, cum Deo reconciliare, remissionem peccatorum & gratiam impetrare & mereri conatur, (sic enim æstimatur Missa, cum maxime prædicatur: ad quid enim alioqui prodesset?) ideo certe damnanda & rejicienda est. Hoc enim directe pugnat cum primario articulo, qui affirmat, non Missificum sacerdotem, vel bonum vel malum, suo opere, sed agnum Dei & Filium Dei tollere peccata nostra.

Quod siquis fucum facere, & prætendere vellet, se ex de-

devotione sibi ipsi communionem exhibere velle, is longe erraret, nec serio & ex animo loqueretur. Communio enim vera & certa est in Sacramento, quæ fit secundum institutionem Christi. Seipsum autem communicare, humana persuasio est, incerta, & non necessaria, imo prohibita. Nescit enim ille, quid faciat, cum absque verbo Dei, opinioni & figmento humano obsequatur. Non etiam recte facit is, (etiamsi res alioqui plana esset) qui Sacramentum proprium Ecclesiæ, extra Ecclesiæ communionem, sine verbo Dei, ex propria quadam devotione & affectione usurpare vult.

In hoc articulo de Missa Concilium potissimum sudabit & consummabitur. Etsi enim possibile esset, ut omnes reliquos articulos nobis concederent, tamen hunc concedere non poterunt, quemadmodum Campegus Augustæ dixit, se prius omnia tormenta, membrorum dilaniationem & mortem passurum, quam Missam missam facturum esse. Et ego etiam, per Dei opem in cineres corpus meum redigi & concremari patiar prius, quam ut Missarium ventrem, vel bonum vel malum, æquiparari Christo Jesu, Domino & Servatori meo, aut eo superiorem esse feram. Sic scilicet in æternum disjungimur, & contrarii invicem sumus. Sentiunt quidem optime, cadente Missa, cadere Papatum. Hoc priusquam fieri patiantur, omnes nos trucidabunt, si poterunt.

Cæterum Draconis cauda ista (Missam intelligo) peperit multiplices abominationes & idololatrias.

Primo purgatorium. Missis enim pro animabus, item, Vigiliis, septimis, & tricesimis, anniversariis exequiis, postremo vulgari septimana, & omnium animarum die, balneis, & quæ his affinia sunt, innumeris aliis phantasiis, irruerunt in purgatorium. Sic Missa propemodum pro solis defunctis fuit celebrata, cum tamen Christus Sacramentum pro solis viventibus instituerit. Quapropter purgatorium, & quicquid ei solennitatis,

cultus & quæstus adhæret, mera Diaboli larva est. Pugnat enim cum primo articulo, qui docet, Christum solum & non hominum opera, animas liberare. Et constat etiam, de mortuis nihil nobis divinitus mandatum esse. Idcirco tuto omitti illud omne potest, etiamsi nihil erroris & idololatriæ ei inesset.

Pontificii allegant Augustinum & quosdam patres, qui de purgatorio scripserint, & non putant nos intelligere, ad quid & quare sic illi locuti sint. Augustinus non scribit esse purgatorium, nec etiam habet testimonium scripturæ, quo nitatur, sed in dubio relinquit, num sit, & inquit, matrem suam petiisse, ut sui commemoratio fieret ad altare sive sacramentum. At hoc in universum nihil, nisi hominum, & quidem unius atque alterius, devotio fuit, non constituens articulum fidei, id quod solius Dei est.

Nostri autem Pontificii sententias istas hominum citant, ut fides habeatur tetris, blasphemis, & maledictis nundinationibus de Missis pro animabus in purgatorio, seu de inferiis, & oblationibus, &c. Sed ex Augustino nunquam ista probabunt. Et cum nundinationes istas, & Missas purgatorio destinatas adoleverint, quæ ne per somnium quidem Augustino in mentem venerunt, colloquemur tandem cum illis: An Augustini dicta, destituta verbo, sint admittenda, & an mortuorum commemoratio ad Eucharistiam sit facienda? Ex patrum enim verbis & factis non sunt extruendi articuli fidei: alioquin etiam articulus fidei fieret victus ipsorum, vestimentorum ratio, domus, &c. quemadmodum cum reliquiis sanctorum luserunt. Regulam autem aliam habemus, ut videlicet verbum Dei condat articulos fidei, & præterea nemo, ne Angelus quidem.

Secundo. Hoc etiam inde evenit, ut cacodæmones malitiam suam exercerent, & ceu animæ defunctorum

rũ apparerent, Missas, vigilias, peregrinationes, & eleemosynas exigerent, horrendis mendaciis & ludibriis: quæ omnia oportuit nos pro articulis fidei recipere, & vitam secundum illa instituere, atque hæc Papa confirmavit, sicut & Missam, & alias abominationes omnes. In his ergo cedere, aut aliquid concedere nec possumus, nec debemus.

Tertio ortæ inde sunt peregrinationes. Ad has etiam postulatæ sunt Missæ, remissio peccatorum, & gratia Dei. Missa enim omnia gubernavit. Constat autem certo, peregrinationes istiusmodi, carentes verbo Dei, nobis mandatas non esse, nec esse necessarias, cum melius ad animæ curam pervenire, & sine peccato & periculo peregrinationes illas omittere possimus. Cum domi vocationes, parochiæ, verbum Dei, uxores & liberi, &c. deseruntur, quorum cura necessaria & mandata est, & non necessarii, incerti, periculosi, & diabolici ignes fere fatui seu errores illis præferuntur? Sic scilicet Satanas Papam dementavit, ut ista laudaret & stabiliret, & multi magno numero à Christo ad propria sua opera desciscerent, & idololatræ fierent, quod omnium pessimum est, cum alioqui res ipsa per se nec necessaria, nec præcepta sit, sed consilio & certitudine destituatur, & plane noxia sit. Quamobrem hic cedere, aut concedere aliquid non licet, &c. Atque hoc pro concione doceatur, peregrinationes istas esse non necessarias, sed pernicioſas, & postea videatur, ubinam peregrinationes maneant. Sic enim sponte corruent.

Quarto. Fraternitates seu societates. Cœnobia enim, Canonicatus, & Vicaristæ, scriptis se obligarunt, & communicaverunt (contractu certo, & emtione confirmata) Missas omnes, & bona opera, &c. pro vivis & mortuis. Hoc non tantum prorsus humanum figmentum est, sine verbo Dei, non necessarium, non

mandatum, sed etiam contra Primarium articulum Redemtionis. Quare nec admittendum, nec ferendum.

Quinto. Reliquiæ sanctorum, refertæ multis mendaciis, ineptiis,& fatuitatibus. Canum & equorum ossa ibi sæpe reperta sunt. Et licet aliquid forte laudandum fuisset, tamen propter impostúras istas, quæ diabolo risum excitarunt,jamdudum damnari debuissent, cum præsertim careant verbo Dei, & non necessariæ & inutiles sint. Estque hoc omnium teterrimum, quod finxerunt, istas reliquias indulgentiam & remissionem peccatorum operari, & loco cultus Dei & boni operis, sicut Missam, illas venerati sunt, &c.

Sexto.Huc pertinent indulgentiæ vivis & defunctis pro pecunia attributæ, quibus sacrilegus & damnatus ille Judas seu Papa,meritum Christi,& merita superflua omnium sanctorum, & totius Ecclesiæ, vendidit, &c. quæ omnia & singula nequaquam ferenda sunt, quia carent verbo Dei,non sunt mandata, non sunt necessaria, sed pugnant cum articulo primo. Meritum enim Christi non nostris operibus,aut nummis,sed per fidem ex gratia apprehenditur & obtinetur, sine pecunia & merito, non per Papæ potestatem, sed per prædicationem verbi Dei oblatum & propositum.

III. DE INVOCATIONE SANCTORUM.

Aug. Conf. 19. Apol. 223.

Invocatio sanctorum est etiam pars abusuum & errorum Antichristi, pugnans cum primo principali articulo, & delens agnitionem Christi. Non etiam est mandata,nec consilio,nec exemplo,nec testimonio scripturæ nititur.Omnia inChristo melius & certius nobis sunt proposita, ut non egeamus invocatione sanctorum, etiamsi res pretiosa esset, cum tamen sit res maxime pernitiosa.

Etsi angeli in cœlo pro nobis orent (sicut ipse quoque

que Chriſtus facit) & ſancti in terris, & fortaſſis etiam in cœlis: tamen inde non ſequitur, Angelos & ſanctos a nobis eſſe invocandos, adorandos, jejuniis, feriis, Miſſis, oblationibus, templorum, altarium, cultuum fundationibus, & aliis modis honorandos, ut patronos & interceſſores, & unicuique eorum certa auxilia eſſe tribuenda, ut Papiſtæ docent & faciunt. Hoc enim Idololatricum eſt, & hic honos ſoli Deo tribuendus eſt. Potes quidem, ut Chriſtianus & ſanctus, in terris pro me orare, non in una tantum, ſed in omni neceſſitate, propterea autem non debeo te adorare, invocare, ferias, jejunia, oblationes, Miſſas in tui honorem & cultum celebrare, & fidem ad ſalutem meam tibi mancipare, cum aliis modis te honorare, diligere, & tibi gratias agere in Chriſto poſſim. Hic ergo idololatricus cultus de Angelis & defunctis ſanctis ſi ſublatus fuerit, reliqua veneratio periculo carebit, & cito oblivioni tradetur. Ubi enim ſpes commodi & ſubſidii corporalis & ſpiritualis ademta fuerit, ibi cultus ſanctorum facile evaneſcet, ſive illi ſint in ſepulcris, ſive in cœlis. Fruſtra enim, aut ex mera caritate, nemo ipſorum facile recordabitur, nec eos colet & honore divino afficiet.

Summatim: Quidquid Miſſa Pontificia eſt, & quidquid habet, quod ex ea natum eſt, & quidquid ei adhæret, id univerſum ferre non poſſumus, ſed damnare cogimur, ut venerandum ſacramentum, purum & certum, ſecundum inſtitutionem Chriſti, per fidem uſurpatum & acceptum, retinere poſſimus.

III. Articulus de Collegiis Canonicorum, Cathredralibus, & monaſteriis.

COllegia Canonicorum & cœnobia, olim optima intentione majorum fundata, ad educandos viros doctos, & caſtas ac modeſtas fœminas, debebant rurſum converti in talem uſum, ut paſtores, con- *Aug. Conf. 3. Apol. 276.*

cionatores, & alii Ecclesiarum ministri haberi possent, item, alii idonei ad politicam administrationem, sive ad rempublicam, in civitatibus & regionibus, ac pie educatæ virgines ad œconomiam & liberorum educationem, &c.

Hunc usum si non retineant, consultum est, ut vasta deserantur, aut diruantur potius, quam ut idololatricis cultibus & figmentis hominum propagata præferantur Christianæ vitæ, & à Deo mandatis officiis & vocationibus. Hæc enim omnia pugnant cum primo principali articulo de Redemtione, facta per Jesum Christum. Quid, quod, sicut alia hominum somnia, non sunt præcepta, non necessaria, non utilia, sed periculosa, & causam præbent vano labori, molestiis periculosis, & cultui infrugifero, quem Prophetæ appellant Aven, id est, dolorem & laborem.

IV. Articulus de Papatu docet.

Quod Papa non sit jure divino, seu secundum verbum Dei caput totius Christianitatis, (hoc enim nomen uni & soli Jesu Christo debetur) sed tantum Episcopus & pastor Ecclesiæ, quæ est Romæ, & eorum, qui voluntarie, & sponte, vel per humanam creaturam, id est, politicum magistratum, se ad eum conferunt, non ut sub ipso, tanquam sub Domino vivant, sed ut cum eo tanquam fratres, collegæ, sodales, & Christiani sint, quemadmodum hoc ipsum vetera Concilia & ætas Cypriani ostendunt.

Hodie vero nullus Episcoporum audet Papam nominare fratrem, ut ætate Cypriani factum est, sed oportet, ut Episcopi, imo Cæsares & Reges, Papam appellent omnium Gratiosissimum Dominum. Hanc arrogantiam bona conscientia nec volumus, nec possumus, nec debemus probare. Qui vero se ei subjicere voluerit, faciat id suo periculo sine nobis.

Hinc

Hinc ſequitur, omnia, quæ Papa ex tam arrogante, temeraria, mendace, blaſphema, & furto arrepta poteſtate ſuſcepit & fecit, & adhuc facit, fuiſſe & eſſe mere diabolica acta & inſtituta, (excepta politici regni adminiſtratione, ubi Deus ſæpe etiam per tyrannos, & perfidos nebulones populo alicubi benefacit) ad perditionem totius ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ ſeu Chriſtianæ (quantum in ipſo eſt) & ad deſtructionem primi & præcipui articuli de redemtione facta per Jeſum Chriſtum.

Proſtant enim omnes ipſius Bullæ & libri, in quibus rugit ut Leo, (ut Angelus Apocal. 12. ſignificat) clamitans, neminem Chriſtianorum poſſe ſalvari, niſi ei obediat, & ſubjectus ſit, in omnibus, quæcunque vult, quæcunque dicit, quæcunque facit. Hoc enim quid aliud dictum eſt, niſi, licet in Chriſtum credas, & omnia, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, in ipſo ſolo habeas, tamen te nihil proficere, niſi Papam habeas & colas ut Deum tuum, & ei ſubditus ſis & obedias? cum tamen manifeſtum ſit, ſanctam Eccleſiam ſine Papa fuiſſe ad minimum ultra quingentos annos, & adhuc hodie Græcorum & multarum aliarum linguarum Eccleſias nec fuiſſe hactenus, nec adhuc eſſe ſub Papa. Taceo, quod, ut ſæpe dictum eſt, hominum hoc figmentum ſit, non mandatum, non neceſſarium, non utile. Sancta enim Chriſtiana ſive Catholica Eccleſia conſiſtere absque iſto capite optime poteſt, & conſtitiſſet certe rectius, ac melius cum ea ageretur, niſi diabolus illud caput in medium projeciſſet & exaltaſſet. Et certum eſt, Papatum nullius eſſe uſus in Eccleſia, quia nullum Eccleſiaſticum officium exercet. Et neceſſe eſt, Eccleſiam permanere & conſiſtere ſine Papa. *Apoc. 12.*

Pono autem, Papam fateri ſe non jure divino, ſive ex mandato Dei eſſe Supremum, ſed, ut concordia & unitas Chriſtianorum adverſus ſectarios & hæreticos

commodius conſervari poſſit, caput certum eſſe eligendum, cui cæteri omnes quaſi innitantur, atque tale caput per homines eligi, & in hominum quoque electione & poteſtate ſitum eſſe, illud caput ut mutet & ſemoveat, ſicut Conſtantienſe Concilium hac propemodum ratione tres Papas removit, & quartum elegit: pono, inquam, hæc à Papa & ſede Romana ita dici & accipi, (quod tamen impoſſibile eſt: ſic enim univerſum ſuum regnum & ſtatum immutari, everti & deſtrui pateretur, omniaque jura & volumina ſua, id quod, ut paucis dicam, nunquam faciet) tamen neque hoc modo conſuleretur Eccleſiæ Chriſtianæ, ſed plures, quam antea, ſectæ orituræ eſſent. Si enim non ex mandato Dei, verum ex hominis libera voluntate Capiti iſti obedientia præſtanda eſſet, facile & brevi tempote contemtum, tandem nullum membrum retineret, nec etiam perpetuo Romæ aut quovis alio in loco illud eſſe oporteret, ſed ubicunque & in quacunque Eccleſia Deus Virum talem, qui ad tantum munus obeundum idoneus eſſet, largiretur. Hæc res perplexa & confuſionis plena futura eſſet.

Quapropter Eccleſia nunquam melius gubernari & conſervari poteſt, quam ſi omnes ſub uno capite, quod eſt Chriſtus, vivamus: Et Epiſcopi omnes, pares officio, (licet diſpares ſint, quoad dona) ſumma cum diligentia conjuncti ſint unanimitate doctrinæ, fidei, ſacramentorum, orationis, & operum caritatis, &c. ſicut S. Hieronymus ſcribit, ſacerdotes Alexandriæ communi opera gubernaſſe Eccleſias. Et Apoſtoli idem fecerunt, ac poſtea omnes Epiſcopi in toto orbe Chriſtiano, donec Papa caput ſuum ſuper omnes attolleret.

Hæc doctrina præclare oſtendit, Papam eſſe ipſum verum Anti-Chriſtum, qui ſupra & contra Chriſtum ſeſe extulit & evexit, quandoquidem Chriſtianos

non

Digitized by Goog

non vult esse salvos sine sua potestate, quæ tamen nihil est, & à Deo nec ordinata, nec mandata est. Hoc proprie loquendo est, se efferre supra & contra Deum, sicut Paulus 2. Thessal. 2. loquitur. Et hoc profecto nec Turcæ nec tartari faciunt, quantumvis sint Christianorum atroces hostes, sed permittunt, ut credat in CHRISTUM, quicunque voluerit, & accipiunt tributum, & obedientiam externam sive corporalem à Christianis. *2. Thess. 2, 4.*

Papa vero prohibet hanc fidem, ajens, sibi obediendum esse, si quis salvari velit. Hoc autem facere nolumus, etiamsi nobis propterea moriendum sit in nomine Domini. Et id in universum inde oritur, quod Papa jure divino voluit esse summum caput Christianæ Ecclesiæ. Ideo seipsum Christo æquiparavit, & supra Christum tandem extulit, & se Caput, deinde Dominum Ecclesiæ, postea totius mundi & simpliciter terrestrem Deum prædicari voluit, donec etiam ipsis Angelis in cœlo præcipere hæc & illa conaretur. Et cum instituitur discrimen inter dogma Papæ, & sacram scripturam, & utriusque fit collatio, manifeste patet, Papæ dogma, etiam optimum, ex civili, Cæsareo, & ethnico jure concinnatum esse, & politica negotia & judicia seu jura tractare, sicut ostendunt Decretales: Deinde proponere Ceremonias de templis, vestibus, cibis, personis, & similibus ludicris, larvis, & jocularibus, supra modum, & inter hæc omnia nihil plane de Christo, fide, & mandatis Dei: Postremo, representare ipsum diabolum, dum mendacia Papalia de Missis, purgatorio, monastica vita, operibus propriis, & cultibus fictitiis (in quibus singulis merus Papatus fundatur & consistit) supra & contra Deum urget & disseminat, & omnes Christianos, qui has Papæ abominationes super omnia prædicare & honorare nolunt, damnat, trucidat, excruciat: Quare sicut 1. 2. 3.

dia-

diabolum ipſum non poſſumus adorare, & pro Domino & Deo colere, ita nec ejus Apoſtolum Papam ſeu Antichriſtum in regno ejus, ut caput & Dominum ferre poſſumus. Mentiri enim & occidere, animas & corpora in æternum perdere, Pontificii regni proprium eſt, ſicut hoc ipſum multis libris evidentiſſime ad oculum demonſtravi.

Hi articuli quatuor ſufficiunt, quos in Concilio ſibi damnandos proponant. Non enim vel minimum punctulum in his articulis nobis concedunt. Et de hoc certos nos eſſe oportet, & præmonitos, ac obfirmatos firma ſpe, Chriſtum Dominum noſtrum irruiſſe in adverſarium ſuum, quem & inſecuturus & confecturus eſt ſpiritu & adventu ſuo, Amen.

Nam in Concilio ſtabimus non coram Cæſare, aut politico magiſtratu, ſicut Auguſtæ Vindelicorum (ubi Cæſar clementiſſimum edictum promulgans, benigne & placide cauſam & rem ipſam audiri volebat) ſed coram Papa, ac ipſo diabolo comparebimus, qui nihil audire vult, ſed ſimpliciter indicta cauſa damnare, occidere, & ad idololatriam vi cogere. Quare hic non ſunt nobis exoſculandi pedes ejus, nec dicendum, Gratioſiſſimus Dominus es, ſed quemadmodum in Zacharia Angelus ad Satanam dicebat: Increpet Dominus te, Satana.

Zach. 3, 2.

(○)

TER-

Digitized by Google

TERTIA PARS ARTICULORUM.

De sequentibus articulis agere poterimus cum doctis & prudentibus Viris, vel etiam inter nos ipsos. Papa & regnum Pontificium illos non magnopere curant. Conscientia enim apud eos nihil est, sed pecunia, gloria, honores, potentia, ipsis sunt omnia.

I. DE PECCATO

HIc confitendum nobis est, ut Paulus Rom. 5. affirmat, peccatum ab uno homine Adamo ortum esse & introiisse in mundum, per cujus inobedientiam omnes homines facti sunt peccatores, morti & diabolo obnoxii. Hoc nominatur originale, hæreditarium, principale, & capitale peccatum. *Aug. Conf. 9. Apol. 50. seq. Rom. 5, 11.*

Hujus peccati fructus postea sunt mala opera in decalogo prohibita, ut sunt diffidentia, incredulitas, falsa fides sive κακοπιστία, idololatria, sine Dei timore esse, præsumtio seu temeritas, desperatio, cœcitas seu excœcatio, &, ut summatim dicam, Deum non agnoscere, non curare: Deinde, mentiri, nomine Dei abuti, pejerare, non orare, non invocare, verbum Dei contemnere vel negligere, parentibus immorigerum esse, occidere, lascivire, furari, decipere, &c.

Hoc peccatum hæreditarium tam profunda & tetra est corruptio naturæ, ut nullius hominis ratione intelligi possit, sed ex scripturæ patefactione agnoscenda & credenda sit, Psal. 51. Rom. 3. Exod. 33. Quapropter meri sunt errores, & caligines contra hunc articulum, scholasticorum doctorum dogmata, quibus docetur: *Psal. 51, 7. Rom. 5, 12.*

Post

Aug. Conf. 14. Apol. 217.

Poſt Adæ lapſum, hominis naturales vires manſiſſe integras & incorruptas, & Hominem naturaliter habere rationem rectam, & bonam voluntatem, ſicut philoſophi docent.

Et: Hominem habere liberum arbitrium faciendi bonum, & omittendi malum, & econtra, omittendi bonum, & faciendi malum.

Item: Hominem poſſe naturalibus viribus omnia mandata Dei ſervare & facere.

Et: Poſſe naturalibus viribus DEUM ſuper omnia diligere, & proximum, ſicut ſeipſum.

Item: Si faciat homo, quantum in ſe eſt, Deum largiri ei certo ſuam gratiam.

Et: Si accedere velit homo ad Euchariſtiam, non opus eſſe bono propoſito recte faciendi, ſed ſufficere, ſi non adſit malum propoſitum peccandi: tam bonam ſcilicet eſſe naturam, & tantam eſſe vim ſacramenti.

Item: Non poſſe ex ſcriptura probari, ad bonum opus neceſſario requiri Spiritum Sanctum & ejus gratiam.

Talia & ſimilia portenta, orta ſunt ex inſcitia, & ignorantia peccati, & Chriſti ſervatoris noſtri: ſuntque vere & mere ethnica dogmata, quæ tolerare non poſſumus. Si enim iſta approbantur, Chriſtus fruſtra mortuus eſt, cum nullum peccatum & damnum ſit in homine, pro quo mori eum oportuerit; aut ſolummodo pro corpore mortuus diceretur, non pro anima, quandoquidem anima prorſus ſana, & ſolum corpus morti obnoxium) perhiberetur.

II. De Lege.

SEntimus, Legem à Deo datam eſſe, primum ut peccatum prohiberetur comminationibus, & metu pœnarum. Item, promiſſione & annunciatione gratiæ

&

& beneficiorum. Sed hæc omnia propter malitiam, quam peccatum in homine effecit, male ceſſerunt. Quidam enim inde deteriores redditi fuerunt, qui ſcilicet legem oderunt prohibentem ea, quæ facere ipſi mallent, & præcipientem, quæ gravatim præſtant. Quare, niſi pœna coerceantur, plura patrant contra legem, quam antea. Atque hi ſunt mali, effrenes, & ſecuri homines, qui perpetrant mala, quoties occaſionem aliquam offerri ſibi animadvertunt.

Quidam vero arrogantia & cœcitate percutiuntur, & inſolenti opinione tenentur, ſe ſervare, & poſſe ſervare legem viribus ſuis, ſicut jam paulo ante de ſcholaſticis doctoribus dictum eſt. Hinc hypocritæ & juſtitiarii, ſeu in ſpeciem ſancti, proveniunt.

Præcipuum autem officium & ἐνέργεια legis eſt, ut peccatum originale & omnes fructus ejus revelet, & homini oſtendat, quam horrendum in modum natura ejus lapſa ſit, & funditus ac totaliter depravata, ita, ut lex ei dicat, hominem nec habere, nec curare Deum, & adorare alienos Deos: id quod antea & ſine lege homo non credidiſſet. Hac ratione perterrefit, humiliatur, proſternitur, deſperat de ſeipſo, & anxie deſiderat auxilium, nec ſcit, quo fugiat, incipit iraſci Deo, & obmurmurare præ impatientia. Hoc eſt, quod Paulus inquit Rom. 4. Lex iram operatur. Et Rom. 5. Lex auget peccatum. Lex ſubintravit, ut abundaret delictum. *Rom. 4, 15. Cap. 5, 21.*

III. DE POENITENTIA.

HOc officium Legis retinetur in novo Teſtamento, & in eo exercetur, ut Paulus Rom. 1. facit inquiens: Ira Dei de cœlo revelatur ſuper omnes homines. Et 3. Omnes ſunt rei coram Deo. Nemo homi- *Aug. Conf. 12. Apol. 161. Rom. 1, 18. Cap. 3, 12.*

num

Joh. 16, 8. num justus est coram Deo. Et Christus Joh. 16. inquit: Spiritus Sanctus arguet mundum de peccato.

Hoc igitur fulmen est Dei, quo & manifestos peccatores, & hypocritas prosternit, & nullum justum pronunciat, sed omnes ad terrorem & desperationem adi-
Jerem. 23, 29. git. Hic malleus est, ut Hieremias inquit: Verbum meum quasi malleus conterens petras. Hæc non est activa contritio, seu factitia, & accersita, sed passiva contritio, conscientiæ cruciatus, vera cordis passio, & sensus mortis.

Sic scilicet incipit vera pœnitentia. Et hic homo audit sententiam promulgari dicentem: Quotquot estis, nihil estis, sive manifesti peccatores, sive opinione vestra sancti sitis. Omnes vos alios fieri oportet, & aliter operari, quam quales nunc estis, & sicut jam operamini, qualescunque sane sitis, magni, sapientes, potentes, sancti. In summa, hic nemo justus, sanctus, pius est.

Huic officio Novum Testamentum statim adjungit consolationem & promissionem gratiæ Evangelii, cui
Marc. 1, 15. credendum est, sicut Christus inquit Marc. 1. Agite pœnitentiam, & credite Evangelio, id est, fiatis alii, & faciatis aliter, & credatis meæ promissioni. Et ante Christum Johannes nominatur præco pœnitentiæ, sed ad remissionem peccatorum, hoc est, Johannes omnes arguit, & peccatores esse evicit, ut scirent, quid coram Deo essent, & seipsos agnoscerent, ut perditos homines, atque ita Deo appararentur ad gratiam amplectendam, & remissionem peccatorum ab eo sperandam & accipiendam. Sic etiam Christus Luc. 24.
Luc. 24, 47. ipse inquit: In nomine meo ubique prædicanda, est pœnitentia & remissio peccatorum inter omnes gentes.

Quando autem lex hoc officium suum sola exercet, sine Evangelio, nihil aliud, nisi mors & infernus hominem opprimunt, prorsus desperantem, ut Saulem & Judam,

dum, ſicut Paulus teſtatur, legem per peccatum hominem morti tradere. Econtra Evangelium adfert conſolationem & remiſſionem, non uno tantum modo, ſed per verbum, Sacramenta, & ſimiliter, quemadmodum audiemus paulo poſt, ut ita redemtio apud Deum ſit copioſa, ut in 130. Pſalmo ſcriptum eſt, contra horrendam captivitatem peccati. *Rom. 7, 23.* *Pſal. 130, 7.*

Nunc porro falſam pœnitentiam ſophiſtarum cum vera pœnitentia conferemus, ut utraque melius intelligi poſſit.

DE FALSA POENITENTIA PONTIFICIORUM.

IMpoſſibile fuit, Pontificios recte docere de pœnitentia, cum verum peccatum non recte agnoverint. Nam, ut ſupra oſtenſum eſt, de peccato originali non recte ſentiunt, quia ajunt, naturales vires hominis manſiſſe omnino integras & corruptas, & rationem recte poſſe docere, ac voluntatem poſſe ea, quæ docentur, præſtare, & Deum certo donare ſuam gratiam, cum homo tantum facit, quantum in ſe eſt, ſecundum liberum ſuum arbitrium.

Ex hoc dogmate ſequitur, tantum ob actualia peccata agendam eſſe pœnitentiam, ut ſunt, malæ cogitationes, quibus homo obtemperat, (concupiſcentia enim, vitioſi affectus, inclinatio, libido & affectio prava ſecundum illos non ſunt peccata) ſermones mali, mala opera, quæ voluntas libera omittere potuiſſet.

Huic pœnitentiæ adjungunt tres partes, Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem, addita grandi conſolatione & pollicitatione remiſſionis peccatorum, meriti, expiationis peccatorum, ac plenariæ redemtionis coram Deo, ſi homo vere doleat, confiteatur, & ſatisfaciat. Sic in pœnitentia homo ad fiduciam propriorum operum ducitur. Hinc orta eſt vox; quæ in ſuggeſtis, cum prælegeretur vulgo publica abſolutio,

usurpata fuit: Prolonga Deus vitam meam, donec pro meis peccatis satisfecero, & vitam meam emendavero.

Hic altum fuit silentium de Christo & fide, & tantum opinio & spes fuit de propriis operibus, quibus peccata coram Deo delerentur. Et hanc ob causam facti sumus sacrifici & Monachi, ut nos ipsos peccato opponeremus.

Quod ad contritionem attinet, cum nemo posset omnia peccata sua in memoria retinere, præsertim per integrum annum commissa, centones hos assuebant, si memoria peccati absconditi forte recurreret, etiam illud sufficiente contritione deflendum & confitendum esse, &c. Interea Dei gratiæ homo committebatur.

Cum etiam nemo sciret, quanta contritio esse deberet, quæ coram Deo sufficeret, dicebant, si quis contritionem non haberet, eum saltem attritionem habere oportere, id est, dimidiam quasi contritionem, vel initium contritionis. Hæc vocabula ipsi nec intellexerunt, nec intelligunt, minus quam ego. Et attritio reputabatur pro contritione, venientibus ad confessionem.

Et cum quis diceret, se non posse habere contritionem, seu non dolere posse ob peccata sua (ut fieri potuit in illicito amore, aut vindictæ cupiditate, & cæteris) interrogabant, an is non optaret, & cuperet dolere? Respondenti, cupere se, (quis enim, nisi ipse diabolus, negaret se cupere?) accipiebant hoc pro contritione, & remittebant peccata propter hoc bonum ipsius op9, quod nomine Contritionis ornabant. Hic allegabant exemplum Bernhardi, &c.

Videmus autem, quam palpet & titubet cæca ratio in rebus divinis, & consolationem quærat in propriis operibus pro sua opinione, & Christi & fidei prorsus obliviscatur. Quod si res ipsa perspicue consideretur, contritio ista est factitia & fictitia cogitatio seu imaginatio ex propriis viribus, absque fide, absque agnitione

ne Christi. Et in ista contritione miser peccator forte recordans sua flammæ, & cupiditatis vindictæ, vel ridere, vel lachrymare potius potuit, quam aliud cogitare, exceptis iis, qui vel legis fulmine tacti, vel à diabolo spiritu tristitiæ afflicti fuerunt. His, inquam, exceptis, contritio ista fuit mera hypocrisis, & peccati flammas non mortificavit. Oportuit enim homines dolere, cum libentius peccassent, si liberum ipsis fuisset.

CONFESSIO sic instituebatur, ut homines juberentur omnia sua peccata enumerare, (quod factu impossibile est) hæc ingens carnificina fuit. Et si quis quorundam peccatorum oblitus esset, is eatenus absolvebatur, ut si in memoriam illa recurrerent, ea postea confiteretur. Nemo igitur scire potuit, num unquam sufficienter, pure, & recte confessus esset, & quando confessionis finis futurus esset. Et tamen nihilominus ducebantur homines ad propria sua opera, & hæc consolatio ipsis proponebatur: Quo confessio esset purior, magis ingenua & aperta, pudore & ignominia coram sacerdote suffusa, eo satisfactionem pro peccato esse pleniorem, & humilitate illa certo ac merito gratiam Dei impetrari.

Nulla hic fides, nullus Christus erat. Et virtus absolutionis non explicabatur confitenti, sed consolatio ejus in enumeratione peccatorum & pudefactione consistebat. Nemo autem recitare potest miserias, carnificinas, fraudes & idololatrias ex Confessione ista natas.

Cæterum SATISFACTIO longe perplexior est. Nemo enim scire poterat, quantum faciendum esset pro uno tantum peccato, nedum pro omnibus. Hic arte utebantur, & parum satisfactionum imponebant, quæ etiam facile servari poterant, ut quinque orationes Dominicas, jejunium unius diei, &c. cætera, quæ in pœnitentia desiderari dicebant, relegabant ad purgatorium.

Hic quoque magna calamitas oriebatur. Quidam enim metuebant, se in æternū ex purgatorio non libe-

rari posse, cum secundum veteres Canones, pro uno peccato mortali pœnitentia septennis seu septem annorum constituta esset. Et tamen fiducia semper collocata erat in nostro opere satisfactionis, ac si satisfactio potuisset esse perfecta, tota fiducia in eam conjecta fuisset, nec opus fuisset Christo & fide. At impossibilis illa erat. Et si quis centum annos pœnitentiam ista ratione exercuisset, nondum certus tamen de sufficientia, perfectione, & fine pœnitentiæ suæ fuisset. Hoc scilicet erat perpetuo pœnitere, & nunquam ad pœnitentiam pervenire.

Hac de causa sedes ista Romana sancta miseræ Ecclesiæ subveniebat, & indulgentias effingebat, quibus remittebatur, & abolebatur expiatio seu satisfactio, primum particulatim, ad annos septem, centum, &c. & eas distribuebat inter Cardinales, & Episcopos, ita, ut quidam annos centum, quidam ad dies centum indulgentiam conferrent. Totam autem satisfactionem relaxandi, potestatem sibi reservabat.

Hac ratione cum accresceret pecunia, & nundinatio bullarum esset fructuosa, excogitavit annum aureum, Jubilæum, vere auriferum (**Jubeljar / Güldenjar**) quem Romæ celebrari voluit. Hunc appellabat remissionem omnis culpæ & pœnæ. Accurrebant igitur plurimi, quia ab onere molestissimo liberari unusquisque cupiebat. Hoc erat effodere & conquirere thesauros terræ. Mors Papa annos aureos multiplicabat, & alium supra alium accumulabat, & quo plus auri devorabat, eo plus fauces ipsius appetebant.

Ideoque per legatos suos mittebat annos istos passim in provincias, quoad omnia templa & domus annis aureis opplerentur. Tandem irruebat etiam in purgatorium ad defunctos, primum, Missarum & Vigiliarum fundatione, deinde indulgentiis, & anno aureo, & animas tam vili pretio æstimabat, ut unam pro sex nummis liberam pronuncians dimitteret. Ne-

Digitized by Google

Neque tamen hoc quoque ſufficiebat. Papa enim etſi jubebat homines indulgentiis iſtis tuto fidere ad ſalutem, tamen ipſe rem univerſam denuo incertam, in dubium vocabat. Nam in bullis ſuis ſcribit: Eum, qui indulgentiarum ſeu Jubilæi anni particeps fieri velit, oportere contritum, & confeſſum eſſe, ac pecuniam numerare. Audivimus autem ſupra, Contritionem & confeſſionem illorum eſſe incertam & hypocriticam. Nemo etiam ſciebat, quæ anima in purgatorio eſſet, ac ſi quæ in eo eſſe dicebantur, nemo ſciebat, quæ recte & contritæ & confeſſæ fuiſſent. Sic Papa ſanctum denarium corradebat, & interea ducebat homines ad fiduciam poteſtatis & indulgentiarum ſuarum, & rurſum inde abducebat ac remittebat ad incerta ipſorum opera & merita.

Cumque nonnulli eſſent, qui ſe actualium peccatorum iſtorum vel cogitationibus, vel verbis, vel factis commiſſorum non agnoſcebant reos, quemadmodum ego & mei ſimiles in monaſteriis & fundationibus, ſeu ſacerdotum ſodalitiis, ſeu Collegiis monachi & flamines, jejuniis, vigiliis, orationibus, Miſſarum celebrationibus, duris lectiſterniis & veſtibus, &c. reſiſtere conabamur malis cogitationibus, & violenter ſancti eſſe volebamus, & licet innatum malum ſæpe etiam inter dormiendum (ſicut Auguſtinus & Hieronymus & alii quoque conqueruntur) naturam ſuam exereret, tamen nos mutuo ſanctos eſſe æſtimabamus, ſicut docebamus, ſine peccato, & plenos operum bonorum, usque adeo, ut bona opera noſtra etiam aliis, quaſi ſuperflua in nobis ad ſalutem conſequendam, communicaremus & venderemus, id quod ita factum eſſe, teſtantur ſigilla, literæ, exempla, quæ extant.

Cum igitur, inquam, tales eſſent, hi pœnitentia non indigebant. Quæ enim contritio poterat eſſe in iis, qui malis cogitationibus non aſſentirentur? Quæ

confessio de verbis non prolatis? Quæ satisfactio pro non factis, seu pro innocentia, qua aliis miseris peccatoribus superabundans justitia vendi poterat? Tales hypocritæ & sancti erant tempore Christi etiam Pharisæi & Scribæ.

Hic exurgit Angelus ille igneus B. Johannes, præco vetus veræ pœnitentiæ, & tonitru ac fulmine uno ferit ambos (vendentes & ementes opera) inquiens:
Matth. 3, 2. Agite pœnitentiam. Attamen egimus pœnitentiam, ajunt miseri illi. Cæteri vero dicunt, non indigemus pœnitentia. Johannes autem inquit: Ambo agite pœnitentiam, quia falsi estis pœnitentiarii, & cæteri sunt falsi sancti seu hypocritæ, & ambo indigetis remissione peccatorum, cum nondum sciatis, quid sit vere peccatum, nedum, ut de eo pœnitere, & fugere illud possitis. Nullus vestrum bonus est, pleni estis incredulitate, ruditate & ignorantia Dei & voluntatis Dei. Præsens enim hic coram adest, de cujus plenitudine nos omnes accipere oportet gratiam pro gratia. Et nemo hominum sine ipso coram Deo justus esse potest. Quare si pœnitentiam agere volueritis, recte illam agite: vestra pœnitentia nulla est. Et, vos hypocritæ, qui non egetis pœnitentia, vos genimina viperarum, quis vos certos reddidit, ut fugeretis à ventura ira? &c.

Rom. 3, 12. Eodem modo etiam Paulus Rom. 3. concionatur: Non est justus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum; non est, qui faciat bonum, ne unus quidem. Omnes declinaverunt, & inutiles facti sunt.
Actor. 17, 30. Et Act. 17. Nunc Deus annunciat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant: Omnes dicit, nemine excepto, qui modo homo est. Hæc pœnitentia docet nos agnoscere peccatum, videlicet, de nobis omnibus plane actum esse, & intus & in cute nihil boni in nobis esse, & simpliciter fieri nos alios & novos homines oportere.

Hæc

Hæc pœnitentia non eſt partialis, & mutilata, qualis eſt iſta actualium peccatorum, nec etiam eſt incerta, qualis iſta eſt. Non enim diſputat, utrum ſit peccatum, vel non peccatum, ſed totum proſternit, & affirmat, univerſum & merum eſſe peccatum quoad nos (& nihil eſſe in nobis, quod non ſit peccatum ſive reum.) Quid enim diu quærere, partiri & diſtinguere volumus? Quamobrem etiam contritio hic non eſt dubia aut incerta. Nihil enim remanet, quo aliquid boni cogitare poſſimus ad expiandum peccatum, ſed abjicienda nobis eſt omnis ſpes de omnibus, quicquid ſumus, quicquid cogitamus, loquimur & facimus, &c.

Similiter Confeſſio quoque non poteſt eſſe falſa, incerta, manca, aut mutila. Qui enim confitetur, totum in ſe eſſe merum peccatum, is comprehendit omnia peccata, nullum excludit, nullius obliviſcitur. Sic & ſatisfactio non poteſt eſſe incerta, quia non eſt noſtrum incertum & peccato contaminatum opus, ſed eſt paſſio & ſanguis immaculati & innocentis Agni Dei, qui tollit peccata mundi.

De hac pœnitentia concionatur Johannes, deinde Chriſtus in Evangelio, & nos etiam. Et hac pœnitentiæ concione deſtruimus Papam, & omnia, quæ nituntur noſtris bonis operibus. Omnia enim fundamento putri & vano inſiſtunt, quod appellatur, bonum opus ſive lex, cum tamen nullum bonum opus adſit, ſed tantum mala opera, & nemo faciat legem, (ut Chriſtus Joh. 7. teſtatur, ſed omnes eam transgrediantur. Quare ædificium, quod ſuperſtruitur, tantummodo mendacium & hypocriſis eſt, etiam qua in parte ſanctiſſimum & formoſiſſimum eſt. *Joh. 7, 19. ſeq.*

Hæc pœnitentia in Chriſtianis durat usq; ad mortem, quia luctatur cum peccato reſiduo in carne per totam vitam, ſicut Paulus Rom. 7. oſtendit, ſe belligerari cum lege membrorum ſuorum, &c, idque non propriis viribus, ſed dono Spiritus S., quod remiſſionem peccatorum *Rom. 7, 18.*

ſequitur,& quotidie reliquias peccati purgat & expellit, & in eo eſt, ut hominem purificet, rectificet, ſanctificet.

De tantis rebus Papa, Theologi, Juriſtæ,aliique homines ex ratione ſua nihil norunt, ſed hæc doctrina eſt è cœlo per Evangelium patefacta, & ab impiis ſanctis ſeu hypocritis pro hæreſi protlamatur.

Cæterum,ſi ſectarii quidam orirentur,quorum nonnulli jam forſan adſunt & tempore ſeditionis ruſticanæ mihi ipſi in conſpectum veniebant, ſentientes: Omnes eos, qui ſemel Spiritum aut remiſſionem peccatorum accepiſſent, & credentes facti eſſent, etſi deinde peccarent,manere tamen in fide,& peccatum ipſis nihil obeſſe. Hinc voces ipſorum: Fac,quidquid lubet,modo credas, nihil tibi nocet, fides omnia peccata delet,&c. Addunt præterea : Si quis poſt fidem & Spiritum acceptum peccet, eum nunquam Spiritum & fidem vere habuiſſe. Et tam inſanos homines vidi & audivi multos, & vereor, ne adhuc in nonnullis dæmon iſte latitans habitet.

Si igitur, inquam, tales impoſterum etiam orirentur,ſciendum & docendum eſt: Quod ſi ſancti,qui originale peccatum adhuc habere ſe ſentiunt, & quotidie de eo pœnitent,& cum eo luctantur, inſuper ruant in manifeſta peccata, ut David in adulterium, homicidium,& blaſphemiam, eos excutere fidem & Spiritum Sanctum, & abeſſe tum ab ipſis fidem & Spiritum Sanctum. Spiritus enim Sanctus non ſinti peccatum dominari,invaleſcere, & victoriam obtinere, ac conſummari, ſed reprimit & coercet, ne facere poſſit, quod vult. Si vero facit, quod vult,certe Spiritus S. & fides amittuntur, nec ſimul adſunt. Sic enim inquit Johannes: Qui ex Deo natus eſt, non peccat, & peccare non poteſt.Et tamen etiam hoc verum eſt,quod idem Johannes dicit : Si dicimus,nos peccatum non habere, mentimur, & veritas Dei non eſt in nobis.

1. Joh. 3, 9.

Cap. 1. v. 1.

IV. De

IV. De Evangelio.

NUNC ad Evangelium redibimus, quod non uno modo consulit & auxiliatur nobis contra peccatum. Deus enim superabundanter dives & liberalis est gratia & bonitate sua, primum per verbum vocale, quo jubet prædicari remissionem peccatorum in universo mundo. Et hoc est proprium officium Evangelii. Secundo per Baptismum. Tertio per venerandum sacramentum Altaris. Quarto per potestatem clavium, atque etiam per mutuum colloquium & consolationem fratrum, Matth. 18. Ubi duo aut tres fuerint congregati, &c. *Matth. 18, 20.*

V. De Baptismo.

BAPTISMUS nihil est aliud, quam verbum Dei cum mersione in aquam, secundum ipsius institutionem & mandatum, sive, ut Paulus inquit, lavacrum in verbo, sicut & Augustinus ait: Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum. Quare non sentimus cum Thoma & monachis prædicatoribus seu Dominicanis, qui verbi & institutionis Dei obliti dicunt, Deum spiritualem virtutem aquæ contulisse & indidisse, quæ peccatum per aquam abluat. Non etiam facimus cum Scoto & Minoritis seu Monachis seu Franciscanis, qui docent, baptismo ablui peccatum ex assistentia divinæ voluntatis, & hanc ablutionem fieri tantum per Dei voluntatem, & minime per verbum & aquam. *Aug. Conf. 12. Apol. 156. Cat. Min. 346. Cat. Maj. 401. Eph. 5, 26.*

De pædobaptismo docemus, infantes esse baptizandos. Pertinent enim ad promissam redemtionem per Christum factam. Et Ecclesia debet illis baptismum, & promissionis illius annunciationem.

Digitized by Google

VI. De Sacramento Altaris.

Aug. C. 12. 21. Apol. 157. 233. Cat. Min. 380. Cat. Maj. 492.

DE Sacramento Altaris ſentimus, Panem & vinum in cœna eſſe verum corpus & ſanguinem Chriſti, & non tantum dari, & ſumi à piis, ſed etiam ab impiis Chriſtianis.

Et non tantum unam ſpeciem eſſe dandam: Non enim indigemus doxoſophia iſta, quæ nos doceat, ſub una ſpecie tantum eſſe, quantum ſub utraque, ſicut Sophiſtæ & Concilium Conſtantienſe docent. Etſi enim verum eſſe forte poſſit, quod ſub una tantum ſit, quantum ſub utraque, tamen una ſpecies non eſt tota ordinatio & inſtitutio per Chriſtum facta, tradita & mandata. Inprimis vero damnamus & execramur in nomine Domini omnes eos, qui non tantum utramque ſpeciem omittunt, verum etiam tyrannice eam prohibent, damnant, & blaſphemant ut hæreſin, & ita ſe ipſos ſupra & contra Chriſtum Dominum & Deum noſtrum extollunt, opponentes & præponentes ſe Chriſto, &c.

De Transſubſtantiatione ſubtilitatem Sophiſticam nihil curamus, qua fingunt, panem & vinum relinquere & amittere naturalem ſuam ſubſtantiam, & tantum ſpeciem & colorem panis, & non verum panem remanere. Optime enim cum ſacra ſcriptura congruit, quod panis adſit, & maneat, ſicut Paulus ipſe nominat: Panis quem frangimus. Et: Ita edat de pane.

1. Cor. 11. v. 28.

VII. De Clavibus.

CLAVES ſunt officium & poteſtas Eccleſiæ à Chriſto data, ad ligandum & ſolvendum peccata, non tantum enormia & manifeſta, ſed etiam ſubtilia, abſcondita, ſoli DEO nota, ſicut Pſal. 19. ſcriptum eſt: Delicta quis intelligit? Et Rom. 7. Paulus conqueritur,

Pſal. 19, 13. Rom. 7, 25.

tur, se carne servire legi peccati. Non enim penes nos est, sed solius Dei est judicare, quæ, quanta & quotuplicia sint peccata, ut scriptum est Psal. 143. Ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur coram te omnis vivens. Et Paulus 1. Cor. 4. inquit: Nullius quidem mihi conscius sum, sed per hoc non justificatus sum. *Psal. 143, 2.* *1. Cor. 4, 4.*

VIII. De Confessione.

CUM ABSOLUTIO & virtus clavium, etiam sit consolatio & auxilium contra peccatum & malam conscientiam, in Evangelio ab ipso Christo instituta, nequaquam in Ecclesia confessio & absolutio abolenda est, præsertim propter teneras & pavidas conscientias, & propter juventutem indomitam, & petulantem, ut audiatur, examinetur, & instituatur in doctrina Christiana. *Aug. C. 11. 27. Apol. 158. 122.*

Enumeratio autem peccatorum debet esse unicuique libera, quid enumerare aut non enumerare velit. Quamdiu enim in carne sumus, non mentiemur confitentes & dicentes: Agnosco, me miserum esse peccatorem, & scatere peccatis, Rom. 7. Sentio aliam legem in membris meis, &c. Et cum Absolutio privata ab officio clavium oriatur, negligenda non est, sed maximi facienda, sicut & alia officia Christianæ Ecclesiæ magnifacienda sunt. *Rom. 7, 23.*

Et in his, quæ vocale & externum Verbum concernunt, constanter tenendum est, Deum nemini Spiritum vel gratiam suam largiri, nisi per Verbum, & cum verbo externo & præcedente, ut ita præmuniamus nos adversum Enthusiastas, id est, spiritus, qui jactitant, se ante verbum & sine verbo Spiritum habere, & ideo scripturam sive vocale verbum judicant, flectunt & reflectunt pro libito, ut faciebat Monetarius, & multi adhuc hodie, qui acute discernere volunt inter Spi-

Spiritum & literam, & neutrum norunt, nec quid ſtatuant, ſciunt. Quid, quod etiam Papatus ſimpliciter eſt merus Enthuſiaſmus, quo Papa gloriatur, omnia jura eſſe in ſcrinio ſui pectoris, & quidquid ipſe in Eccleſia ſua ſentit & jubet, id Spiritum & juſtum eſſe, etiamſi ſupra & contra ſcripturam & vocale verbum aliquid ſtatuat & præcipiat.

Hoc in univerſum antiquus eſt Satanas & ſerpens, qui etiam Adamum & Evan in Enthuſiaſmum conjiciebat, & ab externo verbo Dei ad ſpiritualitates & proprias opiniones abducebat, id quod tamen & ipſe per alia externa verba perficiebat, perinde ac hodie noſtri Enthuſiaſtæ externum verbum damnant, & tamen ipſi non ſilent, ſed mundum garrulitatibus & ſcriptionibus implent, quaſi vero ſpiritus per ſcripta & vocale verbum Apoſtolorum venire nequeat, ſed per ipſorum verba & ſcripta primum veniat. Cur ergo non ipſi etiam omittunt ſuas conciones & ſcriptiones, donec Spiritus ipſe ad homines, ſine ipſorum ſcriptis, & ante ea veniat, quemadmodum gloriantur, Spiritum ſe accepiſſe ſine prædicatione Scripturarum? Sed de his jam non vacat pluribus diſputare. Et ſatis alias de his à nobis dictum eſt.

Nam etiam ii, qui ante Baptiſmum credunt, vel in Baptiſmo credere incipiunt, per externum præcedens verbum credunt, ut adulti. Audiunt enim: Quicunque crediderit & Baptizatus fuerit, ſalvus erit: etiamſi primum increduli poſt decennium accipiant Spiritum & baptiſmum. Cornelius Actor. 10. longe ante audierat apud Judæos de venturo Meſſia, per quem juſtus coram Deo, preces & eleemoſynas Deo gratas præſtabat ex fide, (ſicut Lucas eum nominat juſtum, pium & timentem Dei) & ſine præcedente illo verbo atq; auditu credere & juſtus eſſe non poterat. Petrus autem patefacere ei jubebatur, Meſſiam (in quem venturum hactenus ille

Marc. 16, 16. Actor. 10.

Digitized by Google

ille crediderat) jam adveniſſe, ut fides ejus de venturo Meſſia, eum apud induratos & incredulos Judæos non captivum teneret, ſed ut ſciret, ſe ſalvandum eſſe per præſentem Meſſiam, & hunc cum Judæorum turba non negaret, nec perſequeretur, &c.

Quid multis? Enthuſiaſmus inſitus eſt Adamo & filiis ejus à primo lapſu usque ad finem mundi, ab antiquo Dracone ipſis veneno quodam implantatus & infuſus, eſtque omnium hæreſium, & Papatus, & Mahometiſmi origo, vis, vita & potentia. Quare in hoc nobis eſt conſtanter perſeverandum, quod Deus non velit nobiſcum aliter agere, niſi per vocale verbum & ſacramenta, & quod, quidquid ſine verbo & ſacramentis jactatur, ut ſpiritus, ſit ipſe diabolus. Nam Deus etiam Moiſi voluit apparere per rubum ardentem, & vocale verbum. Et nullus Propheta, ſive Elias, ſive Eliſæus, Spiritum ſine decalogo ſive verbo vocali accepit. Et Johannes baptiſta nec concipiebatur ſine Gabrielis præcedente verbo, nec in matris utero ſaliebat ſine Mariæ verbo. Et Petrus inquit: Prophetæ non ex voluntate humana, ſed Spiritu Sancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines, qui ſine verbo externo non erant ſancti, nec à Spiritu Sancto, ut non ſancti, ſeu prophani ad prophetandum impulſi: ſed ſancti erant, inquit Petrus, cum per eos Spiritus Sanctus loqueretur. *2. Petr. 1, 11.* *Act. 28, 25.*

IX. De Excommunicatione.

MAjorem illam excommunicationem, quam Papa ita nominat, non niſi civilem pœnam eſſe ducimus, non pertinentem ad nos miniſtros Eccleſiæ. Minor autem, quam nominat, vera & Chriſtiana eſt excommunicatio, quæ manifeſtos & obſtinatos peccatores non admittit ad ſacramentum & communionem Eccleſiæ, donec emendentur, & ſcelera vitent. Et miniſtri non debent confundere hanc Eccleſiaſti-

ſiaſticam pœnam ſeu excommunicationem, cum pœnis civilibus.

X. De Initiatione, Ordine & Vocatione.

Aug. Conf. 10. 13. Apol. 204.

SI Epiſcopi ſuo officio recte fungerentur, & curam Eccleſiæ & Evangelii gererent, poſſet illis nomine caritatis & tranquillitatis, non ex neceſſitate, permitti, ut nos & noſtros concionatores ordinarent & confirmarent, hac tamen conditione, ut ſeponerentur omnes larvæ, præſtigiæ, deliramenta, & ſpectra pompæ ethnicæ. Quia vero nec ſunt, nec eſſe volunt veri Epiſcopi, ſed politici dynaſtæ & Principes, qui nec concionantur & docent, nec baptizant, nec cœnam adminiſtrant, nec ullum opus & officium Eccleſiæ præſtant, ſed eos, qui vocati munus illud ſubeunt, perſequuntur & condemnant, profecto, ipſorum culpa, Eccleſia non deſerenda, nec miniſtris ſpolianda eſt.

Quapropter, ſicut vetera exempla Eccleſiæ & Patrum nos docent, idoneos ad hoc officium ipſi ordinare debemus & volumus. Et hoc nobis prohibere non poſſunt, etiam ſecundum ſua jura, quæ affirmant, etiam ab hæreticis ordinatos, vere eſſe ordinatos, & illam ordinationem non debere mutari. Et Hieronymus ſcribit de Eccleſia Alexandrina, eam primum ab Epiſcopis, presbyteris, & miniſtris communi opera gubernatam fuiſſe.

XI. De Conjugio Sacerdotum.

Aug. Conf. 21. Apol. 236.

QUod conjugium prohibuerunt, & divinum ordinem ſacerdotum perpetuo cœlibatu onerarunt, malitioſe ſine omni honeſta cauſa fecerunt, & in eo Antichriſti, tyrannorum, & peſſimorum nebulonum opus

opus exercuerunt, ac cauſam præbuerunt multis horrendis, abominandis, innumeris peccatis tetrarum libidinum, in quibus adhuc volutantur. Sicut autem nec nobis, nec ipſis datum eſt, ut ex maſculo fœminam, aut ex fœmella marem condamus, aut utrumque annihilemus: ita etiam ipſis non eſt datum, ut creaturas Dei disjungant, ſeparent, vetent, ne in conjugio honeſte una cohabitent & vivant. Quare ipſorum ſpurco cœlibatui aſſentiri nolumus, nec etiam illum feremus, ſed conjugium liberum habere volumus, ſicut Deus illud ipſe ordinavit & conſtituit, cujus opus nec reſcindere, nec deſtruere, nec impedire volumus. Paulus enim dicit, prohibitionem conjugii eſſe doctrinam dæmoniorum, 1. Tim. 4. *1. Tim. 4, 2.3*

XII. De Eccleſia.

NEquaquam largimur ipſis, quod ſint Eccleſia, quia revera non ſunt Eccleſia. Non etiam audicmus ea, quæ nomine Eccleſiæ vel mandant vel vetant. Nam (Deo ſit gratia) puer ſeptem annorum novit hodie: Quid ſit Eccleſia, nempe, credentes, ſancti, oviculæ audientes vocem paſtoris ſui. Sic enim orant pueri: Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam ſive Chriſtianam. Hæc ſanctitas non conſiſtit in amiculo linteo, inſigni verticali, veſte talari, & aliis ipſorum ceremoniis contra ſacram ſcripturam excogitatis, ſed in verbo Dei, & vera fide. *Aug. Conf. 18. Apol. 144. ſq.*

XIII. Quomodo coram Deo homo juſtificetur. Et, de bonis operibus.

QUod de juſtificatione hactenus ſemper & aſſidue docui, mutare nec in minimo poſſum, videlicet, *Aug. C. 10. 11. Apol. 60. 83. 89. ſeq.*

Digitized by Google

Actor. 15, 19. cet, nos per fidem (ut Petrus loquitur) aliud novum & mundum cor acquirere, & Deum propter Christum mediatorem nostrum, nos justos & sanctos reputare. Et etsi peccatum in carne nondum plane ablatum & mortuum est, tamen Deus illud nobis non vult imputare, nec meminisse.

Hanc fidem, renovationem, & remissionem peccatorum, sequuntur bona opera. Et quod in illis pollutum & imperfectum est, pro peccato & defectu non censetur, idque etiam propter Christum, atque ita totus homo, cum quoad personam suam, tum quoad opera sua, justus & sanctus est & nominatur, ex mera gratia & misericordia, in Christo super nos effusa, expansa & amplificata. Quare gloriari ob merita & opera non possumus, cum absque gratia & misericordia aspiciuntur, sed, ut scriptum est, 1. Corinth. 1. Qui gloriatur, in Domino glorietur, quod scilicet habeat DEUM propitium. Sic enim omnia bene se habent. Dicimus praterea, ubi non sequuntur bona opera, ibi fidem esse falsam, & non veram.

1. Cor. 1, 31.

XIV. De Votis Monasticis.

Aug. Conf. 32. Apol. 276. Matth. 24. 24. seq.

QUIA vota monastica è diametro pugnant cum primo principali articulo, ideo plane abroganda sunt. Ea enim sunt, de quibus Christus inquit Matth. 24. Ego sum Christus, &c. Qui enim votum facit in monasterio vivendi, is credit, se vitæ rationem sanctiorem initurum esse, quam alii Christiani ducunt, & suis operibus non tantum sibi, sed etiam aliis cœlum mereri vult. Hoc vero quid aliud est, quam Christum negare? Et Pontificii ex suo Thoma dicere non erubescunt, votum monasticum esse æquale & par Baptismo. Hæc blasphemia est in Deum.

XV. De

Digitized by Google

XV. De humanis Trationibus.

Quod Pontificii dicunt, humanas traditiones facere ad remiſſionem peccatorum, & mereri ſalutem, plane impium & damnatum eſt, ſicut Chriſtus inquit: Fruſtra colunt me docentes doctrinas & mandata hominum. Et Tit. 1. averſantium veritatem. Item, quod dicunt, eſſe peccatum mortale, ſi quis non ſervet iſta ſtatuta, etiam impium eſt.

Epit. 614.
Decl. 789.
Aug. Conf. 13.
Apol. 205.
Matth. 15, 9.
Tit. 1, 14.

Hi ſunt articuli, in quibus conſtantem me eſſe oportet, & conſtans ero usque ad mortem meam, Deo dante. Et nec mutare, nec concedere quidquam in illis poſſum. Si quis alius voluerit aliquid concedere, faciat id periculo ſuæ conſcientiæ.

Poſtremo reſtant præſtigiæ Papales de ſtultis & puerilibus articulis, ut de templorum dedicationibus, campanarum baptizationibus, altarium dedicationibus & baptizationibus, adhibitis patrinis ſeu ſuſceptoribus, qui munera largiebantur, &c. Hæc baptizatio fit in contumeliam, ignominiam & dedecus ſacroſancti baptiſmi, & ideo minime toleranda eſt. Deinde de conſecrationibus cereorum, palmarum, placentarum, avenæ, herbarum & aromatum, &c. quæ omnia non poſſunt dici conſecrationes, ſed ludibria & meræ impoſturæ ſunt. Et ſunt talium præſtigiarum infinitæ aliæ, quas committimus Deo ipſorum & ipſis adorandas, donec illis defatigentur. Nobis nihil cum iſtis negotii eſſe debet.

Martinus Luther D. ſubſcripſit.
Juſtus Jonas D. Rector, ſubſcripſit manu propria.
Johannes Bugenhagen Pomer. ſubſcripſit.
Caſpar Creuziger D. ſubſcripſit.
Niclas Ambsdorff ſubſcripſit Magdeburgenſis.
Georgius Spalatinus ſubſcripſit Altenburgenſis.

Ego Philippus Melanchthon supra positos articulos approbo, ut pios & Christianos. De Pontifice autem statuo, si Evangelium admitteret, posse ei, propter pacem & communem tranquillitatem Christianorum, qui jam sub ipso sunt, & in posterum sub ipso erunt, superioritatem in Episcopos, quam alioqui habet jure humano, etiam à nobis permitti.

Johannes Agricola Eisleben. subscripsit.

Gabriel Dydimus subscripsit.

Ego Urbanus Regius D. Ecclesiarum in Ducatu Luneburgensi Superintendens, subscribo meo & fratrum meorum nomine, & Ecclesiæ Hannopheranæ.

Ego Stephanus Agricola Ecclesiastes Curiensis subscribo.

Et ego Johannes Draconites subscribo, Professor & Ecclesiastes Marburgensis.

Ego Conradus Figenbotz pro gloria Dei subscribo, me ita credidisse, & adhuc prædico & credo firmiter, uti supra.

Andreas Osiander Ecclesiastes Nurembergensis subscribo.

M. Vitus Dieterich Ecclesiastes Noriberg. subscribo.

Erhardus Schnepffius concionator Stutgardensis subscribo.

Conradus Ottingerus Phorcensis Ulrichi Ducis concionator.

Simon Schnebbeis Parochus Ecclesiæ in Crailsheim.

Johannes Schlainbauffen Pastor Ecclesiæ Cotensis subscripsit.

M. Georgius Helius Forchemius.

M. Adamus à Fulda.

M. Anthonius Corvinus concionatores Hessiaci.

Rursum ego Joh. Bugenhagius Pomeranus D, subscribo nomine Magistri Johannis Brentii, quemadmodum à Smalcaldia recedens mihi mandabit ore & literis, quas his fratribus, qui subscripserunt, ostendi.

Ego Dionysius Melander subscribo, Confessioni, Apologiæ, & Concordiæ in re Eucharistiæ.

Paulus

Paulus Rhodius Superintendens Stetinenſis.
Gerardus Oeniken Superintend. Eccleſiæ Mindenſis.
Ego Brixius Northanus, Eccleſiæ Chriſti, quæ eſt Suſati, miniſter, ſubſcribo Articulis reverendi Patris Mart. Lutheri, & fateor me hactenus ita credidiſſe, & docuiſſe, & porro per Spiritum Chriſti ita crediturum & doctturum.
Michael Cœlius concionator Mansfeldenſis ſubſcripſit.
M. Petrus Gelnerius concionator Frankenfurdenſis ſubſcripſit.
VVendalinus Faber Parochus Seburgæ in Mansfeldia.
Ego Johannes Æpinus ſubſcribo.
Similiter & ego Johannes Amſterdamus Bremenſis.
Ego Fridericus Myconius, Gothanæ Eccleſiæ apud Thuringos Paſtor, meo & Juſti Menii Iſenacenſis nomine ſubſcribo.
Ego Johannes Langus D. & Erphordienſis Eccleſiæ concionator, meo & aliorum meorum in Evangelio Cooperariorum nomine, nempe: Domini Licentiati Ludovici, Platzii, Meloſingi.
Domini Magiſtri Sigismundi Kirchneri.
Domini VVolffgangi Rismetter.
Domini Melchioris VVeitman.
Domini Johannis Tall.
Domini Johannis Kiliani.
Domini Nicolai Fabri.
Domini Andreæ Menſeri, mea manu ſubſcribo.
Et ego Egidius Mechlerus, mea manu ſubſcripſi.

(O)

Digitized by Google

DE POTESTATE ET PRIMATU PAPÆ TRACTATUS, PER THEOLOGOS SMALCALDIÆ CONGREGATOS CONSCRIPTUS.

Anno M. D. XXXVII.

ROmanus Pontifex arrogat ſibi, quod jure divino ſit ſupra omnes Epiſcopos & paſtores.

Deinde addit etiam, quod jure divino habeat utrumque gladium, hoc eſt autoritatem etiam regna conferendi & transferendi.

Et tertio dicit, quod hæc credere ſit de neceſſitate ſalutis. Et propter has cauſas, Romanus Epiſcopus vocat ſe Vicarium Chriſti in terris.

Hos tres articulos ſentimus falſos, impios, Tyrannicos, & pernicioſos Eccleſiæ eſſe.

Ut autem intelligi noſtra confirmatio poſſit: primum definiemus, quid vocent, ſupra omnes eſſe jure divino. Intelligunt enim eſſe Epiſcopum univerſalem, &, ut ipſi loquuntur, οἰκουμενικὸν id eſt, à quo debeant petere ordinationem & confirmationem, omnes Epiſcopi & Paſtores per totum orbem terrarum: qui habeat jus eligendi, ordinandi, confirmandi, deponendi omnes Epiſcopos. Ad hæc arrogat ſibi autoritatem condendi leges de cultibus, de mutatione Sacramentorum, de doctrina: & vult ſuos Articulos, ſua decreta, ſuas leges exiſtimari pares legibus divinis: Hoc eſt, ſentit, ſic obligari conſcientias hominum legibus Pontificiis, ut peccent mortaliter, qui eas negligunt etiam ſine ſcandalo. Et atrocius eſt, quod addit, quod ſit de neceſſitate ſalutis, hæc omnia credere.

PRI-

PRIMUM igitur oſtendamus ex Evangelio, quod Romanus Epiſcopus non ſit jure divino ſupra aliquos Epiſcopos & Paſtores.

Lucæ 22. Chriſtus expreſſe prohibet dominationem inter Apoſtolos. Nam hæc ipſa erat quæſtio, cum Chriſtus dixiſſet de ſua paſſione, diſputabant, quis eſſet præfuturus, & tanquam abſentis Chriſti Vicarius futurus: ibi Chriſtus hunc Apoſtolorum errorem reprehendit, & docet, non futuram inter illos dominationem ſeu ſuperioritatem, ſed Apoſtolos tanquam pares ad commune miniſterium Evangelii mittendos eſſe. Ideo ait: Reges gentium dominantur eis, vos autem non ſic, ſed quicunque voluerit eſſe major inter vos, erit miniſter veſter. Hic oſtendit Antitheſis, quod dominatio improbetur. Item docet ſimilitudo, cum Chriſtus in eadem diſputatione de regno, collocat in medio puerum, ſignificans non futurum principatum inter miniſtros, ſicut nec puer principatum aliquem ſibi ſumit aut appetit. *Luc. 22, 25.*

Johan. 20. Chriſtus pariter mittit Apoſtolos ſine diſcrimine, cum ait: Sicut miſit me Pater, ita & ego mitto vos. Eodem modo ait ſe mittere ſingulos, ſicut ipſe miſſus eſt: quare nulli tribuit prærogativam, aut dominationem præ reliquis. *Joh. 20, 20.*

Galat. 2. Paulus manifeſte affirmat, ſe neque ordinatum neque confirmatum eſſe à Petro, nec agnoſcit Petrum talem, à quo petenda ſit confirmatio. Et nominatim pugnat hac de re, ſuam vocationem non pendere ab autoritate Petri. Debuit autem agnoſcere Petrum tanquam ſuperiorem, ſi Petrus erat jure divino ſuperior. Ideo inquit Paulus, ſe non conſulto Petro ſtatim docuiſſe Evangelium. Item: Mea nihil refert, quales illi fuerint, qui aliquid eſſe videntur: perſonam enim hominis Deus non accipit. Item: Qui videbantur eſſe aliquid, nulla mihi mandata dederunt. Cum *Gal. 2, 7. 8.*

igitur Paulus clare teſtetur, ſe ne voluiſſe quidem requirere Confirmationem Petri, etiam cum ad eum veniſſet: docet autoritatem Miniſterii à verbo Dei pendere, & Petrum non fuiſſe ſuperiorem cæteris Apoſtolis, nec unius Petri ordinationem aut confirmationem requirendam eſſe.

1. Cor. 3, 6. 1. Cor. 3. Paulus exæquat miniſtros, & docet Eccleſiam eſſe ſupra miniſtros. Quare Petro non tribuitur ſuperioritas aut dominatio ſupra Eccleſiam, aut reliquos miniſtros. Sic enim ait: Omnia veſtra ſunt, ſive Paulus, ſive Apollo, ſive Cephas, id eſt: Nec cæteri Miniſtri, nec Petrus ſibi ſumat dominationem, aut deſperationem ſupra Eccleſiam, non onerent Eccleſiam traditionibus, non valeat ullius autoritas plus quam verbum, non opponatur autoritas Cephæ contra autoritatem aliorum Apoſtolorum, ſicut argumentabantur eo tempore: Cephas hoc obſervat, qui eſt ſuperior Apoſtolus. Ergo & Paulus & cæteri debent hoc obſervare. Hunc prætextum Paulus detrahit Petro, & negat ejus autoritatem anteferendam eſſe cæteris, aut Eccleſiæ.

v. 6.

EX HISTORIIS.

NIcena Synodus ordinavit, ut Alexandrinus Epiſcopus curaret Eccleſias in Oriente, & Romanus Epiſcopus curaret ſuburbanas, hoc eſt, eas, quæ in provinciis Romanis in Occidente erant. Hinc primum humano jure, hoc eſt, ordinatione Synodi crevit autoritas Romani Epiſcopi: Jam ſi Romanus Epiſcopus habuiſſet jure divino ſuperioritatem: non licuiſſet Synodo detrahere ei aliquid juris, & in Alexandrinum transferre, imo omnes Orientis Epiſcopi perpetuo debuiſſent petere ordinationem & confirmationem à Romano.

Item: Synodus Nicena conſtituit, ut Epiſcopi eligerentur à ſuis Eccleſiis, præſente aliquo vicino Epiſcopo aut pluribus. Idem ſervatum eſt etiam in Occiden-

te

Digitized by Google

te & in Latinis Eccleſi s, ſicut teſtatur Cyprianus & Auguſtinus. Sic enim ait Cyprianus in Epiſtola 4. ad Cornelium. Propter quod diligenter de divina traditione & Apoſtolica obſervatione ſervandum eſt & tenendum, quod apud nos quoque & fere in omnibus provinciis tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem cui propoſitus ordinatur, Epiſcopi ejusdem provinciæ proximi quique conveniant, & Epiſcopus delegatur, plebe præſente, quæ ſingulorum vitam pleniſſime novit: quod & apud nos factum videmus in Sabini collegæ noſtri ordinatione, ut de univerſæ fraternitatis ſuffragio, & de Epiſcoporum, qui in præſentia convenerant, judicio, Epiſcopatus ei deferretur, & manus ei imponeretur. Hunc morem Cyprianus vocat divinam traditionem, & Apoſtolicam obſervationem, & affirmat fere in omnibus provinciis obſervari. Cum igitur nec ordinatio, nec confirmatio à Romano Epiſcopo peteretur in maxima orbis parte, in Græcis & Latinis Eccleſiis; ſatis apparet, Eccleſias tunc non tribuiſſe ſuperioritatem & dominationem Romano Epiſcopo.

Superioritas illa eſt impoſſibilis: Nam impoſſibile eſt, unum Epiſcopum eſſe inſpectorem Eccleſiarum totius orbis terrarum, aut Eccleſias in ultimis terris ſitas petere ab uno ordinationem. Conſtat enim, regnum Chriſti diſperſum eſſe per totum orbem terrarum: hodieq; multæ ſunt Eccleſiæ in Oriente, quæ non petunt à Romano Epiſcopo ordinationem aut confirmationem. Itaque ſuperioritas illa cum ſit impoſſibilis, & non agnoverint eam Eccleſiæ in maxima parte orbis; ſatis apparet, non inſtitutam eſſe.

Multæ veteres Synodi ſunt indictæ & habitæ, in quibus non præſedit Romanus Epiſcopus, ut Nicena & pleræque aliæ. Id quoque teſtatur, quod Eccleſia tunc non agnoverit primatum ſeu ſuperioritatem Romani Epiſcopi.

Hieronymus inquit: Si autoritas quæritur, orbis est major urbe. Ubicunque Episcopus fuerit, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Regii, sive Alexandriæ, ejusdem meriti est, & ejusdem sacerdotii, &c.

Gregorius scribens ad Alexandrinum Patriarcham, vetat se appellari universalem Episcopum. Et in Regestis dicit, in Synodo Chalcedonensi oblatum esse primatum Romano Episcopo, nec tamen acceptum.

Postremo, quomodo potest Papa jure divino esse supra totam Ecclesiam, cum Ecclesia habeat electionem, & paulatim mos invaluerit, ut Romani Episcopi ab Imperatoribus confirmarentur?

Item, cum diu fuissent certamina de primatu, inter Romanum & inter Constantinopolitanum Episcopum, tandem Phocas Imperator constituit, Romano Episcopo tribuendum esse primatum. Quod si Ecclesia vetus agnovisset Romani Pontificis primatum, hæc contentio non incidere potuisset, nec fuisset opus decreto Imperatoris.

Matth. 16, 19. Joh. 21, 17. Sed objiciunt quædam dicta, videlicet: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam. Item: Tibi dabo claves. Item: Pasce oves meas, & alia quædam. Cum autem hæc tota controversia copiose & accurate tractata sit alibi in libris nostrorum, nec recenseri omnia hoc loco possint: referimus nos ad ea scripta, eaque pro repetitis habere volumus: Breviter tamen respondebimus de interpretatione.

In omnibus illis dictis Petrus sustinet personam communem totius cœtus Apostolorum, sicut ex ipso textu apparet. Nam Christus interrogat non unum Petrum, sed ait: Vos quem me esse dicitis? Et quod hic singulari numero dicitur: Tibi dabo claves. Quicquid ligaveritis: alibi plurali numero dicitur: Quicquid ligaveritis, &c. Et in Johanne: Quorum remiseritis peccata, &c. Hæc verba testantur, pariter omnibus

Matth. 18, 18.

bus Apoſtolis tradi claves,& pariter mitti omnes Apoſtolos.Ad hæc neceſſe eſt fateri,quod claves non ad perſonam unius certi hominis,ſed adEccleſiam pertineant, ut multa clariſſima & firmiſſima argumenta teſtantur. Nam Chriſtus de clavibus dicens Matth.18. addit:Ubicunque duo vel tres conſenſerint ſuper terram,&c. tribuit igitur principaliter claves Eccleſiæ, & immediate: ſicut & ob eam cauſam Eccleſia principaliter habet jus vocationis. Itaque neceſſe eſt in illis dictis,Petrum ſuſtinere perſonam totius cœtus Apoſtolorum. Quare non tribuunt aliquam prærogativam, ſeu ſuperioritatem, ſeu dominationem Petro. *Matth. 18. 19.*

Quod vero dictum eſt: Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: certe Eccleſia non eſt ædificata ſuper autoritatem hominis, ſed ſuper miniſterium illius profeſſionis, quam Petrus fecerat, in qua prædicat Jeſum eſſe Chriſtum filium Dei. Ideo alloquitur eum tanquam miniſtrum: Super hanc petram, id eſt, ſuper hoc miniſterium. Porro miniſterium novi Teſtamenti non eſt alligatum locis & perſonis,ſicut miniſterium Leviticum: ſed eſt diſperſum per totum orbem terrarum,& ibi eſt, ubi Deus dat dona ſua,Apoſtolos, Prophetas, Paſtores, Doctores: nec valet illud miniſterium propter ullius perſonæ autoritatem, ſed propter verbum à Chriſto traditum. Et hoc modo, non de Perſona Petri, interpretantur plurimi ex ſanctis Patribus hanc ſententiam, (ſuper hanc petram) ut Origenes, Cyprianus, Auguſtinus, Hilarius, & Beda.

Sic ait Chryſoſtomus: ſuper hanc Petram,non ſuper Petrum. Non enim ſuper hominem, ſed ſuper fidem Petri, ædificavit Eccleſiam ſuam. Quæ autem erat fides? Tu es Chriſtus,filius Dei vivi. Et Hilarius: Petro revelavit pater,ut diceret: Tu es Filius Dei vivi. Super hanc igitur confeſſionis petram,Eccleſiæ ædificatio eſt: hæc fides Eccleſiæ fundamentum eſt.

Joh. 21, 16. Et hoc, quod dicitur: Pasce oves meas. Item: Diligis me plus his? Hinc nondum sequitur, peculiarem superioritatem Petro traditam esse. Jubet eum pascere, hoc est, docere verbum, seu Ecclesiam verbo regere, quod habet Petrus commune cum cæteris Apostolis.

Secundus articulus magis etiam perspicuus est, quod Christus dederit Apostolis tantum potestatem spiritualem, hoc est, mandatum docendi Evangelii, annunciandi remissionem peccatorum, administrandi Sacramenta, excommunicandi impios sine vi corporali, nec dederit potestatem gladii, aut jus constituendi, occupandi, Matth. 28, 20. aut conferendi regna mundi. Christus enim ait: Ite, Joh. 20, 21. docentes servare ea, quæ præcepi vobis. Item: Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos. Constat autem, Christum non esse missum, ut gladium gereret, aut teneret Joh. 18, 36. regnum mundanum, sicut ipse inquit: Regnum meum 2. Cor. 1, 24. non est de hoc mundo. Et Paulus ait: Non domina- 2. Cor. 10, 4. mur fidei vestræ. Item: Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, &c.

Quod igitur Christus in passione spinis coronatur, & producitur deridendus in regia purpura: significatum est fore, ut spreto regno spirituali, hoc est, oppresso Evangelio, constituatur aliud mundanum regnum, prætextu potestatis Ecclesiasticæ. Quare Bonifacii Octavi constitutio, & cap. Omnes distinct. 22. & similes sententiæ, sunt falsæ & impiæ, quæ contendunt, jure divino Papam esse Dominum regnorum mundi. Ex qua persvasione, tenebræ in Ecclesiam horribiles invectæ sunt: deinde etiam magni in Europa motus orti. Neglectum est enim ministerium Evangelii: extincta est notitia fidei, & regni spiritualis: Christiana justitia putabatur esse illa externa Politia, quam Papa constituisset. Deinde Papæ rapere ad se Imperia cœperunt, transtulerunt regna, vexarunt injustis excommunicationibus & bellis fere omnium nationum Reges in Euro-

Europa, ſed maxime Imperatores Germanicos, alias ut occuparent Italicas civitates, alias ut Epiſcopos Germaniæ redigerent in ſuam ſervitutem, & eriperent Imperatoribus collationem. Imo etiam in Clementina ſcriptum eſt: Vacante Imperio, Papam eſſe legitimum ſucceſſorem. Ita Papa non ſolum dominationem contra mandatum Chriſti invaſit, ſed etiam Tyrannice prætulit ſe omnibus Regibus. Nec tantum in hac re factum ipſum reprehendendum eſt, quantum illud deteſtandum, quod prætexit autoritatem Chriſti, quod claves ad regnum mundanum transfert, quod ſalutem alligat ad has impias & nefarias opiniones, cum ait, de neceſſitate ſalutis eſſe, ut credant homines, jure divino hanc dominationem competere. Hi tanti errores cum obſcurent fidem & regnum Chriſti, nullo modo diſſimulandi ſunt. Eventus enim oſtendit, eas fuiſſe magnas peſtes Eccleſiæ.

Tertio loco hoc addendum eſt. Etiamſi Romanus Epiſcopus divino jure primatum & ſuperioritatem haberet: tamen non debetur obedientia his Pontificibus, qui defendunt impios cultus, idololatriam, & doctrinam pugnantem cum Evangelio: Imo tales Pontifices, & tale regnum, haberi debent tanquam anathema, ſicut Paulus clare docet,: Si Angelus de cœlo aliud Evangelium doceret, præter id, quod vos docui, anathema ſit. Et in Actis: Oportet DEO magis obedire, quam hominibus. Idem & Canones clare docent, hæretico Papæ non eſſe obediendum. Leviticus Pontifex jure divino erat ſummus ſacerdos: & tamen impiis Pontificibus non erat obediendum, ut Jeremias & alii Prophetæ diſſentiebant à Pontificibus, Apoſtoli diſſentiebant à Caipha, nec debebant ei obedire.

Galat. 1, 18.

Act. 5, 29.

Conſtat autem, Romanos Pontifices cum ſuis membris defendere impiam doctrinam & impios cultus. Ac plane notæ Antichriſti competunt in

re-

2. Thess. 2, 4. regnum Papæ & sua membra. Paulus enim ad Thessalonicenses describens Antichristum, vocat eum adversarium Christi, extollentem se super omne, quod dicitur aut colitur Deus, sedentem in templo Dei, tanquam Deum. Loquimur igitur de aliquo regnante in Ecclesia, non de Regibus Ethnicis : hunc vocat adversarium Christi, quia doctrinam pugnantem cum Evangelio excogitaturus sit, & is arrogabit sibi autoritatem divinam. Primum autem constat, Papam regnare in Ecclesia, & prætextu Ecclesiasticæ autoritatis & ministerii sibi hoc regnum constituisse. Prætexit enim hæc verba : Tibi dabo claves. Deinde doctrina Papæ multipliciter pugnat cum Evangelio, & arrogat sibi Papa autoritatem divinam tripliciter : Primum, quia sumit sibi jus mutandi doctrinam Christi, & cultus à Deo institutos, & suam doctrinam & suos cultus vult observari tanquam divina. Secundo, quia sumit sibi potestatem, non solum ligandi, & solvendi in hac vita, sed etiam sumit sibi jus de animabus post hanc vitam. Tertio, quia Papa non vult ab Ecclesia aut ab alio judicari, & antefert suam autoritatem judicio Conciliorum, & totius Ecclesiæ. Hoc autem est se Deum facere, nolle ab Ecclesia aut ab ullo judicari. Postremo, hos tam horribiles errores & hanc impietatem defendit summa sævitia, & interficit dissentientes.

Hæc cum ita sint, cavere omnes Christiani debent, ne fiant participes impiæ doctrinæ, blasphemiarum, & injustæ crudelitatis Papæ. Ideo Papam cum suis membris, tanquam regnum Antichristi, deserere & execrari
Matth. 7, 15. debent, sicut Christus jussit: Cavete à Pseudoprophetis.
2. Cor. 6. v. 14. Et Paulus jubet, impios Doctores vitandos & execrandos esse, tanquam anathemata. Et 2. Cor. 6. ait : Ne sitis consortes infidelium, quæ est enim societas lucis & tenebrarum ?

DISSIDERE à consensu tot gentium, & dici schismati-

ſinaticos grave eſt. Sed autoritas divina mandat omnibus, ne ſint ſocii & propugnatores impietatis & injuſtæ ſævitiæ. Ideo ſatis excuſatæ ſunt conſcientiæ noſtræ: ſunt enim manifeſti errores regni Papæ. Et ſcriptura tota voce clamitat, errores illos eſſe doctrinam dæmoniorum & Antichriſti. Manifeſta eſt idololatria in prophanatione Miſſarum: quæ cum alia vitia habent, tum ad turpiſſimum quæſtum impudenter collatæ ſunt. Doctrina de pœnitentia prorſus depravata eſt à Papa, & à ſuis membris. Docent enim remitti peccata propter dignitatem noſtrorum operum. Deinde jubent dubitare, an contingat remiſſio. Nusquam docent, quod gratis propter Chriſtum remittantur peccata, & quod hac fide conſequamur remiſſionem peccatorum. Ita gloriam Chriſti obſcurant, & conſcientiis firmam conſolationem eripiunt, & abolent veros cultus, videlicet exercitia fidei luctantis cum deſperatione. Obſcuraverunt doctrinam de peccato, & finxerunt traditionem de enumeratione delictorum, parientem multos errores & deſperationem, affinxerunt ſatisfactiones, quibus etiam obſcuraverunt beneficium Chriſti. Ex his natæ ſunt indulgentiæ, quæ ſunt mera mendacia, quæſtus cauſa excogitata. Deinde invocatio ſanctorum quantos abuſus, & quam horrendam idololatriam peperit? Quanta flagitia orta ſunt ex traditione de cœlibatu? Quantas tenebras offudit Evangelio doctrina de Votis? Ibi finxerunt, vota eſſe juſtitiam coram Deo, & mereri remiſſionem peccatorum. Ita transtulerunt beneficium Chriſti in humanas traditiones, & penitus extinxerunt doctrinam de fide. Finxerunt, nugaciſſimas traditiones eſſe cultus Dei, & perfectionem, & prætulerunt eas operibus vocationum, quas DEUS requirit & ordinavit. Neque hi errores ſunt exiſtimandi leves: lædunt enim gloriam Chriſti, afferunt perniciem animabus, nec poſſunt diſſimulari-

DEIN-

Deinde ad hos errores accedunt duo ingentia peccata: Primum, quod defendit errores illos injustis vitia & suppliciis: Alterum, quod judicium eripit Ecclesiæ, nec sinit rite judicari Ecclesiasticas controversias: imo contendit, se supra Concilium esse, & decreta Conciliorum rescindere posse, sicut interdum impudenter loquuntur Canones. Sed multo impudentius hoc factum esse à Pontificibus, exempla testantur 9. quæst. 3. ait Canon: Nemo judicabit primam sedem. Neque enim ab Augusto, neque ab omni Clero, neque à Regibus, neque à populo judex judicatur. Duplicem Tyrannidem exercet Papa, defendit errores suos vi & homicidiis, & vetat cognitionem. Hoc posterius etiam plus nocet, quam ulla supplicia. Quia sublato vero judicio Ecclesiæ non possunt tolli impia dogmata, & impii cultus, & multis seculis infinitas animas perdunt.

Considerent igitur pii tantos errores regni Papæ, & Tyrannidem, & cogitent primum abjiciendos esse errores, & amplectendam esse veram doctrinam, propter gloriam Dei, & ad salutem animarum.

Deinde cogitent etiam, quantum scelus sit, adjuvare injustam crudelitatem in interficiendis sanctis, quorum sanguinem Deus haud dubie ulciscetur.

Inprimis autem oportet præcipua membra Ecclesiæ, Reges & Principes, consulere Ecclesiæ, & curare, ut errores tollantur, & conscientiæ sanentur, sicut Deus nominatim Reges hortatur; Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram. Prima enim cura Regum esse debet, ut ornent gloriam Dei. Quare indignissimum fuerit, eos conferre autoritatem & potentiam suam, ad confirmandam idololatriam, & cætera infinita flagitia, & ad faciendas cædes sanctorum.

Psal. 2, 10.

Et ut Papa Synodos habeat: quomodo sanari Ecclesia potest, si Papa nihil decerni contra arbitrium suũ pa-

Digitized by Google

patiatur, si nemini concedat dicere sententiam, nisi suis membris? quæ habet obligata horrendis juramentis & maledictionibus, ad defensionem suæ Tyrannidis & impietatis, sine ulla exceptione verbi Dei. Cum autem judicia Synodorum sint Ecclesiæ judicia, non Pontificum, præcipue Regibus convenit coercere Pontificum licentiam, & efficere, ne Ecclesiæ eripiatur facultas judicandi & decernendi ex verbo Dei. Et ut reliquos errores Papæ taxare cæteri Christiani debent: ita etiam reprehendere debent Pontificem defugientem & impedientem veram cognitionem & verum judicium Ecclesiæ.

Itaque etiamsi Romanus Episcopus jure divino haberet primatum: tamen posteaquam defendit impios cultus & doctrinam pugnantem cum Evangelio, non debetur ei obedientia, imo necesse est ei tanquam Antichristo adversari. Errores Papæ manifesti sunt, & non leves. Manifesta est etiam crudelitas, quam exercet: Et constat mandatum Dei esse, ut fugiamus idololatriam, impiam doctrinam, & injustam sævitiam. Ideo magnas, necessarias, & manifestas causas habent omnes pii, ne obtemperent Papæ. Et hæ necessariæ causæ pios consolantur, adversus omnia convitia, quæ de scandalis, de schismate, de discordia objici solent.

Qui vero sentiunt cum Papa, & defendunt ejus doctrinam & cultus, polluunt se idololatria & blasphemis opinionibus, fiunt rei sanguinis piorum, quos Papa persequitur, lædunt gloriam Dei, & impediunt salutem Ecclesiæ: quia confirmant errores & flagitia ad omnem posteritatem.

DE POTESTATE ET JURISDICTIONE EPISCOPORUM.

EVANGELIUM tribuit his, qui præsunt Ecclesiis, mandatum docendi Evangelii, remittendi peccata, *Aug. Conf. 27. Apol. 292.*

cata, administranda Sacramenta : præterea jurisdictionem, videlicet, mandatum excommunicandi eos, quorum nota sunt crimina & resipiscentes rursum absolvendi. Ac omnium confessione etiam adversariorum liquet, hanc potestatem jure divino communem esse omnibus, qui præsunt Ecclesiis, sive vocentur pastores, sive Presbyteri, sive Episcopi. Ideoque Hieronymus aperte docet, in literis Apostolicis omnes, qui præsunt Ecclesiis, & Episcopos & Presbyteros esse, &
Tit. 1, 5. citat ex Tito : Propterea te reliqui in Creta, ut constituas Presbyteros per civitates. Et deinde addit: Oportet Episcopum esse unius uxoris virum. Item, Petrus
v. 7. & Johannes vocant se Presbyteros. Et deinde addit : Quod autem postea unus electus est, qui ceteris præponeretur, in remedium schismatis factum est, ne unusquisque ad se trahens Ecclesiam Christi rumperet. Nam & Alexandriæ à Marco Evangelista usque ad Esdram & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper ex se unum eligebant, & in excelsiore loco collocabant, quem Episcopum nominabant : quomodo si exercitus Imperatorem sibi faciat. Diaconi autem eligant ex se, quem industrium noverint, & Archidiaconum nuncupent. Quid enim facit Episcopus excepta ordinatione, quod Presbyter non facit ? Docet igitur Hieronymus, humana autoritate distinctos gradus esse Episcopi, & Presbyteri seu Pastoris. Idque res ipsa loquitur, quia Potestas est eadem, quam supra dixit.

Sed una res postea fecit discrimen Episcoporum, & Pastorum, videlicet, ordinatio : quia institutum est, ut unus Episcopus ordinaret ministros in pluribus Ecclesiis. Sed cum jure divino non sunt diversi gradus Episcopi, & Pastoris : manifestum est, ordinationem à Pastore, in sua Ecclesia factam jure divino ratam esse. Itaq; cum Episcopi ordinarii fiunt hostes Ecclesiæ, aut nolunt impedire ordinationem : Ecclesiæ retinent jus suum.

Digitized by Google

ſuum. Nam ubicunque eſt Eccleſia, ibi eſt jus adminiſtrandi Evangelii. Quare neceſſe eſt, Eccleſiam retinere jus vocandi, eligendi, & ordinandi miniſtros. Et hoc jus eſt donum proprie datum Eccleſiæ, quod nulla humana autoritas Eccleſiæ eripere poteſt, ſicut & Paulus teſtatur ad Epheſios, cum ait: Aſcendit, dedit dona hominibus. Et numerat inter dona propria Eccleſiæ, Paſtores & Doctores. Et addit, dari tales ad miniſterium, ad ædificationem corporis Chriſti. Ubi eſt igitur vera Eccleſia, ibi neceſſe eſt eſſe jus eligendi & ordinandi miniſtros: ſicut, in caſu neceſſitatis abſolvit etiam Laicus, & fit miniſter ac Paſtor alterius: ſicut narrat Auguſtinus hiſtoriam de duobus Chriſtianis in navi, quorum alter baptizaverit κατηχούμενον, & is baptizatus deinde abſolverit alterum. Huc pertinent ſententiæ Chriſti, quæ teſtantur, claves Eccleſiæ datas eſſe, non tantum certis perſonis: Ubicunq; erunt duo vel tres congregati in nomine meo, &c. *Matth. 18, 20.*

Poſtremo etiam hoc confirmat ſententia Petri: Vos eſtis regale ſacerdotium. Quæ verba ad veram Eccleſiam pertinent, quæ cum ſola habeat ſacerdotium, certe habet jus eligendi & ordinandi miniſtros. Idque etiam communiſſima Eccleſiæ conſuetudo teſtatur. Nam olim populus eligebat Paſtores & Epiſcopos. Deinde accedebat Epiſcopus, ſeu ejus Eccleſiæ, ſeu vicinus, qui confirmabat electum impoſitione manuum, nec aliud fuit ordinatio, niſi talis comprobatio. Poſtea acceſſerunt novæ ceremoniæ, quales multas deſcribit Dionyſius. Sed eſt autor novus & fictitius, quisquis eſt: ſicut & Clementis ſcripta ſunt ſuppoſititia. Deinde recentiores addiderunt: Do tibi poteſtatem ſacrificandi pro vivis & mortuis. Sed ne illud quidem apud Dionyſium eſt.

Ex his omnibus liquet, Eccleſiam retinere jus eligendi & ordinandi miniſtros: Et cauſam ſchiſmati & diſcordiæ præbent, impietas & tyrannis Epiſcoporum:

Galat. 1, 8. 9. quia Paulus præcipit, ut Episcopi docentes & defendentes impiam doctrinam & impios cultus, habeantur tanquam anathema.

Diximus de Ordinatione, quæ una, ut Hieronymus ait, discernebat Episcopos à reliquis Presbyteris. Itaque nulla disputatione opus est, de cæteris Episcoporum officiis. Nec vero opus est dicere de Confessione. Item de Campanarum consecratione, quæ propemodum sola retinuerunt. De Jurisdictione aliquid dicendum est.

Constat, Jurisdictionem illam communem excommunicandi reos manifestorum criminum, pertinere ad omnes Pastores. Hanc tyrannice ad se solos transtulerunt, & ad quæstum contulerunt. Constat enim, officiales, ut vocantur, non toleranda licentia usos esse, & vel avaritia, vel propter alias cupidates, vexasse homines, & excommunicasse, sine ullo ordine judicioru.n. Quæ est autem tyrannis, officiales in civitatibus habere potestatem, suo arbitratu, sine ordine judiciorum, damnandi & excommunicandi homines? Et hac potestate qualibus in rebus abusi sunt, videlicet non in puniendis veris delictis, sed in jejuniis aut feriis violatis, aut similibus nugis. Tantum adulteria interdum puniebant: & in hac re sæpe vexabant innocentes & honestos homines. Porro cum hoc crimen sit gravissimum, certe, sine ordine judiciali nemo damnandus est. Cum igitur hanc Jurisdictionem Episcopi tyrannice ad se solos transtulerint, eaque turpiter abusi sint: nihil opus est propter hanc Jurisdictionem obedire Episcopis. Sed cum sint justæ causæ, cur non obtemperemus, rectum est, & hanc Jurisdictionem reddere piis pastoribus, & curare, ut legitime exerceatur, ad morum emendationem, & gloriam Dei.

Reliqua est Jurisdictio in iis causis, quæ jure Canonico ad forum, ut vocant, Ecclesiasticum pertinent, ac

præ-

Digitized by Google

præcipue in cauſis matrimonialibus. Hæc quoque habent Epiſcopi humano jure, & quidem non admodum veteri, ſicut ex Codice & novellis Juſtiniani apparet, judicia matrimoniorum tunc fuiſſe apud Magiſtratus. Et jure divino coguntur Magiſtratus mundani hæc judicia exercere, ſi Epiſcopi ſint negligentes. Idem concedunt & Canones. Quare etiam propter hanc jurisdictionem non neceſſe eſt obedire Epiſcopis. Et quidem cum leges quasdam condiderint injuſtas de conjugiis,& in ſuis judiciis obſervent: etiam propter hanc cauſam opus eſt alia judicia conſtitui. Quia traditiones de cognitione ſpirituali ſunt injuſtæ. Injuſta etiam traditio eſt, quæ prohibet conjugium perſonæ innocenti, poſt factum divortium. Etiam injuſta lex eſt,quæ in genere omnes clandeſtinas & doloſas deſponſationes contra jus parentum approbat. Eſt & injuſta Lex de cœlibatu ſacerdotum. Sunt & alii laquei conſcientiarum in eorum Legibus, quos omnes recitare nihil attinet: Illud ſatis eſt recitaſſe,quod multæ ſunt injuſtæ leges Papæ, de negotiis matrimonialibus, propter quas magiſtratus debent alia judicia conſtituere.

Cum igitur Epiſcopi, qui ſunt addicti Papæ, defendant impiam doctrinam & impios cultus, nec ordinent pios Doctores; imo adjuvent ſævitiam Papæ:præterea jurisdictionem eripuerintPaſtoribus,& hanc tantum tyrannice exerceant: poſtremo cum in cauſis matrimonialibus multas injuſtas leges obſervent; ſatis multæ & neceſſariæ cauſæ ſunt, quare Eccleſiæ non agnoſcant eos tanquam Epiſcopos. Ipſi autem meminerint,opes datas eſſeEpiſcopis,tanquã eleemoſynas,propter adminiſtrationem & utilitatem Eccleſiarum, ſicut inquit regula:Beneficium datur propter officium. Quare non poſſunt bona conſcientia poſſidere illas eleemoſynas:& Eccleſiam interim defraudant,cui opus eſt illis facultatibus ad miniſtros alendos, & juvanda ſtudia,& ſuppetitandũ certis pauperibꝰ, & conſtituenda judicia,

præsertim matrimonialia. Tanta enim varietas & magnitudo est controversiarum matrimonialium, ut iis opus sit peculiari foro, ad quod constituendum opus est Ecclesiæ facultatibus. Petrus prædixit futuros impios Episcopos, qui eleemosynis Ecclesiarum abuterentur ad luxum, neglecto ministerio. Sciant ergo illi, qui Ecclesiam defraudant, etiam ejus sceleris pœnas Deo seu daturos esse.

Doctores & Concionatores, qui Confessioni Augustanæ & Apologiæ subscripserunt.

DE mandato illustrissimorum Principum & ordinum, ac civitatum Evangelii doctrinam profitentium, relegimus articulos Confessionis exhibitæ Imperatori in Conventu Augustano, & Dei beneficio omnes Concionatores, qui in hoc Smalcaldensi conventu interfuerunt, consentientes profitentur, se juxta articulos Confessionis & Apologiæ sentire, & docere in suis Ecclesiis. Profitentur etiam, se articulum de primatu Papæ, & ejus potestate, & de potestate & Jurisdictione Episcoporum, qui hic Principibus in hoc conventu exhibitus est Smalcaldiæ, approbare. Ideo nomina sua subscribunt.

Ego Johannes Bugenhagius Pomeranus D. subscribo articulis Confess. August. Apolog. & articulo de Papatu Smalcald. Principibus oblato.

Et ego Urbanus Regius, D. Ecclesiarum in Ducatu Luneburgensi Superintendens, subscribo.

Nicolaus Ambsdorff Magdeburgensis subscripsit.

Georgius Spalatinus Altenburgensis subscripsit.

Andreas Osiander subscribo.

M. Vitus Dieterich Noribergensis subscripsit.

Stephanus Agricola Ecclesiastes Curiensis manu propria subscripsit.

Johannes Draconites Marpurgensis subscripsit.

Con-

Digitized by Google

Conradus Figenbotz ſubſcripſit per omnia.
Martinus Bucerus.
Erhardus Schnepffius ſubſcribo.
Paulus Rhodius Concionator in Stetin.
Gerardus Oeniken, Eccleſiæ Mindenſis Miniſter.
Simon Schneebeis Parochus Crailsheim.
Brixius Northanus Suſatienſis Concionator.
Rurſum ego Pomeranus ſubſcribo nomine Magiſtri Johannis Brentii, quemadmodum mihi mandabit.
Philippus Melanchthon ſubſcripſit manu propria.
Anthonius Corvinus ſubſcripſit, tam ſuo, quam Adami à Fulda nomine, manu propria.
Johannes Schlainhauffen ſubſcribit manu propria.
M. Georgius Heltus Forchemius.
Michael Cœlius Concionator Mansfeldenſis.
Petrus Geltnerus Concionator Eccleſiæ Franckenfurtenſ.
Dionyſius Melander ſubſcripſit.
Paulus Fagius Argentinenſis.
VVendalinus Faber Parochus Seburgæ in Mansfeld.
Conradus Otingerus Phorcenſis, Udalrici Ducis VVürt. Concionator.
Bonifacius VVolfart, Verbi miniſter Eccleſ. Auguſt.
Johannes Æpinus Hamburgenſ. Superintendens ſubſcripſit propria manu.
Idipſum facit Johannes Amſterdamus Bremenſis.
Johannes Fontanus inferioris Haſſiæ Superintendens ſubſcripſit.
Fridericus Myconius, pro ſe & Juſto Menio ſubſcripſit.
Ambroſius Blaurerus.

Legi, & iterum atque iterum relegi Confeſſionem & Apologiam ab Illuſtriſſimo Principe Electore Saxoniæ, & aliis Principibus ac Statibus Romani Imperii Cæſareæ Majeſtati Auguſtæ oblatam. Legi item Formulam Concordiæ in re Sacramentaria VVittebergæ cum D. Bucero, & aliis inſtitutam. Legi etiam Articulos à D. Martino Luthero, Præceptore noſtro obſervandiſſimo,

in Smalcaldenſi conventu Germanica lingva conſcriptos, & libellum de Papatu, & de poteſtate ac jurisdictione Epiſcoporum. Ac pro mediocritate mea judico, hæc omnia convenire cum ſacra ſcriptura, & cum ſententia veræ καθολικῆς Catholicæ Eccleſiæ. Quanquam autem in tanto numero doctiſſimorum virorum, qui nunc Smalcaldiæ convenerunt, minimum omnium me agnoſcam, tamen quia mihi non licet exitum hujus conventus expectare, obſecro te, clariſſime vir, D. Johannes Bugenhagi, Pater in Chriſto obſervande, ut humanitas tua nomen meum, ſi opus fuerit, omnibus illis quæ ſupra commemorabi, adſcribat. Me enim ita ſentire, confiteri, & perpetuo doćturum eſſe per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, hoc meo Chirographo teſtor. Actum Smalcaldiæ XXIII. Februarii, Anno M. D. XXXVII.

JOHANNES BRENTIUS,
Eccleſiaſtes Hallenſis.

Enchi-

Digitized by Google

ENCHIRIDION:
CATECHISMUS MINOR
D. Martini Lutheri, pro Parochis & Concionatoribus.

PRÆFATIO D. MARTINI LUTHERI.

Martinus Lutherus omnibus fidelibus, piis Parochis & Concionatoribus Gratiam, miſericordiam & pacem in Chriſto Jeſu Domino noſtro precor.

MIſerabiles illa facies, quam proxime, cum viſitatorem agerem, vidi, me ad edendum hunc Catechiſmum, ſimpliciſſime & breviſſime tractatum, coegit. Deum immortalem! quantam calamitatem ibi vidi: vulgus, præſertim autem illud, quod in agris vivit, item plerique Parochi, adeo nullam Chriſtianæ doctrinæ cognitionem habent, ut dicere etiam pudeat. Et tamen omnes ſancto illo Chriſti nomine appellantur, & nobiſcum communibus utuntur Sacramentis, cum orationem Dominicam, Symbolum Apoſtolicum, & Decalogum non modo non intelligant, ſed ne verba quidem referre poſſint. Quid multis moror? nihil omnino à beſtiis differunt. Jam autem cum Evangelium paſſim doceatur, illi

vel maxime Christianorum libertate fruuntur. Quid hic Christo respondebitis Episcopi, quibus illa cura est divinitus demandata? Vos enim estis, quibus vel solis illa Christianæ religionis calamitas debetur. Vos permisistis ita turpiter errare homines, vestra ea est culpa, qui nihil minus unquam feciſtis, quam hoc, quod vestri officii erat facere. Nolo hoc quicquam mali vobis imprecari. Ea autem an non est summa impietas cum maxima impudentia conjuncta, quod unicam tantum speciem Sacramenti ac vestras traditiones urgetis? hoc prorsus contemnitis & negligitis, an illi, qui vestræ fidei & curæ commendati sunt, orationem Dominicam, Symbolum Apostolicum aut Decalogum teneant, nec ne? Væ væ vobis! Per Deum igitur omnes vos Parochos & Concionatores rogo atque obtestor, ut serio vestrum faciatis officium, & ut divinitus vobis commendatæ plebis agatis curam. Quod tum rectissime feceritis, si una nobiscum hunc Catechismum vulgo, præsertim autem junioribus, inculcetis. Quod si qui ex vobis adeo sunt indocti, ut omnino nullam harum rerum cognitionem habeant, illos non pudeat, suis auditoribus prælegere de verbo ad verbum, à nobis præscriptam hanc formam, in hunc modum:

PRIMO omnium hoc cavebunt Concionatores, ne subinde alio atque alio modo, vel Decalogum, vel Dominicam orationem, vel Symbolum Apostolicum, vel etiam Sacramenta proponant, sed ut perpetuo eadem utantur forma, in his proponendis & explicandis vulgo. Ideo autem hoc do consilium, quod sciam, non posse feliciter doceri simpliciores homines, & qui natu minores sunt, quam una atque eadem forma sæpius proposita ac repetita. Quod si jam isto, jam alio modo eadem proponas, facile perturbantur simpliciores animi, & fiet ut pereat omnis opera, quam in docendo ponis.

Atq; hoc viderunt sancti Patres, qui voluerunt Decalogi,

calogi, Symboli & Dominicæ orationis unam eandemque certis verbis descriptam formam in Ecclesia esse. Illorum diligentiam nos imitari convenit, & danda opera est, ut simplicioribus & junioribus sic illa proponamus, ut ne una quidem syllaba immutetur, quotiescunq; tandem Catechismum doceas & ut perpetuo sui similis sit tractatio. Quamcunque igitur tibi delegeris prædicandi Catechismi formam, eam perpetuo retinebis, neque unquam ab ea discedes. Alia autem ratio est, si in turba doctorum hominum Evangelium doceas, ibi enim eruditionis tuæ specimen edere potes, neque prohibeo, si apud illos tractationem varies, & subinde alium atque alium vultum dicendo fingas. Apud simpliciores autem perpetuo eadem certis verbis descripta forma uteris. Et debet is primus esse labor, ut Decalogum, Symbolum, item orationem Dominicam, de verbo ad verbum nude & simplicissime doceas, ut eadem sæpius audita, ipsi quoque auditores referre discant.

Quod si qui adeo religionem contemnunt, ut discere hæc nolint, illi monendi sunt, quod Christum negent, & quod nihil minus sint, quam Christiani. Atque illi neq; admittendi sunt ad Sacramentum altaris, neq; ad Catechistarum officium, qui pueris baptizandis adsunt. Et si Christianæ libertatis jure uti velint, ubi eis est commodum, non est illud eis concedendum, sed potius ad Papam atque eos, quos vocant Officiales, & ad ipsum quoque Satanam sunt ablegandi. Parentum autem & Patrumfamilias officium erit, negare talibus hominibus victum, & pulchre quoque fecerint, si efferatis illis hominibus indicent, eam Principis esse sententiam, ut in exilium aliquo delegentur, & ejiciantur è patria.

Quanquam enim sic sentiam, ad fidem neminem vel posse vel debere cogi, hoc tamen omnino faciendum est, ut teneat vulgus, quid jus, quid item contra jus illorum sit, cum quibus vivit, & suum quæritat victum,

Hoc enim requiritur, ut quisque ſuæ civitatis jura, quibus ceu privilegio quodam uti volit, norit & obſervet, ſive credat vere, ſive perditus aliquis ſit nebulo.

Secundum. Cum ſimpliciores illa jam Catechiſmi verba bene enumerare didicerint, tradenda poſt quoque eſt eis explicatio, ut ea etiam intelligant. Potes autem vel hac noſtra forma, quam hic præſcriptam vides, vel alia quadam uti. Sicut autem, ut ante monui, Catechiſmus nudus iisdem ſemper verbis vulgo proponendus eſt, ita in expoſitione Catechiſmi, cuperem perpetuo eandem tractationem ſequendam, ne quidem immutata unica ſyllaba. Sumes autem ad eam rem ſatis temporis, neque enim neceſſe eſt omnia ſimul propoſuiſſe, ſed ſunt faciendi ordines, & in tractando alterum alteri rite convenit ſubjicere; Ut ſi jam eacte tenuerint, quidnam primum præceptum poſtulet, tum ad ſecundum eſt pergendum. Ut ſic omnia doceantur certo ordine, alias enim fiet, ut nimia copia obrutæ & perturbatæ mentes nihil prorſus retineant.

Tertio. Poſtquam hanc brevem Catechiſmi expoſitionem abſolviſti, tum illam longiorem tractationem ingredieris, ut plenius omnia auditores intelligant. Ibi ſingula præcepta, ſingulas Symboli & orationis Dominicæ partes, ſuis illuſtrabis coloribus, varie enumerabis opera, varios fructus & commoda, quæ inde enaſcuntur. Item pericula & damna quoque, in quæ conjicimur, ſi minus ea præſtemus. Inveniemus autem iſta paſſim piorum hominum ſcriptis copioſe explicata. Porro maxime urgebis illa præcepta, in quæ potiſſimum committere tui loci homines, vides. Et ut ejus rei exempla ſubjiciam, Septimum præceptum potiſſimum urgebis apud mercatores, & apud illos, qui manuarias exercent operas. Commode quoque hoc præceptum apud agricolas, ſervos & ſervas urgetur, illi enim peſſima fide cum hominibus agunt, & variis modis

dis committuntur furta. Sic quartum præceptum apud imperitum vulgus, & minores natu potiſſimum urgere convenit, ut ſint quieti, bona fide omnia agant, pareant magiſtratibus & parentibus, publicam pacem non perturbent. Sunt autem hæc ſacrarum literarum hiſtoriis illuſtranda, ubi Deus, vel graves pœnas à transgreſſoribus hujus præcepti exegit, vel illorum, qui ſerviunt, omnia cœpta mirabiliter fortunavit.

Hoc quoque inprimis eo loco ages, ut commoneas ſui officii Magiſtratum & Parentes, ut ſumma diligentia publica munera obeant, & ſuos liberos ad literarum ſtudia adhibeant. Sic autem commonendi ſunt, ut ſentiant ſe debere illa ex divino mandato, quæ ſi minus faciant, graviſſime à ſe eſſe peccatum. Quid enim illi faciunt aliud, quam ut ſimul & divinam & humanam adminiſtrationem tollant, non aliter atque infenſiſſimi tum Dei, tum hominum hoſtes?

Atque hic ceu in tabula ſpectandum propones, quam gravia damna rebus publicis dent illi, qui ſuos liberos non adhibent ad literas, ut in Parochos, in miniſtros verbi, item ad alia officia, quorum hæc vita non ſine magna calamitate carere poteſt, aliquando deligi poſſint. Hoc quoq; addes, Deum graviſſimas pœnas pro illo peccato à parentibus expetiturum. Et ſane haud ſcit, an ſit alius locus, qui æque merebatur tractari, atq; hic. Neq; enim dici poteſt, quantum hac in parte à Magiſtratibus & Parentibus noſtro ſeculo peccetur. Non autem dubium eſt, quin id à Satana fiat, eo conſilio, ut in maximam calamitatem Germaniam conjiciat.

Poſtremo; Quoniam Papæ tyrannis imminuta & labefactata jam eſt, multos paſſim invenias, qui ad Sacramentum nunquam accedunt, ſed contemnunt plane, ceu rem inutilem & non neceſſariam. Illi quoq; impellendi & urgendi ſunt, hac tamen ratione: Nolo ego quenquam neque ad fidem, neque ad Sacramenta cogi, & male faciunt illi, qui leges, certa tempora, aut certa loca, ad tales res, præſcribunt. Sic

Sic tamen docere illi, qui in officio Verbi sunt, debent, ut sine nostris legibus, ultro sua voluntate coacti, auditores ad nos veniant, & nos ministros verbi cogant quasi ad porrigendum Sacramentum. Id quod tum fiet, si sic doceas: Periculum esse ne ii contemnant Sacramentum, neque digni sint, qui in Christianorum numero censeantur, qui non in anno quater administum Sacramentum sumant. Quemadmodum neque illi in Christianorum numero censendi sunt, qui Evangelio vel non credunt vel illud non audiunt. Neque enim Christus, cum institueret Sacramentum, dixit:
1. Cor. 11, 25. Hoc omittite vel condemnite; sed: Hoc facite, quotiescunque biberitis, &c. Hoc certe vult ut faciamus, non vult, ut aut prorsus intermittamus aut contemnamus, sic enim ait: Hoc facite.

Quod si quis Sacramentum contemnit, certum id est argumentum, quod neque is peccatum, neque carnem, neque Satanam, neque mundum, neque mortem, neque pericula, neque infernum habeat. Hoc est, quod prorsus nihil horum credat, quanquam totus immersus sit peccatis, & in Satanæ regno gravissime teneatur captivus. Contra, non gratia, non vita, non Paradiso, non cœlo, non Christo, non Deo, neque ullo alio bono, opus habeat. Nam si crederet, se peccatis obrutum, longissime à gratia abesse, sine dubio hoc Sacramentum non contemneret, in quo contra peccata remedium, & tanta omnium bonorum copia nobis exhibetur. Neq; etiam huic ullis legibus opus esset, quibus ad Sacramentum sumendum cogeretur, ipse sua sponte accurreret, coacto peccatorum mole, & te potius cogeret ad porrigendum sibi Sacramentum.

Non igitur hic legibus agendum est, id quod Papa fecit. Hoc fac, ut oratione, quantum potes, hujus Sacramenti commoda & incommoda, pericula & bona, item necessitatem cum summa utilitate conjunctam, exaggeres. Tum fiet, ut ultro accurrant, & ipsi se cogant.

Digitized by Google

gant. Quod ſi his nihil moveantur aliqui, ſine eos ſuo vivere more. Hoc tantum eis dices, quod in Satanæ regno, qui nihil, neque ſua neceſſitate, neque Dei benignitate & gratia, quam eis in Sacramento exhibet, moveantur. Qui vero hoc modo ſuos auditores non urgent,& legibus eos potius volunt cogere, illi occaſionem contemnendi Sacramenti illis præbent. Cum enim miniſtri verbi adeo ſint oſcitantes,non eſt mirum, ſi auditores quoque ſint negligentiores. Hoc igitur probe conſiderent Parochi & Miniſtri verbi,longe jam aliud ſuum eſſe officium, quam olim in Papatu fuerit. Jam enim eſt miniſterium ſalutis & gratiæ, fit igitur quoque difficilius & laborioſius. Et cum graviſſima pericula & tentationes in miniſterio ſint perferendæ, tamen neque laborum præmium,neque gratias in mundo meretur. Verum nihil nos illa mundi ingratitudo cum ſumma impietate conjuncta, moveat. Chriſtus ipſe nobis ſatis ampla præmia propoſuit,ſi modo fideliter in ejus vinea laboraverimus. Id autem ut commodius poſſimus, faxit Pater omnis gratiæ; Cui ſit laus & gloria in ſecula, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

(O)

DE-

DECEM PRÆCEPTA, QUOMODO PATERFAMILIAS EA suæ familiæ simpliciſſime tradere debeat.

I. PRÆCEPTUM.

Non habebis Deos alienos.

Quæ eſt hujus præcepti ſententia?

RESPONSIO.

Debemus Deum ſupra omnia timere, diligere, & illi confidere.

II. PRÆCEPTUM.

Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum: Non enim habebit inſontem Dominus eum, qui aſſumſerit nomen ejus in vanum.

Quæ eſt hujus præcepti ſententia?

RESPONSIO.

Debemus Deum timere & diligere, ne per nomen ejus imprecemur, juremus, incantemus, mentiamur, aut dolis fallamus; Sed in omni neceſſitate illud invocemus, adoremus, & cum gratiarum actione laudemus.

III. PRÆCEPTUM.

Memento, ut diem Sabbati ſanctifices.

Quæ eſt hujus Præcepti ſententia?

RESPONSIO.

Debemus Deum timere & diligere, ne divinos ſermones, & ejus verbum contemnamus; Sed ut ſanctum reputemus, libenter audiamus & diſcamus.

IV. PRÆ-

Digitized by Google

IV. PRÆCEPTUM.

Honora patrem & matrem, ut bene ſit tibi, & ſis longævus ſuper terram.

Quæ eſt hujus præcepti ſententia?

RESPONSIO.

Debemus Deum timere & diligere, ne Parentes & Dominos noſtros contemnamus, neque ad iram commoveamus; Sed honore afficiamus, illis ſerviamus, morem geramus, amore eos proſequamur & magnificiamus.

V. PRÆCEPTUM.

Non occides.

Quæ eſt hujus præcepti ſententia?

RESPONSIO.

Debemus Deum timere & diligere, ne vitæ proximi noſtri incommodemus, aut ægre faciamus; Sed illum adjuvemus & promoveamus, in omnibus vitæ & corporis neceſſitatibus & periculis.

VI. PRÆCEPTUM.

Non mœchaberis.

Quæ eſt hujus præcepti ſententia?

RESPONSIO.

Debemus Deum timere & diligere, ut caſte & pudice vivamus, in verbis ac operibus, & unusquisque ſuam conjugem amet ac honoret.

VII. PRÆ-

VII. PRÆCEPTUM.

Non furtum facies.

Quæ est hujus præcepti sententia?

RESPONSIO.

Debemus Deum timere & diligere, ne proximo pecuniam, aut bona auferamus, neque falsis mercibus aut impostura ad nos pertrahamus; Sed demus operam ut illius opes conserventur, & ejus conditio melior reddatur.

IIX. PRÆCEPTUM.

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

Quæ est hujus præcepti sententia?

RESPONSIO.

Debemus Deum timere & diligere, ne proximum falsis mendaciis involvamus, prodamus, traducamus, aut infamia aliqua afficiamus; Sed illum excusemus, bene de eo sentiamus, & loquamur, & omnia in meliorem partem accipiamus & interpretemur.

IX. PRÆCEPTUM.

Non concupisces domum proximi tui.

Quæ est hujus præcepti sententia?

RESPONSIO.

Debemus Deum timere & diligere, ne hæreditatem vel domum proximi dolo malo captemus, & sub specie juris & recti, nostris facultatibus adjungamus: Sed potius eum juvemus, ut suas fortunas retineat integras.

X. PRÆ-

Digitized by Google

X. PRÆCEPTUM.

Nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia, quæ illius sunt.

Quæ est hujus præcepti sententia?

RESPONSIO.

Debemus Deum timere & diligere, ne a proximo uxorem, servos, ancillas, vel pecudes abalienemus, aut abstrahamus; Sed eos adhortemur, & urgeamus, ut maneant, & suum officium diligenter faciant.

Quid autem summatim dicit Deus de his præceptis omnibus.

RESPONSIO.

Sic dicit Exod. XX.

Ego Dominus Deus tuus, sum fortis zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem, eorum, qui oderunt me: & faciens misericordiam in millia, his, qui diligunt me. & custodiunt præcepta mea. *Exod. 20, 5.*

Quæ est horum verborum sententia?

RESPONSIO.

Deus minatur pœnam omnibus, qui ista præcepta transgrediuntur & violant. Debemus itaque expavescere, & timere iram Dei, & nihil contra hujusmodi præcepta facere: Rursus promittit etiam suam gratiam, & omnia bona omnibus, qui mandata illa observant. Merito igitur debemus Deum diligere, & illi confidere, & juxta mandata ejus omnem nostram vitam sedulo & diligenter instituere.

SYMBOLUM APOSTOLICUM, QVOMODO PATERFAMILIAS id ſuæ familiæ ſimpliciſſime tradere debeat.

PRIMUS ARTICULUS
DE CREATIONE.

Credo in Deum Patrem, omnipotentem Creatorem cœli & terræ.

Quæ eſt hujus articuli ſententia?

RESPONSIO.

Credo, quod Deus creavit me, una cum omnibus creaturis. Quod corpus & animam, oculos, aures, & omnia membra, rationem & omnes ſenſus mihi dederit, & adhuc ſuſtentet: Adhæc, quod veſtes & calceos, cibum ac potum, domum, uxorem, liberos, agros, jumenta & omnia bona, cum omnibus vitæ neceſſariis, copioſe & quotidie largiatur: Me contra omnia pericula protegat, & ab omnibus malis liberet & cuſtodiat: Et hæc omnia ex mera ſua paterna ac divina bonitate & miſericordia, ſine ullis meis meritis, aut ulla dignitate: pro quibus omnibus illi gratias agere, pleno ore laudem tribuere, inſervire, obſequi, merito debeo. Hoc certiſſime verum eſt.

SECUNDUS ARTICULUS
DE REDEMTIONE.

Et in Jeſum Chriſtum, filium ejus unicum, Dominum noſtrum, qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria virgine, paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mor-

Digitized by Google

mortuus & ſepultus. Deſcendit ad infernа. Tertia die reſurrexit à mortuis. Aſcendit in cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos.

Quæ eſt hujus articuli ſententia?

RESPONSIO.

Credo, quod Jeſus Chriſtus, verus Deus à Patre ante ſecula genitus: idemque verus homo, natus ex Maria virgine, ſit meus Dominus, qui me perditum & damnatum hominem redemit, & ab omnibus peccatis, à morte, à poteſtate Satanæ liberavit: non quidem auro & argento, ſed ſuo ſancto ac pretioſo ſanguine, ſuaque innocente paſſione ac morte, ut ego eſſem totus ipſius, & in regno ejus ſub ipſo viverem, ac ei ſervirem, in perpetua juſtitia, innocentia, & beatitudine, perinde ac ipſe à morte ſurrexit, vivit & regnat in æternum. Hoc certiſſime verum eſt.

TERTIUS ARTICULUS
DE SANCTIFICATIONE.

Credo in Spiritum Sanctum, ſanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, & vitam æternam, Amen.

Quæ eſt hujus articuli ſententia?

RESPONSIO.

Credo, me propriis rationis meæ viribus, Jeſu Chriſto Domino meo fidere, aut ad eum accedere, &

pervenire, nullo modo posse : Sed Spiritus S. per Evangelium me vocavit, suis donis illuminavit, in recta fide sanctificavit, & conservavit : Quemadmodum solet totam Ecclesiam in terra vocare, congregare, illuminare, sanctificare, & in Jesu Christo per veram ac unicam fidem conservare : in qua Ecclesia mihi & omnibus Christianis, omnia peccata quotidie benigne remittit, & nos omnes in extremo die à morte suscitabit, ac mihi & omnibus in Christum credentibus vitam æternam dabit. Hoc certissime verum est.

ORATIO DOMINICA, QUOMODO PATERFAMILIAS eam suæ familiæ simplicissime tradere debeat.

Pater noster, qui es in cœlis.

Quæ est horum verborum sententia?

RESPONSIO.

Deus amanter nos hac præfatiuncula invitat, ut vere credamus, eum nostrum verum Patrem, nosque ejus veros filios esse, ut eum confidentius pleni fiducia invocemus : quemadmodum videmus, liberos certa fiducia aliquid à parentibus suis petere.

PRIMA PETITIO.

Sanctificetur nomen tuum.

Quæ est hujus petitionis sententia?

RESPONSIO.

Nomen Dei per se quidem sanctum est ; Verum nos ora-

oramus hac petitione, ut apud nos quoque ſanctificetur.

Qua ratione fit iſtud?

RESPONSIO.

Cum verbum Dei pure ac ſincere docetur, & nos ſecundum illud, ut filios Dei decet, pie vivimus, quod ut fiat, dona nobis, mi pater, qui es in cœlis. Qui vero aliter docet, vel vivit, quam verbum Dei docet, ille nomen Dei inter nos prophanat. Ne autem hoc accidat, tu prohibe, mi pater cœleſtis.

II. PETITIO.

Adveniat regnum tuum.

Qua eſt hujus petitionis ſententia?

RESPONSIO.

Regnum Dei venit etiam per ſe, ſine noſtra oratione; Sed petimus hac precatione, ut ad nos quoque perveniat.

Qua ratione fit iſtud?

RESPONSIO.

Cum Pater cœleſtis dat nobis ſuum Sanctum Spiritum, qui efficit gratia ſua, ut ſancto ejus verbo credamus, ac pie vivamus, cum in hoc tempore, tum poſtea in æternum.

III. PETITIO.

Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, ſic & in terra.

Qua eſt hujus petitionis ſententia?

RESPONSIO.

Bona ac miſericors Dei voluntas fit quoque ſine noſtra oratione; Sed rogamus hac petitione, ut etiam apud nos fiat.

Qua ratione fit istud?

RESPONSIO.

Cum Deus frangit ac impedit omne malum consilium, voluntatem, & conatus, qui obstant, quo minus nomen Dei sanctificemus, regnumque ejus ad nos pervenire possit, ut est diaboli, mundi, & carnis nostræ voluntas. Deinde cum confortat & conservat nos firmiter in suo verbo ac fide, usque ad finem vitæ nostræ. Hæc est misericors ac bona ipsius voluntas.

IV. PETITIO.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Qua est hujus petitionis sententia?

RESPONSIO.

Deus dat quidem omnibus panem quotidianum, quamvis non petamus, etiam malis hominibus. At nos precamur hac petitione, ut agnoscamus hoc beneficium, atque ita panem nostrum quotidianum cum gratiarum actione accipiamus.

Quid autem significat panis quotidianus?

RESPONSIO.

Significat omne, quod ad vitæ nostræ necessitatem ac sustentationem pertinet, videlicet cibum, potum, vestes, calceos, domum, aream, agros, pecudes, pecuniam, divitias, probam conjugem, probos liberos, probos servos, probum ac fidum magistratum, bonum Reipublicæ statum, salubrem aerem, pacem, sanitatem, modestiam, honorem, bonos amicos, fidos vicinos, & id genus alia.

V. PETITIO.

Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris.

Qua

Digitized by Google

Quæ est hujus petitionis sententia?

RESPONSIO.

Petimus hac precatione, ne pater cœlestis velit respicere & examinare peccata nostra, & propter ista nostram orationem repudiare: Quandoquidem nullis rebus, quas petimus, digni sumus, nec quicquam mereri possumus. Sed ut velit nobis sua gratia & bonitate donare omnia: Quia quotidie multifariam peccamus, & nihil nisi pœnas meremur. Vicissim autem ex corde condonabimus, quicquid in nos peccaverint alii, & pro maleficio libenter reddemus beneficium.

VI. PETITIO.

Et ne nos inducas in tentationem.

Quæ est hujus petitionis sententia?

RESPONSIO.

Deus quidem neminem tentat, sed tamen petimus hac petitione, ut ipse nos custodiat & conservet, ne Satanas, mundus & caro nostra nobis imponant, & nos à recta fide seducant, & in superstitionem, diffidentiam, desperationem atque alia gravia scelera & flagitia conjiciant. Et ut maxime ejusmodi tentationibus solicitemur, ne succumbamus, sed ut tandem vincamus ac triumphemus.

VII. PETITIO.

Sed libera nos à malo.

Quæ est hujus petitionis sententia?

RESPONSIO.

Oramus hac precatione tanquam in summa, ut Pater noster cœlestis liberet nos ab omnibus malis ac periculis, corporis & animæ, bonorum & honorum: Et

ut tandem, cum hora mortis venerit, felicem vitæ exitum nobis largiatur, nosque pro ſua gratuita bonitate, ex hac miſeriarum valle ad ſe in cœlum recipiat,

AMEN.

Quæ eſt hujus vocabuli ſignificatio?

AMEN ſignificat idem, quod, certe, ut ſcilicet ego ſim certus, ejusmodi petitiones Patri noſtro cœleſti eſſe acceptas atque ab eo exauditas. Quia ipſe nobis mandavit, ut ad hunc modum oremus, promiſitque ſe nos exauditurum eſſe, Amen, Amen, id eſt, vere, certe, hæc ita fient.

Aug. Conf 12. Apol. 156. Art. Sm. 319. Cat. Maj. 401.

SACRAMENTUM BAptiſmi, quomodo de eo paterfamilias ſuam familiam ſimpliciſſime docere debeat.

PRIMUM.

Quid eſt Baptiſmus? Reſponſio.

Baptiſmus non eſt ſimpliciter aqua, ſed eſt aqua divino mandato comprehenſa, & verbo Dei obſignata.

Quid eſt illud verbum Dei? Reſponſio.

Ubi Dominus noſter Jeſus Chriſtus dicit, Matthæi ultimo: Euntes docete omnes gentes. Baptiſantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

Matth. 28, 19.

SECUNDUM.

Quid præſtat aut confert Baptiſmus?

RESPONSIO.

Operatur remiſſionem peccatorum, liberat à morte, &

& à diábolo, & donat æternam beatitudinem omnibus & ſingulis, qui credunt hoc, quod verba & promiſſiones divinæ pollicentur.

Quid ſunt illa verba & promiſſiones divina?

RESPONSIO.

Ubi Dominus noſter Jeſus Chriſtus dicit, Marci ultimo: *Marc. 16, 16.*

Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit. Qui vero non crediderit, condemnabitur.

TERTIUM.

Qui poteſt aqua tam magnas res efficere?

RESPONSIO.

Aqua certe tantas res non efficit; Sed verbum Dei, quod in & cum aqua eſt, & fides, quæ verbo Dei aquæ addito credit. Quia aqua ſine verbo Dei eſt ſimpliciter aqua, & non eſt Baptiſmus. Sed addito Verbo Dei eſt Baptiſmus, hoc eſt, ſalutaris aqua gratiæ & vitæ, & lavacrum regenerationis in Spiritu Sancto, ſicut Paulus ait ad Tit. 3. Secundum ſuam miſericordiam nos ſalvos *Tit. 3, 5.* fecit, per lavacrum regenerationis ac renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos opulenter per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum, ut juſtificati illius gratia, hæredes efficeremur juxta ſpem vitæ æternæ: Fidelis hic ſermo eſt.

QUARTUM.

Quid autem ſignificat iſta in aquam immerſio?

RESPONSIO.

Significat, quod vetus Adam, qui adhuc in nobis eſt, ſubinde per quotidianam mortificationem ac pœni-

tentiam in nobis submergi & extingui debeat, una cum omnibus peccatis & malis concupiscentiis, atque rursus quotidie emergere ac resurgere novus homo, qui in justitia & puritate coram Deo vivat in æternum.

Ubi hoc scriptum est?

RESPONSIO.

Rom. 6, 4. Sanctus Paulus ad Rom. 6. dicit: Sepulti igitur sumus una cum Christo, per Baptismum in mortem, ut quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.

DE CONFESSIONE,

Quomodo simpliciores de ea eruditi sint.

Aug. Conf. 12. Apol. 158. Art. Sm. 330.

Quid est Confessio?

RESPONSIO.

CONFESSIO duo comprehendit, unum est peccata confiteri: alterum est absolutionem sive remissionem à confessionario sive præcone Evangelii accipere, tanquam ab ipso Deo, & non dubitare, sed firmiter credere, peccata per illam absolutionem coram Deo in cœlo remissa esse.

Quæ peccata sunt confitenda?

RESPONSIO.

Coram Deo omnium peccatorum reos nos sistere debemus, etiam eorum, quæ nobis sunt abscondita, sicut in oratione Dominica facimus. Coram ministro autem debemus tantum ea peccata confiteri, quæ nobis cognita sunt, & quæ in corde sentimus.

Quænam sunt ista? Responsio.

Hic unusquisque examinet vitæ suæ statum secundum decalogum, an pater, mater, filius, filia, dominus, hera,

hera, ſervus ſis : an contumax, infidelis, negligens fueris : an aliquem læſeris dictis, factis : an furtum commiſeris, aut injuria, ignavia & ſegnitie damnum alicui intuleris.

BREVIS FORMA CONFESSIONIS PRO RUDIORIBUS.

In hunc modum alloqui debes miniſtrum verbi:

Reverende & dilecte Domine, rogo te, ut confeſſionem meam audias, & mihi propter Deum remiſſionem annuncies.

MIſer ego peccator confiteor coram Deo, me omnium peccatorum reum eſſe, inprimis confiteor coram te, me quidem ſervum, ancillam, &c. eſſe, ſed infideliter ſervire Domino meo : non enim feci, non facio, quæ mihi injungit, irritavi, & ad maledicendum commovi dominum vel dominam meam, multa neglexi, & damno cauſam præbui, &c. in verbis & factis petulantem me præbui, impatiens fui, obſtrepui, &c. ideo doleo, gratiam imploro, emendationem promitto.

Herus aut hera ſic dicant:

INprimis confiteor coram te, me non diligentem fuiſſe in fideli educatione & inſtitutione liberorum & familiæ ad gloriam Dei : blaſphemavi, nomine Dei abuſus ſum, malum exemplum prava loquens & faciens præbui, vicinos læſi, multis obtrectavi, pondera & menſuras violavi, decepi proximum vendendo merces, &c. Et ſi quid aliud contra præcepta Dei in cujusque vocatione occurrit, &c.

Si vero quis non ſentit, ſe onerari talibus aut gravioribus peccatis, is non ſit ſolicitus, nec quærat aut fingat peccata, ne ex Confeſſione carnificinam faciat, ſed unum atque alterum peccatum ſibi notum recitet, ut: Imprimis confiteor, me abuſum eſſe nomine divino, verbis impudicis uſum, hoc vel illud neglexiſſe &c. Sic ſane quieſcat animus.

Si vero plane nullius tibi conſcius es, (quod propemodum impoſſibile eſt) nullum etiam in ſpecie recites, ſed accipias remiſſionem, facta generali confeſſione, quam coram Deo ad miniſtrum pronuncias.

Reſpondeant autem miniſter: Deus tibi ſit propitius, & confirmet fidem tuam, Amen.

Interroget etiam confitentem: Num meam remiſſionem credis eſſe Dei remiſſionem? Affirmanti & credenti porro dicat: Fiat tibi, ſicut credis. Et ego ex mandato Domini noſtri Jeſu Chriſti, remitto tibi tua peccata in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti, Amen. Vade in pace.

Qui vero conſcientias habent afflictas, tentatas, mœſtas, eos miniſter pluribus ſententiis ſcripturæ facientibus ad fidei incrementum conſolabitur.

Hæc, quam commemoravimus, tantum eſt puerilis & communis forma Confeſſionis pro ſimplicioribus & rudioribus.

SACRAMENTUM ALTARIS, quomodo paterfamilias ſimpliciſſime ſuam familiam de eo docere debeat.

Quid eſt Sacramentum Altaris?

RESPONSIO.

Aug. Conf. 12. Apol. 157. Art. Sm. 330. Cat. Maj. 402. Sacramentum Altaris eſt verum corpus & verus ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſub pane & vino, nobis Chriſtianis ad manducandum ac bibendum ab ipſo Chriſto inſtitutum.

Ubi

Digitized by Google

Ubi hoc ſcriptum eſt?

RESPONSIO.

Sic ſcribunt ſancti Evangeliſtæ, Matthæus, Marcus Lucas & ſanctus Paulus:

Dominus noſter Jeſus Chriſtus, in ea nocte, qua traditus eſt, accepit panem, & poſtquam gratias egiſſet, fregit & dedit diſcipulis ſuis, dicens: Accipite, comedite: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in mei commemorationem.

Similiter & poſtquam cœnavit, accepit calicem, & cum gratias egiſſet, dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic calix N. T. eſt in meo ſanguine, qui pro vobis effunditur in remiſſionem peccatorum: Hoc facite, quotiescunque biberitis, in mei commemorationem.

Quid vero prodeſt, ſic comediſſe & bibiſſe?

RESPONSIO.

Id indicant nobis hæc verba: Pro vobis datur & effunditur in remiſſionem peccatorũ. Nempe, quod nobis per verba illa in Sacramento remiſſio peccatorum, vita, juſtitia & ſalus donentur. Ubi enim remiſſio peccatorum eſt, ibi eſt & vita & ſalus.

Qui poteſt corporalis illa manducatio tantas res efficere?

Manducare & bibere iſta certe non efficiunt, ſed illa verba, quæ hic ponuntur: Pro vobis datur & effunditur in remiſſionem peccatorum, quæ

quæ verba ſunt una cum corporali manducatione caput & ſumma hujus Sacramenti. Et qui credit his verbis, ille habet, quod dicunt,& ſicut ſonant;Nempe remiſſionem peccatorum.

Quis utitur hoc Sacramento digne?

RESPONSIO.

Jejunare & corpus ſuum præparare, eſt quidem bona & externa diſciplina. At ille eſt vere digne ac probe paratus,qui habet fidem in hæc verba: **Pro vobis datur & effunditur in remiſſionem peccatorum.** Qui vero his verbis non credit, aut de illis dubitat, ille eſt indignus ac imparatus. Quia hoc verbum, PRO VOBIS, poſtulat omnino cor, quod Deo credat.

QVO PACTO PATRES-familias ſuam familiam formas Benedictionis, unam mane, alteram veſperi dicendam,ſimpliciſſime docere debeant.

Mane cum ſurgis è lecto, ſignabis te ſigno ſanctæ crucis, dicens:

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

Deinde innitens genibus,vel ſtans,dicas Symbolum & Orationem Dominicam. His potes & hanc precatiunculam addere:

GRatias ago tibi,mi pater cœleſtis, per Jeſum Chriſtum, Filium tuum dilectum, quod me hac nocte ab omnibus incommodis ac periculis conſervatum cuſto-

Digitized by Google

cuſtodieris. Et oro te,ut me hac die quoque conſervare, & à peccato & omnibus malis cuſtodire velis, ut tibi omnia mea facta,atque adeo tota vita bene placeant. Quia ego me, meumque corpus & animam, ac omnia in manus tuas commendo. Tuus ſanctus Angelus ſit mecum,ne diabolus quidquam in me poſſit,Amen.

Poſtea alacriter ad vocationis tuæ operas accedendum eſt cantato Pſalmo,Decalogo, vel alio carmine, quo excitetur cor tuum.

SIMILITER veſperi,cum confers te cubitum,ſignabis te ſigno ſanctæ crucis, dicens:

In nomine Patris,& Filii,& Spiritus Sancti, Amen.

Deinde flexis genibus,vel ſtans,dicas Symbolum & Orationem Dominicam. His potes & hanc precatiunculam addere:

GRatias ago tibi, mi Pater cœleſtis, per Jeſum Chriſtum, Filium tuum dilectum, quod me hac die gratuita miſericordia & bonitate tua cuſtodieris. Et oro te, ut mihi omnia peccata mea, quæ perpetravi, & quibus offendi te, remittere, & me hac nocte, tua gratia benigne conſervare velis. Quia ego me, meumque corpus & animam, ac omnia in manus tuas commendo: Tuus ſanctus Angelus ſit mecum, ne diabolus quidquam in me poſſit, Amen.

Atq; ita tandem placide & tranquille dormiendū eſt.

QVO

Quo pacto Patresfamilias ſuam Benedictionem Menſæ, & gratiarum actionem ſimpliciſſime docere debeant.

BENEDICTIO MENSÆ.

Pueri una cum familia debent complicatis manibus modeſtiam præ ſe ferentes, ad menſam accedere & ſic orare:

OCuli omnium in te ſperant, Domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.

(SCHOLION. Benedictio hic ſignificat largam diſtributionem Dei, qui omnibus animantibus tantum cibi ſuppeditat, ut inde hilariter & jucunde vivere poſſint. Hanc benedictionem & lætitiam, ac acquieſcentiam impediunt ſolicitudo prohibita, cura, avaritia, tenacitas.)

Deinde addant Orationem Dominicam, cum oratione ſequenti:

Domine Deus Pater cœleſtis, benedic nobis & his donis tuis, quæ de tua largitate ſumimus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

GRATIARUM ACTIO.

Sic quoque poſt cibum ſumptum, ad eundem modum modeſte complicatis manibus ad menſam aſſiſtant & dicant:

Con-

Digitized by Google

CONfitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus. Qui dat escam omni carni. Qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis Corvorum invocantibus eum. Non in fortitudine equi voluntatem habebit, neq; in tibiis viri beneplacitum erit ei. Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia ejus.

Deinde addant Orationem Dominicam, cum oratione sequenti:

Gratias agimus tibi, Domine Deus Pater, per Jesum Christum, Dominum nostrum, pro universis beneficiis tuis: Qui vivis & regnas in secula seculorum, Amen.

TABULA OECONOMICA,

In qua proponuntur elegantes quædam ex sacra Scriptura sententiæ, pro omnibus sanctis ordinibus ac statibus, per quas illi, tanquam propria quadam lectione, sui officii & muneris admonentur.

EPISCOPIS, PAROCHIS ET CONCIONATORIBUS.

OPortet Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris maritum, vigilantem, sobrium, modestum, hospitalem, aptum ad docendum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed

æquum, alienum à pugnis, alienum ab avaritia, qui suæ domui bene præsit, qui liberos habeat in subjectione, cum omni reverentia, non novitium, tenacem fidelis sermonis, qui secundum doctrinam, ut potens sit exhortari doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere, &c. 1. ad Tim. 3. & ad Titum 1.

1. Tim. 3, 2. 3. Tit. 1, 6. 7.

QVID DEBEANT AUDITORES EPISCOPIS SUIS.

1. Cor. 9, 14. Galat. 6, 6.

DOminus ordinavit his, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere, 1. Cor. 9. Communicet Doctori in omnibus bonis, is, qui docetur verbo, Galat. 6. Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in Verbo & doctrina. Dicit enim scriptura: Non obligabis os bovi trituranti. Et: Dignus est operarius mercede sua. Obedite præpositis vestris, & cedite eis. Ipsi enim vigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes, hoc enim non expedit vobis.

DE MAGISTRATIBUS.

Rom. 13, 1.

OMnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit. Non enim est potestas, nisi à Deo. Quæ vero sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt. Itaque quisquis resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem restiterint, sibi ipsis judicium accipient: Non enim frustra gladium gestat. Nam Dei minister est, Ultor ad iram ei, quod malum est, fecerit, Rom. 13.

QVID SUBDITI MAGISTRATIBUS DEBEANT.

Matth. 22, 21.

REddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari Matth. 22. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, &c. Ideoque necessitate subditi estote, non solum propter iram,

Digitized by Google

propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Ideo enim & tributa præſtatis. Miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem, Rom. 13. Adhortor primum omnium fieri obſecrationes, orationes, interpellationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus, qui in ſublimitate conſtituti ſunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus, cum omni pietate & gravitate, 1. Tim. 2. Admone illos, Principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe, &c. Tit. 3. Subditi eſtote omni humanæ creaturæ, propter Dominum, ſive Regi, tanquam præcellenti, ſive ducibus, tanquam ab eo miſſis, &c. 1. Petr. 2.

Rom. 13, 6. 7.
1. Tim. 2, 1.
Tit. 3, 1.
1. Petr. 2, 13.

MARITIS.

VIri cohabitent cum uxoribus ſecundum ſcientiam, veluti infirmiori vaſi muliebri impertientes honorem, tanquam etiam cohæredibus gratiæ vitæ, ne interrumpantur preces veſtræ, 1. Petri 3. Viri, diligite uxores, & ne ſitis amarulenti adverſus illas, Coloſſ. 3.

1. Petr. 3, 7.
Coloſſ. 3, 19.

UXORIBUS.

SImiliter uxores ſubditæ ſitis veſtris viris tanquam Domino, quemadmodum Sara obedivit Abrahæ, Dominum illum appellans, cujus factæ eſtis filiæ, dum benefacitis, & non terremini ullo pavore, 1. Petr. 3. Epheſ. 5.

1. Petr. 3, 6.
Epheſ. 5, 22.

PARENTIBUS.

PArentes, ne provocetis ad iram liberos veſtros; ſed educetis eos per eruditionem & correptionem Domi, Epheſ. 6.

Eph. 6, 4.

Digitized by Google

LIBERIS.

FIlii, obedite parentibus vestris in Domino, nam id est justum: Honora patrem tuum & matrem tuam; Quod est præceptum primum in promissione. Ut bene tibi sit, & sis longævus in terra, Eph. 6.

Eph. 6, 1.

SERVIS, ANCILLIS, MERCENARIIS, ET CÆTERIS AD LABOREM CONDUCTIS.

SErvi, obedite iis, qui Domini sunt secundum carnem, cum timore ac tremore, cum simplicitate cordis vestri, tanquam Christo. Non ad oculum servientes, veluti hominibus placere studentes, sed tanquam servi Christi, facientes, quæ vult Deus, ex animo, cum benevolentia, servientes Domino, & non hominibus, illud scientes, quod unusquisque, quod fecerit bonum, hoc reportaturus sit à Deo, sive servus fuerit, sive liber, Ephes. 6. & Coloss. 3.

Eph. 6, 9.
Coloss. 3, 22.

PATRIBUSFAMILIAS ET MATRIBUSFAMILIAS.

ET vos Domini, eadem facite erga illos, remittentes minas: scientes, quod & vester ipsorum Dominus sit in cœlis, nec personæ respectus sit apud illum, Eph. 6. Coloss. 4.

Ephes. 6, 9.
Coloss. 4, 1.

COMMUNI JUVENTUTI.

SImiliter juniores subditi estote senioribus. Sic, ut omnes alius alii vicissim subjiciamini. Humilitatem animi vobis infixam habete. Propterea quia Deus superbis resistit; Humilibus autem dat gratiam. Humiliamini igitur sub potenti manu DEI, ut vos exaltet tempore oportuno, 1. Petr. 5.

1. Petr. 5, 6. 7.

VI.

Digitized by Google

VIDUIS.

QUæ vere vidua eſt ac deſolata, ſperet in Deo, & perſeveret in obſecrationibus ac precationibus nocte dieque. Quæ vero in delitiis vivit, ea vivens mortua eſt, 1. Tim. 5. *1. Tim. 5, 5.*

OMNIBUS IN COMMUNE.

DIlige proximum tuum, ſicut teipſum. In hoc ſermone omnia præcepta ſummatim comprehenduntur, Rom. 13. Et antea omnia fiant deprecationes, obſecrationes, interpellationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, &c. 1. Tim. 2. *Rom. 13, 10.* *1. Tim. 2, 1. 2.*

Cuique ſit imprimis magnæ ſua lectio curæ,
Ut domus officiis ſtet decorata ſuis.

Ein ieder lern ſein Lection,
So wird es wohl im Hauſe ſtohn.

Πᾶς ἰδίην ἀνάγνωσιν ἑῆς παρπίδεσσιν ἀθρήσας,
Οἶκον ἔχει πυκινῶν ἐυπορέοντα καλῶν.

CATECHISMUS MAJOR D. MARTINI LUTHERI

Pia, utilis & neceſſaria præfatio, & fidelis ac ſeria cohortatio D. Mart. Lutheri, ſcripta ad omnes pios, inprimis ad Paſtores & Concionatores, ut quotidie ſe & alios in Catechiſmo, tanquam in ſumma & ἐπιτομῇ totius ſacræ ſcripturae, diligenter exerceant, & illum fideliter & aſſidue Eccleſiæ proponant, &c.

QUod in concionibus non ipſi ſolum Catechiſmum urgemus, ſed alios etiam, ut idem faciant, rogamus obteſtamurque, non contemnendas ſane cauſas habemus, maxime cum videamus concionatores & parochos ipſos hic utplurimum ceſſare, contemnentes & officium ſuum & doctrinam ipſam, idque inde adeo, quod quidam illorum nimis alta, ut ſibi quidem videntur, ſapiunt, quidam etiam ipſa ſocordia ventrisque nihil prius habent, non aliter ergo hoc negotium affecti, quam ſi ventris ſolummodo cauſa Parochi & præcones verbi conſtituantur, nec alia re occupatos eſſe conveniat, quam ut ſtrenue prodigant, conſumantque, dum vivunt, omnia, perinde ut ſub Papatu conſvevere. Ac tametſi omnia, quæ doceri atque prædicari debeant, hoc tempore abunde illis ſuppetant, dilucideque ob oculos poſita ſint, tot præclaris ac ſalutaribus ad hoc editis libris, cumque ut olim nomi-

nare

minare consueverunt, ita nunc reipsa, Sermones per se loquentes, Dormi secure, Paratos & Thesauros habeant, ita tamen sive inertes sive etiamsi perversi quidam sunt, ut hæc scripta nec emere dignentur, nec, si empta habeant, intueri saltem ac legere velint. Bone Deus, quam noxium detestandumque hoc hominum genus est, ventris gulæque mancipia, quos rectius porcis aut canibus quam fidelium animabus præfeceris.

Ac optandum quidem foret, ut, cum inutiles laboriosæque demurmurationes precularum Canonicarum, ut vocantur, desierint, harum loco mane, meridie ac vesperi aliquot saltem paginas vel in Catechismo, vel in precationibus, vel in N. T. evolverent, aut denique aliud quippiam ex Bibliis sacris sibi sumerent, orationemq; Dominicam aliquando ad Deum Patrem & sua & gregis sui causa perorarent, quo tandem videlicet Evangelio, cujus beneficio tot oneribus ac molestiis liberati sunt, vel aliquam rependant gratiam, suppudeatque os, quod instar canum ac suum, non aliud ex Evangelio addidicerint, quam desidiosam, noxiam ac detestandam hanc carnis licentiam. Nam cum vulgus alioqui nimis frigide erga Evangelium affectum sit, & nos etiam, cum omnia summa conamur, aut nihil aut parum efficiamus: quanto minus præclari aliquid sperandum erit, si, quemadmodum sub Papatu fuimus, ita nunc quoque desides ac negligentes esse cœperimus.

HIS ACCEDIT noxium atque pestiferum illud malum securitatis & satietatis, quod multorum animis jam pridem latenter obrepit, eosque ita inficit, ut sancte dejerent, nihil esse facilius ipsa Catechismi doctrina, adeo etiam, ut cum unica lectione illum percurrerint, statim velut ad summum provecti atque edocti librum ipsum in angulum aliquem abjiciant, pudeatque eos quodammodo in manus sumere denuo. Imo, quod indignius est, reperiuntur hodie etiam ex nobilibus quidam adeo ignobilis

animi, nt affirmare auſint, nihil opus eſſe amplius ſive Parochiis ſive concionatoribus, ſed ſufficere libros, ex quibus eadem hæc diſcere quilibet per ſe ac nullo tradente queat. Unde & ipſas Parochias ſtrenue ac fortiter collabi ac deſolari patiuntur; parochos autem & concionatores tantum non fame interire ſinunt, perinde ut decet ſtolidos ac inſanos Germanos. Talem etenim populũ Germani & habemus & tolerare cogimur.

Ego vero, ut de me ipſo dicam ſcilicet, tametſi Doctor ac prædicator ſum, non minori, ut opinor, cum doctrina tum experientia præditus, quam ii, qui tanta de ſe præſumunt, & ad tantam ſecuritatem pervenerunt, haudquaquam tamen imitari me pueros pudet, ſed quemadmodum illos Catechiſmũ docemus, ita & ego mane, aut quandocunq; vacui aliquid temporis datur, ipſam orationem Dominicam, decem præcepta, Articulos fidei, Pſalmos aliquot, &c. mecum ipſe quaſi ad verbum recito. Et quanquam adhuc quotidie lectionibus & ſtudiis vaco, attamen ne ſic quidem poſſum pervenire, quo cupio, aut præſtare, quæ volo.

Lutherus diſcipulus Catechiſmi.

Ita fit, ut puerum ac diſcipulum Catechiſmi etiam hodie me profiteri neceſſe habeam, profiteorque libenter. At delicatuli faſtidioſulique iſti vel unica tantum lectione aſſequuntur, ut repente omnes ubique doctores poſt ſe relinquant, ſciantque omnia, nec ullius doctrina aut inſtitutione opus amplius habeant. Imo vero hoc ipſo veluti certiſſimo argumento oſtendunt, quod nullam prorſus nec ſui officii, nec ſalutis populi rationem habeant, ſed contemnant & Deum pariter & verbum ipſius. Nec eſt, quod ruinam ultra metuant, cum jam horrendiſſimum caſum fecerint, quin potius opus illis ſit denuo repueraſcere, ac diſcere prima literarum elementa, quæ alioqui etiam ipſis calceis (ut dicitur) ſibi protrita eſſe exiſtimant.

Utilitas diſcendi Catechiſmi.

Rogo itaque hos ignavos ventres ac præſumtuoſos ſanctos, ut vel propter Deum hoc ſibi perſuadere patiantur,

tur, ſe ad eam eruditionem haudquaquam perveniſſe, quam ipſi ſibi tribuunt. Deinde, ut nec unquam in animum inducant, ſe Catechiſmi partes omnino omnes perdidiciſſe perſpectasque habere, etiamſi notiſſimæ ac meditatiſſimæ ipſis videantur. Nam ut maxime demus, eos omnia quam optime & perfectiſſime tenere ac ſcire, (quod tamen in hac vita propemodum impoſſibile fuerit) non tamen neq; illud prætereundum, multiplicem uſum ac fructum ex eo conſequi, ſi eadem illa rudimenta quotidie legantur, meditandoq; & loquendo exerceantur. Nimirum quod Spiritus S. adſit huic lectioni, ſermoni ac meditationi, qui ſubinde novos motus excitet, ac majus lumen ſuppeditet, ut quotidie magis magisque hac doctrina afficiamur, ac majus operæ pretium in ea faciamus, ſicuti & Chriſtus ipſe promittit apud Matthæum c. 18. cum inquit: Ubicunque duo aut tres congregati fuerint in nomine meo, ero in medio eorum. *Matth. 18, 20.*

Adhæc nihil eſt efficacius contra diabolum, carnem & omnes pravas cogitationes, quam ſi ſedulo tractetur verbum Dei, de eo ſit ſermo & meditatio noſtra, adeo ut Pſalmus primus eos pronunciet beatos, qui in Lege Dei meditantur die ac nocte: Nec eſt, quod thus præſtantius, aut odoramentum aliquod efficacius adverſus dæmones habiturum te ſperes, quam ſi verbum & præcepta Dei multo uſu tractes, de iis familiares miſceas ſermones, illa canas ac mediteris. Hæc enim vere aqua illa ſanctificata ſunt, verumque ſignum, quo Satan & fugatur, & quod fugit maxime.

Et ſi nulla alia utilitas hinc petenda ſit, quã quod Satanã & pravas cogitationes depellat, certe vel ſola hæc tanti facienda erat, ut hanc doctrinæ partem libenter diſceres, legeres, meditareris & tractares. Non enim poteſt nec ferre nec audire verbũ Dei Satan. Et ipſum verbum non eſt tale, quales ſunt aniles fabulæ aut carmina lyricorum; ſed eſt, quemadmodum Paulus ait, potentia *Alia utilitas.* *Rom. 1, 16.*

Dei

Dei ad ſalutem omni credenti. Ac revera potentia Dei quæ Satanam ut maxime affligit & premit, nos vero ſupra modum refocillat & reficit. Et quid multis opus? Si fructum ac utilitatem omnem, quam verbum Dei operatur, enumerare vellem, neque charta neque tempus ſuppeteret.

Vulgo vocant Satanam mille artium opificem, hoc eſt, cujus poteſtas ſit varia ac multiplex. At ipſum Dei ſermonem, qui non ſolum variam ac multiplicem poteſtatem habet, verum etiam illum ipſum mille artium artificem cum omni potentia & arte ſua opprimit & ad nihilum redigit, quo tandem nomine dignabimur? nimirum non mille tantum artium, ſed multarum myriadum artificem merito dixeris. Quare nos quidem, ſi tantam potentiam, tantam utilitatem, tantas vires, tantum denique uſum illius adeo parvi æſtimaremus, præſertim qui Parochi & concionatores eſſe & perhiberi volumus, tum digni ſane eſſemus, quibus non ſolum nullus ſuppeditaretur cibus, ſed qui canibus etiam exagitaremur, præſertim cum illis omnibus non minus, quam quotidiani panis opus habeamus, ac plane iisdem contra quotidianas ac irrequietas tentationes & inſidias mille iſtius artium artificis carere non poſſimus.

Præceptum & mandatum Dei de diſcendo verbo Dei. Deut. 6, 6. 7.

Quod ſi neq; hæc ſatis ſufficiant ad excitandos commovendosq; animos ad diligentem Catechiſmi lectionem, ipſum tamen præceptum Dei vel ſolum cogere nos debebat, quod extat Deut. 6. ut præcepta ipſius ſedentes, ambulantes, ſtantes, jacentes, ſurgentes nunquam non meditemur, ac velut ſignum aliquod ob oculos ponamus ac manibus geſtemus. Procul dubio non temere Deus hoc tam ſeveriter & præcipit & exigit: Sed cum non ignoret, quæ nos pericula & neceſſitates urgeant. Adhæc quanta contentione, aſſiduitate & pertinacia maligni ſpiritus nullo non momento in perpetuam noſtri perniciem ſint inſtructi, voluit nos contra optimus ille pater noſter cœleſtis veluti ſolida & efficaci armatura hoc modo paratos atq; inſtructos eſſe, quo poſſimus

Digitized by Google

mus & ignita tela ac pravas peſtiferasque illorum aggreſſiones repellere ac profligare. Sed o ſtolidos ac inſenſatos nos, qui cum neceſſe habeamus diverſari ac degere inter hoſtes adeo potentes, nempe dæmones, nihilominus arma noſtra contemnamus, deſides atque ſtertentes ea ne aſpicere quidem, aut ipſorum meminiſſe ſuſtineamus.

Contra contemtores Catechiſmi.

Et qvid quæſo ſaturi illi præſumtuoſiq; ſancti, Catechiſmi videlicet doctrinam reſpuentes ac longe abjectiorem æſtimantes, quam quæ quotidie legi ac diſci debeat, aliud agunt, quam quod ſeipſos longe doctiores reputant Deo ipſo, omnibus Angelis, Patriarchis, Apoſtolis & omnibus Chriſtianis? Nam cum non pudeat Deum ipſum hæc quotidie docere, ut qui melius aut præſtantius aliquid, quod doceatur, non habeat, eademq; illa ſæpius iteret atq; inculcet, novi vero ac alienum ab hac doctrina nihil ſibi ſumat, addo etiam, cum omnes ſancti nihil nec melius nec utilius ſciant, quod diſcant, nec unquam ad plenum diſcere queant, an non ſcilicet egregii ac perbelli homines ſum9, quod cum ſemel hanc doctrinam vel legerimus vel audiverimus, in eam perſuaſionem veniamus, quaſi omnia ſciamus, nec ulla amplius nobis opus ſit lectione, adeoq; una etiam hora illud perdiſcere poſſimus, quod nec ipſe Deus perdocere potuit, idque cum jam inde à condito mundo ad finem usque illius idem hoc agat. Denique omnes Prophetæ ac ſancti abunde ſemper habuerint hinc, quod diſcerent, nihilominus diſcipuli perpetuo manſerint, & manere neceſſe habuerint.

Nam illud ſane certum atq; indubitatū eſt, quod qui decem præcepta probe norit ac perdidicerit, is totam etiam ſcripturam ſciat, ut poſſit in quibuslibet negotiis & caſib9, cōſilio, auxilio, cōſolatione præſto eſſe, diſcernere ac judicare civiles pariter & Eccleſiaſticas controverſias, ſitq; judex omnium doctrinarum, ordinū, ſpirituum, juris & æquitatis, aç quidquid in mundo eſſe poſſit. Et quid precor totus Pſalmorum liber aliud, quam

meras

meras cogitationes exercitiaque primi præcepti continet? Atqui perſvaſiſſimum habeo, hujusmodi ignavos ventres ac præſumtuoſos ſpiritus ne unicum quidem Pſalmum intelligere, nedum totam ſcripturam. Et interim tamen iidem illi Catechiſmi traditionem contemnunt, qui totius ſcripturæ quaſi quoddam compendium eſt, brevemque illius atque ſummariam deſcriptionem continet.

Cognitio decem præceptorum quanta ſit lux.

Quare nunc iterum omnes Chriſtianos obſecro obteſtorque, inprimis vero parochos & concionatores, ne præmature Doctores fieri velint, ſeque omnia ſcire falſo ſibi perſvadeant. Nam ut falſis ponderibus atque menſuris, ita & vanis perſvaſionibus multum decedit, cum ad juſtum examen exiguntur. Quin potius quotidie his ſtudiis exerceantur, eademque ſedulo inculcent. Adhæc omni cura ac diligentia caveant, ne deteſtanda contagione ſecuritatis præſumptionisq; corripiantur, ſed in hoc præcipue imcumbant, ut legendo, docendo, diſcendo, cogitando, & meditando omne tempus conſumant, nec antea deſiſtant, donec reipſa compererint, ac certi fiant, quod Satanam ac mortem perdidicerint, doctioresq; facti ſint Deo & omnibus Angelis ejus. Quod ſi hanc diligentiam adhibuerint, ſancte ipſis permitto, ac re ipſa iidem etiam experientur, quod magnum inde fructum ſint conſecuturi, & quod excellentes viros Deus ex ipſis facturus ſit, adeo ut ipſi etiam aliquando fateantur, quod quo magis Catechiſmi doctrinam repetunt iterantque, eo minus ipſam apprehendant ac ſciant, ſed neceſſe habeant perpetuo illam diſcere. Ex qua quidem ré fiet, ut tum demum veluti eſurientibus & ſitientibus placere ac ſapere illud incipiat, cujus nunc præ nimia ſaturitate ac faſtidio ne olfactum quidem ferre ſuſtinent. Quod ut fiat, Deum precamur, quo gratiam nobis ſuam largiatur, Amen.

BRE-

Digitized by Google

BREVIS PRÆFATIO.

PRæſentis hujus opuſculi ſermonem haud alio animo elaboravimus, quam ut eſſet inſtitutio puerorum atque ſimplicium. Hinc apud veteres lingua Græca Catechiſmus dictus eſt, quæ vox puerilem inſtitutionem ſignificat. Hæc vero cuivis Chriſtianorum neceſſario debet eſſe perſpecta & cognita, ita ut ſi quis hujus cognitionem non habeat, in Chriſtianorum numerum merito non ſit referendus, neque ad Sacramentorum participationem admittendus. Quemadmodum opifex quispiam manuarius, qui artis aut opificii ſui rationem & uſum non callet, jure optimo reprobandus, & minimi pretii habendus.

Quapropter pueris articuli, ad Catechiſmum ſeu puerilem inſtitutionem pertinentes, ſummo ſtudio tradendi ſunt, inque ipſis non ſegniter exercenda eorundem induſtria. Inde fidelis ac vigilantis patrisfamilias officium exigit, ut per hebdomadam ad minimum ſemel habito examine liberorum ac familiæ periculum faciat, ac audiens exacte perquirat, quid hiſce de rebus intelligant aut didicerint, quibus ignoratis, eosdem ſerio & graviter eo, ut iſta perdiſcant, adigat. Probe enim commemini, atque adeo quotidie hoc ipſum uſu venire videmus, ut usque adeo tardo atque hebeti ingenio

genio inveniantur homines, jamque natu grandiores, quibus hac de re nihil prorsus compertum fuit, aut etiam hodie teneant, quanquam nihilo secius Sacramentorum nobiscum fiant participes, omnibusque illis utantur, quæ peculiariter Christianis utenda data & instituta sunt, cum tamen ii, qui Sacramentorum usum sibi vendicant, plus scire, neque non ampliore Christianarum rerum intelligentia præditi atque exculti esse debeant; quam pueri aut novitii scholastici. Cæterum nos pro instituendo vulgo hisce tribus partibus contenti erimus, quæ à priscis usque seculis recepta consvetudine in Christianismo permanserunt, tametsi perpauca ex his recte & sincere tradita sint populo, donec in iisdem probe triti & exercitati evaserint, cum senes, tum juvenes, quicunque Christiani esse aut dici contendunt. Sunt autem hæ, quæ sequuntur.

(○)

DE-

Digitized by Google

DECEM PRÆCEPTA.

I.

Non habebis Deos alienos coram me.

II.

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Quia non habebit Dominus Deus tuus insontem eum, qui assumserit nomen ejus in vanum.

III.

Memento, ut diem Sabbati sanctifices.

IV.

Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terram,

V.

Non occides.

VI.

Non mœchaberis.

VII.

Non furtum facies.

IIX.

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

IX.

Non concupisces domum proximi tui.

X.

Non desiderabis uxorem ejus, non Servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia, quæ illius sunt.

SECUN-

SECUNDO, ARTICULI CHRISTIANÆ FIDEI.

CRedo in Deum Patrem, omnipotentem creatorem cœli & terræ. Et in Jesum Christum filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu S., natus ex Maria virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus. Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis. Ascendit ad cœlos, sedet ad dextram Dei Patris omnipotentis: Inde venturus est judicare vivos & mortuos. Credo in Spiritũ S., sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum cõmunionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, & vitam æternam, Amen.

TERTIO, ORATIO, QVAM NOBIS CHRISTUS TRADIDIT IN EVANGELIO.

PAter noster, qui es in cœlis: Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, quemadmodum in cœlo, sic etiam in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Et ne inducas nos in tentationem: sed libera nos à malo. Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria in secula seculorum. Amen.

Hæc

HÆc sunt capita summe necessaria, quæ cuivis Christianorum primo perdiscenda sunt, atque ad verbum recitanda. Sunt autem ad hoc quotidie assuefaciendi pueri, ut quoties mane è stratis surrexerint, & ad capiendum cibum accesserint, & sub vesperam iterum dormitum ierint, memoriter recitent, neque ad cibum aut potum admittantur, nisi his omnibus ante diligenter recitatis. Non secus boni patrisfamilias officium herile exigit cum familia, nempe cum servis & ancillis agere, neq; quemquam in famulitio suo perferre, ista nescientem aut recusantem discere. Neque enim ullo modo ferendum est, ut hominum aliquis usque adeo ferus sit & barbarus, qui hæc nolit discere cum in hisce tribus partibus, summatim ac ruditer, & quoad ejus fieri potuit, simplicissime comprehensa sint omnia, quicquid passim in sacris literis longe lateque tractamus. Etenim sancti Patres aut Apostoli (quicunque tandem illi fuerint) hujusmodi compendio complexi sunt Christianorum doctrinam, vitam, artem, & sapientiam, qua de re loquantur & tractent, aut quid tandem id sit, quod exerceant.

Exercitium Catechismi.

Officium patrisfamilias.

Autores Catechismi.

Perceptis itaque diligenter hisce tribus articulis, deinceps consentaneum est etiam nosse, quid de Sacramentis nostris dicendum aut sentiendum sit, quæ Christus ipse instituit, nempe de Baptismo, & de Corpore & sanguine Jesu Christi. Cumprimis vero refert scire verba Matthæi ac Marci postremis capitibus Evangeliorum relata, quemadmodum Christus ex hoc mundo discedens, ultimo munere suos affecerit discipulos, eosdemque à se donatos dimiserit.

DE BAPTISMO.

ITe, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Qui crediderit & baptizatus fuerit,

Aug. Conf. 12. Apol. 186. Art. Sm. 329. Cat. Min. 376. Matth. 28, 19.

rit, salvus erit. Qui vero non crediderit, condemnabitur.

TAntum ex Scriptura S. de Baptismo simplicem Christianum nosse sufficit. Similiter & de secundo Sacramento paucis & simplicibus verbis, nempe ex Pauli primi ad Corinthios Epistola capite 11.

DE COENA DOMINI.

Aug. Conf. 12. Apol. 157. Art. Sm. 330. Cat. Min. 380. Epit. 597. Decl. 724.

DOminus noster Jesus Christus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, deditque discipulis suis & dixit: Accipite & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic calix Novum Testamentum est in meo sanguine. Hoc facite, quotiescunque biberitis in meam commemorationem.

Quinque partes Christianæ doctrinæ.

ITa passim quinque partes esse videmus totius Christianæ doctrinæ, quas subinde exerceri, atque ad verbum à pueris exigi & audiri oportet. Neque enim est, quod speres, juventutem ex solis concionibus ista comprehensuram, aut sensibus & memoriæ reposituram. His ergo probe perspectis & cognitis, non incommode atque intempestive aliquot etiam Psalmi & hymni in hoc formati & expositi, proponi possunt pueris, ut hisce prius perceptis quasi roborentur & confirmentur: utq; hac ratione juventus scripturæ legendæ & exercendæ assuescat, ac quotidie majoribus incrementis aucta progrediatur. Sed non in hoc contenti esse debemus, ut hæc

hæc tantum verbotenus percipiantur ac recitentur, ſed hoc etiam curæ tibi ſit, ut juventus ſedulo interſit concionibus, præſertim iis temporibus, quæ exercendo Catechiſmo deſtinata ſunt, ut hæc expoſita audiant, & quid ſingula in ſe comprehendant, non oſcitantes diſcant intelligere, adeo ut prompte audita recitare calleant, & interrogati ſcite reſpondere queant, ne citra fructum iſta pro concionibus doceantur. Eam enim ob rem nos hanc operam hoc diligentius ſumimus. Catechiſmum ſubinde prædicantes, ut hæc juventuti diligenter inculcentur, nullo quidem orationis ſplendore aut apparatu rhetorico, neque alto ingenii acumine, ſed breviter, & ſimpliciſſime, ut hoc facilius & fidelius dicta noſtra percipiantur, & tenacius memoriæ infixa hæreant. Quocirca ſupra memoratos articulos jam nunc ſingulatim tractandos in manus ſumemus, atque de iis, quantum fieri poterit, & neceſſitas poſtulaverit, ſignificantiſſime verba faciemus.

PRÆCEPTUM PRIMUM.

Non habebis Deos alienos coram me.

HOc eſt, me ſolum pro DEO tuo habebis ac coles. Quod vero hiſce verbis ſibi vult, ac quomodo hoc intelligendum eſt? Quid eſt habere Deum? aut quid eſt Deus? Reſponſio: Deus eſt & vocatur, de cujus bonitate & potentia omnia bona certo tibi polliceaaris, & ad quem quibuslibet adverſis rebus atq; periculis ingruentibus confugias, ut Deum habere nihil aliud ſit, quam illi ex toto corde fidere & credere, quemadmodum ſæpe numero à me dictum eſt, quod ſola cordis fiducia Deum pariter atque idolum faciat & conſtituat. Quod ſi fides & fiducia recta & ſincera eſt, Deum *Quid ſit Deus.*

rectum habebis : contra, si falsa fuerit & mendax fiducia, etiam Deum tuum falsum & mendacem esse necesse est. Si quidem hæc duo, fides & Deus, una copula conjungenda sunt. Jam in quacunque re animi tui fiduciam & cor fixum habueris, hæc haud dubie DEUS tuus est.

Sensus hujus præcepti.

Quare hujus præcepti sensus hic est, ut veram cordis fidem atque fiduciam exigat, à vero & unico DEO non aberrantem, sed illi soli constanter adhærentem : idem plane vult dicere : Hoc vide cures, ut me solum Deum tuum esse statuas, nec omnino extra me alium quærere cõneris, hoc est, quarumcunque rerum inopia laboraveris, easdem de mea munificentia tibi pollicearis, & apud me quæras, volo. Ac ubicunque pressus infortunio adversa pateris, ad me protinus opem imploraturus confugito. Ego, ego, inquam, adfluente omnium rerum copia te implebo uberrime, atque etiam periclitantem ex omnibus malis eripiam. Tantum hoc cave sedulo, ne cor tuum ulli alteri apponas, nec ab eo pendeas, nec in eo conquiescas.

Crassior explicatio.

Hoc aliquanto planius ac rudius explicandum est, ut exemplis sumtis à contrario, rectius intelligatur, quid hæc sibi velint. Equidem permultos videre licet, existimantes & sese Deum & omnia abunde habere, quando divitiis abundant & opibus, quibus confisi adeo insolenter intumescunt, adeo constanter & secure his fruuntur, ut neminis rationem aut respectum ullum habeant. Ecce, ii quoque Deum habent, sed cui nomen est Mammona, hoc est, opes & pecunia, cui totius cordis adhærent fiducia, in quem omnem spei suæ summam collocant, quique omnium communissimum in terris idolum est. Qui pecunia aut opibus large instructus est, illa re sua probe constabilita securum se esse statuit, animo adeo læto atque interrito, quasi in medio paradiso vitam agat omnium felicissimam. Contra, qui opibus & pecunia caret, ille animi dubius o-

Mammonam pro Deo habere.

mnem

mnem ſpem abjicit, ac ſi nihil prorſus de ullo Deo vel tantillum ſibi conſtet. Etenim paucos admodum invenias, qui ſint bono animo, quique nihil triſtentur aut conquerantur, ſi deſtituat eos Mammona. Hæc enim rei pecuniariæ cura atque cupiditas, humanam naturam ad ſepulchrum usque indivulſe comitatur.

Fiducia non in Deo, ſed rebus aliis.

Ita quoque, qui ſpei aut fiduciæ ſuæ ſummam in hoc ſitam habet, quod cæteros ingenio, eruditione, ſapientia, potentia, favore, multorum amicitia ac dignitate anteeat, ille quoque Deum habet, ſed non verum illum cœleſtem & unicum Deum. Hoc indę iterum haud difficulter perſpicitur, quam confidenter, ſecure & inſolenter hiſce rebus abundantes agere ſoleant: rurſus quam deſperanter, quam abjecte & humiliter, quibus hæc aut non adſunt, aut aliquando caſu fortuito ſubtrahuntur. Quare iterum dico, quod vera hujus particulæ interpretatio, Deum habere, nihil aliud ſit, quam habere aliquid, cui cor humanum per omnia fidere ſoleat.

Alieni Dii in Papatu.

ADHÆC conſidera quæſo, quæ nos rerum portenta, ſub Papatu, horrenda cœcitate percuſſi, admiſerimus. Dolebat alicui denticulus: ille protinus ob honorem divæ Apolloniæ voluntario jejunio carnem ſuam macerabat. Quod ſi in metu erat, ne forte poſſeſſio ſua aliquando conflagraret incendio: protinus in Laurentii clientelam ac patrocinium ſemet tradebat. Metuebat aliquis contagium peſtilentiæ: illico nuncupatis votis profectionem ad S. Sebaſtianum, aut Rochium inſtituebat: Et id genus portenta atque abominationes innumerabiles, quibus fiebat, ut quisque peculiarem divum ſibi colendum eligeret, ad quem preſſus neceſſitate preces fundebat, currebatque. Huc pertinent etiam illi, qui omnem modum hiſce in rebus excedunt, ac cum Diabolo fœdus ineunt, ut eos ampliter ditet, aut amicarum compotes faciat, aut pecus

à contagione ſervet incolume, aut rem perditam reſtituat: cujus generis ſunt incantatores, venefici, & magicarum artium periti. Hi enim omnes cordis ſui fiduciam alio collocant, quam in verum Deum, de quo nihil boni ſibi perſuadent, neque apud illum quæritant quicquam boni.

Fiducia erga Deum exigitur in primo præcepto.

Ad hunc modum jam haud obſcure intelligis, quid & quantum hoc præcepto exigatur, nimirum totum cor hominis, omnisque erga Deum, & neminem alium fiducia. Quo pacto enim Deus haberi poſſit, ipſe perfacile æſtimare potes, quod neque digitis apprehendi, nec in marſupium ut moneta condi, nec in ciſtam ut vaſa argentea concludi poſſit. Ita vero dicitur haberi & apprehendi Deus, quando corde apprehenditur, eique ſoli hominis animus conſtanti atque inconcuſſa adhæret fiducia. Cæterum corde illi adhærere, nihil aliud eſt, quam eidem per omnia fidere. Eam ob rem ab omnibus aliis, quæ extra illum ſunt, nos conatur divellere atque abſtrahere, & ad ſe ſolum, cum unicum illud & immortale bonum ſit, attrahere. Quaſi ad hunc modum diceret: Quidquid ante hac è divorum favore ac benevolentia tibi proventurum pollicitus es, aut ſi quam in Mammona, aut aliis rebus ſpem atque fiduciam repoſuiſti, omne illud jam tibi certa perſuaſione de me pollicere, meque eum eſſe haud dubitanter exiſtimes, qui tibi laboranti opem laturus ſit, teque omnibus rebus ampliſſime florentem & abundantem facturus.

Quæ ratio colendi verum Deum.

Ecce jam habes, quinam verus Dei honos ſit & cultus, gratus illi & acceptus, quemque ſub æternæ maledictionis pœna præſtandum præcipit, nimirum, ut cor hominis nullam aliam conſolationem, nullam aliam fiduciam ſciat, quam ipſum ſolum, neque ullo pacto ab hoc ſe divelli patiatur, ſed potius de omnibus, quæ ſub ſole ſunt, ſi ſemel in periculum veniat, adeoq; ipſius vitæ citius jacturam faciat, quam ut hunc Deum deſerat.

Digitized by Google

ſerat. Jam viciſſim facile videbis ac judicabis, quomodo mundus nihil aliud, quam falſum Dei cultum & idololatriam paſſim conſtituerit atque exerceat. Nulla enim uspiam fuit usque adeo effera & ferina hominum natio, quæ non aliquem Dei cultum conſtituerit & ſervarit. Omnes enim certatim eum Deum ſibi colendum delegerunt, ex quo aliquid emolumenti, opis atque ſolatii ſperaverunt.

Gentium multiplices Dii.

Inde videmus Gentiles, quorum prora ac puppis (ut vulgato fertur proverbio) in opulentia, dominatu, imperiis ſita fuit, pro ſummo Deo cumprimis coluiſſe ſuum Jovem. Porro alii, quorum ſcopus erant divitiæ, tum proſper rerum ſucceſſus, aut qui ſectabantur voluptates & delicias, Herculem, Mercurium, Venerem, aliosque religioſe venerabantur: Mulieres uterum ferentes Dianam ſeu Lucinam ſibi pro numine vendicabant. Atque ita deinceps, quisque hunc ſibi Deum venerandum proponebat, ad quem corde & animo ferebatur. Ita Gentilium quoque opinione Deum habere nihil aliud eſt, quam fidere & credere. In hoc tamen errant & falluntur, quod eorum fiducia falſa & mendax eſt: neque enim ad Deum verum recta tendit, aut ordinata eſt, extra quem pro certo conſtat, nullum alium Deum eſſe neque in cœlo, neque in terra. Quocirca gentes plane ſuam propriam & effictam perſuaſionem ſeu opinionem & ſomnium, quod de DEO conceperunt, pro idolo ſibimet conſtituunt, ſpemque ſuam prorſus in mere nihilo habent repoſitam. Ea plane omnis Idololatriæ eſt ratio. Neque enim in hoc ſolum conſiſtit, ut ſimulachrum aliquod erectum adoretur, ſed in corde potiſſimum latet, quod alio intentum eſt, opem ac conſolationem apud creaturas, divos aut diabolos quæritans, Deum non curans, ac ne tantillum quidem benignitatis de illo ſibi perſvadens, quod velit opitulari. Multo minus credit, DEI liberalitate & munificentia

ſibi contingere, quicquid bonarum rerum uspiam illi acciderit.

Falſus cultus Dei per operum merita, Miſſas, &c.

Præter hæc alius adhuc ſupereſt falſus & erroneus Dei cultus, ſummam in ſeſe complectens idololatriam, quam hactenus ſtrenue exercuimus, & adhuc paſſim in mundo viget ac regnat, in quem omnes religioſorum ordines fundati ſunt, quique ſolum attingit conſcientiam, quæ auxilium, conſolationem & ſalutem quærit ex propriis operibus, tantum ſibi ſumens, ut perverſe conetur & temere, velit nolit Deus, in cœlum perrumpere, ſubducens ſecum rationem, quarum fundationum autor extiterit, quantum jejunaverit, quot miſſarum myriadas lectitaverit, &c. ſpem ſuam in hoc reponens atque ferociens, quaſi nihil velit à Deo gratuito accipere, ſed omnia ſua opera ab ipſo conſequi, & abundanter promereri, non ſecus ac ſi Deus nobis cogatur obnoxius eſſe ſervitio & debito, & nos illius eſſemus Domini. Quid hoc aliud eſt, quam ex Deo ficulneum ſimulachrum, aut pomarium (quod ajunt) Deum facere, ac ſemetipſum pro DEO æſtimare, inque ejus locum ſufficere? ſed hæc acutiora ſunt, quam quæ pueris ac teneræ ætati proponenda ſint.

Quæ à Deo certa fiducia expectanda.

Cæterum hoc dictum ſit ſimplicioribus, quo hujus præcepti ſenſum probe notent, ac retineant, ut DEO ſoli fidamus, de eodem optima quæque nobis polliceamur & expectemus, tanquam de eo, qui nobis det corpus, donet vitam, largiatur victus alimoniam, offundat annonam, tribuat membrorum valetudinem, paret defenſionem, conciliet pacem, ac reliqua rerum temporalium & ſempiternarum neceſſaria ſuppeditet. Ad hæc, qui nos ab omnibus tueatur periculis & infortunio, &, ſi quid adverſi nobis evenerit, à malis nos clementer ſervet & potenter eripiat. Ita ut Deus (quemadmodum abunde dictum eſt) ſolus ille pro certo habendus ſit, cujus bonitate omnia conſequimur,

tum

Digitized by Google

tum cujus ope, & opera omnibus malis eripimur; Atque hinc adeo eſt, ut mea fert opinio, quod nos Germani usque à majoribus noſtris (præclarius profecto, & pulchrius, quam ulla alia lingua) DEUM (GOtt) à bonitatis vocabulo (Gutt) ſermone nobis vernaculo, vocamus, quippe qui fons perennis ſit, & perpetuo ſcaturiens, affluentiſſimis bonis exundans, & à quo omne, quicquid uspiam boni eſt & dicitur, emanat.

A Deo omnia bona provenire.

Nam quanquam aliqui multis bonis cumulemur & afficiamur ab hominibus, omnia tamen à Deo data & conceſſa dicuntur, quæcunque ejus juſſu & ordine undequaque percipimus. Majores enim noſtri, & omnes, qui in Magiſtratu ſunt, adhæc quilibet erga proximum ſuum, hoc in mandatis à DEO acceperunt, ut omnis generis officia nobis oſtendant & exhibeant, adeo, ut hæc non ab illis, ſed per illos à DEO peculiariter accipiamus. Siquidem creaturæ tantum manus ſunt, canales, media, & organa, quorum opera & adminiculo Deus omnia largitur hominibus. Quemadmodum matri dat ubera lacte fœcunda, quibus infans lactandus & alendus eſt, & campo ſuam ſegetem, & omnia fructuum genera, quibus veſcimur, quorum nullum ulla creatura proprio conatu aut ſtudio creare poteſt aut producere. Quapropter nemo conari debet, ut vel aliquid accipiat vel det, niſi à Deo præceptum fuerit, ut pro Dei munere cognoſcatur, illique pro ſua munificentia, prout hoc præceptum exigit, agatur gratia. Quamobrem & hæc media, videlicet per creaturas bona percipiendi, non ſunt reſpuenda, neque temeraria præſumtione aliæ rationes & viæ inveſtigandæ, quam Deus præcipit. Hoc enim non eſſet à Deo accipere, ſed à ſe ipſo quærere.

Qui ex alto quam ex ſolo Deo.

Jam quisque apud ſe exactam curam habeat, ut hoc præceptum ante omnia magnifaciat, neque jocum eſſe exiſtimet. Perquire & expiſcare ipſe cor tuum diligen-

pend t, habet Deos alienos.

ter, & haud dubie invenies, num ex ſolo Deo pendeat, nec ne. Quod ſi ejusmodi tibi eſt animus, qui mera bona de divina bonitate perſvadere ac polliceri ſibi poteſt; præcipue vero tempore neceſſitatis & inopiæ, adhæc, qui omnia poteſt contemnere, quicquid non eſt Deus, non eſt quod dubites, te habere Deum illum verum & unicum. Contra, ſin ex alio quopiam pendet, de quo plus boni & opis ſperat, quam ab ipſo Deo ſeſe conſecuturum, nec ad illum confugit, ſed potiꝰ aufugit rebus minime ſecundis: certum eſt, te à Deo vero alienum eſſe, & idolum aliud habere.

Comminationes & promiſſiones additæ primo præcepto.

Ut autem videamus, Dei voluntatem non eſſe, ut hoc ſuum præceptum floccipendatur, ſed certo ſtatuatur, ipſum graviſſime hujus præcepti autoritatem tueri velle, huic ipſi præcepto primum terribiles & horrendas minas adjecit, ac deinceps amabiles & conſolatorias pollicitationes appoſuit, quæ quoque multoties repetendæ ſunt, ut haſce imis ſenſibus reconditas tandem memori mente teneant.

PRIMI PRÆCEPTI APPENDICIS EXPOSITIO.

QVia ego ſum Dominus Deus tuus, fortis zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorum, qui me oderunt, & faciens miſericordiam in millia his qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea.

Comminatio.

QUanquam vero hæc verba communiter ad omnia præcepta referenda ſunt, (ut infra audiemus) ea tamen huic præcepto, quod aliorum omnium caput eſt, peculiariter adjecta ſunt, propterea quod permagni admodum referat, hominem rectum habere caput.

Digitized by Google

caput. Salvis enim rebus capitis, reliquam etiam vitam bene ſe habere neceſſe eſt, & contra. Jam vero ex his verbis perdiſce, quam implacabiliter Deus iraſcatur iis, qui rei cuipiam extra ipſum confidunt: Et contra, quanta clementia & miſericordia eos proſequatur, qui ei ſoli toto corde fidunt & credunt: adeo, ut iracundia ſua nullum finem faciat ſæviendi in tertiam & quartam generationem, & rurſum, ut ſua clementia multis millibus benefacere non deſinat: Ne tam ſecuro ambulemus animo, nullam noſtri aut harum rerum rationem habentes, quemadmodum impia illa, planeque ferina corda cogitare conſueverunt, non ita multum referre, qua ratione vixerint. Ejusmodi Deus eſt, qui, ſi ab eo diſcedatur, inultum id non patitur, neque modum aut finem iraſcendi ſtatuit, in quartam usque generationem, donec omnes funditus extirpentur. Quamobrem vult eſſe formidini, non contemtui aut ludibrio.

Pœna non ſervantium priorum præceptum.

Hoc ipſum multis etiam hiſtoriis & illis memorabilibus abunde teſtatum fecit, cujus rei nobis paſſim Scriptura facit indicium, atque etiamnum idipſum in dies ſingulos quotidianis experimentis veriſſimum eſſe diſcimus. Siquidem jam inde ab initio omnem idololatrium funditus extirpavit, hujusque gratia cum gentes, tum Judæos, ſicut adhuc hodie omnem falſum Dei cultum evertit, ut plane omnibus in ea permanentibus ſuccumbendum ſit. Quocirca, tametſi tam feroces & potentes inveniantur Sardanapali & Phalarides, qui ipſos Perſas divitiis ſuperant, quibus ſecure freti parum curant, iraſcaturne an arrideat Deus, ut qui iram ejus ſuſtinere ſe poſſe confidant, tamen tandem perniciem non effugient, ſed dicto citius & præter omnium expectationem cum tota ſua pompa, cui fidebant perperam, peſſum ibunt, velut omnes cæteros periiſſe videmus, qui majori freti potentia in utramvis, quod ajunt, aurem dormiebant.

Et

Cur Deus pœnas differat.

Et ob hos ipsos duros & præfractos homines, qui existimant, Deum, quia ad tempus connivet, eosque secure sua potentia frui permittit, vel ignarum plane esse istarum rerum, vel earum cura non affici, tanta necessario ntitur plectendi sævitia, ut neque natorum natos oblivioni possit tradere, ut quisque hæc repetens animo, tantam animi securitatem & contemtum emendet, & videat Deum non jocari. Nam illi ipsi sunt, quos putat & perstringit, ita inquiens: Qui me oderunt, hoc est, qui propria freti fiducia insolenter intumescunt atque ferociunt, qui, quicquid pro concione illis dicatur, audire recusant, qui correpti, ut, priusquam obruantur supplicio, flagitiosam vitam emendent, in furorem ac rabiem vertuntur, ut ita omnibus modis iram DEI egregie promereantur. Quemadmodum hodie hujus rei certissimum documentum in Episcopis & Principibus nostris experimur.

Qui me oderunt.

Promissio.

Porro autem, quanto atrociores & terribiliores hæ sunt comminationes, tanto potentior est promissionis consolatio, nempe, quod Deus iis, qui semet ei totos omni tradunt fiducia, misericordiam suam certo ostensurus sit, hoc est, omnis generis benefacta exhibiturus, non tantum vero illis ipsis, sed ipsorum quoque natis, longa propagatione, in mille usque & iterum mille generationes. Hæc, inquam, commovere nos debent & impellere, ut totius cordis nostri cogitationem omni fiducia in Deum jactemus, postulantes, ut omnium rerum & temporalium & immortalium fiamus compotes, quando summa majestas Dei tanta tam benigne & clementer nobis offert, tam amanter provocat, adeo ubertim pollicetur.

Primum præceptum cum comminatione.

Quare quisque Christianorum det operam, ut sibi hæc verba cordi sint, neque in eam opinionem veniat, ut existimet hæc dicta esse ab homine. Res tua agitur, semel enim hic de summa salutis tuæ periclitaberis, ut

aut

Digitized by Google

aut perpetuo ſalvam, felicem & beatam vitam exigas, aut ut perpetuo damnatus Dei inclementia omnes calamitates & ærumnas ad inferos non dicendis cruciatibus torquendus exhaurias. Quid vero habebis amplius, aut plus etiam poſtulabis, quam quod tam amanter tibi pollicetur, nimirum, ſe tuum eſſe velle cum omni rerum copia, ſe tui defenſorem & auxiliatorem in adverſis futurum? *& promiſſione infigenda animo.*

Sed proh dolor, in hoc omnes fallimur, quod mundus horum verborum nullum verum eſſe credit, neque verba Dei eſſe exiſtimat, videns eos, qui ſuam fiduciam in Deum, & non in Mammonam rejecerunt, omni miſeriarum genere affectos vix vitam trahere, diabolo illis ipſis reluctante & obſtante, ut nihil opum, nihil favoris, nihil dignitatis uspiam conſequantur, imo vitam ipſam ægre tueantur & obtineant. Contra illi, quorum ſumma ſpes atque fiducia eſt Mammon, ad ampliſſimos dignitatis gradus evecti in ſublimi reſident imperio, potentia, favore, dignitate & omni tranquillitate mundo venerandi atque ſpectabiles. Eam ob rem talia verba memoriæ infigenda ſunt, ut huic rerum mundanarum larvæ atque obtuitui opponatur: Neque ignorandum eſt, hæc non poſſe mentiri aut fallere, ſed eſſe & fore veraciſſima.

Jam vero pauliſper retroverſa cogitatione repete tecum animo, aut alioqui perquire ab aliis, mihique reſponde, quidnam illi, quorum omnis conatus, ſtudium, cura & diligentia tantum eo deſtinata fuere, ut immenſas opes per fas atque nefas cumularent, atque reponerent, quidnam, inquam, illi tandem effecerint? Haud dubie invenies, eos omnem luſiſſe & laborem & operam. Aut quanquam inæſtimandos theſauros multo ſudore partos accumulaverint, ita tamen evanuiſſe eos ipſos vel cum pulviſculo comperies, ut neque ipſi unquam ex tantis opibus ullam voluptatem percepe-
rint. *Exempla eorum, qui fruſtra opes congeſſerunt ſuo & aliorum exitio.*

Digitized by Google

rint, neque poſtea quidquam ad tertium hæredem pervenerit.

Harum rerum exempla abunde multa omnes ſuppeditabunt hiſtoriæ, & hæc eadem à natu majoribus multarum rerum peritis audies, tantum vide, ut earundem curam & rationem non levem habere digneris.

Exemplum Saulis. Pro certo ſane conſtat, Saulem regem fuiſſe ampliſſimum, ab ipſo Deo in regni adminiſtrationem ſurrogatum, vitæ non improbæ: ſed jam conſecutus imperium, cum a Deo ſuo declinaſſet animo, omnemque ſuam fiduciam in potentia, corona, ac ſceptro ſuo collocatam haberet, ſuccumbendum ac pereundum illi erat funditus, una cum rebus omnibus, quas poſſederat, adeo ut neque liberorum ſuorum ullus ſuperſtes maneret.

Exemplum Davidis. Contra David, infimæ fortunæ homo, erat abjectus & paſtor, fugatus & paſſim actus inſectationibus, ut ubique fere de vita veniret in periculum, attamen à Saulis impetu & inſidiis tuto cuſtodiebatur, inque ejus locum rex creabatur. Oportet enim hæc verba manere & vera fieri, poſteaquam Deus mentiri neſcit aut fallere. Tantum vide, ne diabolus & mundus hac ſua ſplendida facie, quæ quidem ad tempus durat, ſed profecto umbra aut ſomnio vanior eſt atque incertior, tibi imprudenti imponant.

Concluſio. Quamobrem primi præcepti ſenſum exacte nobis perdiſcendum eſſe ſtatuo, ut videamus, quam Deus nullo modo vanam animi præſumtionem, aut falſam erga aliam rem extra ſe fiduciam tolerare queat. Nec quidquam tantopere à nobis poſtulat, quam certam quandam & indubitatam omnium bonarum rerum de ſe perſuaſionem. Ita, ut recta via porro progredientes rebus omnibus, quas Deus largiri nobis conſuevit, non aliter utamur, atque ſutor quispiam acu, ſubula, filoque ſutorio, ad conficiendum opus ſuum, quo confecto

Digitized by Google

cto illa deponit. Aut quemadmodum hoſpites diverſorio, ut de conceſſis opibus victum & amictum habeamus, prout diurni victus neceſſitas exegerit, quisque in ſuo ſtatu, in quem divina vocatione & ordine conſtitutus eſt, nec quidquam rei noſtrum Dominum aut idolum eſſe permittamus. Et hæc de primo præcepto dicta ſufficiant, quod verbis aliquanto fuſioribus explanandum fuit, quando ſumma & caput totius pietatis in eo vertatur, propterea quod (ut prædictum) ubi cordi cum DEO bene convenit, & hoc præceptum ſervatum fuerit, cetera omnia apte conſequuntur.

PRÆCEPTUM II.

Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum.

Primum præceptum erudit cor ſecundum os & linguam.

QUemadmodum primo præcepto cor hominis inſtitutum eſt, & fidei ratio tradita, ita hoc ſecundum foras nos producit, oſque ac linguam erga Deum fingit ac format. Primum enim quod natum è corde ebullit, & progreditur, ſeque oſtendit, ſermo eſt. Itaque quemadmodum ſupra reſpondendum docui, quid ſit habere Deum, ita quoque hujus & aliorum præceptorum omnium intelligentiam ſimpliciter comprehendas atque pronuncies neceſſe eſt.

Abuſus nominis divini.

Interrogatus ergo, quomodo ſecundum præceptum intelligis, aut quid ſignificat: Nomen Dei in vanum ſumere, ſive eo abuti? Reſponde ad hunc modum pauciſſimis: Hoc eſt divino abuti nomine, quando Dei nomen quacunque ratione ad confirmanda mendacia, aut alia id genus vitia atque flagitia tuenda uſurpamus. Hinc tantum valet hujus præcepti conſtitutio, ne Dei nomen falſo citemus, aut in os ſumamus, quando cor longe aliter ſibi conſcium eſt, aut rem aliter habere non ignorat, aut omnino aliter ſcire debebat. Veluti iis perſæpe ſolet contingere, qui lites in foro

&

& curia ſectantur & judicia, altera pars aliquid perfide abjurat alteri. Neqve enim alia ratione nomine Dei perinde abutimur, quam ſi eo ad mentiendum & fallendum turpiter abutamur. Et hic hujus præcepti ſenſus ſit facilimus & ſimpliciſſimus.

Quam varius uſus divini nominis.

Ex his omnibus quivis facile colligere poteſt, qvoties & qvam multifariam divino nomine abutantur homines, tametſi omnes abuſus perſtringere impoſſibile ſit. Ut tamen hæc paucis expediamus, nominis divini abuſus omnium maxime in negotiis conſiſtit & cauſis ſecularibus, illis nimirium, qvæ ad rem pecuniariam, opes aut honores pertinentes. Sive illud propalam fiat in contentione forenſi, ſive alibi, ubi juratur divini nominis adducto teſtimonio, perjuraturqve aut ipſa anima oppignoratur perjurio. Cumprimis vero hoc vehementer locum habet in re connubiali, ubi duo furtim contracto inter ſe martrimonio, tandem cum ad judices ventum eſt, datam fidem abjurat alter alteri.

Omnium vero maxime hic divini nominis abuſus in rebus viget ſpiritualibus, qvæ pertingunt conſcientiam, falſis doctoribus mergentibus, ſuaqve mendacia divini verbi loco venditantibus.

Ecce omnibus hiſce rationibus nihil aliud qværunt aut agunt homines, quam ut ſemet divini nominis prætextu exornent perfide, pravo qvodam conſilio juſti eſſe contendentes, ſive illud in mundanis & carnalibus, ſive in ſublimioribus & ſubtilioribus fidei & doctrinæ negotiis fieri ſoleat. Jam in mentientium numerum etiam blaſphematores referendi ſunt, non illi quidem craſſi & impudentes, vulgo noti omnibus, qui nullius prohibiti metu aut reverentia, nomen DEI ore prorſus illoto, blaſphemo & procaci, ſubinde conſpurcant & contaminant (quorum blaſphema impietas non in noſtra, ſed carnificis ſchola emen-

emendanda eſt) verum etiam illi, qui veritatem & verbum DEI propalam contumelioſe lacerant, ac Diaboli verbum impudenter & impie eſſe confirmant, de quibus in præſentia amplius verba facienda non ſunt.

Diſcamus itaque hoc loco, diligenterque volutemus animo, quantum interſit hoc præceptum ſervare aut transgredi, ut omni ſtudio, diligentiaque caveamus vitemusque omnem ſacratiſſimi nominis Dei abuſum & contumeliam, tanquam peccatum omnium maximum & peſſimum, quod externe deſignari poteſt. Nam tametſi mentiri & fallere per ſe ſatis grande ſit flagitium: multo tamen gravius illud reddunt, & majori etiam cumulant flagitio, conantes illud defendere perjurio, ac turpiter mentiendo divino nomine abutentes pro prætextu turpitudinis. Qua ratione fit, ut ex unico mendacio perjurii acceſſione cumulato, multiplicia pullulent mendacia. *Quantum referat hoc præceptum ſervare.*

Eam ob rem Deus huic quoque præcepto ſævam comminationem annexuit, cujus hæc ſunt verba: Nec enim habebit inſontem Dominus eum, qui aſſumſerit nomen Domini Dei ſui in vanum. Hoc eſt, nemo hoc impune laturus eſt, ſed pœnas graves dabit blaſphemiæ. Quam enim inultum non patitur Deus, ſi quis cordis fiducia ab eo diſcedat: tam impunitum non ſinet, ſi quis pro tuendis mendaciis falſo uſurpet nomen ejus. Sed ô DEUM immortalem, quæ tam execranda conſvetudo divinum nomen blaſphemandi omnium hominum animos corripuit? Nam perinde pauci ſunt, qui ſalutifero Dei nomine ad mendacia, vanitatem & omnem iniquitatem ſuam tuendam non abutuntur, quam illorum, qui ſolum ex animo Deo credunt fiduntque. *Comminatio addita huic præcepto.*

Siquidem illa præclara virtus (ſi Chriſto placet) omnibus nobis natura inſita eſt, ut is, qui aliquod admiſit criminoſe flagitium, ſuam turpitudinem ſumma ope celare *Prætextu nominis divini tegi plerumque peccata.*

celare ſtudeat, ne cujus oculis pateat, aut aliquis deſignati facinoris ſibi ſit conſcius. Usque adeo enim diſſolutum, aut ſui negligentem & deploratæ malitiæ arbitror eſſe neminem, qui perpetrati flagitii ſeſe jactet coram omnibus. Verum nemo non ſtudet peccare clanculum & ſubdole, priusquam palam fiat, aut reſtiſcant homines. Tum ſi quis eam ob rem invaditur, aut inſimulatur facinoris, protinus nomen Dei patet injuriis, eſtque obnoxium contumeliis. Hoc enim quisque ſuæ culpæ prætexit, cogiturque nomen illud omnibus modis venerandum è vitiis virtutes, ex ignominia gloriam, è dedecore honores facere. Et hic eſt jam totius mundi communis quidam curſus, quo veluti quodam diluvio omnes regiones orbis terrarum inundant. Hinc noſtris meritis digna quoque præmia capimus, & quod noſtra blaſphemia procaciſſime quærimus, hoc nobis plena manu offunditur, nempe peſtilentia, motus bellici, annonæ caritas, incendia, aquarum inundationes, degeneres uxores & liberi, perfida familia, & id genus malorum examina innumerabilia. Unde enim tantum calamitatum alioqui nobis eveniret? Adhuc bene magna gratia hæc eſt, quod terra nos ferat atque nutriat.

Quamobrem ſummo ſtudio juventus eo perducenda eſt & aſſvefacienda ſedulo, ut ſecundum hoc præceptum una cum primo reverenter habeat, magnique faciat, proque transgreſſione protinus emendetur ferulis, poſito ante oculos præcepto, & ſubinde inculcato, ut ita pueri non tantum educentur diſciplina & verberibus, ſed Dei quoque metu & reverentia coerceantur.

Quid ſit abuti nomine divino. Jam ergo intelligis, quid ſit abuti divino nomine, nimirum (ut breviter decurram per capita) quando aut ſimpliciter pro tuendo mendacio abutimur, aut aliud quippiam, quod non eſt, ſub divini nominis prætextu molimur, quod alterum fraudulenter circumducimus, aut illud blaſphemando, execrando, maledicendo, incan-

Digitized by Google

incantando, ignominioſe uſurpamus. Breviter, quacunque ratione ejus adminiculo perpetrari poſſunt flagitia.

Quomodo recte utamur nomine Dei.

Ad hæc ſcitu quoque opus eſt, quomodo Dei nomine recte utamur. Hiſce enim verbis, quibus præcepit: Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum, etiam illud intelligendum nobis proponit, Dei nomine nos etiam recte & utiliter uti poſſe. Non enim aliam ob cauſam nobis revelatum eſt, quam ut utentibus ſubinde ſit fructuoſum & utile. Inde hoc ultro evincitur, quod cum hic præcepto cautum ſit, ne mentientes, aut alioqui flagitioſe delinquentes, ſanctum Dei nomen prave uſurpemus, contra præceptum nobis eſſe arbitremur, ut eo ad confirmandam veritatem, ac reliquas actiones honeſtas utamur. Nempe, quando recte juramus, cum aut neceſſitas poſtulat, aut à nobis jusjurandum exigitur. Ita quoque, quando recte & ſincere docetur veritas Evangelii. Præterea, quando in neceſſitatibus nomen Dei implòramus, aut idem rebus ſecundis laudamus, & gratias agimus &c. Quæ omnia ſummatim comprehenſa ac præcepta inveniuntur Pſal. 50. Invoca me in die tribulationis, eripiam te, & glorificabis me. Omnibus hiſce rationibus vere & ſalubriter divino nomine utimur, atque ita ejus nomen ſanctificatur, quemadmodum in oratione Dominica precamur.

An Chriſtianis liceat jurare.

Ita totum hujus præcepti ſummam habes explicatam. Ex hac intelligentia haud difficulter ad quæſtionem reſponderi poteſt, quæ multorum doctorum non vulgariter torſit & conturbavit ingenia, quamobrem in Evangelio nobis, ne juremus, interdictum ſit, cum pro certo conſtet, Chriſtum, Paulum, aliosque Sanctos juraſſe ſæpenumero? Eſtque breviter hæc ſententia: Equidem nullo modo nobis ad mala jurandum eſt, hoc eſt, ad mendacia, & ubi neque utile, neque neceſſe eſt. Verum ad bonum & proximi utilitatem licet nobis

jurare. Est enim opus valde bonum, quo Deus laudatur, veritas & justitia confirmatur, mendacium refellitur, homines dissidentes in concordiam rediguntur, obedientia exhibetur, & lites componuntur? Nam Deus ipse hic intervenit, segregans justitiam ab injustitia, ac bonos malosque disjungens. Quod si alterutra pars malitiose perjurat, jam judicii sententia pronunciata est, quod pœnam & supplicium perjurii non sit effugitura. Et si fieret, ut ad tempus supplicii irrogatio protraheretur, nihil tamen illi cadet ex sententia, ita ut quicquid perjurio lucri fecerunt, sub manibus sensim evanescat, nec unquam ea re ex animo læti fruantur.

Pœna perjurii. Hoc ipsum ego non obscuris argumentis in bene multis expertus sum, qui posteaquam connubii fidem promissam abjurarunt, nunquam vel horulam jucundam habuerunt, aut saltem dieculam incolumi fuerunt valetudine, atque ita pariter & corpore & animo, bonis etiam amissis, calamitose perierunt.

Pueri arcendi à mendaciis & perjuriis. Quapropter etiam atque etiam hortor & moneo, ut mature pueros properemus monitis deterrere, & verberibus compescere, ne assvescant mendaciis, potissimum vero, ne ad hæc confirmanda Dei nomen citent & adducant. Ubi enim ae jurandi licentia pueris impune permittitur, nulla spes amplius supersit ullius bonæ frugis ab illis expectandæ. Quemadmodum hodie videmus, ut ego existimem, mundum nunquam fuisse deteriorem, & perditis moribus corruptiorem, quam nunc est, quando ne facies quidem ullius Reipublicæ bene institutæ, nullum obedientiæ & fidei amplius supersit vestigium, verum omnia deploratissimis hominibus, qui nullo modo frenari aut coerceri possunt, & in quibus docendis & objurgandis & oleum (quod ajunt) periit & opera, omnia sunt refertissima. Quæ omnia divinæ iræ & supplicii argumenta sunt

ſunt certiſſima, quo nos obruit propter procacem & temerariam hujus præcepti transgreſſionem.

Secundo, viciſſim eo alliciendi & aſſvefaciendi ſunt pueri, ut Dei nomen reverenter colant, & ſemper in ore habeant in omnibus, quicquid uspiam illis queat occurrere, aut accidere. Hic enim rectus nominis divini cultus eſt, ut de eo omnem nobis omnium malorum levationem & conſolationem polliceamur, eamq; ob rem illum imploremus, ita ut cor prius (ſicut ſupra diximus) per fidem DEO ſuum honorem tribuat, deinceps vero os honorifica confeſſione idem faciat. *Ad quid aſſuefaciendi.*

Atque hæc divini nominis invocandi conſuetudo vehementer ſalutaris eſt & utilis, ac cumprimis efficax adverſus diaboli inſidias, quas ſemper nobis molitur improbus, omnes adoriendi & invadendi occaſiones venans & captans, quibus nos in peccatum & dedecus, in calamitates & ærumnas præcipitet. Sed perinvitus audit divini nominis imploration em, neque diu cunctatur aut ceſſat, ubicunque ex animo ſacratiſſimum Dei nomen invocari perceperit. Et profecto multiplicibus & horrendis caſibus atque periculis ſæpenumero ex improviſo obruemur, niſi Deus per nominis ſui invocationem nobis in tempore ferret ſuppetias. Ipſe propriis experimentis hoc veriſſimum eſſe didici, non raro improviſum & terribilem aliquem caſum aut cladem, in ipſa nominis Dei invocatione in melius fuiſſe commutatum, ac nihil damni dediſſe. Ut Diabolo ægre faceremus, (inquam) hoc ſacrum nomen ſemper in ore habendum eſſet, ne, quemadmodum cupit, nocere nobis poſſit & incommodare. *Invocatio nominis divini.*

Eodem & conducit, ſi aſſveſcamus quotidie nos & corpore & animo Deo commendare, inque ejus tutelam ponere uxorem, liberos, familiam, & quicquid rerum poſſidemus, adverſus omnes caſus & pericula. *Quotidiana precationes.*

Digitized by Google

Unde etiam consecratio mensæ, & gratiarum actio, aliæque nocturnæ & matutinæ benedictiones, in usu permanserunt. Præterea puerorum illud exercitium, ut sese cruce vel precatiuncula muniant, audita re aliqua terrifica & horribili, dicentes: Custodiat nos Deus Pater; Auxiliare Domine Jesu Christe, aut tale quippiam. Ita quoque, si cui præter spem aliquid boni contigerit, quantulumcunque tandem sit, ut dicat: Deo sit laus & gratia, cujus munificentia hoc mihi obtigit, &c. Quemadmodum quondam pueri parentum monitu consveverunt divum Nicolaum & jejunio honorare, & precibus invocare. Hæc, inquam, si fierent, Deo multo essent gratiora & acceptiora, quam ulla vita monastica, aut fucata Carthusianorum sanctimonia.

Ratio educandi pueros in agnitione & timore Domini.

Ecce ad hunc modum juventus puerili quadam ratione, & per Jesum in timore & cultu Dei educari posset, ut primum & secundum præceptum assiduo quodam fervore in continuo versarentur exercitio. Inde alicujus bonæ frugis aut indolis, aliquando exorsuræ & immensum fructum parituræ, spes esset, ut tales enascerentur homines, à quibus in totam patriam emanare posset utilitas. Et hæc ipsa quoque vera esset puerorum educandorum ratio, quando gratia quadam, & voluptate eorum animi flecti possunt. Nam qui tantum plagis & ferulis evincendi & cogendi sunt, hi mox sub initium deplorata ac desperata sunt indole, ac licet omnis diligentia, cura & opera in formandis ipsis adhibeatur, & quasi summum obtineatur, tamen tantisper tantummodo oderunt peccare, donec plagarum ac ferulæ formido eorum oculis & animo obversatur.

Hæc vero educationis ratio in corde agit radices, ut Deum plus metuant, quam ut ferulam aut fustem perhorrescant. Atque hæc juventutis causa tam simpliciter dico, ut vel tandem in animum penetrent, ibiq; radices agant. Nam cum pueros doceamus, cum iisdem nobis

zed by Google

bis quoque balbutiendum fuit. Ita quidem divini nominis abuſum præcavimus, & rectum uſum tradidimus, qui non tantum in verbis, verum multo magis in exercitio & vita debet conſiſtere, ut ſciamus hunc Deo ſumme placere, quem etiam tam munifice remuneraturus eſt, quam horrende in abuſum ſui nominis animadverſurus eſt.

PRÆCEPTUM III.

Memento, ut diem Sabbati ſanctifices.

SAbbatum ab Hebraica dictione, Sabbath, nominatum eſt, quod proprie feriari, hoc eſt, à labore otioſum eſſe ſignificat. Hinc dicere ſolemus, feriari ſeu vacare à labore, & Sabbatum ſanctificare. Jam Deus in Veteri Teſtamento diem ſeptimum elegit, eundemque feriis & otio deſtinavit, & præ omnibus aliis ſanctificandum præcepit. Ejus itaque externæ quietis gratia, Judæis hoc præceptum conſtitutum eſt, ut ab externis & manuariis operibus quieſcentes, indulgerent otio, quo & homines & pecora alterna quadam requie vires repararent, neque aſſiduo labore debilitati abſumerentur. Quanquam poſtea nimis arcte ſuas ferias colebant, ac vehementer iis abutebantur adeo, ut in Chriſto quoque ea opera damnarent & calumniarentur, quæ ipſi quoque diebus feſtis faciebant, ut paſſim legitur in Evangelio. Quaſi vero hæc eſſet hujus præcepti perfecta completio, ſi nullum prorſus externum opus manibus conficeretur, cum tamen ejus hæc nunquam fuerit ſententia, ſed potius hæc, ut diem feſtum ſive Sabbatum ſanctificarent, quemadmodum in ſequentibus latius aduturi ſumus.

Sabbatum quid?

Quamobrem hoc præceptum, quantum ad externum & craſſum illum ſenſum attinet, ad nos Chriſtianos non pertinet. Eſt enim externa quædam res, ſicut omnes

Externa obſervatio Sabbati non perti-

net ad Chri-ſtianos.

aliæ V. T. conſtitutiones, certis quibusdam ritibus, perſonis, temporibus & locis deſtinatæ, quæ omnes jam per Chriſtum liberæ factæ ſunt.

Cur Sabbatum etiam Chriſtianis ſervandum?

Cæterum, ut hinc Chriſtianum aliquem intellectum hauriamus pro ſimplicibus, quidnam Deus hoc in præcepto à nobis exigat, ita habe: Nos dies feſtos celebrare, non propter intelligentes & eruditos Chriſtianos, hi enim nihil opus habent feriis, verum primo etiam corporalis cujusdam cauſæ & neceſſitatis gratia, quam & natura docet & exigit, nimirum, communis multitudinis gratia, ſervorum, ancillarum, qui per totam hebdomadam laboribus ſervierunt, ut & ipſi diem habeant, qua ab operibus reſpirantes, ſemet ex labore reficiant, & corpora feſſa quiete firmare queant.

Deinde eam ob rem potiſſimum, ut die Sabbati, quando alias ei rei vacare non licet, otium & tempus ſumatur cultui divino ſerviendi: ita, ut conveniamus ad audiendum & tractandum Dei verbum, ac deinceps Deum Hymnis, Pſalmis, Canticis & precibus laudemus.

Obſervatio dierum non eſt neceſſaria.

Sed hoc, inquam, apud nos non perinde certis temporibus, ſicut apud Judæos, alligatum eſt, ut ei rei hic aut ille dies dictus aut præſtitutus ſit: nullus enim dies altero eſt melior aut præſtantior: verum hæc quidem quotidie fieri debebant, ſed quando multitudo præpedita negotiis intereſſe nequeat, ad minimum unus aliquis dies per hebdomadam huic rei ſerviendæ eligendus eſt: porro autem, cum à majoribus noſtris ad hoc dies Dominica ordinata ſit; non eſt immutanda temere hæc innoxia veterum conſuetudo jam recepta, ut unanimis conſentiens ordo conſiſtat, ne quis ſua non neceſſaria innovatione conturbet omnia.

Senſus hujus præcepti.

Hujus ergo præcepti hic ſimplex ſenſus eſt, quando alias dies feſtos agimus, ut haſce ferias verbo Dei diſcendo deſtinemus, ita, ut earundem dierum proprium mu-

Digitized by Google

munus ſit, officium concionandi, & hoc juventutis & multitudinis inſtituendæ gratia. Neque tamen tam arcte & ſuperſtitioſe colantur feriæ, ut earum gratia labores, qui vitari & intermitti non poſſunt, interdicantur.

Quid ſit Sabbatum ſanctificare?

Quare interrogatus quid ſit, Sabbatum ſanctifices? Reſponde: Sabbatum ſanctificare, idem eſt, quod Sabbatum ſanctum habere. Quid ergo eſt, Sabbatum ſanctum habere? Nihil aliud, quam ſanctis verbis, operibus, & vitæ vacare. Siquidem hic dies pro ſe non opus habet ſanctificatione, jam enim inde ab initio creationis à ſuo conditore ſanctificatus eſt. Hoc autem Deus à te contendit, ut tibi ſit ſanctus. Ita fit, ut tui gratia ſanctus aut prophanus reddatur, quatenus tu in eo ſanctis aut prophanis operibus vacaveris. In quo ergo Sabbati ſanctificatio ſita eſt? Sane profecto non in hoc, ut poſt fornacem compreſſis (quod ajunt) manibus ſedeas, aut nullum externum opus opereris, aut corona florea caput cingas, aut veſtitu ſplendidiore te exornes: ſed, ut dictum eſt, verbum Dei tractes, inque eodem, emendata in melius vita, temet exerceas.

Quando Sabbatum rectè ſanctificetur.

Et profecto nobis Chriſtianis ſubinde tales agendæ eſſent feriæ, tantumque ſacris rebus vacandum & incumbendum, hoc eſt, quotidie verbum Dei exercendum, & in ore ac corde ferendum. Verum, quia non omnibus, ut diximus, & tempus & otium ſuppetit, certis aliquot per hebdomadam horis pro juventute, aut aut minimum die quopiam pro tota Eccleſia utamur oportet, ut tantum huic rei intenti ſimus, neque aliud, quam decem præcepta, Symbolum fidei, & orationem Dominicam exponendam & diſcendam proponamus, atque ita totam hanc vitam noſtram ad divinorum verborum amuſſim & regulam inſtituamus. Quocunque ergo tempore iſta communi & unanimi conſenſu tractantur & exercentur, ibi profecto rectum celebra-

tur Sabbatum. Si non, neque Christianorum Sabbatum dicendum est. Quippe ferias & otium agere noverunt etiam ii, qui à Christo omnique pietate sunt alieniſſimi. Quemadmodum videmus, totum illud examen, & ocioſam ac mollem turbam religioſorum noſtrorum, qui quotidie in templis ſtantes cantillant & ſtrenue tinniunt, boant & vociferantur, ſed nullum ſanctificant hac Stentorea vociferatione & lupino illo ululatu ſuo Sabbatum. Neque enim ullum DEI verbum docent aut exercent, ſed plane diverſum & contrarium, & doctrina, & vita exprimunt.

Verbum Dei res omnes ſanctificat?

Siquidem Dei verbum unicum illud ſacrum eſt, quod omnes res ſacras longe lateque ſanctitate præcellit & exuperat, imo potius unicum illud myſterium, quod nos Chriſtiani & ſcimus & habemus. Nam tametſi omnes omnium ſanctorum reliquias & oſſa in acervum cumulata poſſideremus, aut in univerſum omnes ſacras veſtes haberemus: nihil tamen inde emolumenti caperemus, aut ſentiremus auxilii. Sunt enim res mortuæ, neminem ſanctificare valentes. Verum enim vero Dei verbum theſaurus ille & gaza eſt pretioſiſſima, quæ omnia ſanctificat, cujus adminiculo etiam ipſi ſancti omnes ſanctimoniam conſecuti ſunt. Jam quacunque hora verbum Dei docetur, auditur, legitur, conſideratur, aut repetitur memoria, ea hujus tractatione, audientis perſona, dies & opus ſanctificatur, non externi quidem operis gratia, ſed propter verbum, quo omnes nos ſancti reddimur & efficimur. Quocirca nunquam non dico, omnem vitam & opera noſtra verbi Dei ductu & auſpicio gubernari debere atque inſtitui, ſi volumus hæc Deo placere & ſancta eſſe, quod ſi fit, conſtat hujus præcepti fervere efficaciam & plenitudinem.

Quibus rebus Satum prophanetur.

Contra, quæcunque res aut opera extra Dei verbum feruntur & inſtituuntur, hæc coram Deo prophana ſunt

&

& immunda, quamlibet tandem præclara & ſplendida, etiamſi meris ſacris divorum reliquiis eſſent exornata: Cujus generis ſunt ficti atque excogitati religioſorum ordines, verbum Dei prorſus ignorantes, & ſanctitatem ex propriis operibus quæritantes. Quare ita habe, hujus præcepti vim atque virtutem non conſiſtere in otiando, ſed in ſanctificando, ita, ut hic dies præcipuum aliquod ſanctarum rerum exercitium habeat. Nam reliqui labores & exercitia proprie non dicuntur ſancta exercitia, niſi homo prius ſanctus fuerit. Hic vero ea fieri debent opera, per quæ homo ipſe ſanctus fiat, id quod ſolum, ut dixi, verbo Dei fieri poteſt. Ad quod etiam fundata & conſtituta ſunt certa loca, tempora, perſonæ, & totus externus Dei cultus, ut hæc propalam aſſiduo uſu exercitata ferveant.

Contemtores verbi Dei puniri.

Cum itaque tanti momenti ſit verbum Dei, ut citra hujus tractationem nullas ferias ſanctas eſſe certum ſit: ſcire debemus, Deum hoc præceptum ſevere atque adeo ſerio conſervari velle, ſuppliciumque de his omnibus eſſe ſumturum, quotquot verbum ejus proterve contemnunt, aut audire & diſcere recuſant, eo præſertim tempore, quod huic audiendo & diſcendo deſtinatum eſt.

Peccata contra tertium præceptum.

Quare adverſus hoc præceptum peccant, non tantum ii, qui contumelioſis operibus abutuntur Sabbato, idemque religioſis profanant, ut illi, qui dediti avaritiæ, aut prava rapti libidine, verbum Dei non audiunt, aut in tabernis vinariis poculis ac gulæ indulgentes, ferinam atque ſuillam vitam exigunt: verum etiam illi, qui perinde verbum Dei audiunt, tanquam fabulam quandam & commentum anile, tantum pro more ac uſitata quadam conſuetudine auditum accedunt, intrantes atq; exeuntes, jamq; anno elapſo ne pilo doctiores aut meliores facti ſunt. Hacten9 enim hæc apud homines inveteravit opinio, ut exiſtimarent per omnia

omnia ſatisfactum eſſe Sabbato, ſi die Dominico Miſſa ac Evangelium audiretur. Cæterum, verbum Dei nemo admodum requiſivit, quemadmodum nemo quoque præſto fuit, qui illud ſincerè docuiſſet. Jam vero, poſteaquam tanti theſauri facti ſumus compotes, quo major aut amplior nullus reperiri poteſt, abuſum nequaquam tollimus, ſed ſinimus quidem nobis multa prædicari, ac nos moneri ſedulo, cæterum nulla gravitate, animique conſtantia & cura audimus.

Verbum DEI diſcendum.

Scias itaque non tantum referre, ut audias, verum multo magis etiam, ut auditum Dei verbum perdiſcas & cuſtodias. Neque in eam venias opinionem, ut hæc tecum cogites, in tua voluntate ſitum eſſe, aut non ita multum referre, audias nec ne, ſed præceptum Dei eſſe, qui aliquando auditi à te verbi ſui rationem tecum initurus eſt, quomodo illud didiceris, audieris, aut quam reverenter habueris. Pari quoque ratione objurgandi ſunt illi delicati & faſtidioſi ſpiritus, qui ſimul atque unam & alteram concionem audierunt, protinus ſaturi ſunt, correptique nauſea verbum faſtidiunt, utpote, qui ipſi illud probe calleant, nec egeant magiſtro aut doctore amplius. Hæc enim verbi Dei nauſea & faſtidium ipſum illud peccatum eſt, quod inter mortalia peccata hactenus numeratum eſt, diciturque ἀκηδία, hoc eſt, ſocordia & tædium, odioſa profecto & damnoſa peſtis, qua Diabolus hoc tempore multorum perſtringit pectora, ut nos oſcitantes opprimat, ac verbum Dei iterum nobis clanculum ſubtrahat.

Faſtidium verbi.

Propter diaboli inſultus verbum aſſidue diſcendum.

Hoc enim tibi prædictum ſit, quanquam verbi divini omnium eſſes ſcientiſſimus, omnesque reliquos hujus anteires cognitione & magiſterio: quotidie tamen in Satanæ poteſtate & regno poſitus es, diu noctuque non deſinentis tibi machinari perniciem, ut in corde tuo incredulitatem excitet, teque malis cogitationibus adverſus priora & omnia præcepta incendat. Quare omni-

omnibus modis neceſſarium eſt, ut verbum Dei in promtu habeas,& quod dici ſolet, in numerato, hoc eſt, in corde, in ore, in auribus. Quieſcente autem corde,nec verbo Dei perſonante, impreſſionem facit,ac prius, quam animadvertamus,damnum dedit. Contra, ea vis & virtus verbi eſt, ut, ubi ſeria quadam animi agitatione revocatur in memoriam, aut auditur & tractatur, numquam ſine fructu evaneſcat, ſed ſubinde nova quadam intelligentia, voluptate ac devotione auditorem afficiat, retineat ac excitet,pectusque & cogitationes purificet. Neque enim verba ſunt putrida aut emortua, ſucco & vigore carentia, ſed plane viva & efficacia. Adhæc, ſi nulla alia utilitas aut neceſſitas ad crebro & diligenter audiendum Dei verbum nos provocaret, tamen hæc una ſatis vehemens eſſe debebat, quæ merito omnes nos excitaret, quod verbi divini tractatione dæmon fugatur & abigatur, & hoc præceptum impletur, Deoque acceptius eſt ſui verbi exercitium, quam omnia alia ſplendida hypocritarum opera.

PRÆCEPTUM IV.

HActenus tria priora præcepta didicimus, quæ erga Deum ſervanda nobis tradita ſunt. Primum, ut ei ex toto corde fidamus, eum per omnem vitam noſtram metuamus & diligamus. Deinde, ut ejus ſancto nomine nequaquam ad mendacia, aut ullam aliam nequitiam tuendam abutamur; ſed idem ad laudem Dei, ac utilitatem & ſalutem proximi,atque etiam noſtram uſurpemus. Tertio, ut diebus feſtis verbum Dei diligenter audiatur & exerceatur, ut tota vita noſtra ad ejus gnomonem & regulam non diſcrepante amuſſi reſpondeat. Sequuntur nunc deinceps reliqua ſeptem præcepta, quæ erga proximum nobis conſervanda ſunt, quorum primum & ſummum, hoc eſt:

Repetitio ſuperiorum.

Hono-

Honora patrem tuum & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram.

Parentes non modo amandos, ſed & honorandos.

Hunc parentum ſtatum & ordinem Deus præcipue hoc ornavit elogio ante omnes alios, qui ſub ipſo ſunt, ſtatus & ordines, ut non ſimpliciter præcipiat parentes eſſe amandos, ſed honorandos. Nam erga fratres, ſorores & proximum in genere nihil amplius præcipit, quam amore proſequendos eſſe, ita, ut parentes ab omnibus aliis, qui in terra agunt, ſegreget, juxtaque ſe collocet. Eſt enim honor res amore multis modis ſublimior, utpote, quæ non tantum amorem in ſe complectatur, verum etiam ſingularem quandam modeſtiam, humilitatem & reverentiam, quæ cuidam quaſi majeſtati hic occulte habenda ſit. Neque tantum exigit, ut amanter & cum honore parentes compellemus, ſed omnium maxime, ut & corpore & animo ita nos geramus, exhibeamus, ut in exiſtimatione magna apud nos ſint, ac poſt Deum pro ſummis ac maximis inter homines intueamur. Cui enim non ſimulate, ſed ex animo honorem dare volumus, hunc profecto maximi pretii hominem eſſe exiſtimemus oportet.

Honor.

Parentes propter Deum honorandos.

Neceſſarium ergo eſt, ut pueris hoc identidem inculcetur, ut parentes ſuos DEO loco revereantur, atque in honore habeant, itaque ſecum animo cogitent, quod quanquam tenues, egeni, imbecilles, deficientes & moroſi ſint, nihilominus parentes ſint, ab ipſo DEO ſibi dati. Nam conditionis aut defectus gratia debito honore privati non ſunt. Quare parentum perſonæ intuendæ non ſunt, ſed Dei voluntas conſideranda, ita jubentis & ordinantis. Alioqui coram Deo omnes quidem pares ſumus, ſed nos inter nos hoc diſpari & ordinato diſcrimine non poſſumus non diſcrepare. Quamobrem à DEO præceptum eſt, ut mihi tanquam tuo patri dicto ſis audiens, egoque imperium in te obtineam.

Diſce

Disce ergo sub initium, quinam honor parentibus habendus sit, hoc præcepto exactus, nimirum ut præ omnibus rebus reverenter habeantur, & tractentur benefice, veluti maximus & pretiosissimus in terris thesaurus. *Qui honor parentibus habendus.*

Deinde, ut parem quoque in verbis humanitatem & modestiam à nobis sentiant, ne acerbe eos invadant liberi, neve cum iisdem agant elate & ferociter, sed illis de suo jure nonnihil concedant, & taceant, etiamsi nonnunquam modum excesserint.

Tertio, ut idem quoque opere comprobent, hoc est, amore & officiis corporis & fortunæ talem honorem habeant, ut eos sublevent obsequio, juvent munifice, eorundem non difficilem curam habeant, ubi jam consenuerint, ac per ætatem viribus destituti langueſcere cœperint, aut ad egestatem redacti fuerint. Atque hæc omnia humanitatis officia, non solum libenter & benevole decrepitis parentibus, sed etiam omni etiam humilitate & reverentia, tanquam coram DEO inspectante fiant, præstanda sunt. Qui enim novit, cujusmodi existimationem de parentibus in corde circumferre debeat: ille non patietur, eos laborare penuria, aut fame ac siti contabescere, sed eosdem supra, juxtaque se collocatos faciet discumbere, illisque de fortunulis suis, quidquid habebit, non gravate impertiet.

Deinde vide quæso, & attende animum, quam magna & sancta opera hic liberis proposita sint, quorum, proh dolor! nullus est respectus, sed quæ plane negliguntur, nec quisquam est, qui animadvertat hæc à Deo esse præcepta, aut Dei verbum esse & Scripturæ sacræ documenta. Quod si enim alterutrum horum æstimatum esset ab hominibus: quivis ex hoc facile potuisset colligere, sanctos quoque oportere esse homines, qui secundum horum verborum præscriptum viverent. Neque monasticam vitam instituere, aut religiosorum perver- *Sancta opera liberorum erga parentes.*

perverſos ordines invenire néceſſe fuiſſet : ſed quivis puer in hoc præcepto manſiſſet, potuiſſetque quietam & ſalvam erga Deum obtinere conſcientiam, ac dicere : Si mihi bona ac ſancta facienda ſunt opera, nullum ſcio præſtantius, quam ut parentibus meis omnem honorem & obedientiam exhibeam, quando Deus hoc ipſum mihi faciendum tantopere præcepit. Quidquid enim Deus præcepit, neceſſario multo debet eſſe nobilius & præſtantius, quam omne illud, quicquid nos ipſi comminiſcimur. Et cum non ſit alius ad inveniendum magiſter, cum ſublimior, tum acutior : certum eſt, neque doctrinam ullam eſſe potiorem, quam cujus ipſe autor & magiſter extiterit. Jam quidem abunde, quid faciendum ſit, perdocet, ſi vere bona opera facere atque exercere cupimus, atque hoc ipſo, quod hæc facienda præcipit, ſatis indicat, ſibi quoque eadem mirifice probari. Quod ſi ergo Deus eſt, qui iſta mandat fieri, nec aliquid præclarius novit conſtituere, nulla ſpes eſt, hiſce meliora me inventurum.

Opera à Deo præcepta omnium præſtantiſſima.

Ad hunc quidem modum probus puer docendus erat, & ſalubriter educandus, ac domi in parentum obſequio & obedientia jugiter retinendus, unde ſpectantes cepiſſent voluptatem & gaudium. Verum tanta cura ac diligentia divinum præceptum non fuit commendatum, ſed poſthabitum, planeque diſſimulanter præteritum, ita ut puer iſta animo cogitare non potuerit, ſed interim veluti hians lupus illud captare, quod ipſi vix unquam conſulto, aut ſemel ſalutato, quod dicitur, Deo, commenti adinvenimus.

Obedientia liberorum erga parentes ſanctum opus.

Quare aliquando tandem diſcamus obſecro, ut juventus reliquis omnibus poſthabitis, cumprimis ad hoc præceptum inconniventer intentos habeat oculos, cupiens Deo ſervire vere bonis operibus, ut faciat, quæ parentibus, aut his, quibus horum loco ſubjecta eſt, grata eſſe intellexerit. Quicunque enim puer hæc com-

Digitized by Google

comperta habet & facit: omnium primum hanc ingentem in corde consolationem obtinet, ut plenus gaudio dicere, seque vere jactare possit, adversus omnes, qui propriis & à se inventis operibus occupati sunt: Ecce certus sum, hoc opus DEO meo acceptum esse. Sine vero illos cum suis multis, magnis, laboriosis, amaris & gravibus operibus, omnes ad unum, prodire in medium & jactare, videamus saltem, num unum aliquod producturi sint, quod majus sit aut præclarius, quam obedire parentibus, quod Deus post suæ majestatis obedientiam primum esse voluit, præcepitque. Ita, ut, si DEI verbum & voluntas locum habet, & effecta fuerit, nihil quidquam valere debeat amplius, quam parentum verbum & voluntas. Ita tamen, ut hæc quoque divinæ obedientiæ subdita sit, neque contra priora præcepta feratur.

Liberi summa cum latitia debent obedire parentibus.

Quapropter vere atque ex animo tibi triumphandum esset gaudio, Deoque gratiæ agendæ, quod te dignatus ad hoc elegerit, ut illi tam grata & pretiosa faceres opera. Tantum vide, ut hoc magni æstimes, quamvis apud homines videatur leviſſimum & contemtiſſimum, & hoc non dignitatis nostræ gratia, quæ nulla est, sed quod re omnium pretiosissima, nempe Dei verbo comprehensum & concluſum sit. O quam magno emerent omnes Carmelitæ,& Monachi,& Moniales,ut in omni religione sua vel unum opus possent producere, divinorum præceptorum jussu factum, possentque coram Deo alacri animo dicere: Jam quidem certus sum, hoc opus tibi bene placere. Ubi vero miserandi illi & ærumnosi manebunt homines, quando coram DEO & universo mundo extreme confundentur, collati ad unum aliquem puerum, qui hoc in præcepto vixerit,cogenturque fateri,sese cum omni vitæ suæ ratione & operibus non dignos esse, qui illi vel matellam porrigant? Sed & jure hoc illis accidit, pro-

Digitized by Google

pter perverſitatem diabolicam, quia Dei præceptum ita contumelioſe peſſundant, ut ſemet incaſſum ultro excogitatis operibus excarnificatos diſcrucient, nihil adhæc præmii inde aliud, præterquam ignominiam una cum damno reportent.

Quomodo ergo cor hominis non geſtiret gaudio, aut lætitia diffluereț, quod labori ſe accingeret, faceretque, quod ſibi demandatum eſſet, poſſetque dicere: Ecce hoc opus præſtat ac potius eſt omnium Carthuſianorum ſanctimonia, etiamſi ad necem usque ſe ipſos macerarent jejunio, ac citra intermiſſionem innixi genibus preculas ad Deum funderent? Hic enim certum habes divini verbi teſtimonium, quod hæc facienda mandaverit, cæterum de illis ne Jota quidem uspiam præceptum invenitur. At deploranda hæc mundi plaga & horrenda cœcitas eſt, quod hæc omnia nemo credit: adeo diabolus ſimulata ſanctitate & fucatis operibus noſtros perſtrinxit ac dementavit oculos.

Obedientia vinculum in œconomia mutuum.

Quamobrem percuperem, (ut repetam) ut apertis oculis & auribus, ſerio tandem iſta corde complecteremur, ne aliquando iterum à puro Dei verbo abſtracti & abalienati, in diabolica mendacia prolaberemur. Quin etiam hac ratione futurum proſpicerem, ut parentes majori gaudio, amore, amicitia & concordia fruerentur in ædibus, & liberi parentes haberent ſumma devinctos benevolentia. Contra, ubi pertinaces ſunt, nec citius, quam fuſtibus adacti juſſa capeſſunt: DEUM ſimul & parentes exaſperant, eoque ſeipſos tanto privant theſauro, & gaudio conſcientiæ, omneque malum & infortunium ſibi cumulant. Atque hinc eſt, quod ea jam per totum orbem eſt rerum conditio, quemadmodum nemo non conqueritur, quod æque & ſenes & juvenes ſint efferi & effrenes, in quibus nullum aut reverentiæ aut honoris veſtigium vel ſcintilla conſpiciatur, nihil niſi verberibus evictum facientes, ac clan-

clanculum, quidquid poſſunt, efficientes & ſubtrahentes. Eam ob rem Deus quoque punit eos, ut in omnem calamitatem prolapſi ærumnoſe vitam exigant. Fere etiam videmus, ut ipſi parentes quoque nihil ſciant, & omnium rerum ignari ſint: ita fit, ut ſtultus ſtultum doceat, & quemadmodum parentes vixerunt, ad eum modum deinceps vivant & liberi.

Summum opus ſecundæ tabulæ obedientia & honor erga parentes.

Hoc, inquam, primum & maximum eſſe debebat, quod ad hujus præcepti obſervantiam nos merito provocaret, cujus gratia, etiamſi parentibus deſtitueremur, optandum tamen nobis fuerat, ut nobis Deus truncos & ſaxa proponeret, quæ parentum vice coleremus, aut parentum appellatione dignaremur. Quanto magis poſteaquam vivos parentes nobis largitus eſt, lætitia nobis exultandum eſt, ut illis honorem habere, & obedientiæ obſequium oſtendere queamus, non ignorantes, Deo optimo maximo, ac omnibus Angelis hoc ſumme placere, & diabolo ægre eſſe. Ad hoc, maximum eſſe opus, quod ipſi facere poſſumus, poſt ſummum illum Dei cultum, in prioribus præceptis comprehenſum, adeo ut eleemoſynis juvare egentes, neque non omnia reliqua opera, quæ proximo præſtantur, huic nullo modo conferenda ſint. Quippe Deus huic parentum ordini primas tribuit, eundemque in terris plane in ſuam ſedem colendum evexit & extulit. Hæc quidem Dei voluntas & beneplacitum, ſat vehementibus & cauſis & ſtimulis noſtram debebat impuliſſe negligentiam, ut cum quadam voluptate atque lubentia, quod officium noſtrum poſtular, faceremus.

Quid liberi parentibus ex jure naturæ debeant.

Adhæc coram mundo quoque in hoc aſtringimur, ut acceptorum à parentibus beneficiorum memores, mutuam officii vicem rependamus, utq; parentes ætate feſſos viciſſim alamus foveamusque. Sed hic rurſum in mundo dominatur diabolus, ut liberi parentum oblivi ſcantur: quemadmpdum omnes nos Dei obliviſcimur,

nec quicquam memoria repetit, qua ſedulitate DEUS nos alat, cuſtodiat ac defendat, tum quanta bonorum copia corporis & animi nos cumulet & obruat. Præcipue vero, quando horulam paulo infeliciorem vix oſtendentem ſe adverſitate ſuſtinemus, protinus malorum impatientes, in iram prorumpimus ac murmuramus, deque tot immenſis bonis per omnem vitam à Deo acceptis, nullum vel tantillum in memoria noſtra reſidet amplius, ſed prorſus expuncta omnia oblivioni mandata ſunt. Non ſecus quoque cum parentibus agimus, nec ullus puer eſt, qui difficultatem, quam parentes in nutricando & fovendo eo multifariam perpeſſi ſunt, agnoſcat aut perpendat, niſi hoc à Spiritu S. acceperit gratiæ.

Ejusmodi vitioſam mundi naturam & ingratitudinem DEUS probe compertam habet, quare præceptis nos ſubinde impellit & admonet, ut quisque animo ſecum repetat, quantum bonorum à parentibus acceperit, & inveniet, ſe ab iisdem & corpus & vitæ initium accepiſſe, atque item multo ſudore & cura enutritum & educatum eſſe, ubi alias vel ſexcenties in propriis ſordibus ſibi pereundum fuiſſet. Quocirca præclare & ſapienter à veteribus dictum eſt: Deo, parentibus, & magiſtris, non poteſt ſatis gratiæ rependi. Quicunque horum verborum recte memor fuerit, non expectabit aliorum commonefactiones, ut erga parentes gratus appareat, ſed ſua ſponte properabit eosdem & omni honore cumulare, & in ſinu (quod ajunt) geſtare, ut eos, quorum opera Deus illi omnium bonorum copiam pleno cornu affuderit.

Promiſſio addita huic præcepto.

Super hæc omnia, ad hujus præcepti conſervationem, vel hæc cauſa potiſſimum nos provocaſſe debebat, quod Deus huic præcepto corporalium bonorum promiſſionem annectit, inquiens: Ut ſis longævus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus tibi dabit.

His

Hic ipſe æſtima, quanta ſeveritate hoc præceptum Deo cordi ſit, non ſolum aperte indicanti illud ſibi gratum eſſe, aut gaudio ac voluptati, verum nobis etiam ipſis caſurum eſſe feliciſſime, ac non niſi in optimam partem eventurum, ut vitam tranquillam atque ſuavem exigamus omnibus rebus in terris adfluentes. Hinc ipſe quoque Paulus ad Epheſios ſexto, hoc ipſum citans pleno ore jactat, ubi inquit: Filii, obedite parentibus in Domino, hoc enim juſtum: Honora patrem tuum & matrem tuam, quod eſt mandatum primum in promiſſione, ut bene tibi ſit, & ſis longævus ſuper terram. Nam tametſi & aliis præceptis ſua inclusa ſit promiſſio: nulli tamen adeo ſignificanter & expreſſe, quam huic, adjecta eſt. *Epheſ. 6, 1.*

Habes itaque hujus præcepti fructum & præmium, ut ille, qui hoc transgreſſus non fuerit, dies felices exigat, nulla preſſus inopia: Contra quoque pœnam, ut ille, qui parentibus dicto non erit audiens, hoc citius intereat, nec unquam ſua vita cum voluptate fruatur. Eſſe enim aut fieri longævum, non tantum ad decrepitam usque ætatem vivere Scriptura nominat, ſed omnia habere affatim, quæ ad longævam vitam traducendam pertinent, ut eſt proſpera valetudo corporis, uxor & liberi, victus non tenuis aut ſordidus, externa rerum pax, bona & æquabilis Reipublicæ adminiſtratio, & hujusmodi, ſine quibus hæc vita neque jucundi peragi, neque diu conſiſtere poteſt. Jam ergo ſi gravaris auſcultare parentibus, & ab iisdem emendari recuſas: eſto dicto audiens carnifici. Quod ſi neque huic obedire ſuſtines, obedito θανάτῳ παιδαμάτορι, τῶν κακῶν παίδων διδασκάλῳ. Hoc enim DEUS, velis nolis, exigit, ut aut ſi ipſi auſcultaveris, moremque geſſeris, tibi largiter & affatim omnibus bonis penſet præſtiti obſequii promtitudinem: aut, ſi ejus iracundiam *Fructus & præmium hujus præcepti ſervati.*

tua pertinacia exasperaveris, te & morti & carnifici cruciandum objiciat.

Unde tot facinorosi homines.

Unde etiam agminatim pullulant & emergunt quotidie tot facinorosorum hominum examina, quæ partim laqueo, partim gladio, partim etiam rota & igne, plectenda & extingvenda sunt, quam ex inobedientia erga parentes? Quandoquidem parentum objurgationem, ex gratia & amore profectam, perferre nolunt, fit, ut Dei iracundia in omne facinus prolapsi, deinceps propalam excarnificati parentibus & dolori sint & dedecori. Perraro enim contingit, ut tam perditi & deplorati homines, rectam aut maturam mortem oppetant. Cæterum probi & obedientes benedictionem accipiunt, ut in multa tranquillitate belle & molliter consenescant, ac natos natorum (ut supra dictum est) videant, in tertiam & quartam generationem usque procreatos.

Exempla.

Hoc ipsum experimentis quoque discimus, ut, ubi honestæ & vetustæ sunt familiæ, divitiis & liberorum numerosa sobole abundantes, procul dubio inde incrementum longa quadam propagatione acceperint, quod illorum aliquot sancte educati fuerint, suisque majoribus reverenter auscultaverint. Rursum de impiis ita in sacris literis memoriæ proditum legimus, Psal. 109. Nepotes ejus eradicabuntur, in generatione altera deleatur nomen eorum. Sit ergo tibi semel atque adeo dictum serio, quanti Deus faciat obedientiã, cum illi tantum tribuat, tantum ea delectetur, ut ejus observationem amplissimis præmiis remuneret, & rursus transgressores acerbe & immisericorditer puniat. Hæc omnia eo à me dicuntur, ut ista pueris sedulo inculcentur. Nemo enim facile credit, quam necessarium sit hoc præceptum, hactenus tamen in Papatu non magni æstimatum, ac ne traditum quidem unquam. Sunt quidem verba vulgaria & facilia, quæ nemo non ante sibi probe cognita esse existimat, & hæc ipsa causa est, cur tantopere

Psal. 109, 13.

topere negligantur, adeo, ut ad alia nimium curioſe intenti ſimus, ignorantes interim neque credentes, tam accendi & provocari iram Dei hujus præcepti contemtu & negligentia noſtra, & viciſſim obedientia ejus præcepti tam præclara & grata opera illi præſtari.

Obedientia erga magiſtratum.

In hujus præcepti explanatione, neque illud tacitum aut ſilentio prætereundum eſt, quod ad multiplicem obedientiam ſuperiorum attinet, nempe eorum, qui verſantur in imperio, & reipublicæ procurationem ſuſtinent. Siquidem è parentum poteſtate omnes aliæ propagantur & manant. Ubi enim parens aliquis filium rebellem & dyſcolum ſolus educare nequit, magiſtrum adjutorem ſibi adhibet, qui literis ac diſciplinis liberalibus pueri ferociam molliat ac mitiget. Quod ſi hujus quoque opera ad retundendam ferocientis ingenii barbariem, parum fuerit efficax aut valida, adjungit ſibi vicini auxilium. Quod ſi diem ſuum obierit, commendat ac tradit filium educandum magiſtratibus, aut tutoribus ad hoc conſtitutis.

Obedientia erga Dominos.

Adhæc, ad rei familiaris adminiſtrationem ſervisque & ancillis opus eſt, ita, ut omnes, quotquot Domini appellatione cenſentur, vice parentum ſint, ab iisdemque poteſtatem ac vim regnandi accipiant. Unde quoque ſecundum ſcripturam omnes dicuntur Patres, utpote, qui in ſua gubernatione officium Patris obire, ergaque ſubditos patris animum induere debeant. Quemadmodum & olim apud Romanos, & alios plerosque populos, heros herasque, patres & matresfamilias nominabant. Ita quoque ſuos magiſtratus & principes dixerunt patres patriæ, nobis Chriſtianis in dedecus & ignominiam, quod non eadem appellatione parentes & principes noſtros dignamur, aut ad minimum eos pro talibus honoratos exiſtimamus.

Obedientia in œconomia.

Jam quæcunque liberi parentibus ſuis debent, eadem plane debent illis omnes, qui in œconomia verſantur.

Digitized by Google

Quapropter & ſervi,& ancillæ etiam atque etiam operam dare debent, ut non ſolum dominis ac dominabus ſuis libenter pareant, morem gerentes & obtemperantes, verum etiam veluti parentes ſuos honeſtent honoribꝰ non quidem coacte & invito animo,ſed promte & cum gaudio.Et hoc propter priorem cauſam,quod Deus honorandos eos & colendos præcepit, hacque obedientia præ omnibus aliis operibus inprimis delectatur. Cujus rei gratia vel ipſi pretium impendere, planeq; geſtire gaudio debebant, ſi heros & heras conſequantur, tamque pacata & hilari conſcientia fruantur, & ſciant, quomodo vere aurea opera præſtare queant: quæ hactenus prorſus rubigine & ſqualore obſcurata, & contemta ignoravimus,pro quibus faciendis nemo non impulſu diaboli, aut in monaſticæ vitæ lernam ſceleratiſſimam ſemet præcipitavit, aut ad divos mercatum indulgentiarum decipulas abiit, magna jactura & temporis, & nummorum, & conſcientiæ.

Opera œconomica.

Hæc ergo,quemadmodum dicta ſunt, ſi miſero vulgo iterum atque iterum inculcarentur, qui fieri poſſit, ut famula non exiliret gaudio,Deo gratias ageret,eumque celebraret,& mediocri labore,pro quo alias victum & mercedem accipit,ejusmodi theſaurum conſequeretur, cujus illi, quos ſanctiſſimos eſſe putamus, nunquam facti ſunt participes? Nonne vero hæc inſignis & præclara eſt jactantia,noſſe & poſſe dicere, te, ſi quotidie diurni laboris penſum diligenter abſolveris, opus feciſſe ſanctius ac melius, quam omnium monachorum ſanctitas ac vita eſt, quam dure & laborioſe exigunt? Adhæc annexam habes promiſſionem, proſpere ac feliciter id tibi caſurum eſſe. Qua ratione vis eſſe beatior,aut ſanctiorem vitam agere, quantum ad opera attinet? Nam apud Deum ſola fides vere juſtificat, eique ſoli ſervit,opera vero hominibus. Ita fit,ut nihil non boni,protectionis & defenſionis ſub Domino tuo habeas:

habeas: adhæc pacatam conſcientiam & faventem Deum obtineas, qui multis ſervitii tui rationem tibi penſaturus eſt. Quid multis moror? palam beatus es, dummodo probitatis & obedientiæ virtutem conſtanter retineas. Sin minus: primum quidem non niſi iram à Deo lucrifacis & inimicitas, poſtea amiſſa cordis tranquillitate, omnes plagas incurris & infortunia. Quem ergo iſta non movebunt & probum facient, hunc tanquam deploratæ vitæ hominem carnifici commendamus & morti. Quare quilibet qui moneri ſe patitur, cogitet, Deum hoc ſuo præcepto non ludos facere, aut jocos exercere, ſciasque illum ipſum hæc tecum loqui, & obedientiam requirere. Quod ſi illi morem geſſeris, placebis ei, ejusque dilectus filius eris. Sin vero contemſeris, age, & dedecus, ærumnas & dolores præmii loco tibi habeto.

Similiter quoque dicendum eſt de obedientia, quæ debetur magiſtratibus, quæ, ut diximus, & ipſa in parentum ordinem pertinet, & huc referenda eſt, omnium maxime longe lateque patens. Neque enim hic ſaltem unius familiæ parens eſt, ſed toties pater princeps exiſtimandus eſt, quotquot cives aut ſubditos ſuæ ditioni ſubjectos habuerit. Quippe Deus non ſecus per illos quam parentes nos alit ac ſuſtinet, illorum opera victum nobis præſtans, penates, tutelam, pacem atque ſecuritatem. Quamobrem cum nomen & titulum illum, uti ſummum decus & gloriam ſuam, merito & dignisſime geſtent: viciſſim & nos debemus eos, ut digni ſunt, omni honore oſtenſo, magnifacere, ut theſaurum in terris omnium pretioſiſſimum. *Obedientia in politia.*

Jam qui hic promto ac lubenti animo obſequitur, neque gravatim ea, quæ ad exhibendum honorem attinent, exequitur: is ſcit, ſe rem Deo gratam facere, præmiique loco gaudium ac felicitatem ſe conſecuturum. Quod ſi gravatur facere, ac magiſtratus etiam *Opera politica.*

contemnit, aut concitato tumultu rebellat: rursum
Pœna. quoque ille sciat, nullius gratiæ aut benedictionis divinæ unquam sese futurum compotem, sed ab his omnibus excidisse planissime. Et ubi sperat hac sua inobedientia aureum se lucraturum, alibi in decuplo graviorem jacturam faciet, aut in carnificis manus incidet, aut vel bello, vel peste, vel fame peribit, aut liberos suos degeneres, omnique vitiorum genere coopertos videbit, à familia, vicinis, hostibus, fisco, & tyrannis certatim compilabitur, damnum accipiet, & per injuriam opprimetur: ut ita dignum ad nos redeat præmium, id quod per inobedientiam & quærimus & meremur.

Unde tot calamitates & miseria. Proinde, si persuaderi saltem id nobis aliquando pateremur, ut crederemus, in tantum hæc opera placere Deo, tamque amplum præmium propositum sibi habere: equidem in exuberantissima omnium rerum copia felicissimam vitam degeremus, omnia, quæcunque humanus animus concupiscit, possidentes. Quia vero tam leviter, & ne unius quidem assis Dei verbum & præceptum æstimare solemus, quasi Cares quispiam aut Thressis homuncio illud dixisset sanxissetque, videris quoque, num tu is vir sies, qui æquo Marte cum illo possit in arenam descendere. Quam vero difficile facto hoc illi erit, ut te persolvens, tuam contundat ferociam? Quare multo quidem mihi videretur consultius & præstabilius, magisque in rem tuam foret, ut potius in Dei favore, pace ac gratia, neque non felici rerum successu viveres, quam eodem tibi hostiliter adversante, & inimico existente. Undenam putas universum jam orbem refertum esse perfidia, malitia, sceleribus, rapina, cæde, perjuriis, latrocinio, omnique genere calamitatum atque dedecoris, quam quod nemo alieni imperii jugum ferre sustinet? quod quisque liber, quisque sui juris ἀυτόνομος esse conatur, neminemque revereri aut metuere, sed, quodcunque animo

suo

ſuo viſum aut libitum eſt, facere vult? Inde fit, ut Deus latronem latrone puniat, ut ubi domino tuo fraudulenter impoſueris, aut eundem ſuperbe ſpreveris, alius veniat, qui eadem menſura tibi remetiatur: imo & in propriis laribus ab uxore, liberis & familia, decuplo plus perferre cogaris.

Sentimus equidem haud obſcure noſtrum infortunium, murmurantes & conquerentes de perfidia, vi, injuria: ſed interim clauſis oculis egregie diſſimulamus, nos ipſos intus & in cute nebulones eſſe perditiſſimos, qui pœnam hanc ampliſſime meriti ſimus, nec tamen vel tantillum vita in melius commutata, reſipiſcere animum inducamus. Nullum locum gratiæ & felicitati apud nos reliquum facimus: jure ergo optimo non niſi infortunium & acerbitatem, omni ſublata miſericordia, perſentiſcimus. Et profecto reor, adhuc in humanis eſſe alicubi pios ac probos homines, cum tantum boni adhuc Deus nobis tribuere ſoleat, nam noſtri gratia ne teruntium quidem in ædibus, aut ſtipulam in arvis retinere debebamus. Hæc omnia eam ob rem mihi percenſenda fuere verboſius, ſi ſemel quispiam iſta, vel tandem emollitus corde conciperet, ut à miſeranda iſta cœcitate & calamitate, in qua tam profunde immerſi jacuimus, liberaremur, Dei verbum ac voluntatem cognoſcentes, ac denique ſerio arripientes. Ex hoc enim diſceremus, quo pacto, gaudio, proſperitate & ſalute, hic & in futuro ſeculo frui poſſemus.

ITA triplices in hoc præcepto Patris nobis præſtitutos eſſe videmus. Primum quidem ſanguinis: Deinde præſidentes in ædibus: Ultimo, quibus partes gubernandæ Reipubl. commendatæ ſunt. Præter hos ſuperſunt adhuc patres ſpirituales, non illi quidem, qui hactenus in Papatu hoc nominis ſibi falſo arrogarunt, neque tamen ullum patris officium ſunt executi: *Triplices patres.*

Illi

Illi enim soli spirituales patres dici merentur, qui verbo DEI nos pascunt, regunt ac docent, & fideliter præsunt gregi: Quo nomine S. Paulus se patrem jactat, scribens Corinthiis, 1. Cor. 4. In Christo Jesu per Evangelium vos genui. Cum ergo Patres eos esse constet: & his honor præ omnibus aliis deferendus est. Verum enim vero hic omnium minime cernitur. Ad hunc enim modum à mundo honorandi & honestandi sunt, ut passim ejecti oppidis agantur in exilium, & ne frusto quidem panis pascantur citra invidiam, & in summa, hujus mundi purgamenta, ut Paulus eodem capite loquitur, & peripsemata omnium esse cogantur.

1. Cor. 4. 15.

1. Cor. 4. 13.

Qui honor ministris verbi habendus.

Veruntamen valde necessarium est, ut hæc quoque summa diligentia vulgo inculcentur, eos, qui Christiani esse contendunt, coram Deo debere pro officio, ut duplici honore illos afficiant, qui eorum animarum curam gerunt, ut eosdem vicissim alant ac foveant: ad quod iterum DEUS abunde suppeditabit, ut nulla premaris inopia. Sed hic rursum nemo non pertinacissime tenax est, metuens, ne forte venter fame effractus contabescat. Nec unum jam valemus doctum, probum atque fidelem concionatorem alere, ubi ante decem cucullatos porcos, aut aleatores sacrificos tantum abdomini servientes, opiparè saginavimus. Qua ratione etiam promeremur, ut suo verbo & benedictione Deus nos iterum tantæ ingratitudinis gratia privet atque defraudet, sinatque iterum mendaciorum doctores exoriri, qui suis impostoris recta ad Orcum nos ductitent, neque non sudorem & sanguinem nostrum devorent.

Præmia honorantium ministros verbi.

Cæterum, qui Dei voluntatem & præceptum reverentur, eam promissionem acceperunt, fore, ut illis affatim pensetur, quicquid in alendis cum corporalibus, tum spiritualibus patribus insumserint, & ad amplificandum ipsorum honorem præstiterint: non

quod

Digitized by Google

quod per unius tantum anni ſpacium abunde habituri ſint victum, veſtitum, & aliquantulum pecuniæ poſſeſſuri: ſed quod longævi futuri ſint, commeatu inſtructi ſplendido, pacis tranquillitate fruituri, breviter, perpetuo divites ac beati. Quare etiam atque etiam cura, ut, quod officium tuum exigit, prompte facias, omnemque curam in Deum rejicias, quomodo te aliturus ſit, aut omni copia inſtructurus. Quod ſi promiſit, nec unquam cuiquam mendax aut deceptor inventus eſt: nec tibi mentietur.

Hæc, inquam, nos provocare debebant, ac talem animum facere, qui ſe omnium amantiſſime effunderet erga eos, quibus honorem debemus, ita, ut ſupinis manibus gaudentes Deo gratias ageremus, qui ejusmodi promiſſiones nobis tribuit, quarum gratia ad extremos Indos impigerrime curſitare debebamus. Nam tametſi totus mundus omnes ſuas vires conferret: ne horulam quidem ad ſummam vitæ noſtræ poſſet adjicere, aut unicum ſaltem granum è terra producere. DEUS hæc omnia & vult & poteſt tibi ſuperabundanter & plena (quod ajunt) manu præſtare, ex animi tui voto atque ſententia. Jam qui talia negligit, aut ventis & auræ diſcerpenda permittit: ille indignior eſt, quam ut ullum Dei verbum audiat.

De officio parentum & ſuperiorum erga liberos, & inferiores.

Hæc velut auctarii loco iis, qui huic præcepto ſubjecti ſunt, diximus. Adhæc parentes quoque docendi eſſent, quænam illorum ſint partes & officia, quomodo ſe gerere debeant erga eos, quos gubernandos & tuendos ſuſceperunt. Quæ res etſi dilucide in Decalogo expreſſa non eſt: multis tamen aliis in locis Scripturæ abunde præcepta invenitur ac tradita. DEUS quoque hoc ipſo præcepto hæc vult ſubintelligi, ubi parentum mentionem facit. Neque enim ejus voluntas eſt, ut aut perditi nebulones, aut enormes tyranni hujus officii procurationem obeant:

neque

Digitized by Google

neque in hoc illis ipsis honorem tribuit, hoc est, potentiam & jus regendi, ut se precibus tanquam numen aliquod adorari potiantur, sed cogitent potius, quod & ipsi Deo obedientiam debeant, ut officium suæ fidei delegatum ipsis curæ sit ac solicitudini, utque liberos, familiam & subditos suos non tantum nutriant, & corporalibus alimentis provideant, sed omnium maxime ad laudem & gloriam Dei propagandam educent. Quamobrem nequaquam fac cogites, hæc in tuo arbitratu aut voluntate sita esse, ut statuas aut facias in his, quæ tibi visa fuerint, sed quod Deus hæc tibi graviter atque adeo serio facienda præceperit, cui etiam aliquando exigenti harum rerum rationem redditurus es.

De negligentia parentum & superiorum in suo officio.

Sed quam hic rursus miserandam plagam videmus, quod hujus officii nemo respectum aut curam habere dignatur, perinde agentes, ac si Deus liberos tantum in hoc nobis dedisset, ut animi fallendi gratia nobis voluptati essent, aut delectamento : præterea familiam tantum in hoc, ut ea tanquam bove aut asino opere faciendo utamur, aut cum subditis pro animi nostri libidine agamus, non secus eos habentes neglectui, quam si ad nos non pertinerent, aut nostra nihil interesset, quid discant, aut quibus pietatis studiis suam vitam traducant. Nec quisquam eo intendit animum, ut cogitet hoc divinæ majestatis esse præceptum, hoc ipsum severe examinaturæ, & graviter ulturæ : aut summam necessitatem hoc exigere, ut juventutis rectæ educandæ atque instituendæ præcipua habeatur cura & ratio. Quod si enim cum ad spiritualem, tum mundanam rerum administrationem, homines idoneos, promptos & appositos habere desideramus : profecto non erit ulli parcendum labori, aut operæ, aut impensis, diligenter docendo atque instituendo liberos, ut & Deo servire, & hominibus

Digitized by Google

nibus utiles esse queant. Neque tantum nobis cogitandum est, quo pacto illis ipsis magnam saltem nummorum vim cumulemus ac reponamus. Hos enim Deus citra nostram operam alere ac ditare novit, id quod etiam quotidie factitat. Ideo vero liberos nobis largitus est, & commendavit, ut eosdem juxta voluntatem ejus educemus regamusque, alioqui nihil opus erat parentibus. Quapropter quisque indubitate ita habeat, se debere pro officio, eoque adstringi, qui modo nolit infensum & inclementem Deum suo malo experiri, ut ante omnia ad Dei timorem & agnitionem suos liberos educet. Atque ubi aliqua relucebit spes egregii ingenii, aut non malæ indolis, eosdem quoque bonis literis ac disciplinis imbuendos & formandos tradant, ut eorum opera ad politiam, & ad quamcunque rem opus fuerit, uti queant homines.

Commoda rectæ educationis.

His peractis diligenter & strenue, Deus nobis haud dubie suam benedictionem & gratiam largiter impertiret, ut ejusmodi educarentur homines, a quibus cum ipsa patria, tum populares præcipuum emolumentum caperent. Et hujus quoque disciplinæ sedulitate & studio, brevi emergerent bene modesti & recte educati cives, tum pudicæ beneque moratæ matronæ, rei familiaris diligentes & studiosæ, qui deinceps indesinenter probos liberos & familiam laudabilem procrearent. Jam ipse tecum animo repete, quam nefarium admittas facinus, quamque atrox damnum des, si hac in re negligenter agas, aut per te stet, quo minus liberi tui utiliter ac salubriter educentur. Adhæc omnibus peccatis & ira temet gravas & oneras, ita, ut liberorum tuorum ergo æternam damnationem promerearis, tametsi alias sanctam atque inculpatam vitam traduxeris. Eam ob rem Deus quoque, cum ista tam omisso animo negliguntur, mundum inusitatis & non dicendis pœnis afficit, ut nullius disciplinæ & pacatæ gubernationis vestigium apud nos

nos cernatur amplius, quod non raro dolenter conquerimur, interim non videntes tantarum tragœdiarum culpam noſtram eſſe. Quemadmodum enim regere conſuevimus: ita rebelles ac degeneres ſubditos & liberos experimur. Et hæc monendi gratia in præſens ſufficiant, hæc enim tractare prolixius aliud tempus poſtulat.

PRÆCEPTUM V.
Non occides.

Continuatio.

HActenus & ſpiritualem, & mundanum magiſtratum, hoc eſt, cum Dei, tum parentum jus & obedientiam, executi ſumus. Hoc vero in loco ex ædibus noſtris ad vicinos egredimur, ad diſcendum, quo pacto nobis inter nos cuique erga proximum, vita inſtituenda atque exigenda ſit. Quare hoc præcepto Deus & magiſtratus non ſunt comprehenſi, neque illis & jus & facultas perimendi facinoroſos, quam obtinent, ſublata eſt. Siquidem Deus jus ſuum plectendi criminoſos, magiſtratui parentum loco commendavit ac credidit, qui antiquitus ipſi (ut in Moſe legitur) ſuos ipſorū liberos in jus rapere, ac judicio condemnare cogebantur. Quapropter quidquid hic interdicitur, privatis perſonis peculiariter interdictum eſt, & non magiſtratui.

Hoc præceptum non pertinere ad magiſtratum.

Jam hoc præceptum eſt intellectu valde facile, ac crebro declaratum, quando quotannis in Evangelio Matth. 5. auditur, ubi illud Chriſtus ipſe interpretatur, ac ſummatim complectitur, ſcilicet, neque manu, neque cordis cogitationibus, neque ore, neque ſignis, neque conſilio & auxilio eſſe occidendum. Quare omnibus hic iraſci interdictum eſt, exceptis his, ut diximus, qui Dei locum in terris obtinent, hoc eſt, parentibus & magiſtratui. Dei enim & illorum, qui in divinum ordinem cooptati ſunt, intereſt iraſci, indignari, objur-

Matth. 5, 32.

Digitized by Google

objurgare & punire eos ipſos, qui hoc & alia præcepta flagitioſe transgrediuntur.

Cæterum hujus præcepti conſtituendi neceſſitas & cauſa hæc fuit, quod Deo obſcurum non erat, quanta eſſet mundi malitia & iniquitas, & quam hæc vita multis obnoxia eſſet periculis, eam ob rem Deus hoc præceptum inter bonos & malos conſtituit. Jam quemadmodum multæ ſunt aliorum præceptorum impugnationes: ita quoque hujus non ſunt paucæ aut modicæ, ut cum multis hominibus nobis vivendum ſit, qui nos injuria afficiunt, unde cauſas nanciſcimur, inimico animo eosdem proſequendi. *Cauſa hujus præcepti.*

Exempli cauſa: Si vicinus tuus viderit tibi eſſe ædes ſplendidiores, numeroſiorem familiam, pinguiores agros, plus opum atque fortunæ à DEO eſſe, quam ſibi: ſtatim ægre patitur, tibique proſperos rerum ſucceſſus invidere incipit, neque quidquam boni de te aut cogitat, aut loquitur. Ita impulſu mali Genii, multos conſequeris inimicos, qui nihil boni neque ſpiritualiter neque corporaliter tibi faveant. Hos ergo cum videmus, animus noſter viciſſim ira exæſtuat, ac vindictæ cupiditate ardere incipit. Inde maledictorum ac litium pullulant initia, ex quibus deinceps calamitates & cædes emergunt otiunturque. Hic vero DEUS tanquam amicus ac clemens Pater prævenit, ſeque interponit arbitrum, volens omnem diſcordiam componi ac præſcindi, ne qua oriatur injuria, aut alius perdat alium. Et in ſumma, hoc præcepto quemvis ab omni vi atque injuria tutum, pacatum ac defenſum, hocque præceptum veluti murum, arcem, aſylum & propugnaculum proximo eſſe vult, ne quam moleſtiam & damnum à quoquam corpore accipiat. *Exemplum.*

Eſt ergo hujus præcepti ſenſus, ne quis ob ullum malefactum ulla conturbetur aut afficiatur injuria, etiamſi hanc abunde promeruiſſet. Ubi enim cædes in- *Senſus hujus Præcepti.*

terdicta est, aut homicidium: ibi quoque causæ, unde oriri possit homicidium, interdictæ sunt. Crebro enim fit, ut aliquis, tametsi manus cæde non contaminet, ita cruente imprecando devoveat proximum, ut non diu superstes viveret, si effectus esset ejus imprecationibus. Quando ergo hoc natura omnibus nobis insitum est, & usitatum esse deprehenditur, ut nemo quidquam ab alio ferre sustineat: vult Deus radicem atque adeo ipsam stirpem evellere, unde cor hominis adversus proximum exacerbatum exulceratur, nosque assvefacere, ut nunquam non hoc præceptum nostris oculis obversetur, in quo tanquam in speculo vitam nostram contemplemur, voluntatem Dei intueamur, illiusque vindictæ vim atque injuriam, quam immerenter patimur, certa quadam animi fiducia ac nominis sui imploratione commendemus, atque ita illos vehementer furere atque irasci permittamus, ut, quod possunt, faciant. Ut ad hunc modum homo discat sedare iracundiam, ac patientem & mansuetum induere animum, cumprimis erga illos, qui causam irascendi ei suppeditant, hoc est, erga inimicos.

Quid sit non occidere.

Quocirca tota hujus præcepti summa hæc est, ut simplicibus significantissime inculcetur, quid sit, non occidere. Principio, ne quis afficiatur injuria, primum quidem manu aut opere. Deinde, ne utamur lingva in hoc, ut consilium demus alicui incommodandi. Insuper, ne qua utamur via aut medio, unde aliquis detrimentum possit accipere, neve aliis utentibus consentiamus. Ac denique, ut ipsum cor hostiliter infensum sit nemini, aut irritatum iracundia male velit. Ita, ut & corpus & anima extra omnem sint noxam, cum de quovis, tum peculiariter de eo, qui tibi mali quid vel precatur, vel etiam infert. Nam ei male facere, qui bene de te sit meritus, aut tuis rationibus optime consultum cupit, non humanum est, sed plane diabolicum.

Secun-

Digitized by Google

Secundo, hujus præcepti reus eſt, non tantum is, qui mala facit, ſed etiam is, qui, cum proximo benefacere, ejusque damnum aut jacturam antevertere, obſtare, eum tueri & ſervare poſſet, ne quod malum aut injuriam accipiat corpore, non facit. Jam ergo quotiescunque nudum videris, eundemque non adjutum dimiſeris, cum pro facultatibus ejus nuditatem conveſtire poſſis ac tegere: hunc profecto frigore enecaſti. Ita quoties videris famelicum, nec tamen paſcis eum, hunc fame cruciatum interire ſinis. Non ſecus quoque, ſi quem morte condemnatum videris, aut in ſimili quopiam caſu periclitantem, nec eum ſervare approperas, cum neque viæ neque occaſiones illius eripiendi tibi ſint incognitæ: pro certo conſtat, hunc te neci dediſſe. Neque tibi proderit hæc adducta excuſatio, te in ejus necem non conſenſiſſe, aut conſilio & auxilio non adjuvaſſe: ſiquidem charitatem illi ſubtraxiſti, iisque benefactis eum privaſti, quibus adjutus non difficulter vi tam retinuiſſet. *Peccatum contra hoc præceptum.*

Quare Deus non injuria omnes illos damnat homicidii, qui neceſſitate preſſis, aut de vita periclitantibus, conſilio aut ope non ſubveniunt. Hos in die noviſſimo horrenda quoque damnabit ſententia, quemadmodum ipſe Chriſtus annunciat, inquiens: Eſurivi, & ſitii, & non dediſtis mihi manducare aut bibere: Hoſpes eram, & non collegiſtis me: Nudus eram, & non cooperuiſtis me: Infirmus & in carcere eram, & non viſitaſtis me: Hoc eſt, meque meorque fame, ſiti, frigore perire, à feris diſcerpi, in carcere ſitu & ſqualore putreſcere, inque omnibus neceſſitatibus fœde ſuccumbere ſiviſtis. Quid hoc aliud eſt, quam homicidas, & ἀνδροφόνους καὶ μιαιφόνους (Blutshunde) culpaſſe? Nam tametſi hoc ipſum opere non perpetraſti: proximum tamen in periculis atque infortunio hærentem, quantum ad te attinebat, immiſericorditer perire permiſiſti. *Qui & quos homicida.* *Matth. 25, 42.*

Et perinde est, ac si quem in profunda aqua navigantem,& adversis ventis laborantem perspicerem, aut in ignem prolabentem, possemque illum porrecta manu è periculo eripere ac servare, & non facerem: Qui vero coram toto mundo aliter atque funestus homicida & cruentus latro,probari aut perhiberi possem? Quapropter hæc decisiva Dei est sententia, ne quam hominem lædi aut damnum accipere patiamur, sed omnibus humanitatis & benevolentiæ officiis demereamur.Estque hoc præceptum peculiariter erga eos conservandum, cum quibus inimicitiæ nobis intercesserunt. Ut enim amicis ac fautoribus nostris benefaciamus,virtus valde levis est & ethnica, quemadmodum Christus Matth.5. loquitur.

Matth.5, 46.

Bona opera hujus præcepti.

Hoc loco iterum verbum Dei habemus propositum, quo nos ad vera, præclara ac summa opera, nempe, mansuetudinem, patientiam, breviter, ad amorem & benefacta inimicis nostris exhibenda, pellicere ac provocare conatur. Vultque nos subinde commonefacere, ut retroflexa cogitatione, prioris præcepti simus memores, illum esse Deum nostrum, hoc est,nobis velle suppetias ferre, assistere ac tueri, ut animum vindictæ cupidum in nobis compescat atque coerceat. Jam hæc vulgo essent tradenda atque inculcanda: tum abunde bonorum esset operum, quæ nos facere oportebat. Verum hæc prædicatio non esset ex usu monachorum, sed plus justo religiosorum ordinem defraudaret, inferretque insignem Carmelitarum sanctitati injuriarum, & fortasse hoc ipsum diceretur bona opera interdicere, & monasteria desolare. Hac enim ratione vulgus tanti, imo potius multo majoris fieret, eosque longo intervallo præcelleret: ac quivis facile perspiceret, quomodo ipsi mundo tam fœde hactenus imposuerint sua fucata & hypocritica sanctitate, quod & hoc præceptum, & alia præcepta omnia illiberaliter respuerint, & inutilia existimarint, tanquam

Monachorum ficitia opera.

quam non præcepta fuiſſent, ſed conſilia : adhæc ſuos fictitios ordines & ſectas tam pernitioſas, quam hypocriticas, pro perfectiſſima vita impudenter jactarint & proclamarint, ut plane vitam ſvavem & tranquillam, omnique & cruce vacantem & patientia, illi ventres & porci agerent. Quam ob cauſam, ſe quoque in monaſteria abdiderunt, ut à nemine quidquam paterentur moleſtiæ, neve quenquam ulla in re bona juvarent. Tu vero ſcito, hæc vera, ſancta & divina eſſe opera, quibus Deus cum omnibus Angelis exhilaratur, quibusque omnis humana ſanctitas collata non niſi fœtor & ſtercus eſt, nec aliud, quam iram & damnationem promeretur.

PRÆCEPTUM VI.
Non mœchaberis.

SEquentia præcepta intellectu jam ſunt facilia ex interpretatione antecedentis. Eo enim tendunt omnia, ut à damno & inferenda injuria proximo caveamus. Sunt vero eleganti ordine poſita ; Primum enim de non lædenda proximi perſona conditum eſt. Secundum reſpicit perſonam ſibi proximam, aut poſt ſe rem ſibi proximam, nempe ſuam conjugem, qua cum unum corpus & una caro effectus eſt, ita ut nulla in re majori poſſit affici injuria. Quamobrem hoc in loco diſerte ac ſignificanter expreſſum eſt, ne quam ignominiam illi faciamus, afficientes contumelia ſuam conjugem. Ac peculiariter de adulterio ſonat, propterea quod in Judaiſmo ita ordinatum & præceptum fuerat, ut quisque ducta uxore matrimonium contraheret. Unde & juvenes mature contrahebant, ita ut virginitatis ſtatus & cœlibatus apud Judæos nullius haberetur momenti. Sed neque propalam viſebantur aut concedebantur meretricum ac ſcortatorum luſtra, ut hodie apud nos ſolenne eſt. Quamobrem adulte-

Summa ſequentium præceptorum.

Ordo præceptorum.

terium apud illos communiſſimum fuit peccatum impudicitiæ.

Omnem immundiciem & ejus cauſas & occaſiones prohiberi.

Quoniam vero apud nos adeo fœda & nefanda omnium vitiorum & ſcortationum lerna cernitur: hoc præceptum quoque adverſus omnia impudicitiæ genera & ſpecies conſtitutum eſt, quocunque tandem dici poſſunt nomine. Et non ſolum externum opus interdicitur: verum omnis generis etiam cauſæ, illectamenta & occaſiones, ut cor, os, oculi, aures, atque adeo totum corpus purum ſit ac caſtum, nullum locum, opem, conſilium impudicitiæ ſerviendæ præbeat. Et non ſolum hoc: ſed etiam hisce nefariis rebus ſummo conatu obſtet, tueatur, prohibeat, ubi periculum & neceſſitatem viderit, ac contra præſto ſit auxilio & conſilio proximo ſuo, ne quam famæ ſuæ jacturam, accepta in conjuge contumelia, faciat. Nam ubicunque tale aliquid per negligentiam intermittis, cum poſſis obſiſtere, aut diſſimulanter connives, quaſi tua nihil interſit: non ſecus ejus flagitii culpa teneris, quam is ipſe, qui perpetravit. Tantum ergo hoc præceptum, ut pauciſſimis complectamur, à nobis exigit, ut quisque tum pro ſe vitam caſtam exigat, tum proximo quoque in hac obtinenda & tuenda ſit auxilio. Voluit enim Deus hoc præcepto cujusq; uxorem tanquam vallo circumſepire ac defendere, ne quis temere eam contrectando ſemet adulterio reum faceret aut pollueret.

Matrimonium honorandum.

CUM autem de conjugio tam evidenter præceptum hoc conſtitutum ſit, ac nobis cauſam de eo differendi ſuppeditet: probe tibi notandum, & imis ſenſibus reponendum erit. Primo quidem, quomodo Deus hunc matrimonii ſtatum ac ordinem ampliſſime honoret ac prædicet, ut eundem præcepto ſuo æque confirmet & tueatur ab injuria. Supra quidem Quarto præcepto illum confirmavit: Honora patrem & matrem tuam. Hoc vero in loco, ut dictum eſt, ut in tuto eſſet, circumval-

lavit

lavit ac defendit eum. Quamobrem & a nobis requirit, ut eundem honoremus, ſervemus & traducamus, veluti divinum ac beatum ordinem, quando illum initio ante omnes alios ſervandum inſtituerit, eamque ob rem ſeparatim maſculum & fœminam crearit, non ad libidinoſe exercendam ſpurcitiem atque laſciviam, ſed ut legitime conjuncti, fœcundi eſſent, liberos procrearent, nutrirent, eosdemque ad Dei gloriam ampliandam, pie ac recte educarent. Idcirco quoque Deus hunc matrimonii ordinem præ omnibus aliis tantis cumulavit benedictionibus, adhæc, quæcunque in mundo ſunt, huic provehendo inſumſit, eidemque utenda ſubdidit, tantum in hoc, ut hic ordo opulente & largiter eſſet conſtabilitus. Qua ex re facile liquet, non jocum aut curioſitatem, ſed rem magnam & arduam, atque adeo conſtantem Dei voluntatem eſſe matrimonium. Permagni enim ſua refert, ut educentur homines, qui mundum ſua opera ad cognitionem, & beatam ac virtutibus exornatam vitam exigendam, queant perducere, adverſus malitiam & dæmones pugnandi gratia.

Cur matrimonium honorandum.

Quocirca ſubinde docui, ne hunc ordinem contemnamus, aut tanquam jocularem leviter æſtimemus, quem irridendi morem cœco mundo & pſeudo religioſis noſtris hactenus fuiſſe vidimus : ſed juxta Dei verbum, quo multis modis exornatus & ſanctificatus eſt, eum intueamur, ita ut non ſolum cæteros pretio & dignitate æquare ſoleat, ſed omnes cæteros longo intervallo poſt ſe relinquat, ſive illi ſint invicti Cæſares, ſive purpurati Principes, aut infulati Epiſcopi, aut quicunque tandem. Quicunque enim, aut ſpirituales aut ſeculares (ut loquuntur) ſunt ordines, his omnibus hic venerandus eſt, & omnibus hic quoque amplectendus, ut poſt audiemus latius. Quapropter matrimonium non privatus aliquis ſtatus habendum eſt, ſed

communiſſimus & nobiliſſimus, cujus uſus per totam Chriſtianitatem, imo per totum mundum, longe lateque patet.

Matrimonium neceſſarium & à DEO præceptum.

Secundo ſciendum eſt, hunc ordinem non ſolum eſſe honeſtum, ſed neceſſarium etiam, neque non ſerio à Deo præceptum, ut in genere omnes ſtatus ac ordines, cum viri, tum mulieres, quicunque ad hunc amplectendum natura ſunt appoſiti, in eo verſentur; exceptis nonnullis, licet perpaucis, quos Deus ſingulari quodam conſilio ſegregavit, ut ad jugum matrimonii minus reperiantur idonei, aut ſublimi ac ſupernaturali gratia ea libertate donavit, quo poſſint extra hunc ordinem, ſervata vitæ pudicitia, caſtitatem tueri. Ubi enim natura, quemadmodum à DEO nobis inſita eſt, fertur ac rapitur: fieri nullo modo poteſt, ut extra matrimonium caſte vivatur. Siquidem caro ac ſanguis naturam ſuam immutare non poteſt, ac naturalis ille appetitus; & carnis inclinatio conſuetum iter, nulla re obſtante aut prohibente, ſequitur, id quod omnibus liquet hominibus. Quare ut aliquatenus libido carnis caveri poſſet, Deus matrimonium inſtituit, ut quisque ſua parte legitime deſtinata fruatur, illaque contentus vivat, tametſi hic quoque gratia DEI opus eſt, ut cor quoque caſtum ſit.

Contemtores matrimonii.

Ex hoc jam liquide perſpicis, quam furioſa illa turba Papiſtica, ſacrifici, monachi & monachæ, huic ordinationi & præcepto Dei reluctentur, qui matrimonium contemnunt & prohibent, ſeque perpetuam caſtitatem ſervaturos, magna animi præſumptione pollicentur ac vovent, adhæc ſimplicium animos phaleratis dictis, hoc eſt, impoſturis ac mendaciis impudenter ſeducunt. Nemo enim perinde caſtitatem exoſam habet, aut in libidinem eſt pronior, ac illi, qui matrimonium præ magna ſanctitate detrectant, & aut propalam & impudenter ſcortationi & libidinibus indulgent, aut clanculum lon-

Digitized by Google

longe fœdiora, quæ honeſte commemorari non poſſunt, perpetrant, ut nimium, proh dolor! experti ſumus. Et breviter, quanquam ab ipſo opere temperent: ipſum tamen cor impuris cogitationibus & pravis cupiditatibus plenum, extrema flagrat libidine, ut plane perpetuo quodam incendio & occulto quodam vulnere carpantur & abſumantur: quod in matrimonio conſtitutis nulla cum difficultate evitare licet. Quare hoc præcepto omnium eorum, qui extra conjugium degunt, caſtitatis vota damnata & ſoluta ſunt, imo quoque omnibus irretitis & miſeris conſcientiis, quæ ſuis monaſticis votis miſere deceptæ ſunt, præceptum eſt, ut deſerto libidinoſo & impuro ordine matrimonium arripiant, ita reputantes, quod quanquam alioqui monaſtica vita prorſus divina eſſet, tamen in viribus ſuis ſitum non ſit, cœlibem vitam agere, in qua ſi maneant, tantum magis atque magis libidine incenſi adverſus hoc præceptum delinquere cogantur.

Impurus cœlibatus ac vota monaſtica damnantur.

Jam hæc eo à me dicta ſunt, ut juventus crebris monitis in eam perducatur ſententiam, ut incipiat voluptate quadam complecti matrimonium, ſciatque felicem & Deo acceptum eſſe ordinem. Hac enim ratione temporis progreſſu tantum effici poſſet, ut illi ſuus iterum honos redderetur, & fœda illa & manifeſtarum ſcortationum & aliorum turpiſſimorum vitiorum, quæ contemtum matrimonii conſecuta ſunt, lerna paſſim nunc in mundo regnans diminueretur. Quare hoc quoque parentum ac magiſtratus eſt officium, juventutis rationem habere, ut pudicitiam & honeſtatem perdiſcant, atque ubi adoleverint, mature honeſto jungantur matrimonio, quam rem haud dubie ſua gratia & benedictione proſperare dignaretur Deus, ut voluptas & gaudium inde perciperetur.

Parentum & magiſtratus officium.

Ultimo, ex his omnibus Epilogi vice hoc adjiciatur, hoc præceptum non ſolum exigere, ut quisque ope-

Mutuam benevolentiam &

fidem conjugum neceſſariam.

ribus, verbis & cogitationibus caſte vivat in ſuo, hoc eſt, conjugali inprimis ſtatu, ſed etiam, ut comparem, & conjugem à Deo ſibi conceſſam, in pretio habeat, ac amore proſequatur. Ubi enim volumus conjugali caſtitati locum eſſe, ibi neceſſum eſt ante omnia, ut vir & mulier in amore concordes converſentur, ut alter alterum ex animo mutua quadam benevolentia & fide complectatur. Hoc enim unum eſt ex præcipuis, quæ amorum & ſtudium caſtitatis accendunt: quod ſi præſto fuerit, ipſa quoque caſtitas ſua ſponte ſine mandato conſequetur. Inde quoque divus Paulus tanta diligentia eos, qui ſunt in matrimonio, admonet, ut mutuo amore ſe diligant, & venerentur. Habes ergo hic iterum opus valde pretioſum, imo potius multa magna & præclara opera, quæ alacri animo jactare, ac omnibus religioſorum ordinibus, citra verbi autoritatem inſtitutis & electis, opponere potes.

PRÆCEPTUM VII.

Non furtum facies.

Sanciri dominiorum diſtinctionem.

POſt tuam tuæque conjugis perſonam, proximum eſt res familiaris: hunc quoq; Deus vult eſſe in tuto, præcepitque, ne quis alterius fortunas invadat, aut clanculum compilet. Furari enim nihil aliud eſt, aut dicitur, quam fortunas alterius per injuriam ſibi vendicare: qua re breviter omnis generis in omnibus negotiis proximi defraudationes comprehenſæ ſunt. Jam hoc vitium admodum commune eſt, & longe lateque patet, ac tam parum curatur, ut omnem plane modum excedat, adeo ut ſi omnes, quotquot fures ſunt, fures tamen dici nolunt, ſuſpendendi eſſent, cito totus mundus deſolaretur, neque cruces aut carnifices ſufficerent. Neque enim hoc tantum furtum dicendum eſt, ut diximus, ciſtas &

Furari quid.

Furtum.

marſu-

marſupia clanculum evacuare: ſed in foro quoqve locum habet, in tabernis, ubi res venales proſtant, in cella vinaria & cereviſiaria, in officinis: Breviter, ubicunqve tractantur commercia, ubi pecunia vel pro mercibus vel labore datur & accipitur. *Injuſti lucri cupidinas.*

Exempli cauſa, ut pro ſimplicibus aliqvanto fuſius ac rudius explanemus, ut ſaltem videamus, quam probi ſimus, quando ſervus aut ancilla ſuo ſervitio non fideliter præeſt, heroqve ſuo damnum dat, aut fieri permittit, cui obſtare potuiſſet, aut quo minus fieret, antevertere, aut alioqvi rem herilem male tractat, aut propter ſocordiam, indiligentiam aut malitiam negligit, ut hero ac heræ ægre atqve moleſte faciat, & quocunqve pacto hoc prava animi libidine fieri poteſt. Neqve enim loqvor de his, quæ per incogitantiam invito fiunt animo. Sic, inquam, quotannis herum tuum triginta aut quadraginta aureis defraudare potes, quos ſi alius clanculum convasaſſet, hujus gula eſſet perfringenda laqueo. Verum tu tanti furti tibi conſcius ad huc ferocire audes, & inſolenter agere, neqve qvisqvam te audet furti accuſare, & alienæ pecuniæ condemnare. *Ignavia ſeu negligentia in facultatibus nobis commiſſis.*

Non ſecus qvoqve loqvor de fabris ſive opificibus & mercenariis, qui ſua utuntur libidine, neqve ſciunt, quo pacto eos, qui ſuam ſibi locant operam, ſatis exhauriant, cum nihiloſecius in opere frigeant ſegniter & infideliter laborantes. Hi omnes longo ſuperant intervallo nocturnos illos & clancularios fures, qvi vel ſeris ac repagulis caveri, vel comprehenſi ita coerceri poſſunt, ut amplius id non faciant. Horum autem improbitatem nemo, quamlibet perſpicax, cavere poteſt, nec quisquam audet eos vultu aliquanto obliquiore contueri, aut ullius furti accuſare. Ita, ut aliquis decies libentius æs ſuum é crumena amittere ſuſtineret. Nam hi mei vicini ſunt, mihi amici, mei proprii miniſtri, de quibus *Injuſta mercedes.*

quibus mihi omnia fidei & diligentiæ officia polliceor, illi primi sunt, à quibus indigne compilor.

Impostura in mercibus.

Ita quoque in foro, in emporiis, in mercatibus, in publicis commerciis, omnium potentissime hoc furti genus regnat, & locum obtinet, ubi alius alium vitiosa merce, falsa mensura, iniquo pondere, adulterina moneta, defraudat ac decipit, neque non versipelli quadam astutia, & miris imposturis atque decipulis circumductum dispoliat. Adhæc, si quis alium pro libidine sua gravat commerciis, ad vivum usque tondens & crucians. Et quis hæc omnia fando enumerare valet, aut excogitare? In summa, hæc communissima omnium ars est, & omnium numerosissima in terris sodalitas. Nam si quis mundum per omnes vagatus ordines recto judicio contemplabitur: nihil videbit aliud, quam ingens aliquod & spacioſum stabulum, quod magnis furibus est refertissimum.

Fraudes contractuum.

Mundus plenus furtorum.

Qui archipyratæ.

Unde quoque archipyratæ, latrocinio quaquaversum grassantes, recte dicuntur, non cistarum compilatores, aut fures clancularii, qui substantiam alicujus furto imminuunt, sed qui domi desident, magis dicuntur proceres, ac cives probi & integri, sub honestatis prætextu furtum exercentes & latrocinium.

Furta Pontificum Romanorum.

Sed possent præteriri silentio, quæ de parvis & nullius momenti furibus memoravimus, præ illis, quæ de maximis illis furum antesignanis dicenda essent, quibus cum potentes & summi Principes societatem ineunt, qui non unam atque alteram solum civitatem compilare solent, sed totam Germaniam quotidie compilant atque denudant. Imo ubi maneret, quæ totius mundi opes furtim ad se rapuit, & in hunc usque diem possidet, defensatrix illa & caput furum omnium sancta, si Deo placet, sedes Romana?

Summa impunitas furtorum.

Breviter, ita jam in mundo comparatum est, ut qui propalam furari ac prædari novit, is concessa impunitate

tate ab omnibus libere & ſecurè agat, quin & honorem ſibi deferri poſtulet: parvi interim & clancularii illi fures, ſemel in furto deprehenſi, dedecus & pœnam perferre, illorumque honeſtatem confirmare cogantur. Veruntamen ſciant illi, ſe coram Deo fures eſſe omnium maximos: cui & dignas, quas meriti ſunt, pœnas ſunt daturi.

Enarratio ac repetitio hujus præcepti crebra ad quid conducat.

Cum itaque hoc præceptum tam multa, ut oſtenſum eſt modo, complectatur: neceſſarium eſt, ut hæc vulgo diligenter proponantur & explanentur: neve tam ſecure & libere eos abire patiamur, ſed ſubinde iram Dei eis ob oculos ponamus & inculcemus. Neque enim talia Chriſtianis, verum omnium maxime nebulonibus prædicamus, quibus multo juſtius judex aut miniſter carceris aut carnifex prædicaret. Quapropter quilibet ſciat, qui quidem iratum Deum experiri nolit, ſibi præceptum eſſe, ut non ſolum proximo non damnum inferat, aut ejus invertat commodum, neque in commerciis aut contractibus ulla perfidia, ſimulatione, aut dolo malo eundem circumducat: ſed etiam, ut ejus bona magna cum fide tueatur, ejus commoditatem, quoad ejus fieri poteſt, promoveat, præcipue quando ſuam operam argento, mercede, ac victu penſandam locavit proximo.

Virtutes ſeptimi præcepti.

Jam quicunque hæc temere contemſerit: effugerit ille fortaſſe manus carnificis, at ipſius Dei iram & pœnam nunquam effugiet. Et quanquam ad tempus hac ſua utatur ferocia, circumforaneus erro tamen & mendicus manebit, omnes plagas & infortunia experturus. Jam quidem alio te vocat animi tui prolubium, ubi res herilis ſingulari quadam fide tibi procuranda fuerat, tu gulæ interim ac ventri tuo ſervis, non ſecus ac fur mercedem tuam accipiens, contendens etiam ob iſtam tuam perfidam negligentiam coli & honorari. Hujus generis permultos eſt videre jam miniſtros ac famulos, qui

Pœna violati hujus præcepti.

Furta œconomica.

qui non contenti omnia perfide & maligne agere, insuper cum heris suis etiam superbe & ferociter delitigant, neque tantum humanitatis aut fidei lubentes ostenderent, ut damnum aliquod antevertendo præcaverent.

Sed attende, precor, animum, quidnam hac ratione lucri sis consecuturus, nempe, ut ubi ducta uxore ipse propriæ domus curam susceperis (ad quod tibi Deus omnium inauspicatissime opem suam non denegabit) hæc tua perfidia ad teipsum redeat, fiatque, ut, ubi hero tuo prius vel unius oboli fraudem fecerit aut damnum dederis, trigesies id tuo maximo malo persolvas.

Injusta aucupia opificum & Mercenariorum.

Pari ratione artificibus quoque & mercenariis sua pensabitur perfidia, à quibus jam non dicendam, planeque intolerabilem libidinem & audire & perferre cogimur, quasi in alienis bonis obtinerent dominium, aut quivis, quodcunque postulassent, citra contradictionem mox numerare cogeretur. Hisce omnibus permitte sane, ut audacter proximum iniquissimis exactionibus deglubant ac tondeant, quamdiu poterunt: equidem Deus sui præcepti non erit immemor, illisque ipsis debita præmia redditurus est, eosque non in virentem crucem, sed plane in aridam furcam suspensurus, ut per omnem ætatem infelices nihil unquam bonorum consequantur. Et profecto, si rempublicam haberemus bonis legibus institutam; facile ac citra moram ejusmodi hominum libido atque temeritas coerceri posset atque infringi, qualem olim apud Romanos morem fuisse legimus, ubi talium homuncionum improbitatem acerbissimis pœnis, ut alii inde exemplum sibi sumerent, coercebant.

Magistratus civilis officium. Romanorum severitas.

Fori seu macelli rapacitas & expilationes.

Nihilo felicius aliis quoque sua debet cadere avaritia & milvina rapacitas, qui e foro & macello publico, quod omnibus servire debebat, lustra prædonum & locum latrocinii constituunt, ubi quotidie indignis modis gravantur miseri, novis subinde inductis oneribus

&

Digitized by Google

& caritatis rationibus. Ac quisque foro pro ſua libidine, utque illi viſum fuerit, abutitur, ad hoc intolerabiliter ſuperbiens atque ferociens, quaſi jure ſibi hoc liceat, ſua quam maximo velit pretio divendere, tantum abeſt, ut aliqvis eam ob rem illi oblique obmurmuret. Horum omnium ſpectatores erimus, permiſſuri, ut pro arbitratu ſuo alios deglubant, ſpolient, mutilent, lacerent, rapiant ac omnibus modis ſuæ avaritiæ ſerviant. In Deo tamen fiduciam noſtram habebimus, alioquin etiam hoc ipſum facturo, ut ea benedictione, ubi diu multumque alios degluberis, neque parum boni corraſeris, tuas opes proſperet, ut frumentum tuum in horreo, cereviſia tua in cellario, pecus tuum in ſtabulo pereat: imo potius, ubi proximum tuum vel aureo defraudaveris, tu de tota ſumma ac ſorte periclitans in dubium venias, ut ita abſumta & ablata evaneſcat, etiam cum pulviſculo, ut nunqvam ullam ex ea voluptatem capias.

Pœna temporalis.

Hoc verum eſſe, eqvidem qvotidianis experimentis diſcimus, nullam rem aut furto aut fraude paratam poſſeſſori lucro eſſe. Quot enim eſſe putas, qui diu noctuqve corradendis & cumulandis opib9 ſe excruciant, qvi tamen ne teruncio qvidem ditiores evadunt? Et quanqvam multum cumulent: tot tamen plagis & calamitatibus affecti ſunt, ut cum voluptate ac gaudio rebus partis frui neqveant, neqve libris ſuis eam hæreditatem relinqvant. Verum enim vero cum neminem hæc moveant, atqve non ſecus, ac ſi noſtra nihil intereſſet, agamus: neceſſe eſt, ut alia ratione nos inviſat, & ſapere doceat, ut nempe novis ſubinde exactionibus exugamur, aut numeroſo quodam peregrinorum militum exercitu nos adoriatur, qvi in unius horulæ ſpatio, ita ciſtas & marſupia noſtra exenterent, nec ante depræ-« dandi finem faciant, qvam nobis nullus obolus maneat« reliqvus: adhæc vaſtata paſſim patria, ædes nobis exu-«

Ab experientia.

Male parta, male dilabuntur.

Pœna injuſtorum aucupiorum.

rant

"rant etiam, neque non uxores & liberos noſtros affe-
"ctos ignominia perimant. Et ut ſummatim dicam,
Pœna talionis divina. multum furans certo tibi pollicere, multo plura te furto amiſſurum. Tum qui per vim atque injuriam rapto vivit, & lucro ſervit, ut alteri incommodet: ille alium nanciſcetur, à quo paria accepturus eſt. Deus enim hujus artis eſt ſcientiſſimus, quandoquidem quisque alterum rapinis ac furto compilat, ut furem fure, latronem latrone puniat. Ubi alias ſufficiens nobis ſuppeteret, ad puniendos fures, & patibulorum & laqueorum copia.

Jam qui amicis dictis commonetur, ille certum habeat, Dei eſſe præceptum, quod in jocum converti nolit. Nam etſi nos deceperis, contemſeris, aut furto & rapinis compilaveris: tuam quidem injuriam æquo animo tolerabimus, fortaſſe propterea non illico fame perituri; tibique quemadmodum nos docet Oratio Dominica, omnium injuriarum conceſſa venia, condonabimus, tuique miſerebimur. Probi enim & juſti non poſſunt non exuberare copia, tuque tibi longe majùs detrimentum, quam alteri concilias.

Tenacitas in dandis neceſſariis eleemoſynis. Sed hic, obſecro, fac attento ſis animo, tibique caveas, ubi pauperes (quorum jam magnus eſt numerus) venerint, quibus nummis diurno labore partis omnia mercanda ſunt, tuque non ſecus agis, quam ſi omnibus è tua gratia pendendum ſit, ad vivum usque deglubens ac rodens, quos etiam ſuperbe à te dimiſſos abigis inhumaniſſime, quibus dare debebas & largiri gratuito. Illi quidem miſere à te abeunt, & affecti triſtitia, & cum neminem habeant, cui iſta conquerantur, ſublata in cœlum voce, DEUM ultorem invocant. Hæc, inquam, iterum atque iterum repetens moneo, ut caveas tanquam ipſum cacodæmonem. Tales pauperum gemitus & imploraciones joculares non erunt, ſed vim in ſe habebunt, quæ & tibi & univerſo mundo erit intolerabilis,

atque

Digitized by Google

atque ad eum pertingent, qui egenorum & afflictorum cura afficitur, ac injuriam illis illatam non patitur inultam. Quod si hæc superbe contemseris, aut etiam irriseris: tum vide, quem inimicum tibi feceris. Si enim prospere tibi ceciderit: tum DEUM & me coram mundo universo mendacii coarguas licet. *Neglectionem pauperum puniri.*

Nos abunde satis admonuimus ac dehortati sumus: qui ista neglexerit, aut non crediderit, hunc missum faciemus, donec suo malo harum rerum fecerit periculum. Juventuti tamen hæc studiose inculcanda sunt, ut sibi caveat, nec veteris & indomitæ multitudinis insequatur vestigia, sed mandatum Dei in conspectu habeat; ne & ipsam comprehendat ira & pœnæ divinæ. Nostrum officium non latius protenditur, quam ut hominum flagitia indicemus, eademque verbo Dei puniamus. Verum ut tam aperta & manifesta deprædandi ac furandi libido coerceatur, Principum & magistratus interest: qui si ipsi oculos haberent & animum in omnibus negotiis atque commerciis certam rationem atque ordinem constituendi & conservandi, neque pauperes gravarentur & opprimerentur, neque semetipsos alienis peccatis onerarent. *De officio principum & magistratus.*

Sed jam satis superque dictum est, quid sit furari, ne tam angustis id metis concludatur, sed eo usque sinatur protendi, quousque nostra cum proximo exercenda negotia protenduntur. Et ut compendio quodam rei summam, sicut in aliis præceptis factitavimus, persringam, illud hoc præcepto cautum est. Primum, ne quam injuriam inferamus proximo (qualescunque tandem, & quam multiplices rationes excogitari possunt, opes atque substantiam alienam imminuendi, decurtandi, impediendi, alienandi) neque his consentiamus, aut hæc fieri patiamur, sed prohibeamus, ac omnibus modis ejus damnum avertamus. *Repetitio definitionis furti.*

Contra vero præceptum est, ut ejus bona promo- *Peccata contra hoc præceptum.*

Bona opera hujus præcepti.

veamus, augeamusque, atque ubi neceſſitate preſſus eſt, ejus inopiam benigne ſublevemus, illi impertiamus, præ manu aliquid demus, quo fruatur, cum amicis, tum inimicis. Jam qui bona opera quærit aut cupit facere: hîc abunde ſatis inveniet, quæ Deo ex animo perplacent & grata ſunt, adhæc quæ incredibili quadam benedictione remuneratur, & ampliſſime cumulat, ut abunde compenſetur nobis, quidquid officii ac humanitatis proximo exhibuerimus. Quemadmodum ſapientiſſimus etiam docet Salomon, Prov. 19. Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis, & viciſſitudinem ſuam reddet ei. Habes hic opulentum Dominum, qui tibi procul dubio ſolvendo eſt, nec patietur ulla te premi aut urgeri penuria, quo adjutore tranquilla conſcientia in centuplo plus frui potes, quam cum perfidia aut injuria proximi corradere. Jam qui hanc benedictionem nauſeabundus faſtidit, ille irarum & infortunii abunde inveniet.

Prov. 19. 17.

Præmia hujus obedientiæ ſpiritualia & corporalia.

PRÆCEPTUM VIII.

Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.

Inter bona externa præcipuum bona exiſtimatio.

PRæter corpus proprium, legitimam conjugem, & rem familiarem, adhuc alius theſaurus nobis ſupereſt, nempe nominis & famæ æquabilis atque inviolatæ præclarum teſtimonium, quo nequaquam carere poſſumus. Neque enim præſtat, ut fama parum ſecunda vivamus inter homines, aperte infamia notabiles, & contemti omnibus. Quocirca Deus proximi famam, nomen & juſtitiam nihilo magis vult imminui aut decurtari, quam argentum & opes ejus patere furto, aut deprædationibus, ne quis aut uxoris, aut liberorum, aut familiæ, aut etiam vicini laboret infamia. Ac primum quidem craſſior hujus præcepti ſenſus, quem-

1.

Peccata craſſiora pugnantia cum hoc præcepto.

quemadmodum ipſa verba ſonant, (Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium) ad negotia forenſia referendus eſt, ubi miſer aliquis & innocens accuſatur, falſisque teſtibus opprimitur, ut luendo pœnas, aut corporis, aut rei, aut famæ, in periculum veniat.

Calumnia forenſes.

Jam hoc perinde apparet, quaſi parum ad nos pertineat. Cæterum apud Judæos res fuit vehementer uſitata & communis: ſiquidem populus optimis legibus gubernabatur. Et ubi etiam hodie eſt Respublica ad hunc modum inſtituta, non poteſt non ei peccato locus eſſe. Cujus rei hæc cauſa eſt. Ubi enim pro tribunali judices, conſules, principes, aut alii magiſtratus, cognoſcendis cauſis dant operam: hic fieri non poteſt, quin pro hujus mundi uſitata conſuetudine res agatur, nemo libenter potentiorem lædere ſuſtinet, ſed quisque aſſentatur & loquitur ad gratiam, victus aut nummis, aut ſpe, aut amicitia. Unde fit, ut miſer aliquis victus & oppreſſus, cauſa cadere, ac pœnas pendere cogatur. Eſtque communis quædam in mundo clades atque calamitas, quod judicio perraro præſunt viri boni & integri.

Judex. Teſtis.

Neque enim quivis ei rei invenitur appoſitus, ſed cumprimis neceſſe eſt, ut is, qui judicis functurus eſt officio, vir ſit probus & pius, & non tantum probus, verum etiam prudens ſit & perſpicax, nec minori audacia & animi fortitudine præditus. Non ſecus quoque operæ pretium, ut qui teſtem acturus eſt, vir ſit fortis, ac vitæ inculpatæ. Qui enim in omnibus cauſis ſemper juſte judicare, neque vim aut injuriam inferre juſtitiæ voluerit: ei ſæpicule amici, affines, cognati, vicini, potentes ac divites, lædendi erunt & offendendi, qui multum illi aut obeſſe, aut prodeſſe queant. Quocirca omnino cœcus ſit oportet, ut clauſis & auribus & oculis nihil audiat aut videat, præterquam quæ illi exponuntur, ut ſecundum illa ferat ſententiam.

Judicia & omnia forenſia officia confirmantur, ſi recta & bona conſcientia fiant.

Primum ergo eo tendit hujus præcepti conſtitutio, ut quivis proximus in ejus jure tuendo ferat ſuppetias, neque obſtet, neve alio malitioſe torqueat, aut torqueri ſinat: verum omnibus modis promoveat, illique interrite patrocinetur, ſive judicis, ſive teſtis perſonam obtinuerit, quæcunque tandem res in contentionem venerit. Cumprimis vero hoc loco Jureperitis meta præfixa eſt, quo diligenter videant, ut cauſas forenſes juſte tractent atque integre, ut, quod juſtum eſt, juſtum eſſe patiantur: Et contra, ne ſuis impoſturis & technis nigra in candida vertant, & prava recta faciant, aut verum reticentes, tacitum prætereant, nullo reſpectu pecuniarum, opum, digniratis atque potentiæ habito. Et hæc eſt una pars hujus præcepti, & ſenſus aliquanto craſſior, de omnibus, quæ aguntur in judicio.

Damnatur tota ſophiſtica forenſis.

Corruptelæ, quibus emuntur patrocinia in malis cauſis.

Deinde multo latius patet, ſi in ſpirituale judicium aut regimen referatur, ubi ita agitur, ut quivis adverſus proximum ſuum falſum loquatur teſtimonium. Ubicunque enim gentium probi agunt Chriſtiani & prædicatores: eo jam damnati ſunt coram mundo judicio, ut pro hæreticis & apoſtatis habeantur, imo potius, ut ſeditioſi & perditiſſimi latrones dicantur & æſtimentur. Adhæc Dei quoque verbum turpiſſime & virulentiſſime inſectationem patitur, blaſphematur, mendacii arguitur, malitioſe pervertitur & falſo huc & illuc torquetur ac depravatur. Sed hæc in præſentia quidem miſſa faciamus. Ea enim cœci mundi natura eſt, ut veritatem & filios Dei improbe condemnet, & injurioſe inſectetur, neque tamen hoc factum peccati loco æſtimet.

2. *Calumnioſa mundi judicia de Evangelio & Eccleſia.*

Tertio, quod ad nos omnes pertinet, omne peccatum linguæ, quo famam proximi denigrare aut lædere poſſumus, hoc præcepto interdictum eſt. Nam loqui falſum teſtimonium, nil aliud, quam oris & linguæ opus eſt. Jam quacunque ratione linguæ operibus pro-

3. *Prohibetur privata maledicentia & in rebus dubiis calumnia.*

Digitized by Google

proximus offenditur, hoc Deus prohibet, ſive illud fiat per falſos doctores, perverſa doctrina & blaſphemiis: ſive per iniquos teſtes & judices, falſo judicio: ſive extra forum, mendaciis & linguæ virulentia. Hucque inprimis pertinet deteſtabile illud vitium detractionis ſive calumniæ, quod diabolus penitus nobis inſevit & inſpiravit, de quo perquam multa verba facienda forent. Eſt enim hæc quædam pernicioſa & communis calamitas, ut quivis mala de proximo, quam bona audire malit. Et quanquam ipſi tam ſumus mali, ut ſi quis mali quid de nobis referat, ferre id non poſſimus, ſed quivis optaret, ut nemo non optima & aurea quæque de ſe prædicaret, audire tamen non poſſumus, ut & de aliis optima prædicentur.

Philautia.

Invidis obſonium eſſe malodicta.

Quare ad devitandum hoc vitium diſcamus, nemini videlicet conceſſum eſſe, proximum ſuum propalam judicare & objurgare, tametſi eundem peccantem videat, niſi prius judicandi & puniendi poteſtatem concreditam acceperit. Multo enim hæc duo ſejuncta ſunt diſcrimine, peccatum judicare & peccati eſſe conſcium. Noſſe quidem potes peccatum: verum tuum non eſt idem quoque judicare. Proximum meum peccantem audire & videre poſſum: verum, ut eundem quoque traducam apud alios, ſua peccata palam faciendo, in mandatis non habeo. Judicans ergo alium & condemnans, in majus & gravius delictum prolabor, quam ille erat obnoxius. Itaque ſi alicujus delicti conſcius es: nihil aliud facies, quam ut obſtructis ore & auribus ſepulcrum relinquas ~~in pectore~~, donec judicis provincia tibi tradita fuerit, & officium puniendi commiſſum.

Aliena delicta tegenda eſſe inter homines, & arte ſananda.

Jam illi dicuntur obtrectatores, ſeu quadruplatores, qui non contenti ſunt, ſe alienorum dictorum eſſe conſcios, verum judicandi quoque partes ſibi ſumunt, atque ubi quippiam de alio reſciverint, in omnes id diffun-

Obtrectatores qui dicantur. Sola natura malevolentia multos impellit

ad maledicendum. Temere judicantes arrogare sibi divinum officium.

fundunt angulos, passim deferentes, semet voluptuose titillantes & perfricantes, alterius sordes movendo, quemadmodum lutulenta sus in suo cœno se volutat, & rostrum fœde immergit: Et hoc nihil aliud est, quam Deo in judicium & officium ejus procaciter irrumpere, ac judicio omnium acerbissimum condemnare atque punire. Neque enim ullus judex quempiam graviore potest punire supplicio, quam si dixerit: Hic fur est, hic homicida est, proditor est, &c. Quare quicunque tantum sibi sumserit audaciæ, ut non vereatur de proximo quidvis petulanter evomere: ille tantum sibi sumit potestatis, quantum Cæsar & omnes magistratus sibi vendicant. Nam quanquam gladii potestatem non usurpes, tua tamen maledica, mordaci & virulenta lingua uteris, qua bacchans in proximum ejus famæ perpetuas maculas inuris.

Etiam vera & manifesta convitia, quæ erumpunt, vel ex naturæ pravitate, vel ex morbo animi prohiberi.

Eam ob rem Deus prohibet, ne quis alterum maledico dente carpat, aut alteri probrose detrahat, etiamsi reus sit ille, & hic rem probe compertam habeat: multo minus vero, quando rei ipsius ignarus, ex aliorum tantum relatu quid accepit. Dices autem: Cur vero reticerem, cum verum esse certus sim? Respondeo: Cur non defers eum ad legitimum judicem? Sed, inquis, hoc ipsum certo testimonio non possum evincere, unde periculum est, ne falso intentatæ calumniæ pœnas incurram. Hinc illæ lachrimæ, hoc illud est, quod pertimescis. Quod si non tantum tibi fidis, ut coram ordinatis personis rem transigas atque respondeas: vide, ut os tuum etiam privatim compescas digito. Sin autem conscius es: tibi scias, non alteri. Ubi enim latius sparseris, etsi verum fuerit: non nisi impudenter mendax eris, cum verum id esse evincere nequeas, adhæc sceleratum nebulonem & sycophantam agis. Nemo enim per calumniam suo nomine aut fama fraudandus est, nisi ante propalam damnatus judicis sententia ea dispoliatus est. Proinde, falsum loqui testimonium,

Quid sit falsum loqui testimonium.

omne

omne illud loqui dicitur, quod aliquem feciſſe, aperte, & quemadmodum decet, non poſſumus evincere.

Quocirca quidquid ſufficienti teſtimonio nondum ſatis manifeſtum eſt, hoc nemini revelandum eſt, aut pro vero referendum. Et in ſumma, quidquid occultum & arcanum eſt, hoc in occulto ſinendum eſt, aut occulte, quemadmodum audiemus, redarguendum. Quare ubicunque in detractorem incideris, alterius dicta ac facta contumelioſe deferentem, ac petulanter in quempiam debacchantem: audacter huic in os obſiſte, ut pudore ſuffundatur. Ita futurum eſt, ut crebro quis os ſuum obſtruat, qui alioqui miſerum aliquem in ora hominum peſtifera detrectatione diffunderet, eas notas ac maculas inuſturus, quas ægre aut nunquam poſſis eluere. Præclari enim nominis ac integræ famæ teſtimonium cito alicui eripitur: ſed ſemel ereptum, non perinde facile recuperatur.

Non ſolum peccare ſectantes & criminantes de aliis, ſed etiam auditores.

Ita vides in univerſum interdictum eſſe, mali quippiam loqui de proximo, exceptis tamen magiſtratibus, concionatoribus, & parentibus, ut hoc præceptum ita intelligatur, ne vitia impunita maneant. Jam quemadmodum Quinto præcepto neminem jubemur lædere, excepto tamen carnifice, qui ex officio nemini commodat, ſed irrogatis ſuppliciis officit omnibus, neque tamen præceptum Dei transgreditur, propterea, quod Deus hujus officii procurationem ſua gratia conſtituerit, nam pœnarum irrogationem ſuæ voluntati reſervavit, ut in præcepto primo minatur: Ita quoque quanquam nemo, quantum ad propriam perſonam attinet, alium judicare neque damnare debeat; tamen ubi hoc non faciunt ii, quibus hoc demandatum eſt, equidem ii non minus peccant ob negligentiam, quam illi, qui extra officium hoc injuſſi faciunt. Hic enim exigit neceſſitas, ut de vitiis ſermo habeatur, ut accuſentur, deferantur, in judicio perquirantur, & teſtimonio

Judicia non ſunt prohibita, ſed mandata.

Miniſterium Evangelii ſeu officium concionatoris.

Judicia magistratuum, seu officium judicii & parentum.

comprobentur. Neque secus agitur, quam cum medico, qui nonnunquam ægroti, quem curandum suscepit, loca arcana contueri & contrectare necessitate cogitur. Ita quoque magistratus, parentes, fratres atque sorores, tum qui amici sunt inter se, hoc mutuo obstringuntur officio, ut, ubi utile fuerit ac necessarium, alter alterius vicissim reprehendat vitia.

Matth. 18, 15. Vituperatio quæ sit sanandi aut aliorum admonendorum causa.

Cæterum hæc recta esset ratio objurgandi vitia, si ordinem præscriptum in Evangelio observaremus, ubi Christus inquit: Matth. 18. Si peccaverit in te frater tuus, vade & corrige eum, inter te & ipsum solum. Vides hic præclaram doctrinam tibi propositam, qua linguam gubernabis, quæ etiam diligenter animadvertenda est, contra pernicioſum detrahendi abusum & vitium. Ad hujus itaque doctrinæ amussim tuam vitam institue, ne tam cito proximi tui famam in vulgus efferas, eumque fœde ac turpiter traducas, sed occulte corripias ac moneas, ut mutata vita resipiscat. Similiter alium quoque aliquid tibi susurrantem, aut deferentem, quid hic aut alter flagitiose designaverit, doce facere, ut eat illumque ipsum corripiat, si viderit; sin minus, ut os à detrectatione clausum teneat.

De fraterna admonitione.

Hoc etiam discere potes ex quotidiana rei familiaris procuratione. Ita enim agere solet paterfamilias, videns servum suum cessare, aut suo non fungentem gnaviter officio, ipse per se eundem objurgat, & admonet officii. Verum si tam vecors esset & amens animi, ut relicto domi compressis (quod ajunt) manibus desidente servo, in forum progressus, servilem socordiam vicinis conquereretur, haud dubie ab iisdem audire cogeretur: Quid vero hoc nostra interest, o caput multis modis ridiculum, cur illi ipsi ista non exprobras? Ecce ad hunc quidem modum fraterne ageres, ut emendarent vitia, & proximi tui fama maneret salva atque integra. Sicut etiam Christus ipse eodem loco testatur, inquiens: Si te audierit, animam fratris

Exemplum œconomicum.

Digitized by Google

tris tui lucratus es. Ita quidem magni ac memorabilis operis autor extitisses. Aut tu forte rem leviculam esse existimas, fratrem lucrifacere ? Sine vero omnes monachos ac sacros ordines ad unum in unam massam conflatos prodire, num tantam sibi laudem vendicare possint, se suis operibus vel unum lucratos esse fraterculum. *Ordo judiciorum à Christo præscriptus.*

Eodem loco Christus docet ulterius : Si autem te non audierit, adjunge tibi adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum : Ita ut semper res ipsa cum eo transigatur, cujus maxime interest, ne quid prorsus absenti maledice detrahatur. Porro, si hæc omnia ad emendandum fratrem parum erunt valida aut efficacia : defer hæc omnia propalam judicanda Ecclesiæ, sive spiritualibus, sive secularibus magistratibus. Neque enim hic solus causam agis, sed habes tuos illos testes tibi conjunctos, accusationem tuam comprobantes, cui innixus judex intrepide judicare & pœnam irrogare potest. Ac tum quidem legitimo jure ac ordine eo perveniri potest, ut malorum improbitas aut coerceatur, aut in melius emendetur. Alioqui quando alius passim detractionibus infamatus, passim per omnes urbis angulos traducitur, tantumque sordes commoventur : nemo emendatur, ac deinceps, ubi res comprobanda erit testimonio, quisque à se dictum esse pernegat. Quapropter rectissime cum hisce detractoribus ageretur, ut gravissimas intemperantis linguæ pœnas luentes, omnem maledicendi & obtrectandi voluptatem amitterent, ut alii inde exemplum sumentes, linguæ virulentiam dediscerent. Si hæc fierent à te in rem proximi, aut veritatis amore facerès : clandestinis ac furtivis calumniis rem non ageret, neque diem & solem lucifugæ instar vitares.

Hæc omnia hactenus de occultis peccatis dicta sunt. Cæterum ubi peccatum plane manifestum est, ut neque *In flagitio manifesto absti-*

mendum à consuetudine sceleratis.

judici neque cuiquam obscurum sit : tunc sine omni peccato illius commercium vitare, eumque missum facere potes, ut eum, qui se ultro exposuerit dedecori. Ubi enim res manifeste liquet omnibus, ibi neque obtrectationi, neque falso judicio, neque improbis testibus locus relinquitur. Veluti cum hodie Romanum Pontificem, tanquam Antichristum, falsæ doctrinæ coarguimus, quam editis in lucem libris passim divulgavit, & per totum orbem infinitarum animarum exitio proclamatam disseminavit. Ubi enim peccatum manifestum est : ibi non injuria & pœna manifesta illud consequitur, ut quivis exemplis monitus illud cavere possit.

Corrigendi morbi qui vel pariunt vel confirmant linguæ petulantiam.

Ita jam hujus præcepti summam & communem intellectum paucis explicatum habemus, ne quis suo proximo, æque amico atque inimico, linguæ maledica petulantia noceat, neve male de eo loquatur, sive verum illud, sive confictum, cum neque ex mandato id faciat, neque in usum aut ædificationem proximi : Sed ita sua lingua utatur, ut ejus patrocinium prosit ac serviat æque omnibus, de universis ac item singulis honorificam mentionem faciendo, ut illorum peccata atque defectus officiose contegat, amice excuset, suoque ipsius honore amanter exornet. Ad quod hac potissimum causa provocandi essemus, quam Christus ipse indicat in Evangelio, quaque quodam quasi compendio, omnia præcepta erga proximum observanda comprehensa voluit, inquiens : Quidquid volueritis, ut faciant vobis homines, hoc etiam facite illis.

Virtutes vel opera hujus præcepti.

1. Cor. 12, 22. Similitudo sumta à structura membrorum humani corporis.

Quin etiam natura ipsa in proprio quemque corpore hoc docet, quemadmodum Paulus 1. Cor. 12. inquit: Membra corporis, quæ videntur infirmiora esse, necessariora sunt : & quæ putamus ignobiliora esse membra corporis, his honorem abundatiorem circumdamus, & quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent. Faciem, oculos, nares, os nemo con-

contegit, neque enim egent, ut velentur, ut quæ per se membra sunt honestissima omnium, quæ habemus. Cæterum infirmissima quæque, quorum nos pudet, si conspicerentur, illa omni studio conteguntur, atq; hîc quidem manus, oculi, una cum universo corpore in hisce tegendis & velandis occupati sunt. Non secus nobis quoque inter nos faciendum est, ut quidquid in proximo nostro parum fuerit honorificum & infirmum, hoc accurate exornemus, ac omnibus viribus ejus honori tuendo serviamus, opitulemur, ejus famam ampliorem faciamus, & contra, quidquid illi possit aut ignominiæ aut dedecori esse, studiose propulsemus. Estque præcipue hæc præclara virtus & illustris, quæ omnia, quæcunque de proximo dicta audierit, (si non manifesta fuerint flagitia) in optimam partem interpretari noverit, aut æqui bonique consulere, contra linguas venenatas atque pestiferas, quibus unice studio est, ut si quid expiscentur & arripiant, quod in proximo reprehendere queant, illud pessime interpretentur, aut malitiose pervertant: quemadmodum jam omnium maxime Dei verbo, ejusque doctoribus solet contingere. Sunt itaque in hoc præcepto valde multa bona opera, quæ & Deo summe placent, & abunde multum benedictionis & bonorum secum apportant, si modo ea perdita hujus mundi cœcitas, & falsi illi sanctuli agnoscere vellent. Neque enim quidquam est in toto homine, quod longe lateque perinde plus bonorum, ac itidem plus malorum, æque cum in spiritualibus, tum in mundanis negotiis operari potest, atque lingua, quanquam omnium membrorum & minimum sit & invalidissimum.

Virtus omnium pulcherrima & vicina veritati candor.

Lingua.

PRÆCEPTUM IX. & X.

Non concupisces domum proximi tui; nec desiderabis uxorem ejus, non servũ, non

non ancillam, non bovem, non asinum, neque omnia, quæ illius sunt.

Cur postrema duo præcepta tradita.

HÆc duo posteriora præcepta Judæis peculiariter data sunt: quanquam ad nos quoque nonnulla ex parte pertineant. Neque enim de prava carnis libidine aut furto illa interpretantur aut intelligunt, quæ supra abunde interdicta sunt. Putabant quoque, alia omnia sancta se servasse, si externe fecissent, aut non fecissent opera. Et eam obrem Deus hæc duo aliis præceptis adjecit, ut hæc quoque pro peccatis æstimentur: Uxorem aut rem proximi concupiscere, aut aliquo pacto pro ea potiunda conari. Et hoc eam ob causam potissimum, cum in Judaismo servi & ancillæ, nō ut nunc erant liberi, ut huic aut illi mercede conducti pro suo arbitratu, quam diu libuisset, serviissent: sed domino erant proprie mancipati, una cum corpore & rebus omnibus, quemadmodum pecora, & reliqua substantia. Adhæc ea quoque potestas in uxorem suam cuique erat libera, ut illam dato libello repudii à se posset dimittere, ac aliam ducere. Jam in hoc vicissim inter se periclitabantur, ne quis alterius uxoris cupidus, sumta alicubi occasione, & suæ repudium renunciaret, & alteri suam ereptam ipse aliquo modo & prætextu ficto consequeretur. Jam hoc apud Judæos non habebatur dedecorosum, multo minus, quam quod apud nos jam cum mancipiis agitur, quando paterfamilias servum aut ancillam è servitio repudiat, aut alius alium alio quovis modo suis ministris privat.

Consuetudines & opiniones populi Judaici.

Interpretatio hujus præcepti.

Proinde hæc præcepta ita, inquam, interpretati sunt, & recte quidem (tametsi & latius aliquanto pateant) ne quis cogitaret, vel in animum induceret, rem alterius, nempe, uxorem, familiam, domum, agros, prata, pecora sibi vendicare, etiamsi ea res cum aliquo honestatis prætextu fieri possit, neque tamen citra damnum proxi-

Digitized by Google

proximi. Supra enim præcepto ſeptimo illud interdictum eſt vitium, quo aliena bona alteri eripiuntur, & per vim poſſidentur, id quod nullo jure fieri poteſt. Hic vero ea quoque animi pravitas & verſutia interdicta eſt, ne quid proximo perſuaſione aliqua è manibus auferamus, etiamſi coram mundo illud honeſte fieri poſſit, ne quis exprobrare tibi queat, te per vim & injuriam id eſſe conſecutum. Ita enim natura comparatum eſt, ut nemo tantum faveat alteri, quantum ſibi, & quisque quantum poteſt, tantum ad ſe per fas atque nefas rapiat, non valde ſolicitus, quid relinquatur alteri. Adhæc probi etiam haberi volumus, eamque animi verſutiam atque improbitatem pulcerrime ornare atque tegere novimus, diu noctuque tam ingenioſas technas atque impoſturas inquirimus atque fingimus (quemadmodum quotidie jam acutiſſime excogitantur & inveniuntur) quaſi è jure ac legibus petitas. Neque veremur, iis freti decipulis è jure falſo citatis, ferociter & ſuperbe omnibus conſiſtere: neque improbitatem aut nequitiam hanc, ſed induſtriam ac providentiam nominari volumus. His omnibus ſuffragantur & opitulantur quoque Jurisperiti atque legum doctores, qui, ſi qua ſpes improbi nummi affulſerit, jus per vim torquent ac trahunt, prout cauſæ ſervire poſſe videtur, verbula in commodum ſuum excerpentes, poſthabita & æquitate, & proximi neceſſitate. Atque ut in ſumma dicam, qui hac in re omnium fuerit ingenioſiſſimus & exercitatiſſimus, huic jura omnium fortiſſime ſuffragantur, ut & inquiunt ipſi: Vigilantibus jura ſubveniunt.

Jurisprudentia & legum abuſus.

Quare poſtremum hoc præceptum non improbis in mundo nebulonibus conditum eſt, ſed iis, qui volunt eſſe vita inculpatiſſima, qui laudari cupiunt, & videri longe omnium optimi & integerrimi, ut qui adverſus priora præcepta nihil prorſus deliquerint. Quales præcipue Judæi eſſe contendebant, & nunc multi

Hæc poſtrema præcepta non pertinent ad diſciplinam.

Sed ad superiorem usum legis.

multi adhuc magni Proceres, nobiles & Principes. Etenim alia illa communis turba & fex popularis, ad locum multo inferiorem, nempe præceptum ſeptimum, releganda eſt, ut cui non nimium curæ eſt, qua laude aut integritate ſua bona ſibi paraverit.

Peccata pugnantia cum hoc præcepto. Injuſta cupiditate honeſtas cauſas exercere. Exempla in familiis & imperiis.

Jam hæc potiſſimum in his negotiis uſu venire ſolent, quæ in contentionem forenſem perducta ſunt, quibus decretum eſt, proximo à nonnulla parte bonorum excuſſo aliquid eripere. Veluti exempli gratia, cum de pingui atque opulenta aliqva hæreditate contentio eſt, aut ſi quando aliæ res magnæ in medium vocantur. Hic quisque ad tuendam ſuæ cauſæ æquitatem adducit, quidquid uspiam vel ſpeciem juſti obtinet, quod tanto verborum apparatu exornat, ut illi jus ſuffragari cogatur, eoque titulo erepta bona retinet, ut nemo poſthac iis de rebus cum eo pedem (quod ajunt) conferre audeat. Præterea, ſi quis aut arci, aut civitati, aut comitatui, aut alioqui rei magnæ adjecit oculum, ac tantum largitionibus, vel per amicos, vel quavis ratione alia efficere poteſt, ut alio inde pulſo ſibi adjudicetur poſſeſſio, eademque adhæc literis & ſigillis confirmetur, ut titulo principali & honeſte acquiſita eſſe dicatur.

Honeſta appellatio prætexitur uſuris & ſimulatis contractibus.

Similiter quoque in vulgaribus illis & publicis commerciis & contractibus, ubi alter alteri è manibus aliquid prompta quadam aſtutia eripit, ut alteri illi tanquam lupo hianti diſcedendum ſit: aut alioqui alterum iniqua contractione urget & obruit, nonnulla ſpe lucri aut emolumenti ad ſe redituri conſpecta, quam alter ille aut preſſus neceſſitate, aut æris alieni magnitudine victus, ſine diſpendio obtinere aut aſſequi non poteſt, ut dimidium, aut etiam amplius dimidio invenerit & lucrifecerit. Neque tamen hoc inique partum aut vi ereptum, verum juſtus contractus dicen-

Digitized by Google

cendus eſt. Hoc non eſt aliud, quam quod dicitur: Potior eſt, qui prior ad dandum eſt. Et quisque ſui emolumenti rationem habeat, foroque utatur, non admodum ſollicitus, quid proximus habeat. Et quis velit eſſe tam ſolers ac perſpicax, ut omnes defraudandi ac imponendi rationes ac vias excogitaret, quibus honeſta quadam ſpecie aliquid inſidioſe eripientes alteri, nobis vendicamus? Quod tamen mundi judicio, ut inique actum aut inhoneſtum non exiſtimatur, neque legibus vindicatur: ſed neque videt quispiam ita proximum opprimi, eidemque eripi, quo citra ſingulare diſpendium carere non poteſt: cum tamen pro certo conſtet, eſſe neminem, qui hæc ſibi ab alio fieri velit, aut æquo animo ſuſtineat, ut facile appareat, ejusmodi prætextus & effugia mala eſſe & improba.

Prætextus divortiorum apud Judæos & gentes.

Ad hunc quoque modum apud antiquos agebatur in re uxoria, ubi tales technas comminiſcebantur, adlubeſcente & arridente alicujus oculis alterius conjuge, ut per ſe aut alios (velut multiplices erant harum fraudum ſtruendarum viæ) tantum efficeret, ut maritus cum uxore ſimultatem ſuſciperet, aut illa marito adverſaretur, neque in omnibus ejus voluntati eſſet morigera, ita, ut repudiatam cogeretur à ſeſe dimittere, ac alteri concedere. Hic abducendarum uxorum mos haud dubie apud Judæos frequens fuit & uſitatus: quemadmodum in Evangelio quoque de Herode legitur, qui uxorem fratris ſui adhuc vivi ſibi ducebat, qui tamen alioqui vir juſtus & integer vitæ haberi contendebat, ſicut Marcus illi quoque fert teſtimonium. Cæterum ejusmodi exempla ſpero apud nos locum non habitura, cum in N.T. legibus intercepta ſit & antiquata repudiandi licentia: niſi fortaſſe quispiam alteri ſponſam egregie dotatam, quadam verſipelli vafritie è faucibus præriperet. Porro autem, ut alter alteri ſervos aut ancillas abalienet, aut alioqui blandis verbis perſuaſus abducat, equidem apud noſtrates non eſt rarum aut inſolens.

Herodis Exemplum. Marc. 16. v. 20.

Jam

Pœna talium impoſturarum & fraudum.

Jam quocunque modo hic dolus malus fieri poteſt, ſciendum eſt, Deum nolle pati, ut tu aliquid detrahas proximo, quod ſuum eſt, ut ille egeat, tuque tuæ ſervias avaritiæ, etſi illud non contradicente mundo honorifice retinere poſſes. Eſt enim occulta quædam & inſidioſa ſycophantia, qua (quemadmodum dicitur) fucum feciſti proximo, ne animadverti ac deprehendi poſſit. Nam tametſi perinde te geras, quaſi nemini feceris injuriam : plus juſto tamen oneroſus extitiſti proximo. Etſi neque furti neque fraudis inſimulandus es : certum tamen eſt, te rem proximi concupiſſe, hoc eſt, pro ea conſequenda laboraſſe, præter voluntatem ejus abalienaſſe, eidemque, quod divina liberalitate conſecutus eſt, invidioſe non faviſſe. Et quanquam neque judex, neque quispiam alius tibi id audeat eripere viciſſim : neque tamen Deus itidem eo te pacate frui permittet. Ipſe enim fraudulentum pectus, & mundi hujus vafritiem acute perſpicit, quæ ubi vel lati digiti libertatem atque licentiam conſecuta fuerit, mox omnem modum excedit, ac denique in apertam vim atque injuriam prorumpit.

Communis intellectus hujus doctrinæ.

Hujus ergo præcepti communis intellectus eſt. Primum, ut hoc cautum ſit, ne damnum proximi deſideremus, neque ad id adjutores ſimus, vel re, vel conſilio cauſam nocendi proximo ſuppeditantes, verum ei, quidquid habuerit, candide faveamus, ſinamusque. Adhæc, ut omnibus officiis promoventes, ab injuria quoque res ſuas defendamus, quemadmodum cupimus idem ab alio nobis fieri & contingere. Ita, ut præcipue hoc præceptum, ad individuam & fœdam inſatiabilemque habendi cupidinem reſpiciat, quo Deus cauſam atque adeo ipſam radicem funditus evulſam auferat è medio, unde omnes proximo nocendi viæ ac rationes pullulant. Unde illud quoque hiſce verbis expreſſe & ſignificanter extulit : Non deſiderabis, &c.

Hæc lex duo complectitur, & affectus malos, & cauſam videlicet morbum naturæ.

Cordis

Digitized by Google

cordis enim puritatem cumprimis quæritat, tametsi eandem plene, quoad in humanis agemus, nunquam consequemur: ita ut hoc præceptum cum cæteris omnibus facile præceptum maneat, quod citra intermissionem nos accuset, judicetque, quam probi coram Deo simus.

CONCLUSIO DECALOGI.

IAm ergo explanata utcunque habemus decem præcepta, potiorem divinæ doctrinæ summam indicantia, quid nobis faciendum sit, ut tota vita nostra DEO probetur & placeat. Præterea fontem ipsum ac scaturiginem, ex qua ebulliant, & in quam redeant vicissim omnia, quæcunque bonorum operum nomina censenda sunt, ita, ut extra decem præcepta nullum bonum opus, quod quidem Deo placere possit, esse existimandum sit, quamlibet tandem coram mundo aut bonum aut magnum, aut speciosum esse videatur. Sine jam vicissim videamus, quid nostri magni illi heroes sanctitate spectabiles jactare possint de spiritualibus suis & difficillimis operibus, quæ ipsi ultro excogitarunt, sibique facienda proposuerunt, & hæc à Deo præcepta missa faciunt, quasi leviora & viliora, aut jamdudum præstita essent.

Decalogus summa doctrina omnium virtutum.

Ego equidem in ea sum sententia, cuivis abunde hic præscriptum esse, quod efficiat, ὅσσοι τις δύνατας χερσίντε ποσίντε, nempe, ut hæc diligenter servaremus, mansuetudinem, patientiam, & amicum erga inimicos animum, castitatem, commodandi promptitudinem, atque id genus alia, quæ his virtutibus annexa sunt. Verum ejusmodi opera nihil splendoris & autoritatis coram mundo habent. Neque enim rara & nova sunt, & fastu turgida, certis temporibus, locis, personis, ritibus, habitibus destinata, sed communia, protrita, & domestica, quæ vicinus erga vicinum exercere potest, eam ob rem nullius sunt autoritatis & pretii.

Hypocrita majoribus titulis ornant humanos ritus, quam legem divinam.

Porro autem illa alia hominum & ora & oculos in ſe convertunt, quæ ipſi quoque ſumtuoſiſſimis ceremoniis, magnis impenſis, regiis ædificiis provehunt, atque ita exornant, ut omnia ſumme niteant, ac ſplendeant. Ibi thura incenduntur ac thymiamata, ibi pulſatur & cantillatur, planeque omnia concentu perſtrepunt. Alibi incenduntur cerei, ut præ his alia neque videri neque audiri queant. Nam quod ſacrificus quiſpiam picturata auro caſula amictus conſpicitur, aut laicus quispiam per totum diem flexis innititur genibus in Eccleſia, ſecum neſcio quid murmurans: hoc vero opus ſpecioſum & præclarum dicitur, quod à nemine ſufficienter laudari poteſt. Cæterum quod miſera aliqua puellula infanti in cunis poſito ſedulo ſervit, ac fideliter, quod illi demandatum eſt, facit: illud vero nullius pretii habendum eſt. Quid enim aliud ventroſi monachi, & laſcivæ ac prurientes libidine moniales in monaſteriis ſuis quæritarent?

Phariſaicus error & inanis fiducia monaſticorum cultuũ. Deliramenta perfectionum monaſticarum.

Vide vero, an non hæc deteſtabilis quædam ſit iſtorum deſperatorum hominum præſumtio, qua ſibi tantum ſumunt, ut audeant ſublimiorem vitam & ordines invenire, quam decem præcepta docent, affirmantes, ut dictum eſt, vitam eſſe ſimplicem ac leviculam, tantumque vulgo obſervandam & ſectandam, ſuam vero ſanctis & perfectis convenientem & propoſitam. Neque vident calamitoſi illi & talpis longe cœciores homines, nullum hominem eo rem deducere poſſe, ut vel uni præceptorum perfecte ſatisfaciat, ut ſatisfaciendum eſt, ſed ſubvenire nobis neceſſe ſit, ſicut audiemus, & fidem & orationem, qua præceptorum ſervandorum vim atque virtutem quæramus ac precemur, indeſinenterque accipiamus. Quapropter eorum jactantia non eſt alia, quam ſi jactarem & dicerem; Equidem neque groſſum habeo, quem debito-

Digitized by Google

bitoribus meis numerem, decem tamen aureos perfacile exolvam.

Detestanda insania fingentium posse legi Dei satisfieri.

Hæc propterea hoc diligentius dico & inculco identidem, ut eandem à miserando illo abusu, qui usque adeo invaluit actis profundissime radicibus, & adhuc adhæret omnibus, liberemur, & assvescamus, ex omnibus totius orbis ordinibus huc tantum intentos habere oculos, deque his esse soliciti. Nullo enim unquam tempore ullam doctrinam aut vitæ ordines inveniemus, quæ decem præceptis aut pares sint, aut conferendi: cum ita sint sublimia, ut ea nullus homo unquam suis viribus assequi queat. Et qui eadem assecutus fuerit, cœlestis & angelicus homo perhibendus est, longe lateque omnem mundi sanctitatem excedens. Tantum vide, ut ea tibi proponas, tuique in iis ipsis periculum non segniter facias, omnes virium tuarum nervos intendens & exercens: ac illico senties, tantum tibi supereſse negotii, ut supervacaneum existimaveris, alia sanctitatis aut præstantioris vitæ opera ambitiose curare atque quærere. Et hæc de prima parte, cum ad monendum, tum docendum, dicta sufficiant. Ut tamen aptius ei rei finis imponatur, illa nobis verba hic repetenda sunt, quæ supra quoque in primo præcepto explanavimus, ut discamus, quantum operis Deus impendi vult decem præceptis probe perdiscendis, inculcandis & exercendis.

Ego sum Dominus Deus tuus, fortis zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem, qui me oderunt: Et faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.

Hæc appendix intelli-

HÆC appendix quanquam, ut supra audivimus, sub initium primo præcepto annexa est: omni-

getur addita toti Decalogo.

um tamen præceptorum gratia positum esse, negare non possumus, ut quæ conjunctim omnia huc referenda & dirigenda sint. Quare dixi, hæc quoque juventuti proponenda, & itentidem occinenda esse, ut discat & tenaciter retineat, quo certum nobis fiat, quare ad hujusmodi præceptorum observationem & adigendi, & impellendi essemus. Neque aliter hæc verba intuenda sunt, quam si ad unumquodque sigillatim adjecta sint, ita ut in his & per hæc proficiscantur omnia.

Comminationes & promissiones.

Jam (ut prædictum est) hæc verba uno quasi fasce, & terribiles minas, & amicam promissionem, in se complectuntur, ut nos partim & terreant & admoneant, partim amanter provocent & pelliciant, ut ejus verba perinde, ut divinam quandam severitatem, arripiamus ac magnifaciamus: quandoquidem ipse hoc tacitum

Pœna.

non præterit, quanti sua verba faciat, aut à nobis fieri velit, tum quam severe eadem tueri decreverit, nempe, quod acerbissimis supplicijs terribiliter excruciaturus sit omnes eos, qui sua præcepta contemserint ac

Præmia.

violaverint: Et vicissim, quam largiter remunerari, benefacere, & omnia bona largiri velit iis, qui magni ea faciunt, & libenter juxta præscriptum eorum vivunt & agunt. Quare hoc à nobis exigit, ut

Opera cæterorum præceptorum tunc placere, cum præcedunt opera primi præcepti.

omnia è tali proficiscantur pectore, quod Deum tantummodo metuat, eum unice in oculis habeat, quodque hoc metu inductum omnia illa accurate caveat, quæ ejus voluntati repugnare videntur, ne DEUM ad iracundiam provocet: & contra quod illi unice fidat, quodque in ejus gratiam faciat omnia, quæcunque animo ejus grata esse intelligit, quandoquidem tam amicum & paternum erga nos animum præ se fert, nobisque omnibus ultro offert omnes totius inexhaustæ gratiæ ac bonitatis suæ divitias.

Primi præcepti simplex & nativa interpretatio.

Et hæc quoque primi ac præcipui præcepti, ex quo cætera omnia manant & ebulliunt, sententia est, & vera ac genuina interpretatio, ita, ut hoc verbum (non habe-

habebis Deos alienos) nihil aliud ſimpliciſſime expoſitum in ſe complectatur, quam hoc ipſum, quod hic exigitur, nempe: Tu me velut unicum & verum Deum tuum metuas, me ames, tuam fiduciam in me ſolum rejicias, volo. Ubi enim ejusmodi erga Deum cor erectum eſt: hoc & præſens & reliqua præcepta omnia ad unum complevit. Contra quicunque aliud in cœlis aut in terra pertimeſcit & amat: neque hoc, neque alia ulla ſervabit. Ita tota ſcriptura paſſim hoc unum præceptum docuit, & ſubinde inculcavit, neque non omnia ad hæc duo, nempe, timorem Dei & fiduciam, retulit. Cumprimis vero Propheta David nihil aliud pene per omnes Pſalmos docet, velut cum inquit: Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis, qui ſperant ſuper miſericordia ejus. Quaſi totum præceptum unico verſiculo explicatum eſſet, ejusque hæc ſumma foret: Illi Deo ſumme placent, quibus non ſunt dii alieni.

Tota ſcriptura explicatio primi præcepti, de timore & fide.

Pſal. 147, 11.

Ad eum modum primum præceptum lucere debet, deque ſe ſplendorem emittere, ut aliis omnibus lucem præbeat. Quamobrem hæc verba per omnia præcepta penetrare debent, veluti ligneus in ſertis circulus, ut finem cum principio copulent, & omnia uno quaſi fasce complectantur, ut ſubinde repetantur animo, ne memoriæ excidant, nempe, in ſecundo præcepto, ut Deum metuamus, ejus nomine non fœde ac impie abuti amur, ad execrandum, maledicendum, mentiendum, fallendum, aliasque improbitates & vitia exercenda, verum bene & recte eo utamur, invocando, precando, laudando, & gratias agendo, amore ac fiducia Dei incitati, juxta primi præcepti conſtitutionem. Similiter eo ipſo metu, amore atque fiducia incitandi ſumus, ut ejus verbum non contemtim reſpuamus, aut delicati faſtidiamus, ſed avide diſcamus, libenter audiamus, ſacroſanctum, pretioſum & honoriſicum habeamus.

Opera poſteriori tabulæ, vere ſunt cultus cum gubernantur à timore & fide.

Ita quoque deinceps per reliqua præcepta, virtute primi erga proximum obſervanda, gradus faciendi ſunt, ut parentes, dominos, ac omnes Magiſtratus honorantes, habeamus in pretio, libenter eisdem obedientes obſequamur, non quidem ob illorum, ſed divinæ voluntatis autoritatem. Neque enim tibi parentes reſpiciendi ſunt, neque quicquam illis gratificandum aut omittendum: ſed eo fac reſpicias, quidnam rei Deus à te exigat, quod fidenter à te poſtulaturus eſt. Qua in re, ſi negligens fueris, iratum ac ſævum judicem, ſin feceris, clementem Patrem experiere. Præterea ne quam proximo tuo injuriam aut damnum inferas, vel vim facias, neve uſla in re illi incommodes, ſive corpus ejus, ſive conjugem, ſive opes, honorem aut jus ſpectes, veluti omnia hæc ordine ſunt mandata: etſi ad hæc commode perpetranda, neque locus tibi deeſſet, neque occaſio: adhæc nullius hominis reprehenſionem eo nomine incurreres; ſed de omnibus bene mereariſ, omnes officioſe juves ac promoveas, quacunque ratione & ubicunque pores, tantum in hoc, ut Deo obedias, hac fiducia, eum ipſum omnia hæc largiter tibi compenſaturum. Ita vides, quomodo primum præceptum caput ac fons ſit, unde reliqua omnia ſuam trahunt originem, quodque rurſus omnia alia retro pertrahat ex ſe pendentia, ut & finis & principium uno indiſſolubili nodo colligata & copulata ſint.

Utiliſſimam & ſaluberrimam eſſe meditationem Decal gi.

Talia, inquam, operæ pretium eſt, ut juventuti nunquam non proponantur, monendo inculcentur, & in memoriam aſſidue repetendo revocentur, ut non tantum fuſte ac plagis, quemadmodum pecora rationis expertia, ſed etiam in timore ac cultu Dei pia quadam ratione educentur. Quicunque enim hæc conſiderant, & animi ſeria quadam cogitatione perpendunt, eſſe videlicet hæc non humanæ rationis commenta, ſed ſummæ majeſtatis mandata, quæ tanta ſeveritate contemtores eorum punire, contra vero factores eorum

Digitized by Google

rum inæſtimabilibus bonitatis ſuæ divitiis remunerari velit: illa ſua ſponte ad faciendam Dei voluntatem ſatis erunt propenſi. Quare in V. T. non temere mandatum erat, ut decem præcepta omnibus inſcriberentur parietibus, angulis, & veſtibus: non in hoc, ut tantum inſcripta ſpectanda circumferrentur, quemadmodum factitare Judæi conſveverant: ſed ut citra intermiſſionem obſervarentur oculis, & memoriæ occurrerent, in omnibus noſtris negotiis & actionibus. Sint ergo cuique hæc quotidiana exercitia & ſtudia, in omnibus caſibus, negotiis & officiis, ac ſi omnibus inſculpta locis legenda occurrerent, quocunque oculorum aciem flexerit, imo potius ubicunque inceſſerit, aut preſſo veſtigio ſteterit. Ita fiet, ut æque & domi, & foris erga vicinos, ſemper ſufficientem cauſam inveniamus decem præcepta exercendi, ut nemini ea incumbat neceſſitas, illa procul petendi.

Decalogi doctrina tam copioſa & ſublimis, ut nunquam ſatis perſpici, nunquam exhauriri poſſit.

Ex his omnibus jam facile exiſtimare licet aut videre, quousque hæc præcepta extollenda, aut quanti tandem facienda ſint, præ omnibus & operibus & ordinibus, qui doceri conſveverunt. Hic enim confidenter dicere poſſumus, ut ad unum prodeant omnes ſapientes, & quotquot ſanctimoniæ titulo ſuperbiunt, num unum queant opus, quamlibet puſillum, producere, quod vel extremo horum præceptorum opuſculo æquiparandum ſit, quod tanta ſeveritate Deus à ſuis exigit, & faciendum præcipit, tantam tamque intolerabilem transgreſſoribus interminatus iracundiam, & contra factoribus adeo ſplendidas promiſſiones pollicitus, ſe nimirum inexhauſtis benedictionis ſuæ divitiis tantum non obruturum eos. Quocirca non injuria hæc præcepta omnibus aliis doctrinis anteferenda ſunt, inque magno habenda pretio, tanquam theſaurus, quem à Deo accepimus, omnium pretioſiſſimus.

SECUNDA PARS CATECHISMI.

SYMBOLUM FIDEI.

Ordo partium Catechismi.

HActenus Catechismi, hoc est, Christianæ doctrinæ primam partem audivimus, in qua, quid facere, quid omittere nos Deus velit, vidimus. Hanc deinceps justo ordine fides subsequitur, qua nobis summatim, quid à Deo nobis expectandum & accipiendum sit, proponitur, atque ut paucis dicam, eundem nos per omnia docet cognoscere. Quæ eo nobis servire ac prodesse debet, ut id, quod præcepta exigunt, facere queamus, dum ea exigentibus præceptis facere cogimur. Nam (ut supra dictum) adeo sublimis & alta eorum est constitutio, ut omnium hominum vires longè leviores sint & invalidiores, quam ut eandem possint assequi aut contingere, & ei satisfacere. Eam ob rem nihilominus necessarium est, hanc partem perdiscere, quam priorem, ut sciamus, quomodo præceptis satisfacere queamus, & unde tanta vis ac virtus petenda aut impetranda sit. Etenim si propriis viribus divinis præceptis satisfacere possemus, quemadmodum illis satisfaciendum est: & fide & precatione haud difficulter careremus. Prius vero, quam ejusmodi & utilitas & necessitas fidei explanetur: initio sufficit pro rudibus plane, ut fidem per se comprehendant, & intelligere discant.

Quare sit opus doctrina seu professione Symboli.

Duodecim articuli fidei.

Principio Theologi nostri fidem hactenus in duodecim Articulos diviserunt: quanquam si omnes particulæ, quas tradit Scriptura, & ad fidem referenda sunt, sigillatim comprehenderentur, multo plures sunt Ar-

Digitized by Google

Articuli, ſed neque tam paucis verbis ſatis ſignificanter poſſunt exprimi. Veruntamen ut quam facilime & ſimpliciſſime comprehendantur, veluti pueris tradendi ſunt: totum fidei ſymbolum tribus tantum principalibus Articulis complectemur, juxta tres divinitatis perſonas, ad quas omnia, quæ credimus, referuntur & ordinantur: Ita ut primus Articulus de Deo patre, creationem explicet: Secundus de filio, redemtionem: Tertius de Spiritu Sancto, ſanctificationem. Quaſi fides quam breviſſime tot verbis comprehenſa eſſet: Credo in Deum Patrem, qui me creavit: Credo in Deum Filium, qui me liberavit: Credo in Spiritum Sanctum, qui me ſanctificavit. Unus Deus & una fides, verum tres perſonæ, quare tres etiam Articuli & Confeſſiones. Jam ergo ipſa fidei verba breviter percurremus.

Symboli Apoſtolici tres articuli præcipue.

Pater fons omnium beneficiorum.

Unus Deus tres perſonæ.

ARTICULUS I.

Credo in Deum Patrem, omnipotentem creatorem cœli & terræ.

QVænam ſit Dei Patris eſſentia, voluntas & opus, hiſce verbis compendioſiſſime adumbratum & propoſitum eſt. Cum enim decem præcepta docuerint, non eſſe niſi unum Deum habendum & colendum: in quæſtionem venire poſſet, quid Deus eſſet, quid operis faceret, quibus denique rebus laudandus ſit aut depingendus, ut cognoſcatur. Hoc jam ſequens docet Articulus, fidem nihil aliud eſſe, quam reſponſionem quandam & Confeſſionem Chriſtianorum, ad primum præceptum ordinatam. Velut puer interrogatus à quopiam: Quemnam Deum habes, aut quid de illo compertum tenes? Reſpondere poſſit: Primum quidem hoc, Deus meus eſt, videlicet Pater, qui cœlum ac terram condidit. Extra hunc unum nullum alium Deum eſſe credo, præter hunc enim nemo eſt,

Primus articulus in Symbolo complectitur doctrinam de vera agnitione Dei.

qui ſua virtute atque potentia cœlum ac terram poſſit condere.

Sententia articuli de creatione ac præſentia Dei ſuſtentantis creaturas.

Cæterum pro doctis, & qui aliquam Scripturæ cognitionem ſibi paraverunt, ii tres articuli aliquanto fuſius & locupletius declarari poſſunt, inque tot partes dividi, quot verbis fidei Symbolum contextum eſt. Verum in præſentia pro novitiis ſcholaſticis maxime cognitu neceſſaria indicaſſe ſufficiat, nempe, hunc articulum, ut diximus, ad rerum creationem pertinere, ut huic verbo innitamur: Creator cœli & terræ. Quid ergo hæc ſibi verba volunt, aut his tu ſignificari putas? Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem, &c. Reſponſio: Hoc ſignificari puto & credo, me Dei eſſe creaturam, hoc eſt, quod ille mihi dederit, quotidieque alat, ſuſtentetque corpus, animam, vitam, membra corporis, cum parva, tum magna, omnes ſenſus, rationem, rationis uſum, virtutemque intelligentiæ, ac deinceps cibum & potum, amictum, commeatum, uxorem, liberos, familiam, ædes, prædia &c. Adhæc, qui omnes creaturas ad vitæ meæ utilitatem & neceſſitatem ſervire mihi ſinit; ſolem, lunam, & ſidera cœleſtia, diem & noctem, aerem, ignem, aquam, terram, & omnes fructus terræ, quos ſua fœcunditate producit, volucres, piſces, & omnia frumentorum & fructuum genera. Inſuper, ſi quæ ſunt alia rerum corporalium & temporalium bona, ut eſt æquabilis Reipubl. ſtatus & adminiſtratio, pax, tranquilla ſecuritas. Ita, ut ex hoc articulo diſcamus, noſtrum neminem vitam, omniaque alia jam enumerata, & quæ adhuc enumerari poſſent, à ſe habere, neque retinere poſſe, quamlibet puſillum aut leve fuerit. Hæc enim omnia nomine creatoris comprehenſa ſunt.

Creator.

Omnipotens.

Præter hæc ingenue quoque confitemur, Deum Patrem non ſolum hæc omnia, quæ habemus, poſſidemus, coramque oculis intuemur, nobis dediſſe, ſed quotidie etiam

etiam ejus tutela nos ab omnibus malis atque periculis cuſtodiri, omnes incommoditates, ruinas atque diſcrimina à nobis abigente & propulſante. Quæ omnia mera humanitate & bonitate ſua pellectus, nobis immerentibus exhibet, tanquam lenis ac clemens Pater, cui nos curæ ſumus, ne quid mali aut adverſi nobis accidat. Verum ea verboſius perſequi, ad reliquas duas partes pertinet, ubi dicimus: Patrem omnipotentem.

Creatura rationalis debet viciſſim creatori gratitudinem & obedientiam.

Ex his jam demonſtratis, facile evictum conſequitur & colligitur, cum omnia, quæ poſſidemus, quæque in cœlo & in terra ſunt, quotidie à Deo conceſſa ſuſtententur & cuſtodiantur: debere nos eundem indeſinenter diligere, laudibus extollere, agendisque gratiis acceptorum beneficiorum eſſe memores, & ut uno verbo dicam, illi prorſus atque per omnia hiſce gratuito datis muneribus ſervire, quemadmodum hoc ipſum decem præceptis à nobis exigit & faciendum præcepit. Jam hic multis dicendum eſſet, ſi illuſtrare id quis vellet, quam pauci ſint, qui hunc articulum credunt. Hunc enim omnes prætervolamus, audientes quidem & memorantes, ſed nequaquam videntes, aut animo expendentes, quid ipſa verba nobis non oſcitanter aut ſomniculoſe expendendum proponant. Quod ſi enim hæc ex animo crederemus: horum verborum juſſa haud dubie capeſſeremus, neque tam ſuperbe incederemus, inſolenter intumeſcentes, quaſi à nobismet ipſis, aut noſtra opera partis, vita, divitiis, potentia, dignitate, honoribus, &c. fruerentur, ut alii ſervitute nobis obnoxii nos pertimeſcere cogerentur: quemadmodum infelix ac perverſus mundus factitare conſvevit, qui in cœcitate ſua ſubmerſus eſt, omnibus bonis & muneribus divinitus datis tantum ad ſuperpiam, avaritiam, voluptates & delitias turpiſſime abutens, neque Deum vel ſemel reſpiciens, ut illi gratias ageret, aut pro Domino ac creatore ſuo eum agnoſceret.

Magna & turpis ingratitudo omnium hominum.

Quo-

Quocirca hic articulus omnes nos humiliare ac conterrere debebat, si hæc vera esse certo & constanter crederemus: siquidem quotidie victi carnis affectibus, peccamus oculis, auribus, manibus, corpore & anima, opibus atque divitiis, breviter, omnibus rebus, quascunque possidemus. Præcipue vero illi, qui etiamnum impietate instigati divino verbo repugnant ac reluctantur. Veruntamen Christiani hanc prærogativam habent, quod se Deo creatori suo id debere agnoscunt, ut pro acceptis bonis ipsi serviant atque obtemperent, id quod mundus facere nescit.

Assidue mentibus atque oculis intuenda testimonia creationis & providentiæ.

Proinde hic articulus nobis quotidie exercendus, menti infigendus, & in memoriam subinde revocandus est, in omnibus, quæcunque nobis objiciuntur, quando vel bene & feliciter quæ nobis eveniunt, vel quando è periculis & necessitatibus liberati emergimus: sicut Deus hæc omnia nobis largitur & facit, ut in hoc certis experimentis animadvertentes, discamus paternum ejus erga nos animum, & inæstimabilem charitatem. Ex hoc certe pectus incalescet, & ad gratiarum actionem prompte agendam mirifice inflammabitur, ut omnibus ejusmodi rebus ad Dei laudem & gloriam utatur. Ita quidem pauciſſimis erutum atque expressum hujus articuli sensum habemus, quantum simplicibus initio scire ac discere necesse est, & quid à Deo habeamus & acceperimus, & quid pro acceptis bonis eidem vicissim debeamus. Quæ ingens & pene inæstimabilis est cognitio, thesaurus tamen multo præstantior. Etenim hic plane videmus, quomodo pater cum omnibus creaturis se nobis tradiderit, quamque nos, quamdiu hac vita fruimur, rebus omnibus opulentissime instruat, præterquam quod ineffabilibus & æternis bonis per Filium suum ac Spiritum Sanctum amplissime cumularit, ut in sequentibus audiemus.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICULUS II.

Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus. Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis. Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: Inde venturus est judicare vivos & mortuos.

Secunda persona divinitatis.

HOc loco secundam divinitatis personam discimus cognoscere, ut videamus, quid præter bona temporalia prius enumerata Deus nobis largiri soleat, nempe, quomodo omnes bonitatis suæ ac divitiarum thesauros semel nobis effuderit, nihilque sibi reliquum fecerit, quod nobis utendum fruendumque non impertierit. Jam hic articulus quoque late patet, estque plane fœcundissimus. Verum ut & hunc breviter ac pueriliter discutiamus, unum verbum sumemus, quo totius rei summam complectemur, nempe (sicut dictum est) ut ex hoc discamus, quomodo per Christum ob omni maledictione liberati simus, quod hisce verbis nititur: Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, &c.

Doctrina secundi articuli de redemtione generis humani, & beneficiis filii Dei.

Jam ergo interrogatus à quopiam: Quid credis in secundo Articulo de Jesu Christo? Ad hunc modum respondet pauciſſimis: Ego credo, Jesum Christum verum Dei Filium, Dominum meum esse factum. Quid hoc sibi vult, fieri Dominum? Hoc est, quod me liberarit sanguine suo à peccatis, diabolo, morte, & omni exitio. Ante enim neque regem habebam neque Dominum, sed sub diaboli potestate atque imperio captivus tenebar, ad mortem condemnatus, inque peccatis ac cœcitate irretitus.

Jam

Jam enim à Deo creati, cum omnis generis inæstimabilia bona à Patre accepiſſemus, venit diabolus noſtræ felicitati invidens, & nos ſuis technis in apertam Dei rebellemque inobedientiam, mortem, & omnia pericula pertractos injecit, adeo, ut in ejus indignatione jaceremus, perpetuæ damnationi adjudicati, velut culpa noſtra promerueramus. Hic nulla erat amplius relicta aut ſpes recuperandæ gratiæ, aut conſilium adipiſcendæ ſalutis, aut auxilium placandi Patris, aut conſilium ignoſcendi delicti, donec ille immortalis Patris immortalis Filius, calamitoſam miſeriam & exilium noſtrum ſua profundiſſima bonitate miſeratus, de cœlo nobis opem laturus deſcendit, nosque ab omni & peccati, & mortis, ac diaboli captivitate, in libertatem adoptionis ſuæ aſſeruit. Ita quidem omnium illorum tyrannorum atque exactorum poteſtas profligata & oppreſſa eſt: quorum in locum ſucceſſit Jeſus Chriſtus, vitæ, juſtitiæ, ſalutis, juſtificationis, ac omnium bonorum autor & Dominus: qui nos miſeros, ærumnoſos peccatores, ex inferorum faucibus eripuit, aſſeruit, inque libertatem vendicavit, irati patris favorem & gratiam placata indignatione conciliavit, & tanquam poſſeſſionem ſuam in tutelam ſuam nos ſuſcepit, ut nos per ſuam juſtitiam, ſapientiam, poteſtatem, vitam & beatitatem regat & gubernet.

De mirando conſilio redemtionis generis humani.

Sit itaque hæc hujus articuli ſumma, ut hæc vocula, Dominus, ſimpliciſſime tantum ſignificet, atque ſalvator ſeu redemptor, hoc eſt, qui à diabolo ad Deum, è morte ad vitam, à peccatis ad juſtitiam reduxit, in quibus & nos conſervat. Porro reliquæ hujus articuli partes, ordine ſemet conſequentes, nihil faciunt aliud, quam quod talem redemtionem per Chriſtum nobis partam declarant, ac exprimunt, quomodo & per quem confecta ſit, hoc eſt, quanti Chriſtum conſtiterit, & quid pro ea impetranda inſumſerit, ut nos lucrifaceret, ſuæ-

Chriſti meritum, victoria & efficacia.

Digitized by Google

ſuæque ditioni ſubjiceret: nempe, quod homo factus, & à Spiritu S. ac Maria virgine ſine omni labe peccati conceptus & natus ſit, ut eſſet peccati Dominus: Adhæc paſſus, mortuus & ſepultus, ut pro me ſatisfaceret, meamque culpam, quæ mihi luenda fuerat, perſolveret, non auro neque argento, ſed proprio & pretioſo ſuo ſanguine: Et hæc omnia non ob aliam rem ullam, quam ut meus fieret Dominus. Neque enim ſui gratia harum rerum quicquam fecit, aut opus habuit. Poſt id iterum ſurrexit devicta atque abſorpta morte: Ac denique cœlos conſcendit, ſuſcepta imperii adminiſtratione, ſedens ad dexteram Patris, ut diaboli ac omnes poteſtates, ad illius pedes projectæ, obedire cogantur, donec nos in die noviſſimo prorſus ab hoc pravo ſeculo, diabolo, morte, peccatis liberatos ſeparet ac ſegreget.

De cauſa finali hiſtoriæ & applicatione ad nos.

Cæterum haſce partes ſigillatim tractare, huic compendioſo & pro pueris inſtituto ſermoni non convenit, ſed prolixis concionibus, quæ per totius anni circulum habentur, præſertim in temporibus, quæ talibus prolixiore ſermone tractandis deſtinata ſunt, de nativitate, paſſione, reſurrectione, aſcenſione Chriſti, &c.

Quin etiam totum Evangelium, quod prædicamus, eo tendit, ut hunc Articulum prope percipiamus, ut in quo totius ſalutis & felicitatis noſtræ ſumma ſita eſt, quemque ob uſum & fœcunditatem ſuam longe lateq; patentem, nunquam ſatis perdiſcere poſſumus.

Articulus de beneficiis Chriſti propria & præcipua Evangelii doctrina.

ARTICULUS III.

Credo in Spiritum Sanctum, ſanctam Eccleſiam Catholicam, communionem ſanctorum, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, & vitam æternam, Amen.

Hunc

Tertius articulus recitat officia, beneficia & effectus Spiritus S.

HUnc articulum non alio commodius, quam ſicut dictum, ad ſanctificationem referre poſſum, quod videlicet per hunc Spiritus Sanctus, ejusque officium, nempe, quod ſanctificet, adumbretur & depingatur. Quare huic verbo nitendum eſt : Credo in Spiritum Sanctum, quod tam ſtricte & breviter comprehenſum ſit, ut aliud habere nequeamus. Sunt enim alioqui multiplices in ſcriptura ſpiritus, veluti humani, cœleſtes, & mali ſpiritus. Verum enim vero Spiritus Dei, ſolus Sanctus Spiritus dicitur, hoc eſt, qui nos ſanctificavit, & adhuc ſanctificat. Nam quemadmodum Pater creator, Filius Redemptor aut Salvator dicitur : ita quoque Spiritus Sanctus ab officii ſui opere ſanctus aut ſanctificator dicendus eſt. Quæ vero hujus ſanctificationis eſt ratio? Reſpondeo: Quemadmodum Filius dominum ſuum, quo nos ſibi peculiariter vendicavit, per ſuam nativitatem, mortem, reſurrectionem, &c. conſequitur : ita quoque Spiritus Sanctus ſanctificationis munus exequitur per ſequentia, hoc eſt, per communionem ſanctorum, aut Eccleſiam Chriſtianorum, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, & vitam æternam. Hoc eſt, primum nos ducit Spiritus Sanctus in ſanctam communionem ſuam, ponens in ſinum Eccleſiæ, per quam nos docet & CHRISTO adducit.

Quomodo fiat ſanctificatio.

Spiritus S. efficax per miniſterium verbi in Eccleſia.

Siquidem neque ego, neque tu quicquam de Chriſto ſcire poſſemus, aut in eum credere, aut pro Domino conſequi, niſi per Evangelii prædicationem Spiritus S. opera nobis offerretur, & ultro donaretur. Opus quidem ipſum completum eſt. Chriſtus enim theſaurum nobis impetravit, & peperit ſua paſſione, morte, & reſurrectione, &c. Verum ſi in occulto manens deliteſceret, nec quisquam aliquid de eo exploratum haberet, nemine eſſet uſui, ſed plane inutilis & deperditus. Ne ergo ejusmodi theſaurus ſepultus jaceat, ſed

eo

eo in usum verso fruantur homines: Deus verbum suum emisit prædicandum & divulgandum omnibus, in quo Spiritum S. largitus est, ut ejusmodi thesauri nos faceret compotes. Quare sanctificare nihil aliud est, quam ad Christum adducere, ad suscipiendum bona per Christum nobis parta, ad quæ per nosmetipsos nunquam pervenire possemus.

Sanctificare quid?

Jam ergo quam fieri potest significantissime, hunc articulum discere intelligere, ut interrogatus, quid hisce verbis significari putas: Credo in Spiritum Sanctum? Promte respondere possis: Credo Spiritus Sancti opera me sanctificari, cui rei nomen ejus testimonio est: Qua autem re illud facit, aut qua ratione, quove medio ad hoc utitur? Responsio. Per Christianorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, & vitam æternam. Primum enim singularem in mundo communionem obtinet, hæc mater est, hæc quemlibet Christianum parturit, ac alit per verbum, quod Spiritus S. revelat & prædicat, & per quod pectora illuminat & accendit, ut verbum accipiant, amplectantur, illi adhæresçant, inque eo perseverent.

Commodissima responsio de doctrina hujus articuli.

Ubicunque enim gentium Spiritus Sanctus verbum Dei prædicare non sinit, inque corde excitat, ut accipiatur, ibi frustra est ac deperditum. Quemadmodum dominante Papatu accidit, ubi fides prorsus neglecta & obscurata jacuit, nemo Christum pro Domino cognovit, neque Spiritum Sanctum pro eo, qui sanctificaret, habuit: hoc est, nemo credidit, Christum eum esse Dominum, qui sine operibus & meritis nostris tantum thesaurum nobis peperisset, nosque Patri reconciliasset. Et quid tandem in causa fuit? hoc scilicet, quod Spiritus Sanctus præsto non fuerit, qui talia de Christo revelasset, & prædicare sivisset: verum homines mali & dæmones præsto fuerunt, qui docuerunt, propriis operibus consequendam

Nova lux fidei & interiores motus congruentes cum lege Dei non accendunur sine Spiritu Sancto.

dam esse salutem, & irati Patris gratiam impetrandam. Eam ob rem, neque Christianorum fuit communio. Ubi enim de Christo nihil docetur: ibi neque ullus est Spiritus Sanctus, qui Christianorum communionem solet constituere, convocare, ac in unum cogere, citra cujus opem & operam nemo ad Christum Dominum pervenire potest. Hæc quidem de summa hujus Articuli sufficiant. Cum vero partes ac membra in eo enumerata, pro captu simplicium non omnino clara sint: ea quoque paucis percurremus.

Tantum per ministerium Spiritus S. est efficax.

Grammatica narratio vocabulorum.

Sanctam Christianorum Ecclesiam, communionem sanctorum fides nominat. Utrumque enim idem conjunctim significat. Olim vero alterum adjectum non erat, planeque male & inepte lingua nobis vernacula expositum est. Quod si significanter enunciandum esset, Germanico sermone prorsus aliter proferendum foret. Siquidem hæc vox, Ecclesia, proprie nihil aliud quam congregationem significat. Porro nos Germani hanc dictionem, **Kirche**/ usurpare consuevimus, quam simplices non de congregata multitudine, sed de consecratis templis aut ædificiis intelligunt. Tametsi sacra domus, Ecclesia dicenda non est, nisi propterea quod hominum multitudo in ea convenire soleat. Nos enim, qui convenimus, præcipuum locum confluendi nobis deligimus, atque ita domui secundum multitudinem nominis quoque appellationem imponimus. Ita hæc Germanica vocula, **Kirche**/ proprie nihil aliud significat, quam congregationem, neque vox Germana est, sed Græca, sicut etiam ἐκκλησία. Illi enim sua lingua κυριάν, quemadmodum Latini curiam nominant. Quamobrem recto Germanorum sermone, Christianorum communio seu congregatio (**Eine Christliche Gemeine oder Sammlung**) aut omnium optime & clarissime

Ecclesia. **Kirche.**

κυριάκα.

rissime sancta Christianitas (**eine heilige Christenheit**) dicenda fuerat.

Ita quoque hæc dictiuncula, communio, quæ alteri annexa est, non **Gemeinschafft**, sed, **Gemein** interpretanda fuerat. Neque aliam ob rem, quam interpretandi gratia priori adjecta est, qua quispiam haud dubie exponere voluit, quid Christianorum esset Ecclesia. Pro quo nostri, qui & germanæ & latinæ linguæ juxta imperiti fuere, tanstulerunt, **Gemeinschafft der Heiligen**, cum tamen nulla Germanorum lingua ita loquatur aut intelligat. Verum recta & genuina Germanorum lingua vertenda erat, **eine Gemeine der Heiligen**/ Sanctorum communio, hoc est, ejusmodi communio, in qua non nisi sancti versantur: aut adhuc significantius, **eine heilige Gemein** hoc est, sancta communio. Hæc ideo dico, ut verba sane & recte intelligantur, cum hæc consuetudo usque adeo usu recepta inveteraverit, ut vix unquam ex hominum animis evelli possit, & statim hæresin esse oporteat, ubi verbulum aliquod immutatum fuerit.

Gemeinschafft, Gemeine.

Hujus autem appendicis hæc summa est: Credo, in terris esse quandam sanctorum congregatiunculam & communionem ex mere sanctis hominibus coactam, sub uno capite Christo, per Spiritum Sanctum convocatam, in una fide, eodem sensu & sententia, multiplicibus dotibus exornatam, in amore tamen unanimem, & per omnia concordem, sine sectis & schismatibus. Horum me quoque partem & membrum esse, constanter credo, omnium bonorum, quæcunque habent, participem ac municipem, Spiritus Sancti opera eo perductum, iisdem uno corpore unitum, per hoc, quod Verbum Dei audierim atque etiamnum audio, quod principium est in hanc communionem ingrediendi. Ante enim, quam ad hanc pervenimus, penitus sub potestate eramus diaboli, ut ii, quibus de Deo ac Christo prorsus nihil comperte exploratum fuerat.

Vera & salutaris doctrina, articuli de Ecclesia.

Spiritus Sanctus collector, gubernator & conservator Ecclesiæ.

Digitized by Google

Quin etiam Spiritus S. à ſanctorum communione ſeu Chriſtianitate non diſcedit, ſed cum ea usque ad conſummationem ſeculi perſeverat: Per quam nos adducit, ejusque in hoc utitur adminiculo, ut verbum prædicet atque exerceat, per quod ſanctificationem efficit, communionem amplificans, ut quotidianis incrementis creſcat, & in fide, ejusque fructibus, quos producit, corroborata fortis evadat.

Eccleſia perpetua conſervatio.

Præterea cernimus etiam, nobis in hac Chriſtianitate eſſe remiſſionem peccatorum propoſitam, quæ fit per Sacramenta & abſolutionem Eccleſiæ, adhæc multiplices totius Evangelii ſententias, bonæ ſpei ac conſolationis pleniſſimas. Quare huc ea pertinent, quæ de Sacramentis, & deinde de Sacramentorum uſu atque præſtantia tradenda ſunt, & in ſumma, totum Evangelium, ac omnia Chriſtianitatis officia, quæ ut aſſidue exerceantur & ſedulo, ſumme neceſſarium eſt. Etenim quanquam Dei gratia per Chriſtum impetrata eſt, & ſanctificatio per Spiritum Sanctum facta, per verbum divinum, unitate Eccleſiæ Catholicæ: nunquam tamen nos à peccatis ſumus vacui, & hoc carnis noſtræ gratia, quam adhuc adhærentem humeris noſtris circumferimus.

Explicatio articuli de remiſſione peccatorum. Doctrina de Sacramentis huc pertinet.

Peccati reliquiæ.

Quocirca omnia in Chriſtianitate eo adornata ſunt, ut quotidie meras peccatorum condonationes auferamus, & verbis, & ſignis ad hoc conſtitutis, ad conſolandam & erigendam conſcientiam, quamdiu in hac vita futuri ſumus. Ita facit Spiritus S. gratia, ut quanquam peccatis ſimus contaminati, non tamen nobis noceant in Chriſtianitate conſtitutis: ubi nihil aliud, quam aſſidua & indefinens eſt peccatorum remiſſio, cum quam nobis Deus largitur, tum qua nobis inter nos viciſſim utimur, ignoſcentes, ſufferentes & erigentes nos invicem.

Miniſterium publicum remittendi peccata.

Sed etiam extra hanc Chriſtianitatem, ubi huic Evan-

Digitized by Google

Evangelio locus non eſt, neque ulla eſt peccatorum remiſſio, quemadmodum nec ulla ſanctificatio adeſſe poteſt. Quocirca ab hac Eccleſia omnes ii ſemet ſua ſponte abalienarunt, qui non per Evangelii gratiam, & peccatorum condonationem, ſed propriis operibus ſanctificationem quærunt ac venantur, ac promereri contendunt. Sed enim in hoc, quando ſanctificationis opus inchoatum eſt, & quotidie augetur, expectamus, ut hæc noſtra caro, cum omnibus ſuis ſordibus & vitiis, abolita & ſepulta computreſcat, verum præclare & magnifice iterum prodeat & exſurgat à mortuis, ad perfectam & abſolutam ſanctitatem, nova atque immortali vita animata. Jam enim tantum ex dimidio puri ac ſancti ſumus, ut Spiritus S. ſubinde habeat, quod divini verbi prædicatione in nobis eluat ac purificet, tum in dies ſingulos remiſſionem peccatorum diſtribuat, usque in futuram vitam, ubi remiſſioni locus non erit amplius, ſed homines in univerſum ab omni peccatorum contagio puri & ſancti, pleni omni probitate atque juſtitia, ſubtracti & liberati à peccatis, morte & omni exitio, in novam, perpetuam, glorificatam, & transfiguratam vitam traducentur.

Extra Eccleſiam nec eſt remiſſio peccatorum nec ſanctificatio.

Deſertores Eccleſiæ.

Inchoata lux ſpiritualis & initia novæ vitæ erunt integræ poſt reſurrectionem.

Ecce hæc omnia Spiritus Sancti ſunt officia & opera, ut hic in terris ſanctificationem exordiatur, eandemque quotidie per hæ duo augeat, nempe per ſanctorum Eccleſiam, & peccatorum remiſſionem. Porro ubi jam ſoluti in cinerem computruerimus, hoc ipſum in momento oculi plene abſoluturus eſt & purificaturus, in qua perpetuo nos retinebit duobus Articulis poſterioribus. Quod autem hic ponitur (**Aufferſtehung des Fleiſches**/ carnis reſurrectionem) ne hoc quidem valde, apte & bene lingua noſtra vernacula expreſſum eſt. Etenim carnem audientes, non ulterius cogitamus, quam de macello. Utrum recte & genuine loquendo, germanice diceremus, **Aufferſtehung des Leibes oder Leichnams**/

Spiritus S. propria, munera & opera.

Expoſitio vocabulorum articuli carnis reſurrectionem.

nams/ hoc est, corporis resurrectionem. Attamen reus est momenti non magni, dummodo verborum sensum recte percipiamus.

Cæteri articuli in Symbolo referendi ad hunc: Credo remissionem & vitam, &c.

Jam hic ille est Articulus, cujus opus semper fervere debet, & efficax persistere. Rerum enim creationem accepimus, sed & redemtionem jam effectam habemus. Porro autem Spiritus Sanctus citra intermissionem nobis sanctificandis opus suum perficit, usque in extremum diem: ad quod communionem destinat, per quam omnia facit & loquitur. Nondum Christianos suos omnes coegit, neque remissionis distribuendæ officio prorsus perfunctus est. Eam ob rem in hunc credimus, qui quotidie nos divini verbi prædicatione attrahit & adsciscit, fidemque impertit, auget atque corroborat, per verbum illud, remissionem peccatorum, ut nos his omnibus perfecte absolutis, nobisque iisdem constanter adhærentibus, & mundo ac omnibus periculis jam mortuis, denique prorsus per omnia sanctos faciat, id quod jam per verbum in fide expectamus.

Doctrina de essentia & voluntate Dei in Symbolo.

Ecce hoc loco totam divinitatis essentiam, voluntatem & operationem, verbis equidem admodum brevibus, attamen opulentis & fœcundis, artificiose depictam habes, in quibus omnis nostra sapientia sita est, omnem humanam sapientiam, rationem ac sensum, longe lateque excedens ac superans. Nam universus mundus, quanquam sedula pervestigatione, jam inde ab initio elaborarit, quidnam Deus esset, aut quid haberet animi, seu cui operi intentus esset: nihil tamen harum rerum unquam intelligentia aut ratione assequi potuit: hic vero omnia hæc copiosissime in numerato habes. Hic enim ipse in omnibus tribus Articulis profundissimam abyssum paterni sui pectoris, & meras ardentissimi & ineffabilis amoris sui flammas, manifestavit reservavitque. Quippe

De patefactione Dei, & de fine hominis.

ob

Digitized by Google

ob id ipsum nos creavit, ut nos redimeret & sanctificaret, & præterea, quod nobis possidenda & utenda subjecit, quæcunque uspiam in cœlo & in terra cernuntur: Filium quoque suum & Spiritum Sanctum nobis largitus est, per quos nos ad se attraheret. Neque enim unquam (ut supra ostensum est) eo propriis viribus pervenire possemus, ut Patris favorem ac gratiam cognosceremus, nisi per Jesum Christum Dominum nostum, qui paterni animi erga nos speculum est, extra quem nihil nisi iratum & truculentum videmus judicem. Sed neque de Christo quidquam scire possemus, si non per Spiritum Sanctum nobis revelatum esset.

Ideo traditur Symbolum, ut verus Deus discernatur à commentitiis numinibus & recte invocetur.

Proinde ii Articuli nostræ fidei nos Christianos ab omnibus aliis, qui sunt in terris, hominibus separant. Quicunque enim extra Christianitatem sunt, sive Gentiles, sive Turcæ, sive Judæi, aut falsi etiam Christiani, & hypocritæ, quanquam unum tantum & verum Deum esse credant & invocent: neque tamen certum habent, quo erga eos animatus sit animo, neque quidquam favoris aut gratiæ de Deo sibi polliceri audent aut possunt: quamobrem in perpetua manent ira & damnatione. Neque enim habent Christum Dominum, neque ullis Spiritus Sancti donis & dotibus illustrati & donati sunt.

Discrimen legis & Evangelii, Decalogi & Symboli Apostolici.

Ex hoc jam clare vides & cognoscis, fidem longe aliam esse doctrinam, quam sunt decem præcepta. Nam hæc docent quidem, quid faciendum sit: illa vero indicat, quid Deus nobis fecerit & præstiterit. Decem præcepta alioqui etiam omnium hominum cordibus inscripta sunt: cæterum fides nulli humanæ sapientiæ est comprehensibilis, sed à solo Spiritu Sancto tradenda & docenda est. Eam ob rem præceptorum doctrina nondum ullum Christianum facit, semper enim DEI ira atque indignatio nobis incumbit, quamdiu servare nequi-

mus, quod Deus præceptis ſuis à nobis exigit. Hæc vero, nempe fidei doctrina, meram gratiam ſecum apportat, & hæc juſtos, Deoque nos acceptos facit. Per hujus doctrinæ cognitionem, amorem ac voluptatem Dei præceptorum faciendorum conſequimur, videntes hic; quomodo Deus prorſus ſe nobis tradiderit, cum omnibus, quæ poſſidet, ut præſenti ope & auxilio in perficiendis præceptis non ſublevet, Pater quidem omnibus ſuis creaturis, Chriſtus vero omnibus ſuis operibus, porro autem Spiritus Sanctus omnibus ſuis dotibus. Hæc quidem in præſentia de fide, fundamenti pro ſimplicibus locandi gratia, dicta ſufficiant, ne obruantur multitudine, ut hujus rei intellecta jam probe ſumma, ipſi poſtea hanc rem latius indagent & quidquid in Scripturis didicerint, huc referant, ac ſubinde locupletiorem intellectum quotidianis incrementis conſequantur. Quotidie enim hæc, quamdiu hic vivimus, docentes & diſcentes, vix unquam ſatis diſcemus aut docebimus.

TERTIA PARS CATECHISMI.

Oratio Dominica.

Tertia pars Catechiſmi, doctrina de invocatione Dei ſeu de precatione.

HActenus audivimus, quid nobis cum faciendum, tum credendum ſit, quibus in rebus optima & feliciſſima vita ſita ſit: ſequitur jam deinceps pars tertia, docens, quomodo orandum ſit. Cum enim ita nobiscum comparatum eſſe videamus, ut nemo hominum decem præcepta plene & perfecte ſervare queat,

Digitized by Google

queat, tametsi credere inceperit: & diabolus huic nostro conatui summo studio, una cum mundi ac propriæ carnis nostræ illecebris, obluctetur ac renitatur: nihil perinde necessarium est, quam ut assiduis precibus divinas aures fatigemus & obtundemus, ut fidem & præceptorum satisfactionem nobis largiri, sustentare, atque adaugere, tum & quicquid ad eam nobis impedimento est, omne hoc è medio tollere dignetur. Sed enim, ne nobis obscurum foret, quid & quomodo orare debeamus, Dominus noster Jesus Christus ipse nos rationem & verba orandi docuit, quemadmodum mox audiemus.

Occasiones exercendæ fidei & invocationis.

Prius tamen, quam ipsam orationem particulatim tractandam aggrediamur, vehementer operæ pretium esse videtur, homines ad orandum ostensis nonnullis argumentis & persuasionibus hortari & provocare, veluti Christus quoque & Apostoli feciſſe leguntur. Et hoc quidem primo loco recensendum est, ut non ignoremus, divini præcepti jussu nobis orandum esse. Ita enim in secundo præcepto audivimus: Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum: quibus verbis hoc simul exigitur, ut sanctum Dei nomen laudemus, idemque in omnibus necessitatibus precando invocemus. Invocare enim nihil aliud est, quam preces ad DEUM fundere. Ita, ut severe atque adeo serio præceptum sit, quam omnia alia minaciter interdicta, non habendos esse alienos deos, non occidendum, non furandum, &c. ne quis temere in eam opinionem veniat, ut existimet, perinde esse, oret, nec ne: quemadmodum nonnulli crassi & inculti homines factitare consveverunt in ejusmodi cogitationes descendentes: Quid vero multis orarem, cum nesciam, num Deus preces meas curet & audiat, nec ne? quod si non oravero, oret alius. Ex quo tandem in eam consuetudinem deveniunt, ut nunquam quidquam orent, prætexentes tandem

Quæ requirantur & exuscitent ad invocationem.

Primum sit in conspectu præceptum de precando.

ſuæ pigritiæ, aut ignavæ impietati potius, nos falſas & hypocritas oratiunculas rejicere: quaſi vero nos unquam docuiſſemus, non eſſe orandum.

Precatio ſit ardens petitio certi beneficii, non inanis battologia.

Quanquam hoc diffiteri non poſſumus, eas orationes, quæ hactenus factæ ſunt, Stentoreis clamoribus in Eccleſiis vociferando & tonando, &c. non fuiſſe orationes. Ejusmodi enim res externæ, ubi harum rectus eſt uſus, puerorum ſcholaſticorum, ac ſimplicium eſſe poſſunt exercitia, legendo aut cantando conſiſtentia, proprie tamen orationes aut preces exiſtimandæ non ſunt. Sed enim hoc denique orare dicitur, quemadmodum ſecundum præceptum docet, Deum tempore neceſſitatis invocare. Hæc à nobis exigit, neque res eſt noſtri arbitrii, verum orare debemus & cogimur, ſi modo Chriſtiani perhiberi volumus, æque atque parentibus & magiſtratibus omnibus obedientiæ officiis obtemperare cogimur. Siquidem invocando & precando nomen Dei colitur, & utiliter uſurpatur. Quemadmodum enim hoc non valet, ſi filius ad patrem diceret: Quid Deus meam obedientiam curat, & quid commodi mea tibi præſtare poteſt obedientia? ego vadam facturus, quod potero, perinde eſt, ſive morigerus ſim, nec ne? Verum hic extat præceptum Dei, velis nolis facias oportet. Ita quoque hic ut omittas, aut facias, in tuo arbitratu ſitum non eſt, ſed omnino orandum eſt, niſi Dei iram & indignationem incurrere velis. Atque hæc diligenter & ante omnia ſunt notanda, ut his reprimamus & expellamus cogitationes, quibus ab orando abſtrahimur & deterremur, quaſi parvi momenti res ſit, non orare: aut, quaſi, ut orent, mandatum ſit iis tantum, qui ſanctitate excellant, & in majore apud Deum gratia ſint, quam nos: quemadmodum humanum cor tam deſperatum & natura perverſum eſſe experimur, ut ſemper Deum fugiat, & cogitet, Deum ad-

adverſari noſtras preces, cum ſimus peccatores, & nihil aliud, quam iram meriti ſimus. Ad has cogitationes repellendas, rurſum dico, hoc præceptum nobis eſſe conſiderandum, ut ad Deum convertamur, ne iſta inobedientia gravius eum irritemus. Hoc enim mandato (ut ſcilicet oremus) ſatis ipſe oſtendit, ſe non velle nos & preces noſtras rejicere, à ſe abigere & pellere, etiamſi ſimus peccatores, ſed magis allicere ad ſe, ut coram ipſo humiliemur, & noſtras miſerias & ærumnas ipſi aperiamus, & gratiam opemque ejus imploremus. Hinc in Scriptura ſacra legitur, Deum etiam iraſci iis, qui propter peccata ſua percuſſi & puniti, ad DEUM converti, & oratione ſua iræ ejus ſe quaſi opponere, & gratiam implorare noluerunt.

Collatio præcipuæ & primæ legis de cognitione Dei & invocatione tum cæteris decem præceptis.

Ex hoc jam ita collige ac cogita, cum tantopere nobis injunctum ſit ut oremus, ne quo modo quiſpiam ſuas preces contemnat, ſed magni æſtimet, & magnifice de illis ſentiat. Ac ſubinde ſimilitudinem ex aliis præceptis petas. Puer nequaquam ſuam erga parentes obedientiam leviter ducere debet, verum ſemper cogitare: Hoc opus obedientiæ eſt, & quicquid facio, non alio animo facio, quam quod in obedientia & præcepto Dei verſor, cui inniti poſſum, atque hoc ipſum magni pendere, non quidem meæ dignitatis gratia, ſed propter præceptum. Ad eundem plane modum & hic, quidquid & pro quacunque re Deum oraverimus, ita intuendum eſt, quaſi à Deo exactum, inque ejus obedientia factum, atque ita cogitare oportet: Quantum ad me quidem attiner, hæc oratio nullius eſt habenda momenti aut pretii, quia peccator ſum, verum ob id reſpuenda non eſt, cum Deus orare mihi præceperit. Ira cuique, quamcunque tandem rem precibus impetrare ſtatuit, ſemper ad Deum hujus præcepti obedientia veniendum eſt.

Quocirca omnes homines per Chriſtum obteſta-

mur

mur & hortamur, quam fieri poteſt diligentiſſime, ut hæc denique nobis cordi ſint, neve ullo pacto noſtras orationes tanquam rem nihili aſpernemur. Ita enim hactenus in mali Genii nomine docti ſunt homines, ut nemo harum rerum ullam curam ſuſceperit, æſtimaritque ſatis ſuperque actum eſſe, modo opus orandi factum eſſet, Deus hoc exaudiret, nec ne, non magnopere laborabatur. Sed hoc eſt orationem & invocationem nauci facere, aut loqui ventis ac littori, ita nequicquam murmurando: ob id inutilis quoque & infrugifera fuit oratio. Ejus enim generis cogitationibus conturbamur & abſterremur: Ego quidem ſanctus non ſum, neque ſatis dignus, quod ſi tanta probitate ac vitæ ſanctimonia præcellerem, ut divus Petrus aut Paulus, libenter orare vellem. Sed procul hinc aufer ex animo iſtiusmodi cogitationes. Nam hoc ipſo præcepto, quo Paulus orare juſſus eſt, etiam nos orare jubemur. Neque minus in mei gratiam, quam ejus hoc ſecundum præceptum conſtitutum eſt, ut non liceat illi ſanctius jactare præceptum aut præſtantius. Quare ita tibi dicendum eſt: Meæ preces, quas ad Deum fundo, nihilo ſunt deteriores aut profaniores, aut Deo minus acceptæ, quam fuere Pauli & omnium etiam ſanctiſſimorum. Ratio eſt: Perlibenter illis, quantum ad perſonam attinet, cedam victæ ſanctimonia, verum præcepto nequaquam. Certum enim habeo, Deum nequaquam orationem perſonæ gratia reſpicere, ſed propter verbum ſuum, atque obedientiam ſibi præſtitam atque exhibitam. Ei enim præcepto, cui omnes ſancti orando innixi ſunt, ego quoque precans innitor: adhæc eadem ipſa precor, quæ ipſi omnes ad unum precantur, aut precati ſunt.

Repugnandum dubitationi, & opponenda indignitati neceſſitas mandati.

Hæc quidem prima hujus exhortationis pars ſit, & omnium maxime neceſſaria, ut omnis noſtra oratio divinæ obedientiæ innitatur, nullo noſtræ perſonæ reſpe-

Digitized by Google

ſpectu, ſive juſti ſimus, ſive peccatores, digni an indigni. Et ſciendum eſt, Deum nullo modo æque laturum, ut iſta in jocum convertantur, ſed graviter nos & acerbe puniturum, ſi ſegnes in orando fuerimus, non ſecus, ac omnem aliam inobedientiam punire ſolet: Deinde, quod noſtras preces fruſtra ac temere effundi non patietur. Si enim te audire nollet, ut orares, nunquam tam ſevere tibi præcepiſſet. *Luc. 11, 9.*

Alterum, quod nos ad orandum hoc impenſius inſtigare debebat, hoc eſt, quod Deus orationi quoque promiſſionem adjunxerit, pollicitus, certo fore, quicquid orantes petierimus. Quemadmodum hoc teſtatur Pſal. 50. Invoca me in die tribulationis, & eripiam te. Et Chriſtus Matth. 7. Petite, & dabitur vobis, &c. Quicunque enim petit, accipit. His utique promiſſionibus pectora noſtra excitanda erant & inflammanda, ut cum voluptate & amore Deum invocaremus, cum ipſe ſuomet verbo teſtatum faciat, ſibi noſtras orationes impenſe placere, easque exauditum iri, ne ipſi eas reſpuamus aut nihili pendamus, in incertum orantes. Hæc igitur illi potes objicere, ita dicens: Venio ad te, chariſſime Pater, oratum, non quidem ex proprio arbitrio aut propoſito, aut propria dignitate adductus, ſed tuo præcepto ac promiſſo incitatus, quæ mihi nequaquam mentientur. Jam qui tali promiſſioni fidem non habet, iterum ſciat, ſe Deum ad iracundiam provocaſſe, ut qui ſumma eum afficit contumelia, ac mendacii inſimulat.

2. Conſideratis præceptis mox quærat pia mens promiſſiones (Pſal. 50, 15. Matth. 7, 7. & 8.) ut ſciat, an & cur exaudiantur indigni.

3. Fidem in invocatione accendi neceſſe eſt.

Præter hæc etiam hoc ipſo ad orandum non mediocriter pellicendi & pertrahendi eſſemus, quod DEUS juxta præceptum & promiſſionem etiam antevertit nos, ipſe verba ac modum orandi nobis præſcribens, ac velut præmanſum in os inſerens, quomodo & quid nos orare oporteat, ut videamus, quam amanter neceſſitas noſtra ſibi curæ ſit, neque ullo pacto dubitemus, noſtras gra-

4. Chriſtus ipſe verba & recitationem certam præſcripſit.

orationes ſibi placere, easque certo exaudiri. Quare ſane dominica, ſeu ab ipſo domino præſcripta nobis oratio longe antecelit omnes reliquas, quas ipſi excogitare poſſemus. Etenim in his conſcientia ſemper futura eſſet in dubio, atque dictura: Oravi quidem, cæterum ignoro quomodo illi placuerit, aut num legitimum modum ac menſuram orandi aſſecutus ſim. Quapropter hac nobilior in terris non poteſt inveniri precatio, cum tam præclara habeat teſtimonia, quod DEO tam ex animo arrideat, pro qua totius orbis divitias commutare non debeamus.

5. Res petenda in precatione recitetur & cogitetur.

Quin etiam eam ob rem certis verbis præſcripta eſt, ut videamus, & in animum revocemus neceſſitatem, qua ad indeſinenter orandum adigendi & impellendi eſſemus. Etenim qui orare voluerit, neceſſum eſt, ut is aliquid apportet, exponat, & nominatim perſtringat, quod petit: quod niſi fit, non poteſt dici precatio. Merito itaque rejicimus omnium Monachorum ac ſacrificorum hactenus factas orationes: qui diu quidem ac noctu laborioſe admodum ululant & murmurant, at interim nullus eorum unquam vel pro titivillitio orare decrevit, & ſi in unum locum omnes Eccleſiæ rudentium aſinorum officinæ, una cum toto omnium religioſorum examine congregarentur, non poſſent non fateri, ſe nunquam ex corde, vel pro minima vini guttula Deum oraſſe. Neque enim quisquam illorum unquam aut Dei obedientia adductus, aut fide promiſſionis pellectus, orare ſtatuit, neque ullam neceſſitatem intuitus eſt: ſed non ultra cogitavit (quando preculæ vel optime demurmuratæ ſunt) quam bonum opus facere, quo diurnum penſum DEO perſolveret, ut qui non ab eo accipiunt, ſed tantum illi dare volunt.

6. Repetenda rectiſſimo ordine.

Cæterum ubi oratio recte inſtituta eſſe debet, neceſſum eſt, ut ſeria ſit precatio, ut quis neceſſitatem ſen-

ſentiat, qua premitur, & ad invocandum & clamandum impellitur. Atque ita demum fit, ut recta, quemadmodum par eſt, ad Deum fundatur oratio, ut nullo doctore opus ſit, quomodo aliquis ad orandum ſe præparet, aut unde devotionem hauriat. Neceſſitatem vero, quæ cum pro nobis, tum pro aliis nobis cordi eſſe debet, abunde ſatis in oratione à Chriſto nobis præſcripta invenies: quæ etiam ad hanc rem nobis ſervire debet, ut ex illa neceſſitatis ſæpe admoneamur, ne ad orandum ſegnes reddamur. Sunt enim non parum multa, quæ deſunt nobis omnibus, hoc tamen unum cumprimis in omnibus deſideratur, quod nemo noſtrum ea videat aut ſentiat. Quare Deus à nobis hoc ſumme contendit, ut eam neceſſitatem, qua premeris, orans conqueraris, atque exponas: non quod ignorer ipſe, verum ut tu cor tuum accendas ad impenſius ac fortius petendum, utque ſinum pallii tui ſaltem quam latiſſime diſtendas & aperias, ad multa percipiendum.

ne comprehenſa in oratione Dominica.

Quocirca ſtatim à pueritia aſſveſcere conveniebat, ut quisque privatim pro ſua neceſſitate, quamcunque tandem ſibi objectam perſentiſceret, tum etiam pro aliis hominibus, quibuscum verſatur, quotidie precaretur, veluti pro concionatoribus, magiſtratibus, vicinis, familia, & aliis: ſemperque Deum (ut dictum eſt) ſui præcepti, promiſſionisque admoneret, nihil hæſitans, eundem ſuas preces exauditurum. Hæc propterea dico, perlibenter enim velim, ut his probe perceptis, homines iterum recte orare perdiſcerent, neq; tam horridam & incultam, atque ab omni devotionis affectu alienam vitam viverent, à qua in dies ſingulos ad precationes faciendas ineptiores evadunt: quod & diabolus anxie deſiderat, omnibus viribus eo inſtigans & juvans; neque enim obſcure ſentit, quantum detrimenti ſibi adferre ſoleat oratio fervens & ſedula.

Singuli ſuis neceſſitatibus admoniti fide petant ſalutaria.

Hoc

Invocatio proprium ſolius Eccleſiæ opus & præcipuus quaſi murus.

Hoc enim ſcire debemus, omnem tutelam ac defenſionem noſtram unice adeo in oratione ſitam eſſe. Multo enim viribus imbecilliores ſumus, quam ut cum diabolo, ejusque ſociis auxiliaribus nos infeſtantibus æquo Marte depugnare queamus, adeo ut nos profligatos tantum pedibus conculcare poſſent. Ideo nobis impenſe danda eſt opera, ut ea arma manibus arripiamus, quibus inſtructi Chriſtiani diabolo queant reſiſtere. Quid enim putas hactenus tam magnas res effeciſſe, inimicorum noſtrorum conſiliis diſcutiendis, inſidiis detegendis, cædibus tollendis, ſeditionibus clancullariis opprimendis & extinguendis, quibus diabolus nos una cum Evangelio penitus opprimere cogitabat, niſi aliquot proborum ac piorum hominum obſtitiſſet oratio, ac tanquam murus æneus ſe interpoſuiſſet, & nos defendiſſet? Alioqui & ipſi adverſarii noſtri longe cruentiorem tragœdiam vidiſſent, quomodo nempe diabolus totam Germaniam in ſuo proprio ſanguine ſubmerſiſſet. Nunc vero falſe hæc illi & confidenter rideant licet, & pro ludibrio habeant: nos tamen & ipſis, & diabolo, ſolius orationis adminiculo ſat fortes erimus, dummodo diligenter oraverimus, nec ſegnes facti fuerimus. Ubicunque enim probus ac pius Chriſtianus orat: Cœleſtis ac impotens pater, precor, ut tuam voluntatem fieri ſinas: illico in ſublimi reſpondet DEUS: optime fili, plane hoc tibi perſuadeas futurum, ad retundendam diaboli mundique ferociam.

Invocationis efficacia.

Hactenus hæc monendi gratia dicta ſint, ut ante omnia diſcamus orationem magnifacere, veroque diſcrimine diſcernere verboſum multiloquium ab oratione aliquid petente. Nequaquam enim precationes rejicimus, verum non niſi mere inutilem illum boatum ac murmur damnamus: quemadmodum ipſe quoque Chriſtus in oratione moleſtam, & ad oſtentationem compoſitam battologiam damnat ac prohibet. Jam vero

vero ipſam orationem ab eodem nobis traditam, paucis tractabimus, & quam fieri poteſt clariſſime. Sunt autem in his ſeptem articulis ſive precationibus, omnes neceſſitates ordine comprehenſæ, quæ nobis ſubinde contingunt, & unaquæque harum ita magna eſt & vehemens, ut ea per omnem vitam noſtram ad orandum impellendi eſſemus.

Septem petitiones orationis Dominicæ.

PRIMA PRECATIO.

Sanctificetur nomen tuum.

HOc aliquanto obſcurius dictum eſt, nec ſignificanter expreſſum. Lingua enim nobis vernacula ita diceremus: Cœleſtis Pater, fac quæſo, ut tantum nomen tuum ſanctum ſit. Quid ergo ſibi vult hæc oratio, ut nomen ejus ſanctum fiat? An non antea ſanctum eſt? Reſponſio. Imo vero nunquam non ſanctum eſt in ſua eſſentia, at in uſu noſtro ſanctum non eſt. Dei enim nomen nobis datum & inditum eſt, poſteaquam Chriſtiani facti & baptizati ſumus, ut filii Dei vocemur, & Sacramenta habeamus, per quæ illi uniti & copulati ſumus, ita ut omnia, quæcunque Dei ſunt, uſui noſtro ſervire debeant. Cæterum hic jam nobis magna neceſſitas incumbit & imponitur, quæ nobis cumprimis curæ eſſe debet, ut nomini divino ſuus honor habeatur, ut ſancte ac reverenter tractetur, veluti theſaurus noſter unicus, quo nobis non major eſt aut amplior: utque nos tanquam probi liberi ab hoc patre precibus contendamus, ut nomen ſuum, quod alioqui in cœlis per omnia ſanctum eſt, etiam in terris apud nos, inque univerſo orbe, ſanctum ſit ac maneat.

Nomen Dei quomodo ſanctum.

Porro autem nomen ejus, quomodo inter nos ſanctificatur, aut ſanctum fit? Reſponſio, ut quam apertiſſime potero dicam, cum & doctrina & vita noſtra divina

Nomen Dei quomodo inter nos ſanctificetur.

vina & Chriſtiana fuerit. Cum enim hac oratione Deum patrem noſtrum compellemus: utique debemus, ut in omnibus ita nos geramus, ita nos exhibeamus, quemadmodum probos liberos æquum eſt, ne illi ſimus dedecori, ſed laudi atque honori.

Nomen Dei quomodo prophanetur.

Jam vero ejus nomen à nobis aut verbis, aut factis, indigne violatum profanatur (quicquid enim in terris agimus, aut verbo aut facto comprehenditur.) Ac primum quidem ad hunc modum, quando ſub divini nominis prætextu id prædicatur, docetur, ac dicitur, quod falſum eſt atque erroneum, & quo ſeducuntur homines, ita ut ejus nomine comandum ac exornandum ſit mendacium, atque etiam venalius faciendum. Hoc jam ſummum dedecus & contumelia, qua ſacratiſſimum nomen Dei Patris noſtri, indigniſſimis modis contaminatur & afficitur. Deinde quoque quoties fœde ac turpiter nomine Dei abutimur, pejerando, execrando, maledicendo, incantando, &c. Tertio quoque vita & operibus manifeſte malis ac nefariis, cum ii, qui Chriſtiani & populus Dei vocantur, ſunt adulteri, violenti, avari, invidioſi, obtrectatores, maledici. Hic iterum glorioſum Dei nomen, noſtri gratia, contumeliæ ac dedecori exponitur. Sicut enim corporali patri, filius male moratus ac degener, infamiæ eſt ac turpitudini, qui & dictis & factis præcepta paterna transgreditur, nobilitans ſemet flagitiis, ut ejus gratia, ab omnibus contemtus notetur ignominia: ita quoque Deo vergit in contumeliam, ſi nos, qui juxta nominis ejus appellationem vocati ſumus, atque ab eodem omnigena bona accepimus, aliter docuerimus, locuti fuerimus, vixerimus, atque pios ac cœleſtes filios Dei decet, adeo, ut ob hoc ipſum male audire cogatur, nos videlicet non eſſe filios Dei, ſed filios diaboli.

Exemplum filii familias degeneris.

Ita clare vides, hoc Articulo idem nos orare, quod in ſecundo præcepto Deus à nobis exigit, nimirum ne ejus

ejus nomine prave abutamur jurando, deteſtando, mentiendo, fallendo, &c. ſed utiliter idem ad Dei honorem & gloriam uſurpemus. Quicunque enim divino nomine, alicujus vitii tegendi gratia, abutitur: ille hoc ſanctum nomen profanat, violat, conſpurcat, atque contaminat: non ſecus atque olim ſacræ domus prophanatæ dicebantur, cæde humana conſperſæ, aut alioqui fœda aliqua turpitudine in iisdem flagitioſe perpetrata, dehoneſtatæ: aut ſi res ſacra contumelioſe afficeretur, ut quæ per ſe quidem ſancta eſſet, ipſo tamen uſu profana fieret. Eſt ergo hic Articulus jam intellectu facilis, tantum verbis recte perceptis, ut ſanctificare tantum ſignificet, ac laudare, extollere, honorem habere, cum verbis, tum operibus.

Prima petitio erat de gloria Dei & vero cultu, de quo ſecundum præceptum concionatur.

Jam vero ipſe vide, quam iſta precatio omnibus modis ſit neceſſaria. Cum enim haud obſcure videamus, quam mundus refertus ſit propemodum infinitis ſectis & falſis doctoribus, omnibus divinum nomen ſuæ diabolicæ doctrinæ prætexentibus: non injuria nobis indeſinenter clamandum erat adverſus omnes, ita ſcelerate divino nomine abutentes, hoc eſt, æque adverſus falſa docentes, & prava ſuperſtitioſe credentes, tum quicquid Evangelium & ſanam doctrinam noſtram temere impugnat, ut ſunt mitrati Epiſcopi, Tyranni, Svermeri, &c. Præterea pro nobismet ipſis quoque, qui verbum Dei habemus, ſed qui non grati ſumus, neque tanti muneris memores, neque perinde, ut verbo docemur, vivimus. Hæc devote, atque ex animo orans, certus eſſe potes, Deo ſumme placere tuam orationem. Neque enim quicquam audiet gratius aut amantius, quam quod ejus honor & gloria præ omnibus rebus paſſim unice floreat ac vigeat, ejus verbum ſincere doceatur, ac charum & pretioſum æſtimetur.

Neceſſe eſt ante omnia peti notitiam, ſeu agnitionem Dei, & invocationem, &c.

SECUNDA PRECATIO.

Adveniat regnum tuum.

Ordo petitionum ſive rerum, quæ petuntur.

QUemadmodum primo articulo precati ſumus ea, quæ ad honorem & gloriam nominis Dei pertinent, ut prohibeat Deus, ne ſui nominis prætextu mundus ſua mendacia atque malitiam inſidioſe celet ac tegat, ſed ipſe ejus gloriam claram habeat & inviolabilem, cum in doctrina, tum in vita, ut per nos celebretur & extollatur laudibus; ita quoque hic precamur, ut regnum ejus veniat. Verum ſicut nomen Dei per ſe ſanctum eſt, nos tamen oramus, ut apud nos quoque ſanctum ſit: ita quoque regnum ejus ultro venit, citra noſtram precationem. Nihilominus tamen precamur, ut ad nos veniat, id eſt, inter nos, & apud nos verſetur, ita ut nos quoque pars ſimus eorum, inter quos nomen ejus ſanctificetur, & ejus regnum floreat.

Cur petamus, ut regnum Dei adveniat.

Quid autem regnum Dei dicitur? Reſponſio. Nihil aliud, quam quod ſupra in Symbolo fidei audivimus, quod Deus Filium ſuum Jeſum Chriſtum in mundum miſerit, ut nos à diaboli potentia & captivitate redimeret, inque libertatem aſſereret, & ad ſe perductos regeret, veluti rex juſtitiæ, vitæ, ſalutis & felicitatis, adverſus peccatum, mortem, & malam conſcientiam. Ad quod etiam Spiritum Sanctum largitus eſt, qui talia nobis offerret, per ſanctum verbum ſuum, perque virtutem ſuam nos in fide illuminaret & fortificaret. Eam ob rem hic primum precamur, ut id, quod Chriſtus nobis impetravit, apud nos fiat efficax, ut ejus nomen celebretur, per ſanctum Dei verbum, & vitam pie & Chriſtiane inſtitutam: & ut nos, qui accepimus, illud conſtanter retineamus, & quotidie in eo creſcamus, ac idem ab aliis certatim arripiatur, & potenter per mundum dominetur, ut multi ad regnum gratiæ per-

Petitur agnitionis effectus, ut gubernemur à Spiritu S.

Digitized by Google

veniant,& redemtionis fiant participes, per Spiritum Sanctum adducti, ut omnes in hujus regis regno hic inchoato, perpetuo maneamus.

Duplici ratione venit regnum Dei ad nos.

Siquidem regnum Dei duplici ratione ad nos venire dicitur: Semel in hoc mundo temporaliter per verbum & fidem: Deinde æternaliter,& hoc per revelationem. Jam utrumque hoc precamur, ut & ad eos veniat, qui nondum in eo versantur, & ad nos, qui illud consecuti sumus, quotidianis incrementis auctum, & in futuro in vita æterna & immortali consummandum. Horum omnium non alius, quam hic sensus est: cœlestis ac omnipotens Pater, precamur te, ut nobis initio tuum verbum impertire digneris,ut Evangelium pure ac sincere per mundum prædicetur. Deinde, ut per fidem quoque susceptum in nobis operetur ac vivat, ut ita regnum tuum inter nos erectum vigeat, per verbum ac virtutem Spiritus Sancti, ut regnum diaboli abolitum prorsus extirpetur, ne quid juris aut potestatis isti in nos relinquatur, donec prorsus submersum fuerit, peccatis, morte & orco extinctis, ut nos perpetuo in perfecta justitia ac felicitate vivamus.

Sententia verborum hujus petitionis.

Hæc petitio complectitur summa ac prima bona magis ad spiritum quam corpus pertinentia.

Ex his omnibus vides, nos hoc loco non pro frusto panis, aut re aliqua temporali & transitoria precari, sed pro æterno thesauro, cujus pretium est inæstimabile. Breviter pro omnibus iis, quæ Deus ipse possidet, quæ multo majora sunt, quam ut homo animo concipere auderet eam fiduciam tanta postulandi, nisi ipse hæc petenda nobis in mandatis dedisset. Verum quoniam Deus est,& quidem omnipotens, eum etiam honorem sibi vendicat, ut multo plura ac magnificentiora largiatur, quam ullus queat mente comprehendere: Veluti fons perennis & indesinens, qui quo largius ac copiosius manando exundat, hoc liberalius semet effundit. Nec quicquam impensius à nobis flagitat, quam ut multa & magna ab eo postulemus:

Exemplum depingens imbecillitatem & ſtuporem cordis humani fugientis Deum.

& contra nobis infenſus eſt, nihil audacter & continenter à ſua benignitate petentibus & poſtulantibus. Nam veluti cum opulentiſſimus & potentiſſimus Cæſar alicui mendico eam optionem & precandi libertatem offerret, ut quodcunque ejus ferret animus, à ſe optaret & peteret, ſe paratum eſſe, munera plane regia & magnifica largiri petenti: ille vero ſtolidus non plus ſordido poſtularet ſorbitio, merito utique ille pro ſcelerato nebulone & homine nequam haberetur, qui Cæſareæ majeſtatis mandatum ludibrio haberet, neque dignus eſſet amplius, qui in conſpectum Cæſaris admitteretur: Ita quoque Deo extreme contumelioſum eſt, tanta tamque ineffabilia bona nobis offerenti & pollicitanti, ſi ejus inexhauſtam benignitatem contemnamus, aut nos certo conſecuturos non ſperemus, ac pro fruſto panis impetrando precari ſuſtineamus.

Petamus hoc ordine, ut anteferantur bona æterna.

Verum enim vero omnis hæc culpa impiæ incredulitati noſtræ aſſignanda eſt, non tantum bonitatis de Deo ſibimet pollicenti, ut crederet ventrem à Deo nutritum iri, omitto, ut indubie ſperaret, aliquando ejusmodi bona immortalia ſe conſecuturum. Quare contra nos muniamus, hocque imprimis petamus, atque ita demum reliqua quoque omnia abunde habebimus, *Matth. 6, 33.* veluti Chriſtus ipſe docet: quærite primum regnum Dei, & cætera omnia adjicientur vobis. Quomodo enim pateretur rerum temporalium nos urgeri inopia, cum æterna & cœleſtia bona ſe nobis certo daturum perſancte receperit?

TERTIA PRECATIO.

Fiat voluntas tua, quemadmodum in cœlo, ſic etiam in terra.

Hacte-

HActenus ut nomen ejus à nobis ſanctificetur & colatur, tum præterea, ut ejus regnum inter nos vigeat, precati ſumus: quibus duobus plene comprehenſum eſt, quicquid ad Dei honorem & noſtram ſalutem pertinet, ut Deum cum omnibus ſuis divitiis peculiariter conſequamur. Verum hic alia rurſus nobis incumbit & vehemens quidem neceſſitas, ut tantas una cum Deo acceptas divitias conſtanter ac firmiter retineamus, neque nos ullo modo avelli inde patiamur. Nam quemadmodum in republica bonis legibus conſtituta, non tantum eos eſſe oportet, qui ædilium, prætorum & præfectorum partes obeant, hoc eſt, qui publicis præſint ædificiis, & officiorum procurationibus, ſed etiam, qui imperatores agant, qui hoſtiles incurſiones propellant, qui ab omni vi atque injuria patriam tueantur ſedulo: Ita quoque hic, quanquam pro eo, quod nobis ſumme neceſſarium eſt, oravimus, nempe ut Evangelii fieremus compotes, neque non fidei ac Spiritus Sancti participes, qui nos regat, è diaboli poteſtate liberet, illud tamen nobis quoque nihilo ſegnius orandum eſt, ut voluntatem ſuam fieri patiatur Deus. Ut enim in cognita veritate perſiſtamus, miræ exorientur tragœdiæ, multæque impugnationes & caſus nobis erunt ſufferendi, ab omnibus iis, qui duo priora ſumma ope impedire nituntur atque ſubvertere.

De ordine petitionum.

Impedimenta & pericula vocationis, quæ à Deo diſcuti petimus.

Nemo enim facile credit, quam diabolus omnibus repugnet viribus, ut qui ferre non poteſt quenquam recte docere, aut ſincere credere: neque illi quicquam poteſt accidere ægrius atque dolentius, quam quod videt nugaces & abominabiles doctrinas ſuas ſub ſpecioſiſſimo Dei nomine adoratas, jam exorta luce Evangelii, detegi, atque ita turpiter ſubſannari, inſuper è pectoribus hominum evelli, taliquè clade regni ſui pomœria imminui. Quocirca tanquam inimicꝰ ira percitus fremit inſaniens, omniquè exercitus ſui ro-

Diaboli tyrannis & inſidiæ.

Naturæ & pravitas & imbecillitas.

robore nos incurrit & adoritur. Præterea omnium ſuorum copias ſibi adjungens, mundi quoque & propriæ carnis noſtræ ſocia arma auxilio ſibi depoſcit. Etenim caro noſtra per ſe pigra eſt, & prona ad malum, tametſi verbum Dei apprehenderimus & credamus.

Mundi furores & exempla nocentia.

Porro autem mundus extreme malus & improbus, hunc in nos omnibus modis incitat, inſtigans ac provocans, ut objecto impedimento nos retrahat, proſternat, ac denuo victos iterum ſuo imperio ſubjiciat. Hæc tota ſua voluntas eſt, has cogitationes verſat in animo, hoc diu noctuque molitur, nec momento quidem quieti indulget & otio, omnibus ſuis artibus, dolis, inſidiis, rationibus, modis, viisque utens, quascunque excogitare poterit.

Aſſidua piorum certamina.

Quare non eſt, quod quicquam certius nobis futurum polliceamur, ſi nobis animus eſt eſſe Chriſtianos, quam cum diabolo & omnibus angelis ejus, neque non cum mundo, nobis ſuſcipiendas eſſe inimicitias, nos omnibus modis & omni moleſtiæ genere vexaturis & infeſtaturis. Ubicunque enim gentium Evangelium prædicatum, acceptum aut creditum fuerit, & fructus produxerit: ibi neceſſario crucis quoque perſecutiones conſequuntur. Neque eſt, quod quisquam cogitet, ſe pacate & tranquille victurum, ſed ſemel jacta alea periclitandum eſſe de omnibus, quæcunque in terris uspiam poſſidet, de fortunis, honore, fama, ædibus, conjuge, liberis, familia, denique etiam de vita & capite proprio. Hoc jam noſtræ carni nempe Adamo veteri vehementer dolet: neque tamen malis cedendum eſt, ſed magno animo conſtanter perſeverandum, & contra fortius eundum, ut invicta animi tolerantia, quibuscunque injuriis impugnati fuerimus, perferamus, eaque æquo animo mittamus, quæcunque per vim nobis erepta fuerint. Eam ob rem æque neceſſarium eſt, ut in omnibus aliis indeſinenter oremus:

Eccleſia ſubjecta ingentibus ærumnis.

Tua

Tua voluntas precor fiat, optime Pater, non diaboli, neque inimicorum noſtrorum, neque omnium illorum, qui tuum ſacratiſſimum verbum inſectantur, quærentes illud opprimere, aut regnum tuum impedire. Largire quoque nobis eam animi patientiam, ut quæcunque nobis propterea toleranda ſunt, patienter ſuferamus atque vincamus, nec miſeranda noſtra caro, victa imbecillitate aut pigritia, repudiata cruce turpiter tergiverſetur.

Petamus gubernationem in actionibus, conſolationem & ſuſtentationem in arumnis.

Ecce ita ſimpliciſſime his tribus petitionibus, neceſſitatem ipſi Deo incumbentem habemus, veruntamen propter nos. Nobis enim tantum feritur ac metitur, ſi quid oraverimus, nempe ita (ſicut dictum eſt) ut in nobis quoque illud fiat, quod alioqui etiam extra nos fieri oportet. Nam quemadmodum ejus nomen etiam nobis non orantibus ſanctificari, & regnum ejus venire debet: ita quoque voluntas ejus non poteſt non fieri, quanquam diabolus cum omnibus ſuis auxiliaribus copiis ei repugnet, iraſcatur, & inſaniat, ſumma ope nitens totum Evangelium ſubvertere. Verum propter nosmet ipſos nobis orandum eſt, ut ejus voluntas inter nos etiam, adverſus ejusmodi illorum inſanias completa locum inveniat, ut omnis illorum conatus fruſtra ſit, & nos adverſus omnem injuriarum vim atque inſectationem inconcuſſi perſeveremus, ac talem Dei voluntatem nobis nunquam diſplicere ſinamus.

Oremus nos regi & juvari, ut vocatio ſit felix & efficax.

Talis, inquam, oratio jam nunc noſtra debet eſſe tutela & propugnatio, quæ fuget proſternatque omne, quicquid Diabolus, Epiſcopi, Tyranni & hæretici adverſus Evangelium noſtrum inſidioſe moliuntur. Permitte ſane, ut omnes magno erga nos iraſcantur ſtomacho, omnem (quod ajunt) moventes lapidem, ut collatis in unum conſiliis decernant, quomodo nos velint opprimere, ſubvertere, evellere, ut ſuæ voluntatis & conſilii fiant compotes. Horum omnium improbis

Auxilium opponendum diaboli ſævitiæ, tyrannorum terroribus.

Et Infirmitati noſtræ.

conſiliis & perfidis conſpirationibus, unum atque alterum Chriſtianum, hac armatum precatiuncula, non verebor opponere: ille noſter murus erit & propugnaculum, quo victi ac profligati fœde ſuccumbent. Hanc equidem conſolationem habemus, & hanc fiduciam obtinemus, certo fore, ut diaboli ac omnium inimicorum noſtrorum voluntas atque conſilium, facta irrita evaneſcant, quamlibet tandem ferociter inſoleſcant, aut ſemet ſecuros & potentes eſſe confidant. Niſi enim illorum voluntas intercepta infringeretur, Regnum Dei locum in terris non haberet, ſed neque nomen ejus ſanctificaretur.

QVARTA PETITIO.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

Sequitur petitio rerum corporalium.

Panis quotidianus quid?

HOc loco κοίνικα καὶ καδίσκα memores ſumus, hoc eſt, victus noſtri alendo corpori & temporali vitæ ſuſtentandæ neceſſarii. Eſt autem verbum perbreve ac ſimplex, ſed tamen late patens. Ubi enim panem quotidianum precaris ac nominas: ibi omnia, quæ ad quotidiani panis fruitionem pertinent, precaris, & rurſus eadem opera deprecaris etiam omnia, quæ huic impedimento eſſe poſſunt. Quare cogitationes tuæ tibi probe aperiendæ ſunt & dilatandæ, ne tantum in anguſtiis mactræ ac clibani conſiſtas, ſed in ſpacioſum campum evageris, panem quotidianum, & omnis generis alimenta nobis producentem. Niſi enim Deus è terris fruges ſineret excreſcere, inſuper easdem benediceret, & à calamitate defenderet: nunquam piſtum panem è clibano extraheremus, aut diſcumbentibus proponeremus.

Quas res complectatur hac petitio.

Ut autem compendioſe dicamus, hæc petitio concluſa in ſe complectitur omnia, quæcunque ad hanc vitam

Digitized by Google

tam in hoc ſeculo traducendam pertinent, cujus ſolius gratia, quotidiano pane opus habemus. Jam non tantum ad hanc vitam ſufficit, ut corpori noſtro proſpectum ſit, unde alatur & regatur, aliaque habeat neceſſaria, verum etiam, ut cum iis hominibus, quibus cum converſamur & vivimus, quibus cum commercia, & omnis generis negotia & contractus ſociamus & exercemus, pacata ac tranquilla temporis conditione fruamur. Et in ſumma, quidquid ad politicam, civilem, & domeſticam rerum adminiſtrationem pertinet. Etenim ubicunque locorum, & domeſticæ & civilis adminiſtrationis uſus interceptus, aut conturbatus fuerit, ut perpetuum tenorem quietis obtinere nequeat: ibi quoque vitæ alimenta intercepta ſunt, plane neque de victu noſtro actum eſt. Eſtque prorſus res omnium maxime neceſſaria, diligenter orare pro magiſtratibus, quippe quorum tutela & opera Deus nobis potiſſimum victus copiam, hujusque vitæ tranquillam conditionem conſervat. Nam quanquam omnibus rebus à Deo datis abundaremus affluentiſſime: harum tamen nullum retinere poſſemus, neque etiam cum ſecuritate frui & gaudio, niſi conſtantem & pacatam Reipublicæ adminiſtrationem nobis tribuerit. Ubi enim motus vigent, & tumultus fervent bellici: hic quoque panis quotidianus ſubtractus eſt, aut ad minimum impeditus.

Orandum pro Magiſtratibus, ut in pace vivamus pie & honeſte.

Quare cujusque boni & vigilantis Principis inſignia multo juſtius pane inſignirentur, quam Leonis imagine aut ſertis rutæ, aut in ipſa moneta imaginis loco panes inſculpti aptius cuderentur, admonendi gratia, cum eos, tum ipſorum quoque ſubditos, eſſe videlicet principes, quorum officio tutelam ac pacem haberemus, neq; ſine illis aut panem edere, aut eundem nos ſervare poſſe. Cujo rei gratia omni etiam honore digni ſunt, ut illis per nos benigne detur, quicquid ex officio

dare

dare debemus & possumus, veluti iis, quorum beneficio, omnibus, quæcunque possidemus, molliter ac quiete fruimur, cum alioqui ne assem quidem éramus servaturi. Adhæc, ut pro illis ipsis quoque oremus, nostri est officii, ut per eos Deus plus benedictionis & bonorum in nobis largiri dignetur.

Beneficia divina consideranda in repetitione hujus petitionis.

1. Victus.

2. Valetudo.

3. Fertilitas.

4. Successus in vocatione.

5. Educatio liberorum.

6. Defensio famæ, vitæ, possessionum.

7. Pax & victoria.

8. Honesta civitatum disciplina.

9. Depulsio diaboli & tristissimarum pœnarum.

Sit ergo ita pauciſſimis indicatum & delineatum, quousque hæc protendatur oratio, nempe per omnia hujus vitæ negotia atque commercia. Ex his jam aliquis prolixas preculas posset componere, ac multis verbis omnes partes, quæ huc referendæ sunt, singulatim percensere, nimirum hæc nos orare, ut DEUS nobis præstet victus & amictus copiam, domum, prosperam corporis valetudinem, utque fruges in agris magno cum fœnore lætas provenire sinat. Deinde ut domi quoque rei familiaris procurationem adjuvet, ut uxorem pudicam, probos liberos, bene moratam det familiam, & servet incolumem, nostrum laborem, opificium, aut quamcunque tandem rem efficiendam habemus, prosperet atque promoveat, fideles vicinos, ac bonos amicos nobis jungat & offerat, &c. Præterea ut Cæsari, Regibus, & omnibus ordinibus, cumprimis vero nostræ ditionis Principi, ejusque consiliariis, proceribus atque præfectis sapientiam, fortitudinem, & prosperitatem bene regnandi, suppeditet, atque adversus Turcas & omnes inimicos victoriam: Subditi vero, & communi plebeculæ obedientiam, pacem, & mutuam inter sese vivendi concordiam. Contra, ut nos ab omnibus detrimentis victus ac vitæ custodiat, à pernicioſis tempestatibus, à sæva grandine, calamitosis incendiis, à tristibus aquarum inundationibus, à veneno, ab annis pestiferis, à pecorum letali contagio, à belli sævitia & cædibus, ab annonæ difficultate, ab exitiosis bestiis, à pravis hominibus, à virulentis linguis, &c. Hæc enim omnia diligenter inculcare simplicibus, non est inutile, hæc videlicet

licet atque ſimilia à Deo dari oportere, & ab eodem precibus impetranda eſſe.

Potiſſimum autem hæc oratio contra hoſtem etiam nobis infenſiſſimum, nempe diabolum, adornata eſt: Hæc enim omnis ejus eſt cogitatio & deſiderium, ut hæc omnia, quæcunque à Deo impertita habemus, nobis auferat. Neque contentus eſt, rerum ſpiritualium procurationem fœde conturbare, ut animas ſuis nugis ſeductas, ſuo imperio ſubjiciat, verum manibus pedibusque obſtat etiam, enixe ſtudendo, ne qua in terris externarum rerum adminiſtratio, aut civilis ſtatus honeſte & pacate inſtitutus, diu conſiſtat, unde tot paſſim lites, jurgia, cædes, motus, ſeditiones, tumultus & bella concitat. Inſuper tempeſtates & grandines emittit è nubibus, aut contagione pecus inficit, aut corrupto cœli tractu aerem reddit peſtilentem & tabificum. In ſumma, maxime diſcruciatur animo, unum aliquem vel bolum panis nos à Deo habere reliquum, eoque pacate veſci. Et ſi in illius poteſtate eſſet conſtitutum, nec poſt Deum oratio noſtra obſtaret: ſane ne culmum quidem in agris ſervaremus incolumem, neque ſalvum obulum in marſupio, imo nec unius horulæ uſuram ad vivendum nobis concederet, cumprimis vero in iis, qui verbum Dei habent, & vere Chriſtiani eſſe ex animo cupiunt.

Diaboli rabies molientis exitium privatæ vitæ & infinitas diſſipationes.

Ecce ad hunc quidem modum Deus nobis indicat, quomodo omnes neceſſitates noſtræ ſibi curæ ſint, tum quam fideliter etiam temporalis victus noſtri rationem habeat. Et quanquam hunc impiis etiam hominibus, & imprimis nebulonibus affatim ſuppeditare ſoleat, atque tueri: nihilominus tamen vult, ut pro eo conſequendo oremus, ut certo cognoſcamus, nos hæc omnia ab ejus munificentia & liberalitate accipere, quo ita ejus paternam bonitatem erga nos propenſam non dubiis argumentis perſpiciamus. Ubi enim manum

Et naturâ ſuſtentari à Deo, & præcipue Eccleſiam Deo curæ eſſe.

Difficultates imperiorum, ſunt pœnæ peccatorum.

num ſuam aut clauſerit, aut ſubtraxerit: nihil feliciter provenire poteſt, aut denique retineri, id quod quotidie veriſſimum eſſe experimur. Quam enim hodie miſeriam non patimur, adulterina ſaltem moneta, imo potius quotidianis aggravationibus & exactionibus in publicis commerciis, contractibus, negotiis, laboribus, eorum videlicet, qui pauperes pro ſua libidine opprimunt, eorundemque victum decurtant & imminuunt? Quod quidem nobis perferendum eſt: cæterum illi ſibi proſpiciant, ne communis orationis jacturam faciant, ſibi etiam atque etiam caventes, ne hanc orationis Dominicæ particulam ſibi adverſam habeant.

QUINTA PRECATIO.

Et remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris.

In omni precatione prius petenda remiſſio peccatorum.

HIc Articulus miſeram & ærumnoſam vitam noſtram attingit, quæ, quamquam Dei verbum habeamus, credamus, ejus voluntatem faciamus & perferamus, ejusque donis ac benedictionibus alamur: peccatis tamen vacua & immunis non eſt, adeo ut adhuc quotidie prolabamur, modumque excedamus, in mundo viventes cum hominibus, multa nobis ægre facientibus, cauſamque impatientiæ, iracundiæ, ultionis, & ſimilium exhibentibus. Adhæc, diabolum à tergo nos infeſtantem habemus, qui ab omni parte nos impugnat, contraque priores (ut dictum eſt) Articulos omnibus modis decertat, ita, ut non ſit poſſibile, in tam frequenti & aſſiduo certamine non quandoque ſuccumbere.

Quam ob rem hic iterum magna neceſſitudo orandi nobis incumbit: Optime Pater, remitte nobis debita noſtra. Non quod non ante, aut citra noſtram precationem peccata nobis non remiſerit, (ſiquidem Evan-

Digitized by Google

Evangelium nobis dono dedit, in quo meræ peccatorum condonationes continentur, priusquam pro illo impetrando oravimus, aut illud nobis in animum venit) verum propterea nobis orandum est, ut talem remissionem agnoscamus & accipiamus. Cum enim carnis, in qua vivimus quotidie, ea sit indoles & ingenium, ut Deo non fidat & credat, semper pravis sit dedita concupiscentiis, ut in dies singulos dictis ac factis, faciendo & omittendo peccemus, quare conscientiæ tranquillitas conturbatur, ut Dei iram atque indignationem perhorrescat, & ita consolationem & fiduciam Evangelii amittat: peropus est, quotidie atque adeo citra intermissionem huc curritare, consolationis petendæ gratia, qua conscientiam iterum erectam sublevemus.

Hic attenta mens de reconciliatione & mediatore Christo diligenter cogitet.

Verum enimvero hoc eo valere debet, ut Deus insolescentis animi tumorem nobis infringat, inque humilitate retineat. Eam enim sibi prærogativam soli præservavit, ut, si quis ob suam probitatem sibi nimium placere, eam confidenter jactare velit, aliosque arroganter contemnere, ad se reversus semetipsum intueatur, hancque orationem sibi ante oculos ponat, ita fore, ut mox inveniat, se aliis nihilo meliorem esse. Omnibus enim nobis coram Deo cristæ demittendæ & contrahendæ sunt, ac gaudendum, ut remissionis fiamus participes. Nec quisquam inducat animum, eo se rem perducturum, ut, quamdiu hic vivimus, non opus habeat ea remissione. In summa, nisi citra intermissionem remittat DEUS, actum est de nobis.

Insignis Ecclesiæ confessio in hoc loco, agnoscentis se habere peccatum.

Jam itaque hujus precationis hic est sensus, ne Deus peccata nostra intueatur, neve meritis nostris debita præmia reddat, sed nobiscum clementer agat, peccatorum concedens veniam, quemadmodum pollicitus est, atque ita nobis lætam ac interritam largiatur conscientiam, qua animati coram eo & stare & precari quea-

Sensus hujus petitionis.

queamur. Ubi enim cordi cum Deo non recte convenit, neque talem haurire poteſt fiduciam: nunquam in perpetuum aliquid ab eo precari ſuſtinebit. Porro autem ejusmodi fiducia, & animus lætitia geſtiens non aliunde venire poteſt, quam ſi certo ſciat, peccata ſibi eſſe remiſſa.

Sacramentum additum huic petitioni de noſtra conditione, ſive de pœnitentia.

Verum huic precationi neceſſarium, attamen conſolationis plenum adjectum eſt auctarium: ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris. Pollicitus eſt, ut ſecuri eſſemus, omnia peccata nobis eſſe remiſſa & condonata, ita tamen, ut nos viciſſim proximo noſtro offenſiunculas, quibus ab eo læſi ſumus, benigne remittamus. Nam quemadmodum nos quotidie noſtris peccatis Deum offendimus, & tamen ille omnia nobis benigne ignoſcendo, condonat: ita noſtri quoque erit officii, proximo ſubinde dare veniam, qui damno, vi, atque injuria nos afficit, dolo malo nobiſcum agit, &c. Si gravaris ignoſcere proximo, non eſt, quod tibi pollicearis aut cogites, Deum tibi tua peccata condonaturum. Sin autem benigne ignoveris aliis: ea tibi conſolatio & ſecuritas propoſita eſt, ut in cœlo quoque certo tibi ignoſcatur. Et hoc quidem non propter tuam ignoſcentiam aut veniam, quam largiris proximo: libere enim facit, & gratuito ex mera gratia, cum illud ſe facturum receperit, quemadmodum docet Evangelium: verum ut nos certos ac ſecuros faciat, tanquam ſymbolo ſeu certo ſigno una cum promiſſione propoſito, quæ huic orationi conſonat Luc. 6. Remittite, & remittetur vobis. Eam ob rem Chriſtus quoque Matth. 6. illico poſt traditam orandi rationem repetit, inquiens: Si enim remiſeritis hominibus peccata eorum, remittet & vobis Pater veſter cœleſtis delicta veſtra.

Luc. 6, 37.
Matth. 6, 14.

Proinde huic orationi tale ſignum annexum eſt, ut nos orantes promiſſionis admoneat, ut ita cogitemus: Optime Pater, ideo ad te oratum venio, ut mihi ignoſcas

ſcas propitius, non quod operibus queam ſatisfacere, aut veniam a te promereri, ſed cum tu hoc nobis promiſeris, adjecta etiam ſphragide, ut tam certus ſim veniæ, ac ſi dictam a te abſolutionem accepiſſem. Quantum enim baptiſmus & Sacramentum, pro externo ſigno conſtitutum præſtat: tantum etiam hoc ſignum conſcientiam noſtram corroborare atque exhilarare poteſt: eſtq; ideo inſtitutum pro aliis, ut hoc omnibus horis uti & frui queamus, ut re, quam ſemper nobiſcum in parato habeamus.

SEXTA PETITIO.

Et ne inducas nos in tentationem.

IAm quidem ſatis ſuperque audivimus, quantum requirat laboris & operis, omnia, quæcunque precamur, retinere, & in illis conſtanter perſeverare, tamen vel ſic vix fieri poſſe, ut non labamur & hallucinemur. Adhæc quanquam erratorum veniam & conſcientiæ tranquillitatem conſequamur, ac per omnia à peccatis perpurgati ſimus: ita tamen vitæ noſtræ ratio comparata eſt, ut hodie unus aliquis ſtet, poſtero die cadat. Quapropter iterum nobis orandum eſt, ne nos jam probitatem & juſtitiam conſecutos, & pacata erga Deum conſcientia verſantes retro ptolabi, ac tentationum impugnationibus cedere ſinat. Eſt autem triplex tentatio, ſeu (ut Saxones noſtri jam olim locuti ſunt) converſiõ, videlicet carnis, mundi & diaboli. Siquidem in carne verſamur ac veterem Adamum humeris noſtris circumferimus, hic ſuis movetur affectibus, & nos ſubinde provocat ac pellicit ad turpitudinem, ad ſocordiam, ad crapulam, & ingluviem, ad avaritiam & fraudulentiam, ad decipiendum & defraudandum proximum, &, ut in ſumma dicam, ad omnes pravas cupiditates, quæ natura nobis inſitæ

Petitur gubernatio adverſus tentantem diabolum, ſicut prius remiſſa peccatorum.

Triplex tentatio.

1. Carnis.

ſunt, quæque in nobis ſæpenumero excitantur ab aliis videlicet ſodalibus, pernicioſis exemplis, audiendo & videndo, quæ non raro vel Davidis animum, vel ſi uspiam adhuc fuit incorruptior, poſſint inflammare atque corrumpere. Deinde huic ſuccedit mundus, à quo & dictis & factis offendimur, ac plane ad iracundiam & impatientiam compellimur. Atque ut ſummatim virtutes mundanas perſtringam, hic nihil aliud videre eſt, quam odium & invidentiam, inimicitias, ſimultates, jurgia, vim, injurias, perfidiam, ultionem, maledicentiam, convitia, contumelias, ſuperbiam & inſolentiam, nimio ornatu, honore, jactantia atque pretioſa ſemet efferentem, ubi nemo poſteriores ferre ſuſtinet, ſed reliquos omnes ſua pompa poſt ſe relinquere ſtudet. His ſuccenturiatus, accedit nunc diabolus, paſſim inſtigans ac provocans. Verum præcipue in his perturbandis occupatus eſt, quæ ad conſcientiam & ſpiritualia negotia pertinent, nimirum ut ex æquo & verbum & opera Dei ventis & auræ, quod dicitur, committamus & contemnamus, ut à fide & charitate nos avellat, & in ſuperſtitionem, pravam noſtri fiduciam, & cordis indurationem, aut in extremam deſperationem, & Dei abnegationem & execrationem, aliaque innumera & deteſtanda piacula iterum nos præcipitet. Hi jam ſunt laquei & retia, imo potius illa ignita tela, quæ nequaquam caro & ſanguis, verum diabolus in corda humana omnium venenatiſſime torquet & jaculatur.

2. Mundi.

3. Diaboli.

Ignita tela. Induci in tentationem eſt labi & ruere, cum tentamur,

Hæc quidem magna ſunt & ardua pericula, nec levium tentationum impugnationes, quæ cuique Chriſtianorum perferendæ ſunt, graves abunde, ſi harum una ſola tantum toleranda eſſet. Inde omnibus horis ad orandum, Deumque invocandum compellimur, quamdiu in hac calamitoſa vita conſtituti, ab omnibus partibus impugnamur, infeſtamur & fugamur, ne Deus nos deſeſſos patiatur occumbere, atque ita demum

ite-

iterum in peccata, dedecus, & incredulitatem prolabi. Absque hoc enim impossibile est, vel leviſſimam tentatiunculam vincere.

Jam hoc non dicitur in tentationem inducere, quoties vim ac robur resistendi nobis suppeditat, neque tamen tentatione sublata aut ademta. Neque enim quisquam tentationem aut illectamenta devitare potest, donec in carne vitam egerit, & Diaboli copiis circumvallatus fuerit. Et velimus, nolimus, tentationes nobis sufferendæ sunt, atque etiam in illis ipsis nobis versandum est. Porro autem hoc deprecamur, ne in easdem prolabamur, & in iis submergamur. Quare longe alia res est, tentationes persentire, & iisdem consentire. Persentire omnes cogimur, neque tamen easdem omnes, sed nonnulli plures & graviores, veluti juventus præcipue carnis tentationibus infestatur. Deinde, qui ad maturam & constantem ætatem pervenerunt, jam grandiores facti, à mundo rentantur. Alii vero, qui rebus spiritualibus sunt impliciti, nimirum fortes illi Christiani, à Diabolo. Verum ejusmodi tentationum sensus, quando præter voluntatem nostram nobis subjiciuntur, nemini nocere possunt. Nisi enim sentirentur, tentationes dici non possent. Porro tum demum consentimus illis, quando laxatis habenis iisdem indulgemus, neque vi neque oratione repugnantes. Quapropter convenit nos Christianos esse instructos, ac quotidie assiduam tentationum pugnam expectare, ne quis tam oscitanter & secure in utramvis (quod ajunt) aurem dormiat, quasi Diabolus procul à nobis absit, sed ubi ictus prævidendi & declinandi sunt, diligenter advigilet. Quippe quanquam modo purus & castus sim, sim etiam patiens, mitis & dulcis, stans firma fide munitus: fieri tamen potest, ut hac hora Diabolus tam pestifero & violento telo cor meum configat, ut vix queat persistere. Ejusmodi enim hostis est, qui nunquam cessat aut defatigatur,

Certamina piorum adversus Diaboli insidias.

ut,ubi tentationis procella impugnandi finem fecerit, ſubinde decem aliæ ſuboriantur. Quapropter in tanta difficultate non aliud relinquitur conſilium aut remedium, quam ad hanc orationem confugiendi, ac cum Deo ex corde ita loquendi: Tu me orare juſſiſti,optime pater, fac precor, ne victus tentationibus retro in antiquam flagitiorum lernam prolabar. Hoc facto, videbis,ac ſenties eas deſinere ac minui, easdemque victas herbam tibi porrecturas. Alioqui, ſi tuis cogitationibus & proprio conſilio tibi opem ferre anniſus fueris: rem malam tantum deteriorem facies, ac diabolo majorem te impugnandi occaſionem præbebis. Siquidem ſerpentinum caput habet, quod ubi foramen, per quod irrepere poterit, nactum fuerit, totum corpus nemine obſtante illico ſubſequitur: cæterum oratione fugari ac repelli poteſt.

ULTIMA PETITIO.

Sed libera nos à malo, Amen.

Petitio generalis petens liberationem ab omnibus miſeriis hujus vitæ, &c.

GRæci codices hoc loco ita habent, ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. Quæ verba perinde ſonare videntur, quaſi loquatur de diabolo, quaſi velit uno faſce omnia perſtringere, ut hujus orationis ſumma adverſus hoſtem noſtrum capitaliſſimum inſtituta ſit. Ille enim is eſt,qui ea omnia, quæ oramus, ſummo ſtudio impedire conatur, nempe Dei nomen ſeu gloriam, Dei regnum & voluntatem, panem quotidianum, pacatam & lætam conſcientiam, &c. Quamobrem hæc omnia ſummatim complectemur orantes: Chariſſime Pater, da precor,ut ab omni malo atque infortunio liberemur. Nihilo minus tamen ea quoque una incluſa ſunt,quæcunque mala ſub regno diaboli nobis poſſunt contingere, cujus generis ſunt egeſtas, dedecus, mors, & breviter omnium calamitatum & miſeriarum tragœdia,

Digitized by Google

gœdia, quæ in terris multiplex & immenſa eſt. Nam diabolus, cum non tantum mendax, verum etiam homicida ſit: nunquam non nobis inſidioſe necem machinatur, ut animo ſuo morem gerat, nobis in periculoſos caſus præcipitatis, aut damno corporis affectis. Inde fit, ut complures fracta cervice perimat, multos immiſſa inſania rationis uſu privet, nonnullos in undis ſubmerſos ſuffocet, ac multos ad mortem voluntariam ſibimet conſciſcendam adigat, aut alios quospiam caſus terribiles ſubire compellat. Quare nihil aliud in terris nobis ſupereſt operis, quam ut indeſinenter adverſus capitalem hunc hoſtem oremus. Niſi enim divinitus conſervaremur, ne unicam quidem horam ab inſidiis ejus tuti eſſemus.

Diabolus mendax & homicida.

Ex his jam dictis facile perſpicis, quomodo Deus pro omnibus rebus, etiam iis, quæ corporales ſunt, rogari poſtulat, ut nusquam alibi, quam apud eum unice ullum quæratur aut expectetur auxilium. Cæterum hoc ultimo loco poſuit. Si enim ab omnibus malis cuſtodiri & liberari cupimus: neceſſum eſt, ut antea nomen ejus in nobis ſanctificetur, regnum ejus penes nos ſit, voluntas ejus fiat. His, inquam, ante peractis, tum demum nos à peccatis, ab ignominia cuſtodiet, præterea ab omnibus aliis, quæ aut dolori aut pernicioſa nobis eſſe queant.

Chriſtus hic res petendas optimo ordine complexus eſt.

Ita nobis Deus omnes neceſſitates noſtras, quibus premimur, compendioſiſſime propoſuit, ne qua nobis relinqueretur negligendæ orationis excuſatio. Verum in hoc ſumma vis orationis ſita eſt, ut dicere quoque diſcamus Amen: hoc eſt, non hæſitare, orationem noſtram certo eſſe exauditam, & futurum eſſe, quod precati ſumus. Nihil enim aliud eſt, quam non hæſitantis fidei verbum, non orantis temere, ſed ſcientis, Deum non mentiri, poſteaquam audiendi facilitatem & certitudinem pollicitus eſt. Jam ubicunque talis

Amen vox fidei diſcernentis vere invocantes & hypocritas.

fides non est: hic neque veræ orationi locus esse potest. Quare pernicioſa quædam illorum est opinio ita orantium, ut non audeant Amen quoque ad finem orationis adjicere, hoc est, certo concludere, se exaudiri, verum in dubio perseverant dicentes: Qui vero tantum mihi sumerem, ut jactarem, Deum meas preces exaudiviſſe, cum me peccatorem esse non ignorem? &c. Hujus rei causa est, quod non ad promiſſionem Dei, sed ad opus proprium, suamque dignitatem respiciant. Unde fit, ut suis orationibus Deum tantum subsannent, & mendacii coarguant. Hinc quoque quamlibet prolixe orantes consequuntur nihil, quemadmodum divus Jacobus inquit: Qui orat, in fide oret, nihil hæsitans. Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento movetur & circumfertur. Non ergo existimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino. Ecce tanti refert, apud Deum, ut certi simus, nos non frustra orare, & ut nullo modo preces nostras vili pendamus.

Jacob. 1. 6.

QVARTA PARS CATECHISMI.

De Baptiſmo.

Doctrina de Sacramentis necessaria Ecclesiæ.

HActenus tres principales communis Christianæ doctrinæ partes executi sumus. Præter has supereſt, ut de duobus quoque Sacramentis ab ipso Christo institutis disseramus, de quibus cuivis Christiano ad minimum brevis quædam institutio tenenda est: quandoquidem his ignoratis, nemo Christianus esse potest, tametsi hactenus nihil prorsus recti, nihil sani de his traditum

est

est populo. Primum vero ipsum Baptismum tractandum nobis proponemus, per quem primitus in Christianorum communionem cooptamur. Ut vero recte percipiatur, ordine cuncta explicabimus, tantum ea traditurі, quæ cognitu erunt necessaria. Quomodo enim adversus hæreticos baptismus defendendus sit, hoc doctis relinquentes commendabimus.

Diabolus mendax & homicida.

Principio operæ pretium est ipsa verba exacte nosse, in quibus fundatus est Baptismus, & ad quæ omnia respiciunt, quæ de baptismo tractanda sunt, nempe ubi Christus inquit, Matthæi ultimo:

Euntes in mundum universum, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. *Matth. 28, 19.*

Item Marci ultimo:

Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. Qui vero non crediderit, condemnabitur. *Marc. 16, 16*

Autoritas mandati divini.

In his verbis primum tibi notandum & expendendum venit, hic extare Dei mandatum & institutionem, ne dubitemus, Baptismum rem divinam esse, non ab hominibus excogitatam aut inventam. Nam quemadmodum pro certo dicere possum, Decem præcepta, Symbolum fidei, Orationem Dominicam, nullum hominem è suo capite produxisse, sed ab ipso Deo data & manifestata esse: ita non minus vere jactare possum, Baptismum non esse humanæ rationis commentum, sed ab ipso Deo institutum, adhæc severe præceptum, ut nosmet baptizandos offeramus, aut non salvari nos posse: ne quis in eam cogitationem forte veniat, rem esse tam leviculam, ac rubeam novam tunicam induere. In hoc enim summa vis & virtus pendet, ut Baptismum veluti rem

præclaram ac pretioſam magni æſtimemus. De eo enim vel maxime pugnamus & dimicamus: ſiquidem jam mundus ita refertus eſt ſectis, vociferantibus, Baptiſmum eſſe rem externam, rem externam vero nullius eſſe uſus aut momenti. Verum pone, eſſe rem quomodocunque externam: hic autem extat Dei verbum & mandatum, quo baptiſmus inſtituitur, fundatur & confirmatur. Quidquid autem Deus inſtituit & faciendum præcipit, certe non rem nihili, ſed rem pretioſam & utilem eſſe, neceſſe eſt: tametſi quoad externam faciem ſtramineo culmo vilior eſſet. Potuimus hactenus per multa ſecula magnifacere Papam, literis ac bullis ſuis vaniſſimis diſtribuentem indulgentias, altaria aut templa confirmantem, tantum propter conceſſa ſigilla & literas. Quanto majore in precio atque exiſtimatione nobis baptiſmus habendus eſt, cujus ipſe Chriſtus autor extitit, quem ipſe præcepit, inſtituit, ac in cujus nomine adminiſtratur. Ita enim verba ſonant: Ite, & baptizate, ſed non in veſtro, verum in Dei nomine.

Baptizari in nomine Dei eſt ab ipſo Deo baptizari.

Siquidem baptizari in nomine Dei, non eſt ab hominibus, ſed ab ipſo Deo baptizari. Quapropter quanquam manu hominis adminiſtratur, revera tamen proprium Dei opus cenſendum & habendum eſt. Ex quo quivis haud difficulter poteſt colligere, Baptiſmi opus multo eſſe ſublimius & præſtantius, quam ullum opus factum ab ullo divorum, aut hominum. Quæ enim opera poſſunt eſſe, dicive majora, quam Dei opera? Sed enim hic omni ſtudio occupatus eſt diabolus, ut factitia quadam larva & facie nos decipiat, & à Dei opere ad noſtrum opus nos abducat. Multo enim ſplendidius & præclarius eſſe videtur, Carmelitam quempiam magna & laborioſa quædam facere opera, & nos ipſi multo majoris opera & merita noſtra, quam Dei æſtimamus. Verum ſcriptura ita docet, quanquam omnium monachorum opera, quantumvis nitentia, in unum con-

Collatio divinorum operum & humanorum.

fla-

flata cumularentur, neque tamen tam precioſa habenda forent, quam ſi Deus tantum ſtipulam humo ſuſtulerit. Quid ita? Propterea, quod perſona nobilior eſt, atque excellentior. Jam vero hoc loco perſona nequaquam juxta opera, verum opera juxta perſonam æſtimanda ſunt, à qua dignitatem mutuantur, & precium. Verum hic inſana ratio perverſe, ac præpoſtere judicans ita exiſtimat, cum non perinde ſplendidam faciem baptiſmus præ ſe ferre ſoleat, atque opera, quæ ipſa facit, nullius etiam momenti eſſe Baptiſmum.

Definitio Baptiſmi.

Ex his jam memoratis ſanum intellectum percipe, atque interrogatus, quid Baptiſmus ſit? Ita reſponde: Non eſſe prorſus aquam ſimplicem, ſed ejusmodi, quæ verbo & præcepto Dei comprehenſa, & illi incluſa ſit, & per hoc ſanctificata ita ut nihil aliud ſit, quam DEI ſeu divina aqua, non quod aqua hæc per ſeſe quavis alia ſit præſtantior, ſed quod ei verbum ac præceptum Dei acceſſerit. Quocirca mera ſycophantia eſt, & diaboli illuſio, quod hodie noſtri novi ſpiritus, ut blaſphement & contumelia afficiant Baptiſmum, verbum & inſtitutionem Dei ab eo divellunt, nec aliter intuentur eum, quam aquam è puteo hauſtam, ac deinceps ita blaſphemo ore blaterant: Quid vero utilitatis manus aquæ plena præſtaret animæ? Quis vero adeo vecors & inops animi eſt, qui hoc ignoret, divulſis Baptiſmi partibus, aquam eſſe aquam? Qua vero fronte tu tibi tantum ſumis, ut non verearis ab ordinatione Dei precioſiſſimum κειμήλιον avellere, quo Deus illam conſtrinxit & incluſit, neque inde divelli vult aut ſejungi? Quippe verbum Dei, aut præceptum, item nomen Dei, in aqua ipſe ſolet eſſe nucleus, qui theſaurus ipſo cœlo & terra omnibus modis nobilior eſt & præſtantior.

Anabaptiſtæ.

Sacramentum conſtat verbo & ſigno, quæ in uſu non debent dividi.

Ad hunc ergo modum ita diſcerne, longe aliam rem eſſe baptiſmum, atque omnes alias aquas: non naturalis eſſentiæ gratia, ſed quod huic aliquid præſtantioris rei

In ceremoniis divinis non opus ſine ver-

bo, ſid una cum verbo Dei conſiderandum.

adjungitur. Ipſe enim Deus Baptiſmum ſuo honeſtat nomine, ſuaque virtute confirmat. Eam ob rem non tantum naturalis aqua, ſed etiam divina, cœleſtis, ſancta & ſalutifera aqua, quocunque alio laudis titulo nobilitari poteſt, habenda & dicenda eſt: hocque non niſi verbi gratia, quod cœleſte ac ſanctum verbum eſt, neque à quoquam ſatis ampliter, digne, & cumulate laudari poteſt: Siquidem omnē Dei virtutem & potentiam in ſe habet comprehenſam. Inde quoque Baptiſmus ſuam accipit eſſentiam, ut Sacramenti appellationem mereatur, quemadmodum ſanctus etiam docet Auguſtinus: Accedit, inquit, verbum ad elementum, & fit Sacramentum, hoc eſt, res ſancta atque divina.

Dictum Auguſtini.

Quocirca nunquam non docemus, Sacramenta & omnes res externas, à Deo ordinatas & inſtitutas, non iptuendas eſſe, juxta craſſam illam & externam larvam, veluti nucis putamina intuemur, ſed quemadmodum hiſce verbum Dei incluſum ſit. Neque ſecus de parentum ſtatu & Magiſtratibus loquimur, quos ſi eatenus intueri volumus, quatenus nares, oculos, aures, cutem, pilos, carnem & oſſa habeant, tum Turcis & Gentilibus ſunt ſimiles. Ac aliquis dicere poſſet: Cur hos majoris facerem, quam alios? Atqui accedente præcepto: Honora patrem tuum & matrem tuam, alium virum video, divina majeſtate & gloria indutum & exornatum. Præceptum, inquam, aureus ille torques eſt, quem collo circumfert, imo potius corona in capite, indicans, quomodo & quam ob rem hæc caro & ſanguis honorandi ſint. Ita quoque ac multo quidem vehementius Baptiſmo honor habendus eſt propter verbum, quippe quem ipſe Deus & verbo & facto honoravit, adhæc miraculis cœlitus oſtenſis confirmavit. Num enim putas rem fuiſſe jocularem, cum Chriſtus ſemetipſum Johanni baptizandum offerret, cœlum ſimul aperiretur, & Spiritus Sanctus propalam è

Revelatio divinitatis in Baptiſmo Chriſti facta.

cœlo

cœlo columbina ſpecie deſcenderet, nec quicquam aliud adeſſet, quod non certiſſimis documentis divinam majeſtatem & gloriam repræſentaret? Quare iterum atque iterum repetens moneo, ne hæc duo, verbum & aquam, ullo modo disjungi atque divelli patiamur. Separato enim inde verbo, non alia eſt aqua, atque illa, qua in culina ad elixandas carnes culinæ præfecta utitur, poteſtque non male balneatorum dici Baptiſmus. Cæterum conjuncto verbo, ſicut Chriſtus ordinavit & inſtituit, tum Sacramentum eſt, ac Chriſti Baptiſmus dicitur. Et hæc prima hujus inſtitutionis pars ſit de eſſentia & dignitate hujus Sacramenti.

Quando cæremonia habeat rationem Sacramenti.

Deinde, poſteaquam certi ſumus, quid ſit Baptiſmus, & quid de eo ſentiendum: etiam illud nobis diſcendum venit, quam ob rem, & in quem uſum, Baptiſmi ratio inſtituta ſit, hoc eſt, quid utilitatis baptizatis adferat, conferat & pariat? Verum neque hoc melius atque compertius, quam ex verbis Chriſti ſupra citatis ſciri poteſt ac percipi, nimirum: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit. Quare rei ſummam ita ſimpliciſſime complectere, hanc videlicet Baptiſmi virtutem, opus, fructum, & finem eſſe, ut homines ſalvos faciat. Nemo enim in hoc baptizatur, ut princeps evadat, verum ſicut verba ſonant, ut ſalvus fiat. Cæterum ſalvum fieri ſcimus nihil aliud eſſe, quam à peccati, mortis & diaboli tyrannide liberari, in Chriſti regnum deferri, ac cum eo immortalem vitam agere. Ex hoc iterum non obſcure perſpicis, quanti momenti ac pretii Baptiſmus habendus ſit, in quo tam inæſtimabilem, tamque ineffabilem theſaurum conſequimur. Atque hoc ipſum ſufficienter indicat, Baptiſmum ſolam ac ſimplicem aquam eſſe non poſſe. Ejus enim virtutis ſimplex aqua eſſe non poteſt, verum enimvero Dei verbum facit, tum quod (ut ſupra diximus) DEI nomen in illo ſit. Jam ubicunque Dei nomen eſt:

Effectus Baptiſmi remiſſio peccatorum, & donatio ſpiritus S.

Salvum fieri quid ſit?

ibi

ibi vitam quoque & ſummam felicitatem eſſe neceſſe eſt, ut non injuria, divina, beata, fructuoſa, & omnis gratiæ plena aqua dici poſſit. Etenim verbi divini acceſſione eam virtutem conſequitur, ut λοῦτρον παλιγγενεσίας, lavacrum regenerationis ſit, ſicuti nominat Paulus ad Titum tertio.

Tit. 3, 5.

Quod autem naſutuli noſtri μωροσόφοι, novi illi ſpiritus, ſuperciliose admodum fabulantur, fidem ſolam eſſe, quæ ſalvos faciat, opera vero & res æternas ad ſalutem conſequendam, nihil præſtare aut facere, Reſpondeo. Sane in nobis nihil aliud facere aut operari ſalutem, quam fidem, qua de re mox infra latius.

Ad Anabaptiſtarum objectionem reſponſio.

Atqui hoc cœcorum duces videre nolunt, fidem neceſſario aliquid habere, quod credat, hoc eſt, cui innitatur, & qua re ſuffulta perſiſtat. Ita jam fides aquæ adhæret, creditque Baptiſmum eſſe, in quo mera beatitudo & vita eſt: non aquæ virtute, (ut abunde dictum eſt) ſed per hoc, quod Baptismus verbo & ordinatione divina unitus & confirmatus eſt, ejusque nomine nobilitatus. Jam hæc credens, quid aliud quam in Deum credo, ut in eum, qui ſuum verbum Baptiſmo indidit & inſeruit, ac nobis externas res proponit, in quibus tantarum rerum theſaurum comprehendere queamus?

Sacramenta ſunt ſpectacula ſeu teſtimonia promiſſionibus addita, ut certius credamus.

Jam usque adeo inſaniunt novi illi Spiritus, ut disjungere non vereantur fidem, & rem, cui fides adhæreſcit & alligata eſt, tametſi externa ſit. Verum hæc non poteſt non externa eſſe, ut ſenſibus percipi & comprehendi poſſit, atque ita deinceps animo infigi, quemadmodum totum Evangelium externa quædam & corporalis eſt prædicatio. In ſumma, quidquid Deus in nobis facit & operatur, tantum externis iſtiusmodi rebus & conſtitutionibus operari dignatur. Ubicunque jam loquitur, imo potius quocunque aut per quemcunque locutus fuerit, eo fidei dirigendi ſunt oculi, eique adhærendum. Jam hic verbum Dei in promtu habemus:

Qui

Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit. Quorſum iſta verba alias, quam de Baptiſmo dicta ſunt, hoc eſt, de aqua divino ordine fundata & confirmata? Ex hoc ſequitur, ut is, qui Baptiſmum contemnit & rejicit, verbum Dei, fidem & Chriſtum quoque rejiciat, eo nos ducentem & Baptiſmo alligantem.

Quibus proſit Baptiſmus.

Tertio, cognita jam ingenti cum virtute, tum utilitate Baptiſmi, videamus ulterius, quæ perſona ſit talia accipiens, quæ per baptiſmum offeruntur. Hoc iterum pulcherrime & clariſſime in his verbis expreſſum eſt: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit. Hoc eſt; ſola fides perſonam dignam facit, ut hanc ſalutarem & divinam aquam utiliter ſuſcipiat. Cum enim hoc in verbis una cum aqua nobis offeratur & proponatur, non alia ratione poteſt ſuſcipi, quam ut hoc ex animo credamus. Citra fidem nihil prodeſt Baptiſmus, tametſi per ſeſe cœleſtis & inæſtimabilis theſaurus eſſe negari non poſſit. Ideo unicum illud verbum (qui crediderit) tantum poteſt, ut excludat atque rejiciat omnia opera, quæcunque facere poterimus hoc animo, ut per ea ſalutem conſequamur & promereamur. Jam enim ita irrevocabiliter decretum eſt, quidquid fides non eſt, illud ad conſequendam ſalutem nihil profuturum, neque tantillum conſecuturum.

Aliud argumentum adverſariorum.

Quod ſi, ut ſolent, dixerint: Tamen ipſe quoque Baptiſmus opus eſt, & tu dicis, opera ad ſalutem conſequendam nullius eſſe momenti, ubi tunc manet fides? Reſponde. Sane vero noſtra opera ad ſalutem nihil faciunt: porro autem Baptiſmus non noſtrum, ſed Dei opus eſt. Dei enim Baptiſmus, ut dictum eſt, longe lateque à balneatoris Baptiſmo tibi ſecernendus eſt. Dei autem opera ſalutifera ſunt, & ad ſalutem conſequendam neceſſaria, neque excludunt, ſed fidem requirunt, citra quam comprehendi non poſſent. Eo enim, quod te aqua perfundi ſinis, Baptiſmum nondum percepiſti

cepiſti aut ſervaſti, ut inde aliquid emolumenti ad te redeat. Verum inde primum tibi proderit, ſi hoc conſilio temet baptizandum obtuleris, ut Dei mandato & inſtitutioni ſatisfacias, ut in nomine Domini baptizatus promiſſam in aqua ſalutem conſequaris. Jam hoc neque manus neque corpus efficere poteſt, ſed corde credendum eſt. Ita vides liquido, hic nullum eſſe opus, quod à nobis fiat, ſed theſaurum, quem ille nobis largitur, ſola fides apprehendit : Non ſecus atque Dominus Jeſus in cruce nullum opus eſt, ſed theſaurus verbo comprehenſus, nobisque oblatus, quem ſola fides apprehendit & conſequitur. Injuriam itaque nobis faciunt, cum adverſus nos vociferantur, quaſi contra fidem doceamus, cum tamen unice illam urgeamus & inculcemus, ut quæ tam ſit neceſſaria, ut ſine illa nihil quicquam poſſimus apprehendere aut conſequi.

Mandatum : Ite & baptizate.

Ita quidem habemus tres hujus Sacramenti partes, quas quivis Chriſtianus tenere debet, præcipue vero, quod baptiſmus Dei ſit conſtitutio, in omni honore ac pretio habenda. Quæ una abunde ſatis nos movere debet, tametſi res prorſus ſit externa. Quemadmodum quartum præceptum : Honora patrem tuum & matrem tuam, tantum de corporali carne & ſanguine honorandis conſtitutum eſt, in quo non carnem & ſanguinem, ſed Dei præceptum intuemur, cui illa incluſa ſunt, cujusque gratia, caro & ſanguis pater ac mater dicuntur. Ita quoque ſi præter hæc verba : Ite & baptizate, &c. nihil nobis eſſet aliud, attamen nobis illa, ut Dei conſtitutio, arripienda eſſent & facienda. Jam hic non tantum adeſt præceptum & mandatum faciendi, verum etiam promiſſio. Quare multo præſtantior eſt, atque ſublimior baptiſmi conſtitutio, quam alia, quæ à Deo præcepta & ordinata ſunt. In ſumma, adeo plena eſt conſolationis & gratiæ, ut ejus ſublimitatem cœlum ac terra aſſequi nequeant. Verum hic arte

Promiſſio : Qui crediderit & baptizatus fuerit.

opus

opus eſt, ut hæc vera eſſe credantur, neque in theſauro quicquam deſiderari poteſt, in hoc vis ſita eſt, ut comprehendatur, & comprehenſus firmiter retineatur.

Aſſiduus Baptismi uſus in omni vita.

Quapropter quivis Chriſtianus per omnem vitam ſuam abunde ſatis habet, ut baptiſmum recte perdiſcat, atque exerceat. Sat enim habet negotii, ut credat firmiter, quæcunque Baptismo promittuntur, & offeruntur, victoriam nempe mortis ac Diaboli, remiſſionem peccatorum, gratiam Dei, Chriſtum cum omnibus ſuis operibus, & Spiritum Sanctum cum omnibus ſuis dotibus. Breviter iſta omnia, quæ Baptiſmus ſecum apportat, omnem humanam cogitationem exuperant, ita ut ſi imbecilla natura animo repeteret, non injuria in dubium veniret, num vera eſſe poſſint. Ipſe enim æſtima: Quod ſi uspiam gentium eſſet medicus ea arte præditus, qua poſſet efficere, ne homines morerentur, aut ſi mortem oppeterent, poſtea tamen perpetuo viverent, quam non ad eundem maximi minimique certatim & undarum inſtar multis cum opibus curſitarent, ita ut præ divitum turba nulla daretur accedendi copia? Jam hic in Baptiſmo parvis & amplis, hoc eſt, omnibus gratuito ad fores usque offertur ejusmodi theſaurus & medicina, quæ mortem abſorbet, ac homines in vita conſervat. Ita Baptismus intuendus eſt, & nobis fructuoſus faciendus, ut hoc freti corroboremur & confirmemur, quoties peccatis aut conſcientia gravamur, ut dicamus: Ego tamen baptizatus ſum: quod ſi baptizatus, certum eſt, ea promiſſa mihi data eſſe, me beatum fore, ac vitam immortalem & anima & corpore poſſeſſurum. Ideo enim hæc duo in baptiſmo fiunt, ut & corpus aqua perfundatur, quod prætet aquam nihil plus poteſt capere, & ad hoc verba proferuntur, ut hæc anima capiat. Jam vero quoniam & aquam & verba unum Baptiſmum eſſe conſtat, ſequitur ut & corpus & anima ſalva fiant, ac in æternum vivant.

Anima

Anima quidem per verbum, cui credit : corpus autem, quoniam animæ unitum est, & Baptismum quoque apprehendit, qua ratione potest apprehendere. Quare neque in anima, neque in corpore uspiam rem precioſiorem habemus : ſiquidem Baptiſmi auxilio prorſus ſancti ac felices reddimur, id quod alioqui nulla vita, nullum uspiam opus poteſt aſſequi.

De Baptiſmo infantum.

Hæc quidem de Baptiſmi eſſentia, utilitate & uſu, quæcunque ſcitu erant neceſſaria, dicta ſufficiant. Hoc vero loco occurrit quæſtio, qua hodie diabolus per ſectas ſuas mundum varie illaqueat, nempe de puerorum baptiſmo, num illi quoque credant, aut recte baptizentur. Ad hanc nos ita breviter reſpondemus : qui ſimplici intelligentia præditus eſt, ille hanc quæſtionem indiſcuſſam à ſe removeat, ac doctoribus diſcutiendam relinquat. Quod ſi tamen reſpondere volueris, ita reſponde : Puerorum Baptiſmum Chriſto placere & gratum eſſe, ſuo ipſius opere abunde oſtenditur, nempe, quod DEUS illorum non paucos ſanctificavit, eosdemque Spiritu Sancto impertivit, qui ſtatim à partu infantes baptizati ſunt. Sunt etiam hodie non parum multi, quos certis indiciis animadvertimus Spiritum Sanctum habere, cum doctrinæ eorum, tum etiam vitæ nomine : Sicut & nobis gratia Dei datum & conceſſum eſt, noſſe ſcripturas interpretari, & Chriſtum cognoſcere, quod citra Spiritum Sanctum nullo modo fieri poſſe, nemo dubitat. At ſi puerorum Baptiſmus Chriſto non probaretur : nulli horum Spiritum Sanctum, aut ne particulam quidem ejus impertiret, atque ut ſummatim, quod ſentio, eloquar, per tot ſecula, quæ ad hunc usque diem elapſa ſunt, nullus hominum Chriſtianus perhibendus eſſet. Quoniam vero Deus Baptiſmum ſui ſancti Spiritus donatione confirmat, id quod in nonnullis Patribus, divo Bernhardo, Gerſone, Johanne Huſs, & in aliis, non obſcuris argumentis intel-

Sentire infantes baptizandos.

Prior reſponſio.

Digitized by Google

telligitur, neque ſancta Chriſtianorum Eccleſia usque ad conſummationem ſeculi interibit: fateri coguntur, Deo baptiſmum non diſplicere. Neque enim ſibi ipſe poteſt eſſe contrarius, aut mendaciis & nequitiæ ſuffragari, neque huic promovendæ gratiam ſuam, ac Spiritum ſuum impertire. Et hæc fere optima & firmiſſima eſt pro ſimplicibus & indoctis comprobatio. Neque enim hunc articulum: Credo Eccleſiam Catholicam, communionem ſanctorum, &c. nobis eripient aut ſubvertent unquam.

Deinde hoc quoque dicimus, nobis non ſummam vim in hoc ſitam eſſe, num ille, qui baptizatur, credat nec ne: per hoc enim baptiſmo nihil detrahitur. Verum ſumma rei in verbo & præcepto Dei conſiſtit. Hoc quidem aliquanto eſt acutius, veruntamen in hoc totum verſatur, quod dixi, Baptiſmum nihil aliud eſſe, quam aquam & verbum Dei ſimul juncta: hoc eſt, accedente aquæ verbo, Baptismus rectus habendus eſt, etiam non accedente fide. Neque enim fides mea facit Baptiſmum, ſed Baptiſmum percipit & apprehendit. Jam Baptiſmus non vitiatur aut corrumpitur, hominibus eo abutentibus, aut non recte ſuſcipientibus, qui (ut dictum eſt) non fidei noſtræ, ſed verbo Dei alligatus eſt. Nam quanquam hodierno die Judæus quispiam fraudulenta quapiam ſimulatione, & malitioſo propoſito veniret, ſe baptizandum offerens, nosque eundem ſerio omni ſtudio baptizaremus, nihilominus nobis dicendum eſſet, Baptiſmum verum & rectum eſſe. Hic enim aqua una cum verbo Dei præſto eſt, tametſi ille non recto animo, ut debebat, ſuſceperit: ſicut illi, qui indigne ad cœnam Domini accedunt, verum corpus Domini accipiunt, quanquam non crediderint.

Posterior Respons.

Exempla.

Ita vides Rottenſium βαπτισμομαχίαν objectionem vanam eſſe, & nullius roboris. Nam quemadmodum diximus, quamquam pueri non crederent,

quod nullo modo affirmandum eſt, (ut jam oſtenſum eſt) tamen baptiſmus verus eſſet, neque quiſpiam eos rebaptizare debet: veluti Sacramento nihil detrahitur, tametſi aliquis ad ejus participationem improbo animo accedit: neque ferendum eſſet, ut eadem hora propter priorem abuſum ad ſumendum accedat denuo, quaſi initio verum Sacramentum non percepiſſet. Hoc enim eſſet ſumma contumelia & ignominia Sacramentum affic[illegible]e. Qua vero ratione, verbum & inſtitutio Dei propterea irrita eſſe debebunt, quia nos non recte utimur? Propterea dico, ſi non recte credidiſti prius, tamen adhuc crede, atque ita dicas: Baptiſmus quidem rectus fuit, ego vero miſer eundem non recte ſuſcepi. Nam ego ipſe quoque, & omnes alii, qui baptizantur, coram Deo ita coguntur dicere: Venio huc in mea & aliorum fide, neque tamen aſſeveranter affirmare audeo, me certo credere, & multi pro me precantur, ſed huic fidens innitor, quod hoc verbum & præceptum tuum ſit. Quemadmodum ad cœnam corporis & ſanguinis Domini accedo, non mea fide, ſed Chriſti verbo fretus, ſive jam firmo, ſive infirmo ſim animo, illud ego DEO meo commendo. Hoc tamen comperte teneo, quod juſſu Dei mihi accedendum, edendum & bibendum eſt &c. quodque mihi ſuum corpus & ſanguinem donat, quæ res nunquam mihi mentietur, aut me decipiet. Ad hunc modum cum puerorum Baptiſmo quoque facimus, puerum Eccleſiæ miniſtro baptizandum apportamus, hac ſpe atque animo, quod certo credat, & precamur, ut Deus eum fide donet, verum propterea non haptizamus, ſed potius quod Deus ita faciendum nobis præceperit. Cur ita? ideo quod certi ſimus, Deum non mentiri. Ego & proximus meus, & in ſumma, omnes homines errare poſſunt & fallere, porro autem verbum Dei nec poteſt errare nec fallere.

Collatio ritus Baptiſmi & cœnæ Dominicæ.

Refutatio ratiocinatio-

Quocirca nimium utique confidentes & craſſi ſunt ſpiritus illi, qui ita concludentes inferunt: Ubi fides non

non eſt, ibi nec Baptiſmus rectus eſſe poteſt. Quaſi ita velim concludere, ſi fidem non habuero, ſequitur Chriſtum nihil eſſe. Aut ſic: ſi majorum juſſis morem non geſſero, nec parentes nec magiſtratus quicquam ſunt. Recténe ac bene colligitur, ubi quis non facit, quod illi faciendum fuerat, propterea ſequi, rem per ſe nihil eſſe aut valere? Quin potius argumentum inverte, atque ita collige. Sane ob id ipſum Baptiſmus quantivis pretii & rectus habendus eſt, quod non recte ab hominibus ſuſceptus eſt. Si enim per ſe Baptiſmus rectus non eſſet, eo nullo modo poſſemus abuti, aut abutendo delinquere. Abuſus non tollit, ſed confirmat ſubſtantiam, vulgo dici ſolet. Siquidem aurum nihilominus manet aurum, quantumvis illud meretricula cum ſcelere & dedecore geſtet ac circumferat. *nis Anabaptiſtica.*

Quare tandem ſemel concluſum eſto, Baptiſmum omni tempore rectum eſſe, ac plenam permanere ejus ſubſtantiam, etiamſi vel unus hominum baptizaretur, neque tamen recte crederet. Neque enim id, quod ſemel Deus ordinavit & locutus eſt, ab hominibus mutari ſinit aut perverti. Verum enimvero usq; adeo excæcati ſunt fanatici illi ſpiritus, ut Dei præceptum ac verbum perſpicere nequeant: neque Baptiſmum & Magiſtratus aliter intuentur, atque aquam in fluviis ac colla, aut alium quempiam hominem: & cum nullam fidem aut obedientiam videant, & baptiſmus & Magiſtratus nihil eſſe cogitur. Hic vero clandeſtinus & ſeditioſus latitat Diabolus, qui perlubenter coronam magiſtratui eriperet, ut deinceps oppreſſus conculcaretur pedibus, adhæc omnia Dei opera & ordinationes redactæ in nihilum ſubverterentur funditus. Ideo nobis advigilandum eſt naviter omni panoplia inſtructis, ne à verbo Dei divelli & abſtrahi nos patiamur, ut baptiſmū non nudū & ſolum ſignum eſſe credamꝰ, quemadmodū noſtri ſpermologi ſeu Schvvermeri ſomniant.

De significatione & fine Baptismi.

Ultimo, neque illud prætereundum aut ignorandum est, quid baptismo significetur, tum quam ob rem Deus talibus externis signis & gestibus hoc Sacramentum celebrandum instituerit, per quod primum in Christianorum communionem cooptamur. Opus vero aut gestus est, quod baptizandi in aquam mergimur, qua prorsus contegimur, & postea mersi iterum extrahimur. Hæ duæ res, in aquam mergi, & iterum emergere, virtutem & opus baptismi significant, quæ non sunt alia, quam veteris Adami mortificatio, & postea novi hominis resurrectio. Quæ duo per omnem vitam nobis indesinenter exercenda sunt: ita ut Christiani vita nihil aliud sit, quam quotidianus quidam Baptismus semel quidem inceptus, sed qui semper exercendus sit. Ita enim fieri necesse est, ut subinde veteris Adami sordes repurgentur atque eluantur, ut novi hominis nitor & forma prodeat. Quid autem est vetus homo? hoc nimirum est, quod ab Adamo patre nostro nobis successione quadam hæreditaria innatum est, scilicet quod sumus iracundi, immites, invidi, luxuriosi, avari, pigri, superbi, increduli, breviter; omnibus vitiis contaminati, & in quibus natura nihil boni inest. Jam in Christi regnum delati, hisce vitiis quotidie decrescendum est, ut subinde magis atque magis mitiores, liberaliores, patientiores, mansuetiores fiamus, semper aliquid avaritiæ, odio, invidentiæ, superbiæ, atque id genus vitiis detrahentes.

Ritus ipse pingit præcipuam significationem.

Vetus homo.

Mortificatio carnis.

Et hic est rectus Baptismi usus inter Christianos, per aquæ mersionem significatus. Cæterum ubi baptismi exercitium non viget, sed Adamo veteri habenæ laxantur, ut indies fiat ferocior: hoc non dicitur uti Baptismo, sed eidem reluctari. Qui enim extra Christum sunt, non possunt non quotidie in pejus degenerare, sicut & vulgato, eoque vero dicitur proverbio: Nunquam non deteriores, quo seniores, eo pejores (imi-

mer

mer ie ärger/ ie länger, ie böſer.) Quod ſi quis anno ſuperiore nonnihil cœpit faſtu inſoleſcere, & ad rem attentus eſſe: ille mox anno ſequente multo fit inſolentior, & ad rem attentior, ita ut vitia ab incunabulis cum eo certis quibusdam incrementis progrediantur. Infans puer nullis ſingularibus vitiis infectus eſt: ſed ubi adoleverit, immodeſtæ, intemperantis, & laſcivæ vitæ inquinamentis contaminatur: mox conſtantem ac virilem ætatem conſecutus, tum demum magis atque magis vera illa vitiorum ſeges erumpit. Quare vetus homo naturam ſuam nemine obſtante ſequitur, ſi non baptiſmi virtute coercitus & refrenatus fuerit. Contra, ubicunque Chriſtiani facti ſunt, decreſcit quotidie ac imminuitur, donec prorſus abolitus fuerit: Et hoc eſt vere in baptiſmo mergi, & iterum quotidie emergere. Itaque hoc conſilio externum ſignum nobis propoſitum eſt, non tantum, ut efficaciter operetur, verum etiam, ut aliquid ſignificet. Jam ubicunque fides fructibus fœcunda viget, hic baptiſmus non tantum inanem ſignificationem repræſentat, ſed mortificandæ carnis opera conjuncta habet. Porro autem abſente fide, nudum & inefficax ſignum tantummodo permanet. *Germanicum proverbium.*

Ex his jam clare vides, baptiſmum æque & virtute & ſignificatione ſua tertium quoque Sacramentum comprehendere, quo pœnitentiam appellare conſueverunt, quæ proprie nihil aliud eſt, quam baptiſmus, aut ejus exercitium. Quid enim pœnitentia dici poteſt aliud, quam veterem hominem magno adoriri animo, ut ejus concupiſcentiæ coerceantur, ac novam vitam amplecti? Quare vivens in pœnitentia, in Baptiſmo verſaris, hanc novam vitam non ſolum ſignificante, verum etiam operante, incipiente, & exercente. In hoc enim baptizatis datur & gratia & Spiritus & virtus veterem hominem compeſcendi, ut novus prodeat ac confirmetur. Hinc baptiſmus ſemper ſubſiſtit: & quanquam *Ceremonia ſine fide accipientis otioſa.*

aliquis ab eo peccatorum procellis abreptus excidat, nobis tamen ſubinde ad eum regreſſus patet, ut veterem hominem reſipiſcentiæ jugo iterum ſubjiciamus. Verum, ut iterum aqua perfundamur, non eſt neceſſe. Nam etſi centies in aquam mergeremur, non tamen niſi unus Baptiſmus eſt. Cæterum opus & ſignificatio durat & permanet. Ita reſipiſcentia aut pœnitentia nihil aliud eſt, quam regreſſus quidam & reditus ad Baptiſmum, ut illud iterum petatur & exerceatur, quod ante quidem inceptum, & tamen negligentia intermiſſum.

Non eſſe repetendam baptiſmi ceremoniam.

Hæc ideo à me dicuntur, ne in eam veniamus opinionem, in qua permultos jam annos fuimus, opinati, Baptiſmum jam completum eſſe, ut eo amplius uti nequeamus, poſteaquam iterum in peccata prolapſi ſumus. Cujus rei cauſa extitit, quod eundem ulterius non ſimus intuiti, niſi ſecundum externum opus, quod ſemel factum atque completum eſt. Atque hoc inde quoque evenit, quod divus Hieronymus ſcriptum reliquit: Pœnitentiam ſecundam eſſe tabulam, qua nobis ex hujus mundi pelago natandum & trajiciendum eſt, fracta jam navi, in quam tranſcendimus atque trajicimus, delati in Chriſtianitatem. Sed hiſce verbis baptiſmi uſum Hieronymus nobis ſuſtulit, ut nobis amplius utilis eſſe nequeat. Quamobrem nequaquam recte docuit: neque enim navis frangitur, quando (ut diximus) Dei ordo ſeu conſtitutio, & non noſtrum opus eſt. Illud vero non raro fieri ſolet, ut labentes excidamus: Jam ſi quis exciderit, ille det operam, ut iterum adnatet, huicque adhæreſcat, donec iterum in navem recipiatur, inque ea iterum perinde verſetur, ut primum inceperat.

Signum ſemel acceptum eſt perpetua nota, & perpetuum teſtamentum.

Hieronymi error.

Ita jam liquido omnibus compertum eſſe arbitror, quam præclara ac mirifica res ſit Baptiſmus, eripiens nos à rictu Diabolico, Deum nobis proprium faciens, peccatum opprimens & auferens, deinde in dies ſingulo

gulos novum hominem fortificans, ſemper etiam durans & permanens, donec ex hoc exilio erepti, ad immortalem gloriam migraverimus. Eam ob rem cuique baptiſmus ita habendus eſt, ut amictus quotidianus, quo indutus ſemper debet incedere, ut nunquam non in fide, ejusque fructibus inveniatur, ut coercitis veteris hominis concupiſcentiis, in novo adoleſcat. Si enim Chriſtiani perhiberi contendimus, Baptiſmi opus ſedulo nobis exercendum eſt, unde Chriſtiani appellationem promeremur. Si quis autem exciderit, ille accedat viciſſim. Nam quemadmodum Chriſtus omnis gratiæ & miſericordiæ ſedes non cedit, neque obſtat nobis prohibens iterum ad ſeſe accedere, quanquam peccantes hallucinemur: ita quoque univerſorum bonorum ſuorum & donorum theſaurus inconcuſſus permanet. Jam quemadmodum ſemel in Baptiſmo peccatorum condonationem aſſecuti ſumus, ita ea adhuc quotidie permanet, quamdiu vivimus, hoc eſt, donec in terris veterem hominem collo circumferimus.

Baptiſmus quam doctrinam & conſolationem afferat.

DE SACRAMENTO ALTARIS.

QUemadmodum hactenus de baptiſmo diſſeruimus, ita jam nobis deinceps de ſecundo quoque Sacramento diſſerendum eſt, nempe de his tribus partibus, quid ſit, quid utilitatis adferat ſumentibus, inſuper quibus fruendum aut ſumendum ſit. Atque hæc omnia ipſius ſcripturæ verbis confirmata comprobabimus, quibus à Chriſto jam inde ab initio inſtitutum eſt. Hæc equidem cuivis Chriſtiano cognoſcenda ſunt, qui quidem Chriſtianus

Tres præcipuæ quæſtiones de Cœna Domini.

Aug. Conf. 12.
Apol. 157.
Art. Sm. 330.
Cat. Min. 380.
Cat. Maj. 402.
Epit. 197.
Decl. 724.

esse contendit,& hujus Sacramenti cupit esse particeps. Neque enim nobis est animus posthac admittendi quemlibet, aut quibuslibet illud administrandi, ignorantibus,quid hic quærant,aut quam ob rem accedant. Cæterum verba hæc sunt:

Verba cœnæ Dominicæ.

Dominus noster Jesus Christus,in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit & dixit: Accipite & manducate. Hoc est corpus meum,quod pro vobis traditur: Hoc facite in mei commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnavit, cum gratias egisset, dedit illis,dicens: Hic calix N. T. est in meo sanguine,qui pro vobis & multis effunditur, in remissionem peccatorum: Hoc facite, quotiescunque biberitis, in mei commemorationem.

Principio nequaquam decretum est nobis hic cum quoquam pedem conferre,aut contentionis gratia cum hujus Sacramenti detestandis blasphematoribus suscepto bello in arenam descendere: Verum sub initium potius discere, qua in re hujus Sacramenti vis & virtus (ut in Baptismo fecimus) omnis sita sit, nimirum, ut sciamus caput & nervum in hoc esse Dei verbum,ordinem & mandatum. Neque enim à quoquam homine excogitatum aut inventum, sed citra cujusvis consiliũ & deliberationem ab ipso Christo institutum est. Quapropter sicut decem præcepta, Oratio Dominica, fidei confessio,suam dignitatem obtinent, tametsi ea in perpetuum nunquam servaveris, oraveris, neque credideris: ita quoque hoc venerabile Sacramentum, salvum ac inviolatum permanet,ut nihil illi detrahatur,quamlibet

libet nos illo indigne abutamur. Quid putas, Deo noſtra opera aut fidem adeo curæ eſſe, ut eam ob rem ſuum ordinem aut inſtitutionem immutari patiatur? Videmus enim, in omnibus mundanis rebus eum perpetuo tenorem conſiſtere & ordinem perdurare, quem Deus ſemel rebus creandis præſcripſit & inſtituit, quacunque tandem ratione illis utamur, aut res creatas exerceamus. Hæc quidem vulgo ſemper ac ſedulo inculcanda ſunt, iis enim omnium ſeditioſorum Spirituum næniæ & gerræ illico labefactantur & ſubvertuntur. Illi enim Sacramenta extra Dei verbum intuentur, ut rem à nobis factam.

Quid eſt itaque Sacramentum altaris? Reſponſio: Eſt verum corpus & ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti, in & ſub pane & vino, per verbum Chriſti, nobis Chriſtianis ad manducandum & bibendum inſtitutum & mandatum. Et ſicut de baptiſmo diximus, non ſimplicem eum eſſe aquam: ita quoque hic dicimus, hoc Sacramentum panem & vinum eſſe, ſed non ſimpliciter panem & vinum eſſe, quæ proponuntur diſcumpentibus, ſed panem & vinum Dei verbo incluſa, & huic alligata. Verbum, inquam, illud eſt, quo hoc Sacramentum fit atque diſcernitur, ne tantum ſimpliciter vinum & aqua, ſed Chriſti corpus & ſanguis ſit ac dicatur. Nos enim Auguſtini verbis ſubſcribimus, ita dicentis: Accedat verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Hoc Auguſtini verbum tam proprie & expreſſe dictum eſt, ut vix aliud dixerit præclarius. Virtute verbi elementum fit Sacramentum, citra cujus acceſſionem non niſi elementum manet. Jam hoc non eſt alicujus Principis aut Cæſaris, ſed omnipotentis Dei verbum & inſtitutio, cui merito omnes creaturæ debebant ad pedes accidere, atque aſſentiri, ita ſe rem habere, ſicut dicit ipſe, omnique reverentia, metu & humilitate illud accipere. Hoc verbo conſcientiæ tuæ imbecillitatem

Quid eſt Cœna Domini?

Dictum Auguſtini.

Quod vere adsit corpus Christi in Cœna Dominica. Contra Sacramentariorum blasphemias & infidelitatem.

confirmare potes ac dicere: Etiamsi infinitæ diabolorum myriades una cum omnibus Swermeris, uno ore impudentissime affirmarent, quomodo panis & vinum Christi corpus & sanguis esse possunt? &c. tamen compertum habeo, omnes ad unum spiritus & doctos non tanta excultos esse prudentia atque intelligentia, quanta Deum omnipotentem vel in minimo digitulo valere certo scio. Jam hic expresse Christi verbum ponitur: Accipite, edite: Hoc est corpus meum: Bibite ex hoc omnes, hic est calix Novi Testamenti in meo sanguine, &c. In hæc verba pedibus imus, hisce constanter adhæremus, perlibenter eos visuri, qui suo Magisterio Christum aliter audeant docere, aut aliter facere, atque ipse locutus est. Hoc equidem non inficiabimur verum esse, si verbum auferas, aut sine eo hoc Sacramentum intuearis, præter merum panem ac vinum nihil tibi mansurum reliqui, sed verbis una cum vino & pane manentibus, sicut debet & oportet, tum constat illa veraciter esse Christi corpus & sanguinem. Sicut enim os Christi dicit ac loquitur, ita quoque est, ut qui neque mentiri novit neque fallere.

Ex his jam haud difficulter respondere possumus ad omnis generis quæstiones, quibus jam passim multi solicitantur. Quarum una hæc est: Num profligatæ quoque vitæ sacerdos Sacramentum ministrare aut tractare possit, & ejusmodi. Siquidem hic nos ita concludimus, dicentes: Quanquam nebulo perditissimus Sacramentum aliis ministret, aut ipse sumat, tamen nihilominus Sacramentum illum sumere, hoc est, Christi corpus & sanguinem, non secus atque is, qui omnium reverendissime & dignissime sumserit aut tractaverit: Neque enim humana sanctimonia, sed verbo Dei nititur illud. Et quemádmodum nullus sanctorum in terris, adde etiam nullus Angelorum in cœlis, panem & vinum in Christi corpus & sanguinem verte-

re

re poteſt, ita quoque nemo aliter facere aut immutare poteſt, etſi hoc Sacramento indigniſſime abutatur. Nam propter perſonæ indignitatem aut incredulitatem, verbum non fit falſum aut irritum, per quod Sacramentum factum & inſtitutum eſt. Neque enim dicit: Quando credideritis aut digni fueritis, tum corpus & ſanguinem meum habebitis, ſed accipite, edite, bibite: Hoc eſt corpus meum, & ſanguis meus. Et iterum: Hoc facite, nimirum quod ego jam facio, inſtituo, vobis edendum & bibendum porrigo. Hoc perinde valet, ac ſi dixiſſet: ſive dignus ſive indignus fueris, hic corpus & ſanguinem meum habes horum verborum virtute, quæ pani ac vino adjecta ſunt. Hoc animo reconditum fac diligenter conſerves. In his enim verbis omne noſtrum præſidium, tutela & propugnatio, adverſus omnes illorum errores & ſeductiones, quæcunque vel exortæ ſunt unquam, vel deinceps adhuc exoriri poſſunt, ſita ſunt.

Quis ſit uſus ſalutaris hujus Cœnæ.

Ita habemus breviter primam partem, de Subſtantia nempe Sacramenti. Nunc porro videamus & virtutem ac utilitatem ejus, cujus gratia potiſſimum Sacramentum hoc inſtitutum eſt, quodque omnium maxime in eo eſt neceſſarium, ut ſciamus, quid hic nobis quærendum, indeque auferendum ſit. Sed & hoc valde perſpicuum eſt & cognitu facile, ex iisdem ſupra memoratis verbis: Hoc eſt corpus meum & ſanguis meus, quod pro vobis datur & effunditur in remiſſionem peccatorum. Horum verborum breviter hic eſt ſenſus: Ideo ad Sacramentum accedimus, ut ejusmodi theſaurum ibi accipiamus, per quem & in quo peccatorum remiſſionem conſequamur. Quare hoc? Ideo, quod verba illic extant & hæc dant nobis. Siquidem propterea à Chriſto jubeor edere & bibere, ut meum ſit, mihique utilitatem adferat, veluti certum pignus & arrhabo, imo potius res ipſa, quam pro peccatis meis, morte & omnibus malis ille oppoſuit & oppignoravit.

Inde

Inde jure optimo cibus animæ dicitur, novum hominem alens atque fortificans. Per Baptiſmum enim initio regeneramur, verum nihilominus antiqua & vitioſa cutis carnis & ſanguinis adhæret homini. Jam hic multa ſunt impedimenta & impugnationes, quibus cum à mundo, tum à diabolo acerrime infeſtamur, ita ut non raro defeſſi viribus deficiamus, ac nonnunquam etiam in peccatorum ſordes prolabamur. Ideo hoc Sacramentum tanquam pro quotidiano alimento nobis datum eſt, ut hujus eſu fides iterum vires ſuas reparet atque recuperet, ne in tali certamine aut tergiverſetur, aut ſuccumbat denique, ſed ſubinde magis atque magis fiat robuſtior. Etenim nova vita ſic inſtituenda eſt, ut aſſidue creſcat, & porro pergendo incrementa accipiat. Verum huic contra multæ paſſiones exhauriendæ ſunt. Tanta enim æſtuat iracundia inimicus noſter diabolus, ſimul atque conſpexerit nos adverſus ſe niti, & hominem veterem injecto freno coerceri, ut ille nos vi nequeat opprimere, tum ab omni parte poſitis inſidiis occulte irrepens nos adoritur, omnes ſuos nervos intendens, omnes ſuas artes experiens, nihil non fallaciarum conans, nec prius abſiſtit, quam nos denique extrema laſſitudine defeſſos fecerit, ut aut abjecta (quod ajunt) haſta fidem deſeramus, aut omni deſperata repugnandi fiducia tædioſi aut impatientes fiamus. Ad hoc jam datum eſt ſolatium, & hæc præſentaria animi levatio adornata, ut cum cor ſenſerit, ſe nimia impugnatione premi, hic vires & refocillationem quærat & auferat.

Ad quid ſit inſtituta.

Sacramentariorum vociferationes.

Atqui hoc loco iterum naſuti ſpiritus noſtri mirifica eruditione & ſapientia ſua ſeſe contorquent, tumultuantes & vociferantes: Qui vero, inquiunt, panis & vinum peccata poſſunt remittere, aut fidem corroborare? Cum tamen ſciant & audiant, nos talia de vino & pane nunquam adhuc docuiſſe, velut panis per ſe

panis

panis est, verum de tali pane & vino, quæ Christi corpus & sanguis sunt, & verba secum conjuncta habent. Hic, inquam, panis thesaurus ille est, quem jactamus, hic certe est, nec alius, per quem ejusmodi peccatorum condonationem Christus nobis meritus est. Jam ille non aliter, quam per verba (pro vobis traditur & effunditur) nobis offertur & donatur. Nam in his utrumque habes, & quod Christi corpus sit, & quod tuum sit, tanquam thesaurus & donum concessum gratuito. Quin etiam illud pro certo constat, Christi corpus & sanguinem nequaquam rem otiosam & infrugiferam esse posse, quæ nihil fructus aut utilitatis adferat. Veruntamen quamlibet magnus per se thesaurus existat, verbo eum includi ac in eo nobis offerri necesse est, alioqui eundem neque scire, neque quærere possemus.

Quomodo Sacramenta confirment fidem, vel singulis applicent promissionem,

Quare nihil etiam illud est planeque frivolum commentum, quod garriunt, Christi corpus & sanguinem non esse in cœna pro nobis traditum & effusum, ob id in Sacramento peccatorum remissionem nos habere non posse. Nam tametsi opus ipsum in cruce peractum est, & peccatorum ibi parta condonatio: neque tamen alia ratione, quam per verbum ad nos pervenire aut perferri potest. Quid enim hac de re nos comperti haberemus, hæc facta esse aut nobis condonata, nisi hæc prædicatione, aut vocali verbo nobis annunciarentur? Unde vero illi hoc habent exploratum aut cognitum, aut quomodo remissionem peccatorum possunt apprehendere, nisi scripturæ & Evangelio crediderint & innixi fuerint? Jam totum Evangelium & fidei Articulus: Credo Ecclesiam sanctam catholicam, remissionem peccatorum, &c. virtute verbi in hoc Sacramentum conclusus est, & nobis propositus. Quamobrem ergo talem thesaurum ex hoc Sacramento violenter atque indigne evelli ac diripi pateremur? cum, velint nolint, fateri cogantur, eadem hæc esse verba, quæ passim

An fide per Sacramentum applicetur nobis gratia.

in

in Evangelio repetita audimus: & tam non affirmare audeant, hæc verba in Sacramento nullius uſus eſſe, quam affirmare non audent, totum Evangelium aut verbum Dei extra Sacramentum nullius pretii eſſe aut uſus.

Quibus proſit manducatio.

Jam ergo totum Sacramentum habemus, cum quid in ſe ſit, tum quid adferat, & proſit utentibus. Nunc & videndum eſt, quænam ſit perſona ea, quæ eam percipit vim & utilitatem. Hæc eſt, ut breviter dicam, veluti ſupra de Baptiſmo, & alias non raro diximus, quicunque ea crediderit, quæ verba loquuntur & afferunt. Neque enim ſaxis aut truncis dicta aut annunciata ſunt, ſed audientibus, ad quos ita inquit: accipite & manducate, &c. Et quia peccatorum condonationem offert, benigneq; pollicetur, non poſſunt hæc aliter atque per fidem percipi. Eam fidem ipſe iis verbis exigit, inquiens: Pro vobis traditur, pro vobis effunditur: Quaſi diceret: Ideo vobis corpus & ſanguinem meum offero, & edere ac bibere jubeo, ut vobis tanquam rem propriam vendicetis, illisque ita fruamini. Jam quicunque hæc ſibi dicta ſtatuit, creditque ita ſe habere, ille certo conſecutus eſt. Cæterum hiſce verbis diffidens, nihil habet, utpote qui nequicquam hæc ſibi offerri patitur, neque tam ſalutari bono frui cupit. Theſaurus equidem apertus eſt, atque omnibus obvius & expoſitus, atque adeo ad fores usque adductus, imo potius menſæ ad veſcendum impoſitus; at requiritur porro, ut hunc tibi peculiariter vendices, huic manum extenſam admoveas, conſtanter credens, quemadmodum ipſa verba te docent.

De præparatione & qui digne ſumant.

Hæc jam tota Chriſtiana præparatio eſt hoc Sacramentum digne percipiendi. Cum enim hic Theſaurus in verbis prorſus nobis proponatur: non aliter, quam corde apprehendi poteſt. Manibus enim ejusmodi donum, adeoque perennis theſaurus non eſt apprehenſibilis.

Digitized by Google

bilis. Jejunium & oratio, &c. externæ quidem præparationis locum habere, & puerile exercitium esse potest, ut corpus modeste & reverenter erga corpus & sanguinem Christi se gerat: verum quod in hoc & per hoc nobis donatur, corpus nullo modo potest assequi aut apprehendere, sed fides cordis hoc facit, ejusmodi thesaurum cognoscentis & cupientis. Et hæc quidem, quantum ad communem hujus Sacramenti institutionem attinet, dicta sufficiant. Quæ enim ea de re latius differenda sunt, aliud ac peculiare tempus requirunt.

Cœna Domini frequentius utendum.

Ultimo, quoniam de hujus Sacramenti recto intellectu & vera doctrina certi sumus, admonitione etiam & cohortatione peropus est, ne talem ac tantum thesaurum, qui quotidie inter Christianos administratur & distribuitur, negligamus, hoc est, ut ii, qui Christo nomen dederunt, se præparent ad hujus venerabilis Sacramenti communionem sæpe frequentandam. Videmus enim non obscure, quam pigros & segnes ad id nos præbeamus. Est pene magna pars eorum, qui audiunt Evangelium, qui, posteaquam Papæ commenta sunt sublata, nosque à mandato & coactione ejus liberati sumus, duos, tres, pluresve annos, sine hoc Sacramento exigunt: quasi tam firmi sint Christiani, qui eo plane non opus habeant. Et impediri ac absterreri inde nonnulli hoc nomine sese patiuntur, quod docuimus, non accedere debere ad hoc Sacramentum, nisi quos fames ac sitis ejus urgeat atque compellat. Sunt rursum, qui causantur, liberum esse, neque necessarium, ac satis superque esse, ut credant, se manducasse: quorum major pars eo denique pervenit, ut omnibus devotionis affectibus exutis, plane bruteſcere incipiant, ac demum cum Sacramentum, tum verbum Dei extreme comtemnant. Equidem quod initio docuimus, verum esse non negamus, neminem scilicet ad hanc cœnam ullo modo

modo adigendum aut impellendum esse, ne de integro novam animarum carnificinam constituamus. Hoc tamen interim sciendum est, tales pro Christianis non esse reputandos, qui tanto tempore à Sacramento semet alienos faciunt & subtrahunt: Illud enim Christus non in hoc instituit, ut circumferatur pro spectaculo, sed suis Christianis præcepit, ut edant ac bibant, suique per hoc sint memores.

Causa hortantes, ut crebrior usus sit corporis & sanguinis Christi.

Et profecto, qui veri Christiani sunt, ac γνήσιοι Christi discipuli, quibus Sacramentum est in aliqua existimatione ac pretio, illi semet sua sponte ultro impellent. Verum enimvero ut simplices etiam & infirmi, quibus aliqua voluntas est esse Christianis, hoc vehementius incitentur, ad causam & necessitatem reputandam, qua ad Sacramentum impelli debeant, ea de re pauca quædam verba faciemus. Nam quemadmodum in aliis negotiis ad fidem, charitatem, animi tolerantiam pertinentibus, non satis est tantum docere & instituere, verum etiam quotidie ac sedulo monere populum: ita quoque hic requirit necessitas, ut prædicando seduli simus, ne segnes aut tædiosi fiamus, non ignorantes, quanto conatu & studio Diabolus huic rei, ac omni Christiano exercitio reluctetur, adeo ut pro virili sua humanos animos ab eo fuget & absterreat.

Ac primum quidem clarum textum in ipsis Christi verbis habemus; Hoc facite in mei commemorationem. Hæc sunt verba nobis præcipientia & jubentia, quibus iis, qui Christiani censeri volunt, mandatur & præcipitur, ut utantur Sacramento. Quare qui Christi discipulus esse cupit, quibus cum hic verba facit, huic curæ sit, ut hæc verba sibi cordi sint, non quidem ex coactione, velut impulso ab hominibus, verum ut Christo Domino obsequatur & obediat. Dixeris autem fortasse: Tamen hæc quoque particula: Quotiescunque feceritis, adjecta est; hæc equidem cogit neminem, sed relin-

relinquit Sacramenti uſum in cujusque arbitratu liberum? Reſpondeo: Audio, ſed non dixit, ut perpetuo nunquam faciamus: quin potius hæc ipſa verba dicens: Quotiescunque feceritis, una injunxit, ut ſæpe Sacramenti communionem iteremus. Eſtque propterea adjectum, quod Sacramentum velit habere liberum, non certo tempori alligatum, velut erat Judæorum paſcha, quod ſingulis annis ſemel tantum, ac non niſi decimo ſeptimo die primi menſis, veſperi manducare, nec ullum diem tranſilire cogebantur. Quaſi velit dicere: Ego vobis feſtivitatem paſchalem ſeu cœnam adorno & conſtituo, quam non tantum ad hujus diei veſperam quotannis celebrabitis, ſed ea ſæpe fruemini, quando & quotiescunque libitum fuerit, prout cuique integrum erit & neceſſarium, nulli loco aut tempori alligatum. Quanquam Romanæ ſedis Idolum Pontificium hanc quoque, ut cætera omnia à Chriſto conſtituta, petverterit, iterumque Judaicam feſtivitatem ex ea reddiderit.

Mandatum de uſu pertinet ad adultos omnes, qui ſunt membra cœtus Eccleſiæ.

Ex his jam perſpicuum eſt omnibus, non ita relictum eſſe liberum, quaſi contemni poſſit. Cæterum hoc ego voco Sacramentum contemnere, quando nullo impedimento præpediti, tanto tempore Sacramentum quaſi faſtidientes, non accedimus, neque deſideramus. Quod ſi hanc libertatem habere contentis: cur non potius illam quoque tibi arrogas, ut tibi prorſus non liceat eſſe Chriſtiano, neque quicquam orare aut credere? Hoc enim perinde Chriſti præceptum eſt, atque illud: Sin Chriſtianus perhiberi cupis, ut huic præcepto nonnunquam ſatisfacias atque obtemperes, neceſſe eſt. Hoc enim mandatum permovere utique te debebat, ut in te deſcenderes, & cogitares: Ecce cujusmodi ego Chriſtianus ſum? quod ſi eſſem, haud dubie vel modico harum rerum perficiendarum caperer deſiderio, quas Dominus meus mihi faciendas præcepit. Et profecto

Contemtus Sacramenti.

quandoquidem ad hanc cœnam tam gravate & faſtidioſe affecti ſumus, ita nauſeantes illam, ſatis apparet, quales in Papatu Chriſtiani fuerimus, ut qui tantum coactu & metu humani præcepti acceſſerimus, ſine omni animi voluptate & amore, præcipientis Chriſti nullo reſpectu habito. Sed enim nos neminem cogimus aut violenter impellimus, nec quisquam in noſtri gratiam hujus cœnæ conviva eſſe dignetur. Hoc vero impellere & ultro cogere te debebat, quod Chriſtus id requirit, & placet id illi. Hominibus utique non concedendum eſt, ut ab illis, aut ad fidem, aut ad nullum opus adigamur. Nos non plus facimus, quam ut doceamus & moneamus, quid facto opus ſit, non in noſtri, ſed in tui gratiam. Ipſe pellicit te, ac omnibus modis ad ſe provocat: hunc ſi arroganter contemſeris, vide, ut ipſe pro te reſpondeas.

An vi cogendi profani, ut ſumant Sacramentum.

Hoc primo quidem loco dictum eſt frigidis potiſſimum & negligentibus Chriſtianis, ut vel tandem ſerio reſipiſcant, ſeque accendant & expergefaciant. Illud enim vero verius eſt, id quod apud me ipſe expertus ſum, & quisque apud ſe ita eſſe inveniet, ut tam diuturna ſui à Sacramento alienatione, in dies ſingulos etiam atque etiam frigidiores & barbariores evadamus, ac denique prorſus id faſtidiamus. Alioqui deſcendendum eſt cum animo in colloquium, atque ita gerendum, quemadmodum par eſt homini, Dei favorem & gratiam ex animo cupienti. Jam quo frequentius hoc factum fuerit, hoc impenſius cor caleſcit & incenditur, ne prorſus omnibus amoris divini flammis extinctis, congeleſcat. Dixeris fortaſſe: Quid autem, ſi ſenſero, me non paratum eſſe? Reſpondeo, & hoc me quoque impugnat adhuc è Papatu usque, in quo tanta mentis anxietate quisque ſe excarnificavit, ut per omnia puri eſſemus, ne Deus quicquam nævi aut labis in nobis inveniret. Unde tanta trepidatione ſumus exa-

Cum neglectione Sacramenti obrepunt prophanæ opiniones & extinguitur invocatio.

exanimati, ut illico quisque attonito animo in hæc verba proruperit: Heu te miserum, hac cœna omnibus modis indignus es. Nam natura & humana ratio hic suæ dignitatis rationem inire incipit, erga ingentis hujus & pretiosi boni præstantiam, ac tunc perinde nitet, atque obscura laterna lucido soli collata, aut instar simi candidis gemmis, aut unionibus comparati. Has suæ vitæ sordes intuens, recusat accedere, & tantisper differt, donec bene præparata fuerit, usque dum dies diei, mensis mensi, annus anno successerit. Cæterum hoc si intueri voles, quam videlicet tu sis probus & purus, atque in hoc conari, ut nihil conscientiam tuam mordeat, futurum est, ut vix unquam accedas.

Arcendi sunt à communione, qui polluti manifestis delictis non emendant se.

Quare hic homines habita ratione discernendi sunt. Nam procaci feritate & improbitate insolescentibus dicendum est, ut à Sacramento abstineant: neque enim ad percipiendam peccatorum remissionem sunt apposiți, utpote qui eam non desiderant, nec libenter probi esse studeant. Reliqui vero, qui non ita ferini sunt & belluini, quique probitatis amantes sunt, nullo modo semet ab hac cœna debent sejungere, tametsi alioqui fragiles sint & imbecilles, quemadmodum & dictum est ab Hilario: Si quod peccatum non ita perpetratum est, cujus gratia aliquis jure ex Ecclesia possit exigi, ac pro gentili existimari, huic nequaquam à Sacramento temperandum est, ne quis se ipsa vita privet. Nemo enim eo probitatis unquam se venturum speret, ut non infinitos defectus in carne & sanguine suo retineat.

Hilarii dictum.

Agentes pœnitentiam non fugiant usum Sacramenti.

Quapropter ejusmodi hominibus discendum est, summam esse scientiam, nosse, nostrum Sacramentum non dignitatis nostræ gratia institutum esse. Non enim ut dignos & sanctos nos baptizari permittimus, neque hoc nomine peccata nostra confitemur, quasi puri & à delictis alieni essemus, sed plane contraria quadam

ratione, ut miseri ac ærumnosi peccatores, & prorsus propterea, quia indigni sumus : nisi fortasse quispiam talis esset, qui nullam gratiam aut absolutionem desideraret, neque cogitaret unquam vita in melius mutata resipiscere.

Sed enim qui gratiam ac consolationem habendi & impetrandi cupidus est, ille semet instiget, nulloque modo absterreri se patiatur, itaque dicat: Perlibenter quidem hac cœna dignus esse velim, nulla adductus dignitate venio, verum tuo verbo fretus adsum, propterea quod tu mihi præcepisti, egoque non invitus in discipulorum tuorum numerum referri cupio, quantulacunque tandem mea sit dignitas, nihil moror. Verum hoc arduum & grave est factu, hoc enim nobis nunquam non impedimento est & obstat, quod longe attentiores ad nos ipsos, quam ad os & verba Christi sumus. Ita enim natura humana agere cnperet, ut securitate quadam & certitudine se ipsa potius frui & niti posset : qua re frustrata, abhorret accedere. Verum hac de prima parte satis superque diximus.

Amplissima promissiones propositæ, ut invitemur ad frequentiorem usum Sacramenti.

Secundo, benigna quoque huic præcepto adjecta est promissio, ut supra etiam memoratum est, quæ nos omnium vehementissime instigare debebat atque impellere. Hæc enim illa sunt verba, perquam amica & amabilia, humanitatis ac benevolentiæ plenissima: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. Hæc, inquam, verba dixi neque ullis cautibus neque quercubus esse prædicata, verum mihi & tibi : alioqui eadem opera æque tacere potuisset, neque ullum Sacramentum instituere. Quare fac etiam atque etiam, ut & te in hæc verba (PRO VOBIS) includas, ne nequicquam tecum loquatur. Hic enim omnes thesauri sui nobis offert divitias, quascunque cœlitus secum humano generi detulit : ad quas etiam

etiam alias amiciſſime & amantiſſime nos provocat, veluti Matth. 11. inquit: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, ego reficiam vos. Jam quidem extremum flagitium & facinus eſt, quod, cum ille tam amanter atque fideliter nos vocet & moneat, ad noſtrum ſummum & maximum bonum confluendos, nos tam alienos erga vocantem geramus, ac tantum temporis à Sacramenti participatione remoti exigamus, donec prorſus animo indurato refrixerimus, ut nulla usquam deſiderii aut amoris ſcintilla in nobis ſuperſtes remaneat. Equidem Sacramentum non perinde intuendum eſt, ut res noxia, à qua vitanda ambobus (quod ajunt) pedibus fugiendum ſit, verum ut ſalutifera & utilis medicina, quæ tuis morbis medeatur, vitamque tibi det & animæ & corporis. Ubi enim anima recuperata ſalute convaluit, ibi corporis quoque valetudo ſalva eſt. Cur ergo nos illud ita abominantes caveamus, quaſi cicuta eſſet, quæ devorata mortem nobis inferret præſentem?

Matth. 11, 28.

Hic offertur remiſſio peccatorum, & applicatur credentibus.

Illud equidem inficias non iverim, eos ipſos, qui contemnunt, aut belluino more vivunt, tantum in perniciem & damnationem ſibi ſumere. Talibus enim nihil debet eſſe bono aut ſaluti: perinde atque ægroto accidere ſolet, pro libidine ſua edenti atque bibenti, quæ ipſi à medico interdicta ſunt. Ii vero, qui ſuæ carnis infirmitatem ſentiunt, eaque libenter exonerati eſſent, quærentes auxilium, non aliter intueri debent & uti, atque pretioſiſſima tyriaca, aut antidoto præſentiſſimo, adverſus omnia venena, quibus infecti ſunt. Hic enim in Sacramento ex ore Chriſti ſumes peccatorum condonationem, ſecum habentem, unaque apportantem Dei gratiam & Spiritum, una cum omnibus ſuis bonis, tutela, protectione & poteſtate, contra mortem, diabolum atque omnia mala.

Ita quidem à Deo & Chriſto præceptum, ejusque

promissionem habes. Adhæc tui gratia, tui ipsius necessitas, quæ cervici tuæ incumbit, & cujus gratia ejusmodi præcepta, illectamenta & promissiones datæ sunt, impellere te debebat. Ipse enim dicit: Non est opus medico valentibus, sed male habentibus, hoc est, laborantibus, & qui peccatis, mortis formidine, carnis atq; diaboli tentatione onerati sunt. Jam si peccatorum fasce gravatus es, tuamque sentis infirmitatem: tum alacri accedas animo, teque Christo reficiendum, levandum & corroborandum offeras. Etenim si tamdiu procrastinare volueris, donec defecatis vitiis mundus & dignus Sacramentum possis accedere: perpetuo tibi ab hac cœna abstinendum erit. Etenim eam hic pronunciat sententiam: Si purus & probus es, mea ope non indiges, neque vicissim te mihi opus est. Quare ii tantum indigni dicuntur, qui suos defectus non sentiunt neq; peccatores esse sustinent.

Sensus indignitatis & miseriæ nostræ accendat in nobis desiderium hujus carnis.

Qui vocentur indigni.

Quod si dixeris, quid mihi tum faciendum suades, si talem carnis meæ necessitatem persentiscere nequeo, neque ulla Sacramenti fame aut siti teneor? Respondeo. Iis, qui ita affecti sunt, ut nihil tale sentiant, nullum scio dare consilium præstantius, quam ut in sinum proprium inspiciant, videantque, num ipsi quoque carnem & sanguinem habeant: quod cum ita esse comperient, tum sui tantum compendii gratia Pauli Epistolam scriptam ad Galatas requirant, & audiant, cujusmodi sua caro fructus soleat producere. Manifesta sunt autem (inquit) opera carnis, quæ sunt adulterium, fornicatio, immundicia, impudicitia, luxuria, Idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, commessationes, & his similia.

Ejiciendus ex animis stupor cogitationis de nostris lapsibus & immundicie.

Galat. 5, 9.

Quapropter si hæc sentire nequis, saltem Scripturæ credas, quæ tibi non mentietur, & cui caro tua propius, quam tibi nota est. Imo amplius quoque concludit Paulus

Paulus ad Rom. 7. inquiens: Scio, quod non habitet in me, hoc eſt, in carne mea bonum. Quod ſi Paulus de ſua carne id pronunciare audet: neque nos vel meliores, vel ſanctiores illo eſſe volumus. Quod autem nos idem non perſentiſcimus, hoc periculoſius ægrotamus. Signum enim eſt certiſſimum, noſtram carnem lepra eſſe infectam, quæ nihil quidem ſentit, ſævit tamen interim, & circumcirca ſerpit. Veruntamen, ut dictum, quod ſi usque adeo mortuus es, ſaltem Scripturæ teſtimonio fidem habere digneris, quæ, qualis ſis, jam tibi ſuo comprobavit judicio. Et in ſumma, quo minus tua peccata & defectus perſentiſcis, hoc plures cauſæ tibi ſuperſunt accedendi, opemq; & medicinam quæritandi. *Rom. 7. 18.*

Deinde in hoc quoque fac attentus ſis, ut circumſpicias, num in mundo quoque verſeris, aut ſi ignoras, id ex vicinis tuis exquirito. Quod ſi una cum aliis in mundo conſtitutus es, non eſt, ut cogites, peccatum & neceſſitatem tibi defuturam. Tantum enim incipias, ac ita te geras, quaſi probitatem ſectari, & cum Evangelio ſtare decreveris, ac vide, num nemo tibi infenſus futurus ſit, inſuper ægre faciat, vim atque injuriam inferat; præterea ad peccata & vitia cauſam ſuppeditet. Quod ſi nondum expertus es, hoc ipſum Scriptura magiſtra fac audias, ſurſum ac deorſum his præclaris teſtimoniis & titulis mundum prædicante. *Mundi duritia erga Eccleſiam.*

Præter hoc Diabolum quoque juxta te habebis, quem proſtratum nequaquam prorſus conculcabis, cum Dominus noſter Jeſus Chriſtus ipſe devitare non potuerit. Quid ergo eſt Diabolus? nihil aliud, quam quod eum Scriptura nominans eſſe perhibet, nempe mendax & homicida. Mendax quidem ob id, quod cor humanum à verbo DEI abducere & excœcare conatur, ne tuam neceſſitatem ſentias, neve ad Chriſtum medicum venire queas. Homicida vero, qui ne ad unius *Rabies Diaboli.* *Mendacium.* *Homicidium.*

quidem horulæ ſpatium vitam tibi favet. Quod ſi videndi tibi daretur copia, quot gladiis, quot haſtis, quot ſagittis & telis, omnibus momentis in te collimet: gauderes toties tibi patere ad Sacramentum accedendi januam, quoties poſſis conſequi. Quod autem tam ſecure, tam incogitanter ambulamus, nihil facit aliud, quam quod non cogitamus aut credimus, nos in carne & hoc pravo mundo vivere, aut verſari in regno Diaboli.

Quamobrem hæc probe experienda & exercenda tibi proponito, teque ipſe accurate fac excutias, & noſcas, tum pauliſper circumſpicito, & vide, quid Scriptura loquatur. Quod ſi ne tum quidem quicquam ſenſeris: hoc major te urget ad conquerendum neceſſitas æque apud Deum ac proximum tuum. Ab his petas auxilium, utque pro te precentur, poſtula, neque prius abſiſtas, quam cor tuum adamantina illa duritie liberatum fuerit. Ita fiet, ut demum tua tibi pateat neceſſitas, clare viſuro, te terque quaterque in omnium vitiorum lernam profundius eſſe immerſum, quam ullum alium peccatorem: teque Sacramento multo egere impenſius, medendæ calamitati tibi occultæ, DEO ſuam tibi largiente gratiam, ut magis ſentias, fiasque ad hunc modum Sacramenti eſurientior. Præcipue vero Diabolo tantopere te infeſtante, tibique perniciem machinante, ut te comprehenſum & anima & vita juxta ſpoliet, ita ut nulla hora ab ejus inſidiis tibi in tuto eſſe liceat. Quam cito vero & ſubito te oſcitantem, & nil tale opinantem in omne calamitatis genus præcipitaverit?

Precatio pro aliis.

Hæc jam hactenus monendi gratia dicta ſint, non tantum nobis grandioribus, verum etiam natu minoribus, qui in Chriſtiana doctrina, ejusdemque intellectu educandi ſunt. Ad hunc enim modum hoc minore negotio decem præcepta, fidei ſymbolum, & orationem dominicam juventuti inculcare poſſemus, ut

Hæ commonefactiones, non ſolum adultis, ſed etiam teneræ ætati proponenda.

cum

cum quadam voluptate, atque adeo ſerio hæc caperent,& ita ſtatim ab ipſis infantiæ crepundis percepta indeſinenter exercerent atque aſſyeſcerent. Jam enim pene cum natu grandioribus actum eſt, ut hæc atque alia ab ipſis impetrare nequeamus,niſi ejusmodi homines jam inde à puero educentur, qui nobis ſucceſſuri ſunt, noſtrumque opus & officium arrepturi,ut & ipſi ſuos liberos bene ac ſalutariter educent, quorum opera Dei verbum ſuſtentetur, & Chriſtianorum communio ædificetur. Quapropter quisque paterfamilias ſciat, hoc ſui eſſe officii, ut Dei juſſu atque præcepto hæc liberos ſuos doceat, aut alios docere ſinat, quæ eos noſſe par eſt. Cum enim baptizati ſint, jamque in Chriſtianorum numerum & communionem cooptati, æquum eſt, ut hujus Sacramenti participatione fruantur, ut nobis queant eſſe utilitati & ſubſidio. Oportet enim eos omnes & ſingulos nobiscum credere, diligere, orare & adverſus diabolum pugnare.

Officium patrisfamilias.

Epitome ARTICULORUM, DE QVIBUS CONTROVERSIÆ ORTÆ SUNT, INTER Theologos Augustanæ Confessionis: qui in repetitione sequenti, secundum verbi Dei præscriptum, pie declarati sunt & conciliati.

DE COMPENDIARIA REGULA ATQVE NORMA, Ad quam omnia dogmata exigenda, & quæ inciderunt certamina, pie declaranda & componenda sunt.

I. CRedimus, confitemur, & docemus unicam regulam & normam, secundum quam omnia dogmata, omnesque doctores æstimari & judicari oporteat, nullam omnino aliam esse, quam Prophetica & Apostolica scripta cum Veteris, tum Novi Testamenti, sicut scriptum est: Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Et divus Paulus inquit: Etiamsi Angelus de cœlo aliud prædicet Evangelium, anathema sit.

Psal. 119, 105.

Galat. 1, 8.

Reliqua vero sive Patrum sive Neotericorum scripta, quocunque veniant nomine, sacris literis nequaquam sunt æquiparanda, sed universa illis ita subjicienda

enda ſunt, ut alia ratione non recipiantur, niſi teſtium loco, qui doceant, quod etiam poſt Apoſtolorum tempora, & in quibus partibus orbis, doctrina illa Prophetarum & Apoſtolorum ſincerior conſervata ſit.

Et quia ſtatim poſt Apoſtolorum tempora, imo etiam cum adhuc ſuperſtites eſſent, falſi doctores & hæretici exorti ſunt, contra quos in primitiva Eccleſia Symbola ſunt compoſita, id eſt, breves & categoricæ confeſſiones, quæ unanimem Catholicæ Chriſtianæ fidei cõnſenſum & confeſſionem Orthodoxorum & veræ Eccleſiæ complectebantur (ut hoc Symbolum Apoſtolicum, Nicenum, & Athanaſianum) profitemur publice, nos illa amplecti, & rejicimus omnes hæreſes, omniaque dogmata, quæ contra illorum ſententiam unquam in Eccleſiam DEI ſunt invecta. II.

Quod vero ad ſchiſmata in negotiis fidei attinet, quæ in noſtra tempora inciderunt, judicamus, unanimem conſenſum, & declarationem Chriſtianæ noſtræ fidei & Confeſſionis, inprimis contra Papatum, & hujus falſos ac idololatricos cultus, & ſuperſtitiones, & alias ſectas, eſſe noſtri temporis Symbolum, Auguſtanam illam primam, & non mutatam confeſſionem, quæ Imperatori Carolo V. Auguſtæ An. 30. in magnis imperiis Comitiis exhibita eſt: Similiter & Apologiam, & articulos Smalcaldicos anno 37. conſcriptos, & præcipuorum Theologorum illius temporis ſubſcriptione comprobatos. III.

Et quia hæc Religionis cauſa etiam ad Laicos, quos vocant, ſpectat, eorumque perpetua ſalus agitur: profitemur publice, nos etiam amplecti Minorem & Majorem Doct. Lutheri Catechiſmos, ut ii Tomis Lutheri ſunt inſerti: quod eos quaſi Laicorum Biblia eſſe cenſeamus, in quibus omnia illa breviter comprehenduntur, quæ in ſacra ſcriptura fuſius tractantur, &

quorum

quorum cognitio homini Christiano ad æternam salutem est necessaria.

Ad has rationes, paulo ante monstratas, omnis doctrina in religionis negotio conformanda est, &, si quid iis contrarium esse deprehenditur, id rejiciendum atque damnandum est: quippe quod cum unanimi fidei nostræ declaratione pugnet.

Hoc modo luculentum discrimen inter sacras veteris & novi Testamenti literas, & omnia aliarum scripta retinetur: & sola sacra scriptura, judex, norma & regula, cognoscitur, ad quam, ceu ad Lydium lapidem, omnia dogmata exigenda sunt & judicanda, an pia, an impia, an vera, an vero falsa sint.

Cætera autem Symbola, & alia scripta, quorum paulo ante mentionem fecimus, non obtinent autoritatem Judicis: hæc enim dignitas solis sacris literis debetur: sed duntaxat pro religione nostra testimonium dicunt eamque explicant, ac ostendunt, quomodo singulis temporibus sacræ literæ in articulis controversis in Ecclesia Dei à doctoribus, qui tum vixerunt, intellectæ & explicatæ fuerint, & quibus rationibus dogmata cum sacra scriptura pugnantia rejecta & condemnata sint.

I.

DE PECCATO ORIGINIS.

Status Controversiæ.

Aug. Conf. 9. 11. Apol. 50. Art. Sm. 317. Decl. 639.

AN peccatum originale sit proprie, & absque omni discrimine, IPSA hominis corrupti NATURA, SUBSTANTIA & ESSENTIA, aut certe principalis & præstantissima pars ipsius substantiæ: utpote, IPSA rationalis ANIMA,

Digitized by Google

MA, in ſummo ſuo gradu, & in ſummis ipſius viribus conſiderata. An vero inter hominis ſubſtantiam, naturam, eſſentiam, corpus, & animam, etiam poſt lapſum humani generis, & inter originale peccatum aliquod ſit diſcrimen, ita, ut aliud ſit IPSA NATURA, & aliud IPSUM PECCATUM originis, quod in natura corrupta hæret, & naturam etiam depravat.

AFFIRMATIVA.

Sincera doctrina, fides & Confeſſio, cum ſuperiore Norma & compendioſa declaratione conſentiens.

I. CRedimus, docemus, & confitemur, quod ſit aliquod diſcrimen inter IPSAM hominis NATURAM, non tantum, quemadmodum initio à Deo purus, & ſanctus, & abſque peccato homo conditus eſt, verum etiam, qualem jam poſt lapſum naturam illam habemus: diſcrimen, inquam, inter IPSAM naturam, quæ etiam poſt lapſum eſt permanetque Dei creatura, & inter peccatum originis: Et, quod tanta ſit illa naturæ & peccati originalis differentia, quanta eſt inter opus Dei, & inter opus diaboli.

II. Credimus, docemus, & confitemur, quod ſummo ſtudio hoc diſcrimen ſit conſervandum: propterea quod illud dogma, nullum videlicet inter naturam hominis corrupti & inter peccatum originis eſſe diſcrimen, cum præcipuis fidei noſtræ articulis (de creatione, de redemtione, de ſanctificatione, & reſurrectione carnis noſtræ) pugnet, neque ſalvis hiſce articulis ſtare poſſit.

Deus enim non modo Adami & Hevæ corpus & animam, ante lapſum, verum etiam corpora & animas noſtras, poſt lapſum, creavit: etſi hæc jam ſunt cor- *Deut. 31, 11. Eſa. 45, 54. 64.*

rupta

Act. 17, 26. rupta. Et ſane hodie Dominus animas & corpora noſtra, creaturas & opus ſuum eſſe agnoſcit, ſicut ſcriptum eſt: Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu.

Job. 10, 8. Ps. 100, 2. 139. Eccl. 12, 1.

Et Filius Dei unione perſonali illam humanam naturam, ſed ſine peccato, aſſumſit: & non alienam, ſed noſtram carnem ſibi adjungens arctiſſime copulavit: ejusque aſſumtæ carnis ratione vere frater noſter factus eſt: ut ſcriptura teſtatur, Hebr. 2. Poſteaquam „pueri commercium habent cum carne & ſanguine, „& ipſe ſimiliter particeps factus eſt eorundem. Item: „Non angelos aſſumit: ſed ſemen Abrahæ aſſumit, „unde & debuit per omnia fratribus aſſimilari, excepto peccato. Eandem humanam noſtram naturam (opus videlicet ſuum) Chriſtus REDEMIT: eandem (quæ ipſius opus eſt) ſanctificat: eandem à mortuis reſuſcitat, & ingenti gloria (opus videlicet ſuum) ornat. Peccatum autem originale non creavit, non aſſumſit: non redemit, non ſanctificat: non reſuſcitabit in Electis: neque unquam gloria cœleſti ornabit aut ſalvabit, ſed in beata illa reſurrectione plane abolitum erit.

Ex his, quæ à nobis allata ſunt, diſcrimen inter corruptam naturam, & inter corruptionem, quæ NATURÆ infixa eſt, & per quam Natura eſt corrupta, facile agnoſci poteſt.

III. Viciſſim autem credimus, docemus, atque confitemur, peccatum originis non eſſe levem, ſed tam profundam humanæ Naturæ corruptionem, quæ nihil ſanum, nihil incorruptum, in corpore & anima hominis, atque adeo in interioribus & exterioribus viribus ejus reliquit. Sicut Eccleſia canit: Lapſus Adæ vi peſſima: Humana tota maſſa, Natura & ipſa eſſentia, corrupta, luce caſſa, &c. Hoc quantum ſit malum, verbis revera eſt inexplicabile: neque humanæ rationis acumine indagari, ſed duntaxat

per

per verbum DEI revelatum agnoſci poteſt. Et ſane affirmamus, quod hanc naturæ corruptionem ab IPSA Natura nemo, niſi ſolus Deus, ſeparare queat: id quod per mortem in beata illa reſurrectione plene fiet. Ibi enim ea ipſa natura noſtra, quam nunc circumferimus, abſque peccato Originis, & ab eodem omnino ſeparata & remota reſurget, & æterna felicitate fruetur. Sic enim ſcriptum eſt: Pelle mea circumdabor, & in carne mea videbo DEUM, quem ego viſurus ſum mihi, & oculi mei eum conſpecturi ſunt. *Job. 19. 26.*

NEGATIVA.

Rejectio falſorum dogmatum, quæ commemoratæ ſanæ doctrinæ repugnant.

REjicimus ergo & damnamus dogma illud, quo aſſeritur peccatum originale tantummodo reatum & debitum eſſe, ex alieno delicto, abſque ulla naturæ noſtræ corruptione, in nos derivatum. I.

Item: Concupiſcentias pravas non eſſe peccatum, ſed concreatas naturæ conditiones, & proprietates quasdam eſſentiales: aut defectus illos, & malum ingens à nobis paulo ante commemoratum, non eſſe peccatum, propter quod homo, Chriſto non inſertus, ſit filius iræ. II.

Rejicimus etiam Pelagianam hæreſin, qua aſſeritur, Hominis naturam poſt lapſum incorruptam eſſe, & quidem in ſpiritualibus rebus totam bonam & puram in viribus ſuis naturalibus manſiſſe. III.

Item: Peccatum originis externum, levem, & nullius prope momenti eſſe nævum, aut aſperam quandam IV.

macu-

maculam: ſub qua nihilominus natura bonas ſuas vires etiam in rebus ſpiritualibus retinuerit.

V. Item: Peccatum originale tantum eſſe externum impedimentum bonarum ſpiritualium virium, & non eſſe deſpoliationem & defectum earundem, ſicuti cum Magnes allii ſucco illinitur, vis ejus naturalis attrahendi ferrum non tollitur, ſed tantum impeditur: aut ſicut macula de facie, aut color de pariete abſtergi facile poteſt.

VI. Item: Hominis naturam & eſſentiam non prorſus eſſe corruptam: ſed aliquid boni adhuc in homine reliquum, etiam in rebus ſpiritualibus: videlicet, bonitatem, capacitatem, aptitudinem, facultatem, induſtriam, aut vires, quibus in rebus ſpiritualibus inchoare aliquid boni, operari, aut cooperari valeat.

VII. Contra autem rejicimus etiam falſum dogma Manichæorum, cum docetur: peccatum originis tanquam quiddam eſſentiale atque ſubſtantiale à Satana in naturam eſſe infuſum, & cum eadem permixtum: quemadmodum venenum & vinum miſcentur.

IIX. Item: Non ipſum animalem hominem, ſed aliquid aliud, & peregrinum quiddam, quod ſit in homine, peccare: ideoque non ipſam naturam, ſed tantummodo peccatum originale in natura exiſtens, accuſari.

IX. Rejicimus etiam atque damnamus, ut Manichæum errorem, quando docetur, originale peccatum proprie, & quidem nullo poſito diſcrimine, eſſe IPSAM hominis corrupti ſubſtantiam, naturam & eſſentiam: ita, ut inter naturam corruptam poſt lapſum, per ſe ipſam conſideratam, & inter peccatum originis nulla prorſus ſit differentia, neque ulla diſtinctio cogitari, aut ſaltem peccatum illud à natura cogitatione diſcerni poſſit.

X. D. Lutherus quidem originis illud malum, peccatum naturæ, perſonale, eſſentiale vocat: ſed non eam

ob

ob cauſam, quaſi Natura, perſona, aut eſſentia hominis, absque omni diſcrimine, ſit ipſum peccatum Originis: ſed ideo ad hunc modum loquitur, ut hujusmodi phraſibus diſcrimen inter peccatum originale, quod humanæ naturæ infixum eſt, & inter alia peccata, quæ actualia vocantur, melius intelligi poſſit.

Peccatum enim originis non eſt quoddam delictum, quod actu perpetratur: ſed intime inhæret infixum ipſi naturæ, ſubſtantiæ, & eſſentiæ hominis. Et quidem, ſi maxime nulla unquam prava cogitatio in corde hominis corrupti exoriretur: ſi nullum verbum otioſum proferretur: ſi nullum malum opus aut facinus deſignaretur: tamen natura nihilominus corrupta eſt per Originale peccatum, quod nobis ratione corrupti ſeminis agnatum eſt: quod ipſum etiam ſcaturigo eſt omnium aliorum actualium peccatorum, ut ſunt pravæ cogitationes, prava colloquia, prave & ſceleratè facta. Sic enim ſcriptum legimus: Ex corde oriuntur cogitationes malæ. Et alibi: Omne figmentum cordis tantummodo malum eſt, à pueritia. XI. *Matth. 15.* *Gen. 6, 8.*

Eſt etiam diligenter obſervanda varia ſignificatio vocabuli (naturæ,) cujus æquivocatione Manichæi abutentes, errorem ſuum occultant, multosque ſimplices homines in errorem inducunt. Quandoque enim (natura) ipſam hominis ſubſtantiam ſignificat: ut, cum dicimus: Deus humanam naturam creavit. Interdum vero per vocabulum naturæ, intelligitur ingenium, conditio, defectus, aut vitium alicujus rei, in ipſa natura inſitum & inhærens. Ut cum dicimus: Serpentis natura eſt icere: Hominis natura eſt peccare, & peccatum. Et in hac poſteriore ſignificatione vocabulum (naturæ) non ipſam hominis ſubſtantiam, ſed aliquid, quod in natura aut ſubſtantia fixum inhæret, denotat. XII.

Quod vero ad Latina vocabula Subſtantiæ & Acci- XIII.

dentis attinet, cum ea non ſint ſcripturæ ſacræ vocabula, præterea etiam à plebe non intelligantur, abſtinendum eſt ab illis in publicis ſacris concionibus: ubi indocta plebs docetur: & hac in re ſimplicium & rudiorum merito habenda eſt ratio.

In ſcholis autem, & apud homines doctos (quibus horum vocabulorum ſignificatio nota eſt, & qui iisdem recte atque citra abuſum uti poſſunt, proprie diſcernens eſſentiam alicujus rei ab eo, quod aliunde eī accidit & per accidens inhæret) in diſputatione de peccato originis, retinenda ſunt.

Nam hiſce vocabulis diſcrimen inter opus Dei, & inter opus Diaboli quam maxime perſpicue explicarī poteſt. Diabolus enim ſubſtantiam nullam creare, ſed tantummodo per accidens, permittente Domino, ſubſtantiam à Deo creatam depravare poteſt.

II.

DE LIBERO ARBITRIO.

Status Controverſiæ.

Aug. Conf. 14. Apol. 217. Art. Sm. 318. Decl. 654.

CUm hominis voluntas quadruplicem habeat conſiderationem: Primo ante lapſum: Secundo poſt lapſum: Tertio, poſt regenerationem: Quarto, poſt reſurrectionem carnis: nunc quæſtio præcipua eſt tantum de voluntate & viribus hominis in ſecundo ſtatu, quasnam vires poſt lapſum primorum parentum noſtrorum, aute regenerationem ex ſeipſo habeat, in rebus ſpiritualibus: an propriis viribus, antequam per ſpiritum Dei fuerit regeneratus, poſſit ſeſe ad gratiam Dei applicare & præparare: & num gratiam divinam (quæ illi per Spiritum Sanctum in verbo & Sacramento divinitus inſtitutis offertur) accipere & apprehendere poſſit, nec ne.

AFFIR-

Digitized by Google

AFFIRMATIVA.

Sincera doctrina de hoc Articulo cum immota Regula verbi divini congruens.

DE hoc negotio hæc eſt fides, doctrina & confeſſio noſtra: quod videlicet hominis intellectus & ratio in rebus ſpiritualibus prorſus ſint cœca, nihilque propriis viribus intelligere poſſint. Sicut ſcriptum eſt: Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus: ſtultitia illi eſt, & non poteſt intelligere, quia de ſpiritualibus examinatur. I. *1. Cor. 2, 14.*

Credimus, docemus, & confitemur etiam: Voluntatem hominis nondum renatam, non tantum à DEO eſſe averſam, verum etiam inimicam Deo factam: ita ut tantummodo ea velit & cupiat, iisque delectetur, quæ mala ſunt, & voluntati divinæ repugnant. Scriptum eſt enim: Senſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua. Item: affectus carnis inimicitia eſt adverſus Deum: neque enim legi ſubjicitur, ac ne poteſt id quidem. Itaque credimus, quantum abeſt, ut corpus mortuum ſe ipſum vivificare, atque ſibi ipſi corporalem vitam reſtituere poſſit, tantum abeſſe, ut homo, qui ratione peccati ſpiritualiter mortuus eſt, ſeipſum in vitam ſpiritualem revocandi ullam facultatem habeat: ſicut ſcriptum eſt: Cum eſſemus mortui in peccatis, convivificavit nos cum CHRISTO, &c. Itaque etiam ex nobismetipſis, tanquam ex nobis, non ſumus idonei, ut aliquid boni cogitemus: quod vero idonei ſumus, idipſum à Deo eſt. II. *Gen. 8, 21.* *Rom. 8, 7.* *Eph. 2, 5.* *2. Cor. 3, 5.*

Converſionem autem hominis operatur Spiritus Sanctus non ſine mediis: ſed ad eam efficiendam uti ſolet prædicatione & auſcultatione verbi Dei, ſicut III.

Rom. 1, 16. Rom. 10, 17. Psal. 95, 8. Act. 16, 14. Rom. 9, 16. 1. Cor. 3, 7. Joh. 15, 5. 1. Cor. 1, 29. Jerem. 9, 23.

ſcriptum eſt : Evangelion eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti. Et : Fides eſt ex auditu verbi Dei. Et ſane vult Dominus, ut ipſius verbum audiatur, neque ad illius prædicationem aures obturentur. Huic verbo adeſt præſens Spiritus Sanctus, & corda hominum aperit, ut, ſicut Lydia in Actis Apoſtolicis, diligenter attendant, & ita convertantur, ſola gratia & virtute Spiritus Sancti, cujus unius & ſolius opus eſt hominis converſio. Si enim Spiritus Sancti gratia abſit, noſtrum velle & currere, noſtrum plantare, ſeminare & rigare, prorſus fruſtranea ſunt : ſi videlicet ille incrementum non largiatur : Sicut Chriſtus inquit : Sine me nihil poteſtis facere. Et his quidem paucis verbis Chriſtus libero arbitrio omnes vires derogat, omniaque gratiæ divinæ adſcribit : ne quis coram Deo habeat, de quo glorietur.

NEGATIVA.

Rejectio contrariæ & falſæ doctrinæ.

REpudiamus igitur & damnamus omnes, quos recitabimus, errores, cum verbi divini regula non congruentes.

I. Primo delirum philoſophorum Stoicorum dogma, quemadmodum & Manichæorum furorem, qui docuerunt, omnia, quæ eveniant, neceſſario fieri, & aliter fieri prorſus non poſſe : & hominem omnia coactum facere, etiam ea, quæ in rebus externis agat : eumque ad deſignanda mala opera & ſcelera (qualia ſunt, libidines vagæ, rapinæ, cædes, furta, & ſimilia) cogi.

II. Repudiamus etiam craſſum illum Pelagianorum errorem, qui aſſerere non dubitarunt, quod homo propriis viribus, ſine gratia Spiritus Sancti ſeſe ad Deum convertere, Evangelio credere, legi divinæ ex animo

animo parere, & hac ratione peccatorum remiſſionem ac vitam æternam ipſe promereri valeat.

Præter hos errores rejicimus & Semipelagianorum falſum dogma, qui docent, hominem propriis viribus inchoare poſſe ſuam converſionem: abſolvere autem ſine Spiritus Sancti gratia non poſſe. III.

Item, cum docetur, licet homo non renatus, ratione liberi arbitrii, ante ſui regenerationem infirmior quidem ſit, quam ut converſionis ſuæ initium facere, atque propriis viribus ſeſe ad Deum convertere, & legi Dei toto corde parere valeat: tamen, ſi Spiritus Sanctus prædicatione verbi initium fecerit, ſuamque gratiam in verbo homini obtulerit, tum hominis voluntatem, propriis & naturalibus ſuis viribus quodammodo aliquid, licet id modiculum, infirmum, & languidum admodum ſit, converſionem adjuvare, atque cooperari, & ſeipſam ad gratiam applicare, præparare, eam apprehendere, amplecti, & Evangelio credere poſſe. IV.

Item: Hominem, poſt regenerationem, legem Dei perfecte obſervare atque implere poſſe: eamque impletionem eſſe noſtram coram Deo juſtitiam, qua vitam æternam promereamur. V.

Rejicimus etiam damnamusque Enthuſiaſtarum errorem: qui fingunt, Deum immediate, absq; verbi Dei auditu, & ſine Sacramentorum uſu, homines ad ſe trahere, illuminare, juſtificare & ſalvare. VI. *Enthuſiaſtæ vocantur, qui neglecta prædicatione verbi*

Item: Deum in converſione & regeneratione hominis, ſubſtantiam & eſſentiam veteris Adami, & præcipuè animam rationalem penitus abolere, novamque animæ eſſentiam ex nihilo, in illa converſione & regeneratione creare. VII. *divini, cæleſtes revelationes Spiritus expectant.*

Item: Cum hi ſermones citra declarationem uſurpantur, quod videlicet hominis voluntas, ante converſionem, in ipſa converſione, & poſt converſionem, IIX.

Spiritui Sancto repugnet : & quod Spiritus Sanctus iis detur, qui ex propoſito & pertinaciter ipſi reſiſtunt : Nam Deus in converſione ex nolentibus volentes facit, & in volentibus habitat : ut Auguſtinus loqui ſolet.

Quod vero ad dicta quædam, tum Patrum, tum Neotericorum quorundam doctorum attinet : Deus trahit, ſed volentem trahit : & hominis voluntas in converſione non eſt otioſa, ſed agit aliquid : judicamus hæc formæ ſanorum verborum non eſſe analoga. Afferuntur enim hæc dicta, ad confirmandam falſam opinionem, de viribus humani arbitrii in hominis converſione, contra doctrinam, quæ ſoli gratiæ divinæ id opus attribuit. Ideoque ab ejusmodi ſermonibus quando de converſione hominis ad Deum agitur, abſtinendum cenſemus.

Contra autem recte docetur, quod Dominus in converſione, per Spiritus Sancti tractionem (id eſt, motum & operationem) ex hominibus repugnantibus & nolentibus, volentes homines faciat : & quod poſt converſionem in quotidianis pœnitentiæ exercitiis hominis renati voluntas non ſit otioſa, ſed omnibus Spiritus S. operibus, quæ ille per nos efficit, etiam cooperetur.

Item : Quod D. Lutherus ſcripſit, hominis voluntatem in converſione pure paſſive ſe habere : id recte & dextre eſt accipiendum, videlicet, reſpectu divinæ gratiæ in accendendis novis motibus, hoc eſt, de eo intelligi oportet, quando Spiritus Dei per verbum auditum, aut per uſum Sacramentorum hominis voluntatem aggreditur, & converſionem atque regenerationem in homine operatur. Poſtquam enim Spiritus Sanctus hoc ipſum jam operatus eſt, atque effecit, hominisque voluntatem ſola ſua divina virtute & operatione immutavit atque renovavit : tunc revera hominis nova illa voluntas inſtrumentum eſt & organon DEI

Spi-

Spiritus Sancti, ut ea non modo gratiam apprehendat, verum etiam in operibus ſequentibus Spiritui Sancto cooperetur.

Relinquuntur igitur ante converſionem hominis duæ tantum efficientes cauſæ, ad converſionem efficaces, nimirum Spiritus Sanctus, & verbum Dei, quod eſt inſtrumentum Spiritus Sancti, quo converſionem hominis efficit. Hoc verbum homo certe audire debet: ſed tamen ut illud ipſum vera fide amplectatur, nequaquam ſuis viribus propriis, ſed ſola gratia & operatione Dei Spiritus S. obtinere poteſt.

III.

DE JUSTITIA FIDEI CORAM DEO.

Status Controverſiæ.

UNanimi conſenſu (ad normam verbi divini, & ſententiam Auguſtanæ Confeſſionis) in Eccleſiis noſtris docetur, nos peccatores longe miſerrimos ſola in Chriſtum fide coram Deo juſtificari & ſalvari: ita ut Chriſtus ſolus noſtra ſit juſtitia. Hic autem Jeſus Chriſtus Salvator noſter, & juſtitia noſtra, verus Deus eſt, & verus homo, etenim divina & humana naturæ in ipſo ſunt perſonaliter unitæ. Quæſitum igitur fuit: ſecundum quam naturam Chriſtus noſtra ſit juſtitia? Et hac occaſione duo errores & quidem inter ſe pugnantes, Eccleſias quasdam perturbarunt.

Aug. Conf. 10. 11. Apol. 60. 71. Art. Sm. 304. Decl. 682.

Jerem. 23, 16. 1. Cor. 1, 30. 2. Cor. 5, 21.

Una enim pars ſenſit, Chriſtum tantummodo ſecundum divinam naturam eſſe noſtram juſtitiam: ſi videlicet ille per fidem in nobis habitet: etenim omnia hominum peccata, collata nimirum cum illa per fidē inhabitante divinitate, eſſe inſtar unius guttulæ aquæ, cum

magno mari comparatæ. Contra hanc opinionem alii quidam asseruerunt, Christum esse nostram coram Deo justitiam, duntaxat secundum humanam naturam.

AFFIRMATIVA.

Sincera doctrina piarum Ecclesiarum, utrique commemorato errori opposita.

I. AD refellendum utrumque errorem, credimus, docemus, & confitemur unanimiter: quod Christus vere sit nostra justitia: sed tamen neque secundum solam divinam naturam, neque secundum solam humanam naturam, sed totus Christus, secundum utramque naturam, in SOLA, videlicet, obedientia sua: quam Patri ad mortem usque absolutissimam DEUS & homo præstitit: eaque nobis peccatorum omnium remissionem, & vitam æternam promeruit. Sicut scriptum est: Sicut per inobedientiam unius hominis peccatorum constituti sunt multi: ita & per unius obedientiam justi constituentur multi, Rom. 5. v. 19.

Rom. 5, 19.

II. Credimus igitur, docemus, & confitemur, hoc ipsum nostram esse coram Deo justitiam, quod Dominus nobis peccata remittit, ex mera gratia, absque ullo respectu præcedentium, præsentium, aut consequentium nostrorum operum, dignitatis aut meriti. Ille enim donat atque imputat nobis justitiam obedientiæ Christi: propter eam justitiam à Deo in gratiam recipimur, & justi reputamur.

III. Credimus etiam, docemus, & confitemur, SOLAM FIDEM esse illud medium & instrumentum, quo Christum Salvatorem, & ita in Christo justitiam illam, quæ coram judicio Dei consistere potest, apprehendimus: propter Christum enim fides illa nobis ad justitiam imputatur, Rom. 4. v. 5.

Rom. 4, 5.

Cre-

Digitized by Google

Credimus præterea, docemus & confitemur, fidem illam juſtificantem non eſſe nudam notitiam hiſtoriæ de Chriſto, ſed ingens atque tale Dei donum, quo Chriſtum, Redemtorem noſtrum, in verbo Evangelii recte agnoſcimus, ipſique confidimus: quod videlicet propter ſolam ipſius obedientiam, ex gratia, remiſſionem peccatorum habeamus, ſancti & juſti coram Deo Patre reputemur, & æternam ſalutem conſequamur. IV.

Credimus, docemus & confitemur, vocabulum (juſtificare) phraſi ſcripturæ ſacræ, in hoc articulo, idem ſignificare, quod abſolvere à peccatis: ut ex dicto Salomonis intelligi poteſt: Qui juſtificat impium, & qui condemnat juſtum, abominabilis eſt uterque apud Deum. Item: Quis accuſabit electos Dei? Deus eſt, qui juſtificat. V. *Infra p. 635.* *Proverb. 17, 15.* *Rom. 8, 33.*

Et, ſi quando pro vocabulo juſtificationis, vocabula regenerationis & vivificationis uſurpantur: (quod in Apologia Auguſtanæ Confeſſionis factum eſt) ſunt ea in illa ſuperiore ſignificatione accipienda. Nam alias eæ voces de hominis renovatione intelligendæ ſunt, quæ à fidei juſtificatione recte diſcernitur.

Credimus, docemus, & confitemur etiam, etſi vere in Chriſtum credentes & renati multis infirmitatibus & nævis usque ad mortem ſunt obnoxii: non tamen illis vel de juſtitia, quæ per fidem ipſis imputatur, vel de æterna ſalute eſſe dubitandum: quin potius firmiter illis ſtatuendum eſſe, quod propter Chriſtum, juxta promiſſionem & immotum verbum Evangelii, Deum ſibi placatum habeant. VI.

Credimus, docemus, & confitemur, quod ad conſervandam puram doctrinam de juſtitia fidei coram Deo, neceſſarium ſit, ut particulæ excluſivæ (quibus Apoſtolus Paulus Chriſti meritum ab operibus noſtris prorſus ſeparat, SOLIQUE Chriſto eam gloriam VII. *Rom. 3, 28.*

tribuit) quam diligentiſſime retineantur, ut cum Paulus ſcribit, ex gratia, gratis ſine meritis, absque lege, ſine operibus, non ex operibus: Quæ omnia hoc ipſum dicunt: SOLA fide in Chriſtum juſtificamur & ſalvamur.

VIII. Credimus, docemus & confitemur, etſi antecedens contritio, & ſubſequens nova obedientia ad articulum juſtificationis coram Deo non pertinent: non tamen talem fidem juſtificantem eſſe fingendam, quæ una cum malo propoſito, peccandi videlicet, & contra conſcientiam agendi, eſſe & ſtare poſſit. Sed poſtquam homo per fidem juſtificatus, tum veram illam & vivam fidem eſſe per charitatem efficacem, & bona opera ſemper fidem juſtificantem ſequi, & una cum ea, ſi modo vera & viva fides eſt, certiſſime deprehendi. Fides enim vera nunquam ſola eſt, quin charitatem & ſpem ſemper ſecum habeat.

Galat. 5, 6.

ANTITHESIS, SEU NEGATIVA.

Rejectio contrariæ & falſæ doctrinæ.

REpudiamus ergo, & damnamus omnia falſa dogmata, quæ jam recitabimus.

I. Chriſtum eſſe juſtitiam noſtram, ſolummodo ſecundum divinam naturam.

II. Chriſtum eſſe juſtitiam noſtram tantummodo juxta humanam naturam.

III. In dictis Propheticis & Apoſtolicis, ubi de juſtificatione fidei agitur, vocabula (juſtificare & juſtificari) non idem eſſe, ac à peccatis abſolvere, & abſolvi, & remiſſionem peccatorum conſequi; Sed nos per charitatem à Spiritu Sancto infuſam, per virtutes, & per opera,

Digitized by Google

opera, quæ à charitate promanant, reipſa coram DEO juſtos fieri.

Fidem non reſpicere in ſolam Chriſti obedientiam, ſed in divinam ejus naturam: quatenus, videlicet, ea in nobis habitet atque efficax ſit: ut per eam inhabitationem peccata noſtra tegantur. IV.

Fidem eſſe talem fiduciam in obedientiam Chriſti, quæ poſſit in eo etiam homine permanere & conſiſtere, qui vera pœnitentia careat, & ubi charitas non ſequatur, ſed qui contra conſcientiam in peccatis perſeveret. V.

Non ipſum Deum, ſed tantum dona Dei in credentibus habitare. VI.

Fidem ideo ſalutem nobis conferre, quod novitas illa, quæ in dilectione erga Deum & proximum conſiſtit, per fidem in nobis inchoetur. VII.

Fidem in juſtificationis negotio primas quidem partes tenere: ſed tamen etiam renovationem & charitatem ad juſtitiam noſtram coram Deo pertinere: ita ut renovatio & charitas quidem non ſint principalis cauſa noſtræ juſtitiæ: ſed tamen juſtitiam noſtram coram Deo (ſi abſint renovatio & charitas) non eſſe integram & perfectam. IIX.

Credentes in Chriſtum coram Deo juſtos eſſe & ſalvos, ſimul per imputatam Chriſti juſtitiam, & per inchoatam novam obedientiam: vel, partim quidem per imputationem juſtitiæ Chriſti, partim vero per inchoatam novam obedientiam. IX.

Promiſſionem gratiæ nobis applicare per fidem in corde, & præterea etiam per confeſſionem, quæ ore fit, & per alias virtutes. X.

Fidem non juſtificare ſine bonis operibus: Itaque bona opera neceſſario ad juſtitiam requiri, & absq; eorum præſentia hominem juſtificari non poſſe. XI.

Digitized by Google

IV.

DE BONIS OPERIBUS.

Status Controverſiæ.

Aug. Conf. 11. 16. 16. Apol. 38. Art. Sm. 335. Decl. 698.

I. IN doctrina de bonis operibus duæ controverſiæ in quibusdam Eccleſiis ortæ ſunt.

Primum ſchisma inter Theologos quosdam factum eſt, cum alii aſſererent: bona opera neceſſaria eſſe ad ſalutem: impoſſibile eſſe ſalvari ſine bonis operibus: Et neminem unquam ſine bonis operibus ſalvatum eſſe: Alii vero docerent: Bona opera ad ſalutem eſſe pernicioſa.

II. Alterum ſchisma inter Theologos nonnullos ſuper vocabulis (neceſſarium & liberum) ortum eſt. Altera enim pars contendit, vocabulum (neceſſarium) non eſſe uſurpandum de nova obedientia: eam enim non à neceſſitate quadam & coactione, ſed à ſpontaneo ſpiritu promanare. Altera vero pars vocabulum (neceſſarium) prorſus retinendum cenſuit: propterea, quod illa obedientia non in noſtro arbitrio poſita & libera ſit, ſed homines renatos illud obſequium debere præſtare.

Et dum de commemoratis illis vocabulis diſputatum eſt, tandem etiam de re ipſa fuit diſceptatum. Alii enim contenderunt, Legem apud Chriſtianos prorſus non eſſe docendam: ſed tantummodo doctrina Evangelii homines ad bona opera invitandos eſſe. Alii hanc opinionem impugnarunt.

AFFIR-

AFFIRMATIVA.

Sincera Ecclesiæ doctrina de hac controversia.

UT hæ controversiæ solide & dextre explicentur atque decidantur, hæc nostra fides, doctrina & confessio est.

I. Quod bona opera veram fidem (si modo ea non sit mortua, sed viva fides) certissime atque indubitato sequantur, tanquam fructus bonæ arboris.

II. Credimus etiam, docemus, & confitemur: quod bona opera penitus excludenda sint, non tantum cum de justificatione fidei agitur, sed etiam cum de salute nostra æterna disputatur, sicut Apostolus perspicuis verbis testatur, cum ait: Sicut & David dicit, beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus. Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, &c. Et alibi: Gratia, inquit, estis salvati, per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. *Rom. 4, 6.* *Eph. 2, 6.*

III. Credimus, docemus, & confitemur, omnes quidem homines, præcipue vero eos, qui per Spiritum Sanctum regenerati sunt & renovati, ad bona opera facienda debitores esse.

IV. Et in hac sententia vocabula illa (necessarium, debere, oportere) recte usurpantur, etiam de renatis hominibus, & cum forma sanorum verborum non pugnant.

V. Sed tamen per vocabula (necessitas, necessarium) quando videlicet de renatis est sermo, non intelligenda est coactio, sed tantum debita illa obedientia: quam vere credentes, quatenus renati sunt, non ex coactione, compulsu legis, sed libero & spontaneo spiritu præ-

Rom. 7, 8. præſtant: quandoquidem non amplius ſub lege ſunt, ſed ſub gratia.

VI. Credimus igitur, docemus & confitemur, cum dicitur: renatos bene operari libero & ſpontaneo ſpiritu: id non ita accipiendum eſſe, quod in hominis renati arbitrio relictum ſit, bene aut male agere, quando ipſi viſum fuerit: ut nihilominus tamen fidem retineat, etiamſi in peccatis ex propoſito perſeveret.

VII. Hoc tamen non aliter, quam de ſpiritu hominis jam liberato intelligendum eſt: ſicut hanc rem ipſe Chri-
Rom. 8, 15. ſtus, ejusque Apoſtoli declarant: quod videlicet ſpiritus hominis liberatus bene operetur, non formidine pœnæ, ut ſervus: ſed juſtitiæ amore: qualem obedientiam filii præſtare ſolent.

VIII. Hanc vero libertatem ſpiritus, in electis Dei filiis non perfectam, ſed multiplici infirmitate adhuc gravatam agnoſcimus: quemadmodum D. Paulus ſuper ea
Rom. 5. Galat. 5, 11. re de ſua ipſius perſona conqueritur.

IX. Illam tamen infirmitatem Dominus electis ſuis non imputat: idque propter mediatorem Chriſtum. Sic enim ſcriptum eſt: nihil jam damnationis eſt his, qui in Chriſto Jeſu ſunt.

X. Credimus præterea, docemus, & confitemur, fidem & ſalutem in nobis conſervari aut retineri non per opera, ſed tantum per Spiritum Dei, & per fidem (qua ſcilicet ſalus cuſtoditur bona autem opera teſtimonia eſſe, quod Spiritus Sanctus præſens ſit, atque in nobis habitet.

NEGATIVA.

Falſa doctrina, ſuperiori repugnans.

I. REjicimus igitur, & damnamus ſubſequentes phraſes, cum docetur: Bona opera neceſſaria eſſe ad
Hebr. 2, 14. Joh. 6, 29. 1. Joh. 1, 9. ſalu-

Digitized by Google

ſalutem: Neminem unquam ſine bonis operibus ſalvatum: Impoſſibile eſſe ſine bonis operibus ſalvari.

Repudiamus & damnamus nudam hanc, offendiculi plenam, & Chriſtianæ diſciplinæ pernicioſam phraſin: Bona opera noxia eſſe ad ſalutem. II.

His enim poſtremis temporibus, non minus neceſſarium eſt, ut homines ad recte & pie vivendi rationem, bonaque opera invitentur atque moneantur, quam neceſſarium ſit, ut ad declarandam fidem atque gratitudinem ſuam erga Deum in bonis operibus ſeſe exerceant: quam neceſſarium eſt, cavere, ne bona opera negotio juſtificationis admiſceantur. Non minus enim homines Epicurea perſuaſione de fide, quam Phariſaica & Papiſtica fiducia in propria opera & merita, damnationem incurrere poſſunt.

Præterea reprobamus atque damnamus dogma illud, quod fides in Chriſtum non amittatur, & Spiritus S. nihilominus in homine habitet, etiamſi ſciens volensque peccet: & quod ſancti atque electi Spiritum Sanctum retineant, tametſi in adulterium, aut in alia ſcelera prolabantur, & in iis perſeverent. III.

Exod. 6, 7. Lev. 18, 2. Pſal. 1, 3. Pſal. 37. 24.

V.

DE LEGE ET EVANGELIO.

Status Controverſiæ.

QVæſitum fuit: an Evangelium proprie ſit tantummodo concio de gratia Dei, quæ remiſſionem peccatorum nobis annunciet: an vero etiam ſit concio pœnitentiæ, arguens peccatum incredulitatis, quippe quæ non per legem, ſed per Evangelion duntaxat arguatur.

Apol. 83. Art. Sm. 318. 329. Decl. 709. 717.

AFFIR-

AFFIRMATIVA.

Sincera doctrina, cum norma verbi Dei congruens.

I. CRedimus, docemus, & confitemur, discrimen Legis & Evangelii, ut clarissimum quoddam lumen, singulari diligentia in Ecclesia Dei retinendum esse : ut verbum Dei, juxta admonitionem D. Pauli, recte secari queat.

II. Credimus, docemus, & confitemur, Legem esse propriè doctrinam divinitus revelatam, quæ doceat, quid justum, Deoque gratum sit : quæ etiam, quicquid peccatum est, & voluntati divinæ adversatur, redarguat.

III. Quare, quicquid extat in sacris literis, quod peccata arguit, id revera ad Legis concionem pertinet.

IV. Evangelion vero proprie doctrinam esse censemus, quæ doceat, quid homo credere debeat, qui Legi Dei non satisfecit, & idcirco per eandem damnatur : videlicet, quod illum credere oporteat, Jesum Christum omnia peccata expiasse, atque pro iis satisfeciisse, & remissionem peccatorum, justitiam coram Deo consistentem, & vitam æternam, nullo interveniente peccatoris illius merito, impetrasse.

V. Cum autem vocabulum (Evangelium) non semper in una eademque significatione in sacra scriptura usurpetur : unde & dissensio illa primum orta est : credimus, docemus, & confitemur, si vocabulum (Evangelii) de dota Christi doctrina accipiatur, quam ipse in ministerio suo (quemadmodum & ejus Apostoli) professus est, (in qua significatione Marc. 1. & Act. 20. vox illa usurpatur) recte dici & doceri, Evangelium esse concionem de pœnitentia & remissione peccatorum.

Matth. 1, 4. Actor. 20, 21.

Quando

Quando vero Lex & Evangelion, ſicut & ipſe Moyſes, ut doctor legis, & Chriſtus, ut doctor Evangelii, inter ſe conferuntur: credimus, docèmus, & confitemur, quod Evangelion non ſit concio pœnitentiæ, arguens peccata: ſed quod proprie nihil aliud ſit, quam lætiſſimum quoddam nuncium, & concio plena conſolationis, non arguens aut terrens: quandoquidem conſcientias contra terrores legis ſolatur, easque in meritum ſolius Chriſti reſpicere jubet, & dulciſſima prædicatione, de gratia & favore Dei, per meritum Chriſti impetrato, rurſus erigit. VI.

Quod vero ad revelationem peccati attinet, ſic ſeſe res habent. Velum illud Moyſis omnium hominum oculis eſt obductum, quamdiu ſolam legis concionem, nihil autem de Chriſto audiunt. Itaque peccata ſua ex lege non vere agnoſcunt: ſed aut hypocritæ fiunt, qui juſtitiæ propriæ opinione turgent, quales olim erant Phariſæi: aut in peccatis ſuis deſperant, quod Judas proditor ille fecit. Eam ob cauſam Chriſtus ſumſit ſibi legem explicandam ſpiritualiter: & hoc modo ira Dei de cœlo revelatur ſuper omnes peccatores: ut vera legis ſententia intellecta, animadvertatur, quanta ſit illa ira. Et ſic demum peccatores ad legem remiſſi, vere & recte peccata ſua agnoſcunt. Talem vero peccatorum agnitionem ſolus Moyſes nunquam ex ipſis extorquere potuiſſet. VII. *Matth. 5.* *Rom. 1, 18.*

Etſi igitur concio illa de paſſione & morte Chriſti, filii Dei, ſeveritatis & terroris plena eſt, quæ iram Dei adverſus peccata oſtendit: unde demum homines ad legem Dei propius adducuntur: poſtquam Velum illud Moyſis ablatum eſt: ut tandem exacte agnoſcant, quanta videlicet Dominus in lege ſua à nobis exigat, quorum nihil nos præſtare poſſumus: ita, ut univerſam noſtram juſtitiam in ſolo Chriſto quærere oporteat. IIX.

Tamen, quamdiu nobis Chriſti paſſio & mors iram

Dei ob oculos ponunt, & hominem perterrefaciunt, tam diu non ſunt proprie concio Evangelii, ſed Legis & Moyſis doctrina: & ſunt alienum opus Chriſti, per quod accedit ad proprium ſuum officium, quod eſt, prædicare de gratia Dei, conſolari, & vivificare. Hæc propria ſunt prædicationis Evangelicæ.

NEGATIVA.

Contraria & falſa doctrina, quæ rejicitur.

REjicimus igitur, ut falſum & periculoſum dogma, cum aſſeritur: quod Evangelion proprie ſit concio pœnitentiæ, arguens, accuſans, & damnans peccata: quodque non ſit tantummodo concio de gratia Dei. Hac enim ratione Evangelion rurſus in legem transformatur: meritum Chriſti, & ſacræ literæ obſcurantur: piis mentibus vera & ſolida conſolatio eripitur: & Pontificiis erroribus & ſuperſtitionibus fores aperiuntur.

VI.

DE TERTIO USU LEGIS.

Status Controverſiæ.

Decl. 717. CUm conſtet, legem Dei propter tres cauſas hominibus datam eſſe. Primo, ut externa quædam diſciplina conſervetur, & feri atque intractabiles homines quaſi repagulis quibusdam coerceantur. Secundo, ut per legem homines ad agnitionem ſuorum peccatorum adducantur. Tertio, ut homines jam renati, quibus tamen omnibus multum adhuc carnis ad-

adhæret, eam ipſam ob cauſam certam aliquam regulam habeant, ad quam totam ſuam vitam formare poſſint & debeant, &c. Orta eſt inter paucos quosdam Theologos controverſia, ſuper tertio uſu legis: videlicet; an Lex etiam renatis inculcanda, & ejus obſervatio apud eos urgenda ſit, an non. Alii urgendam legem cenſuerunt: alii negarunt.

AFFIRMATIVA.

Sincera & pia doctrina de hac controverſia.

CRedimus, docemus, & confitemur: etſi vere in Chriſtum credentes, & ſincere ad Deum converſi, à maledictione & coactione legis per Chriſtum liberati ſunt: quod ii tamen propterea non ſint absque lege: quippe quos filius Dei eam ob cauſam redemit, *Pſal. 119, 2.* ut legem Dei diu noctuque meditentur, atque in ejus obſervatione ſeſe aſſidue exerceant. Etenim ne primi quidem noſtri parentes, etiam ante lapſum, prorſus ſine lege vixerunt: quæ certe cordibus ipſorum tum inſcripta erat: quia Dominus eos ad imaginem ſuam creaverat. I. *Gen. 2, 16. Cap. 3, 3.*

Credimus, docemus, & confitemur, concionem legis non modo apud eos, qui fidem in Chriſtum non habent, & pœnitentiam nondum agunt, ſed etiam apud eos, qui vere in Chriſtum credunt, vere ad Deum converſi & renati, & per fidem juſtificati ſunt, ſedulo urgendam eſſe. II.

Etſi enim renati, & ſpiritu mentis ſuæ renovati ſunt: tamen regeneratio illa & renovatio, in hac vita non eſt omnibus numeris abſoluta, ſed duntaxat inchoata. Et credentes illi, ſpiritu mentis ſuæ perpetuo luctantur cum carne, hoc eſt, cum corrupta natura, quæ in III. *Galat. 5, 17. Rom. 7, 23.*

nobis ad mortem usque hæret. Et propter veterem Adamum, qui adhuc in hominis intellectu, voluntate, & in omnibus viribus ejus infixus resident, opus est,
Rom. 12. ut homini lex Dei semper præluceat: ne quid privatæ devotionis affectu in negotio Religionis confingat, & cultus divinos verbo Dei non institutos eligat.
1. Corinth. 9. Galat. 6. Psal. 119. Hebr. 13. Item, ne vetus Adam pro suo ingenio agat, sed potius contra suam voluntatem, non modo admonitionibus & minis Legis, verum etiam pœnis & plagis coerceatur, ut spiritui obsequatur, seque ipsi captivum tradat.

IV. Jam quod ad discrimen operum, legis & fructuum spiritus attinet, credimus, docemus, & confitemur, quod opera illa, quæ secundum præscriptum legis fiunt, eatenus opera legis sint & appellentur, quatenus ea solummodo urgendo, & minis pœnarum atque iræ divinæ, ab homine extorquentur.

V. Fructus vero spiritus sunt opera illa, quæ Spiritus Dei in credentibus habitans, per homines renatos operatur: & quæ à credentibus fiunt, quatenus renati sunt: ita quidem sponte ac libere, quasi nullum præceptum unquam accepissent, nullas minas audivissent, nullamque remunerationem expectarent. Et hoc modo filii Dei in lege vivunt, & secundum normam legis divinæ vitam suam instituunt: hanc vivendi rationem
Rom. 7, 25. D. Paulus vocare solet in suis epistolis, legem Christi, & legem mentis.

VI. Ad hunc modum una eademq; lex est manetque, immota videlicet Dei voluntas, sive pœnitentibus sive impœnitentibus, renatis aut non renatis proponatur. Discrimen autem, quoad obedientiam, duntaxat in hominibus est: quorum alii non renati legi obedientiam qualemcunque à lege requisitam præstant: sed coacti & inviti id faciunt: (sicut etiam renati faciunt, quatenus adhuc carnales sunt) Credentes vero in Christum, quatenus renati sunt, absque coactione, libero & spon-

taneo

Digitized by Google

taneo ſpiritu, talem obedientiam præſtant, qualem alias nullæ, quantumvis ſeveriſſimæ legis comminationes extorquere poſſent.

NEGATIVA.

Falſæ doctrinæ rejectio.

REpudiamus itaque ut pernicioſum & falſum dogma, quod Chriſtianæ diſciplinæ & veræ pietati adverſatur: cum docetur, quod lex Dei (eo modo, quo ſupra dictum eſt) non ſit piis & vere credentibus, ſed tantum impiis, infidelibus & non agentibus pœnitentiam, proponenda, atque apud hos ſolos ſit urgenda.

VII.

DE COENA DOMINI.

ETſi Cingliani doctores non in eorum Theologorum numero, qui Auguſtanam Confeſſionem agnoſcunt & profitentur, habendi ſunt: quippe qui tum, cum illa Confeſſio exhiberetur, ab eis ſeceſſionem fecerunt: Tamen cum nunc ſeſe in eorum cœtum callide ingerant, erroremque ſuum ſub prætextu piæ illius confeſſionis quam latiſſime ſpargere conentur, etiam de hac controverſia Eccleſiam Dei erudiendam judicavimus.

Aug. Conf. 12. Apol. 157. Art. Sm. 330. Cat. Min. 380. Cat. Maj. 402. 551. Decl. 724.

Status controverſiæ, quæ eſt inter nos & Sacramentarios, in hoc articulo.

QVæritur, an in ſacra cœna verum corpus & verus ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti vere & ſubſtantialiter ſint præſentia, atque cum pane & vino diſtri-

ſtribuantur, & ore ſumantur, ab omnibus illis, qui hoc Sacramento utuntur: ſive digni ſint, ſive indigni, boni aut mali, fideles aut infideles: ita tamen, ut fideles è cœna Domini conſolationem & vitam percipiant; infideles autem eam ad judicium ſumant. Cingliani hanc præſentiam & diſpenſationem corporis & ſanguinis Chriſti in ſacra cœna negant: nos vero eandem aſſeveramus.

Ad ſolidam hujus controverſiæ explicationem primum ſciendum eſt, duo eſſe Sacramentariorum genera. Quidam enim ſunt Sacramentarii craſſi admodum: hi perſpicuis & claris verbis id aperte profitentur, quod corde ſentiunt: quod videlicet in cœna Domini nihil amplius quam panis & vinum ſint præſentia, ibique diſtribuantur, & ore percipiantur. Alii autem ſunt verſuti & callidi, & quidem omnium nocentiſſimi Sacramentarii: hi de negotio cœnæ Dominicæ loquentes, ex parte noſtris verbis ſplendide admodum utuntur: & præ ſe ferunt, quod & ipſi veram præſentiam veri, ſubſtantialis, atque vivi corporis & ſanguinis Chriſti in ſacra cœna credant: eam tamen præſentiam & manducationem dicunt eſſe ſpiritualem, quæ fiat fide. Et hi poſteriores Sacramentarii ſub his ſplendidis verbis eandem craſſam, quam priores habent, opinionem occultant & retinent: quod videlicet præter panem & vinum, nihil amplius in cœna Domini ſit præſens, & ore ſumatur. Vocabulum enim (ſpiritualiter) nihil aliud ipſis ſignificat, quam ſpiritum Chriſti, ſeu virtutem abſentis corporis Chriſti, ejusque meritum, quod præſens ſit: Ipſum vero Chriſti corpus nullo prorſus modo eſſe præſens, ſed tantummodo id ſurſum in ſupremo cœlo contineri ſentiunt: & affirmant, oportere nos cogitationibus fidei ſurſum aſſurgere, inque cœlum aſcendere: & ibidem (nulla autem ratione cum pane & vino ſacræ

cræ cœnæ) illud corpus & ſanguinem Chriſti quærendum eſſe.

AFFIRMATIVA.

Confeſſio ſinceræ doctrinæ, de cœna Domini, contra Sacramentarios.

I. CRedimus, docemus, & confitemur, quod in cœna Domini, corpus & ſanguis Chriſti vere & ſubſtantialiter ſint præſentia: & quod una cum pane & vino vere diſtribuantur, atque ſumantur.

II. Credimus, docemus, & confitemur, verba Teſtamenti Chriſti non aliter accipienda eſſe, quam ſicut verba ipſa ad literam ſonant: ita, ne panis abſens Chriſti corpus, & vinum abſentem Chriſti ſanguinem *Declar. p. 737.* ſignificent: ſed ut propter Sacramentalem unionem, panis & vinum vere ſint corpus & ſanguis Chriſti.

III. Jam quod ad conſecrationem attinet, credimus, docemus, & confitemur, quod nullum opus humanum, neque ulla miniſtri Eccleſiæ pronunciatio præſentiæ corporis & ſanguinis Chriſti in cœna cauſa ſit, ſed quod hoc ſoli omnipotenti virtuti Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit tribuendum.

IV. Interim tamen unanimi conſenſu, credimus, docemus, & confitemur, in uſu cœnæ Dominicæ verba inſtitutionis Chriſti nequaquam omittenda, ſed publice re- *1. Cor. 10, 16.* citanda eſſe, ſicut ſcriptum eſt: Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? &c. Illa autem benedictio fit per recitationem verborum Chriſti.

V. Fundamenta autem, quibus in hoc negotio CONTRA SACRAMENTARIOS nitimur, hæc ſunt: quæ etiam D. Lutherus in majore ſua de cœna Domini confeſſione poſuit.

Primum fundamentum est articulus fidei nostræ Christianæ, videlicet Jesus Christus est verus, essentialis, naturalis, perfectus Deus & homo in unitate personæ, inseparabilis & indivisus.

Secundum; quod dextera Dei ubique est: ad eam autem Christus, ratione humanitatis suæ, vere & reipsa, collocatus est: ideoque præsens gubernat, in manu sua, *Ephes. 1, 22.* & sub pedibus suis, ut Scriptura loquitur, habet omnia, quæ in cœlo sunt & in terra. Ad eam Dei dexteram nullus alius homo, ac ne Angelus quidem, sed solus Mariæ filius collocatus est, unde & ea, quæ diximus, præstare potest.

Tertium: quod verbum Dei non est falsum, aut mendax.

Quartum: quod Deus varios modos novit, & in sua potestate habet, quibus alicubi esse potest: neque ad unicum illum alligatus est, quem Philosophi LOCALEM aut circumscriptum appellare solent.

VI. Credimus, docemus, & confitemur, corpus & sanguinem Christi non tantum spiritualiter per fidem, sed etiam ore, non tamen Capernaiticè, sed supernaturali & cœlesti modo, ratione Sacramentalis unionis, cum pane & vino sumi. Hoc enim verba Christi perspicue testantur, quibus præcipit, accipere, edere, bibere: *Marc. 14, 23.* idque ab Apostolis factum esse, scriptura commemorat, dicens: Et biberunt ex eo omnes. Et Paulus *1. Cor. 10, 16.* inquit: Panis, quem frangimus, est communicatio corporis Christi: hoc est, qui hunc panem edit, corpus Christi edit. Idem magno consensu præcipui ex antiquissimis Ecclesiæ doctoribus, Chrysostomus, Cyprianus, Leo primus, Gregorius, Ambrosius, Augustinus, testantur.

VII: Credimus, docemus, & confitemur, quod non tantum vere in Christum credentes, & qui digne ad cœnam Domini accedunt: verum etiam indigni & infideles verum corpus & sanguinem Christi sumant: ita tamen

tamen ut nec consolationē, nec vitam inde percipiant, sed potius, ut illis sumtio ea ad judicium & damnationem cedat, si non convertantur, & pœnitentiam agant.

Etsi enim Christum, ut Salvatorem, à se repellunt, tamen eundem, licet maximi inviti, ut severum judicem, admittere coguntur. Is vero non minus præsens judicium suum, in convivis illis impœnitentibus, exercet, quam præsens consolationem & vitam in cordibus vere credentium & dignorum convivarum operatur.

Credimus, docemus, & confitemur, unum tantum genus esse indignorum convivarum: ii sunt soli illi, qui non credunt. De his scriptum est: Qui non credit, jam judicatus est. Et hoc judicium indigno sacræ cœnæ usu cumulatur & aggravatur. VIII. *Joh. 3, 18.* *1. Cor. 11, 29.*

Credimus, docemus, & confitemur, quod nullus vere credentium, quamdiu vivam fidem retinet, sacram Domini cœnam ad judicium sumat: quantacunque fidei imbecillitate laboret. Cœna enim Domini inprimis propter infirmos in fide, pœnitentes tamen, instituta est: ut ex ea veram consolationem & imbecillis fidei suæ confirmationem percipiant. IX. *Matth. 9, 12.* *Matth. 11, 28.*

Credimus, docemus, & confitemur, totam dignitatem convivarum cœlestis hujus cœnæ in sola sacratissima obedientia & absolutissimo Christi merito consistere. Illud autem nobis vera fide applicamus, & de applicatione hujus meriti per Sacramentum certi reddimur, atque in animis nostris confirmamur. Nequaquam autem dignitas illa ex virtutibus nostris, aut ex internis vel externis nostris præparationibus pendet. X.

NEGATIVA.

Contrariæ & damnatæ Sacramentariorum doctrinæ rejectio.

REjicimus atque damnamus unanimi consensu omnes erroneos, quos jam recitabimus, articulos, ut qui commemoratæ piæ doctrinæ, simplicitati fidei, & sinceræ confessioni de cœna Domini repugnant.

I. Papisticam transsubstantiationem: cum videlicet in Papatu docetur, panem & vinum in sacra cœna substantiam atque naturalem suam essentiam amittere, & ita annihilari: atque elementa illa ita in Christi corpus tuansmutari, ut præter externàs species nihil de iis reliquum maneat.

II. Papisticum Missæ sacrificium, quod pro peccatis vivorum & mortuorum offertur.

III. Sacrilegium, quo Laicis unà tantum pars Sacramenti datur: cum nimirum contra expressa verba Testamenti Christi, calice illis interdicitur, atque ita sanguine Christi spoliantur.

IV. Dogma, quo docetur, quod verba Testamenti JESU Christi non simpliciter intelligenda & fide amplectenda sint, ut sonant: ea enim obscura esse: ideoque verum eorum sensum ex aliis scripturæ locis petendum esse.

V. Corpus Christi in sacra cœna non ore una cum pane sumi: sed tantum panem & vinum ore accipi: corpus vero Christi spiritualiter duntaxat, fide nimirum, sumi.

VI. Panem & vinum in cœna Domini tantummodo symbola seu tesseras esse, quibus Christiani mutuo sese agnoscant.

VII. Panem & vinum tantum esse figuras, similitudines & typos corporis & sanguinis Christi, longissimo intervallo à nobis absentis.

VIIX. Panem & vinum tantummodo signa, memoriæ conservandæ gratia, instituta esse, quæ sigillorum & pignorum rationem habeant: quibus nobis confirmetur, quod

quod fides, cum in cœlum illa aſcendit & evehitur, ibi tam vere corporis & ſanguinis Chriſti particeps fiat, quam vere nos in ſacra cœna panem manducamus, & vinum bibimus.

Fidem noſtram de ſalute certam reddi & confirmari in cœna Domini, non niſi ſignis illis externis, pane & vino: nequaquam autem vere præſentibus vero corpore & ſanguine Chriſti. IX.

In ſacra cœna duntaxat virtutem, operationem & meritum abſentis corporis & ſanguinis Chriſti diſpenſari. X.

Chriſti corpus ita cœlo incluſum eſſe, ut nullo prorſus modo, ſimul, eodem tempore, pluribus aut omnibus locis in terris præſens eſſe poſſit, ubi cœna Domini celebratur. XI.

Chriſtum, ſubſtantialem corporis & ſanguinis ſui præſentiam neque promittere neque exhibere potuiſſe, quandoquidem id proprietas humanæ ipſius naturæ aſſumtæ nequaquam ferre aut admittere poſſit. XII.

Deum ne quidem univerſa ſua omnipotentia (horrendum dictu & auditu) efficere poſſe, ut corpus Chriſti, uno eodemque tempore in pluribus, quam uno tantum loco, ſubſtantialiter præſens ſit. XIII.

Non omnipotens illud verbum Teſtamenti Chriſti, ſed fidem præſentiæ corporis & ſanguinis Chriſti in ſacra cœna cauſam eſſe. XIV.

Fideles corpus & ſanguinem Chriſti non in pane & vino cœnæ Dominicæ quærere, ſed oculos in cœlum attollere, & ibi corpus Chriſti quærere debere. XV.

Infideles & impœnitentes Chriſtianos in cœna Domini, non verum corpus & ſanguinem Chriſti, ſed panem tantum, & vinum ſumere. XVI.

Dignitatem convivarum in hac cœleſti cœna non ex ſola vera in Chriſtum fide, ſed etiam ex præparatione hominum externa pendere. XVII.

Eos-

XIIX. Eos etiam, qui veram & vivam in Christum fidem habent, eamque retinent, nihilominus hoc Sacramentum ad judicium sumere posse: propterea quod in externa sua conversatione adhuc imperfecti sint.

XIX. Externa visibilia Elementa, panis & vini, in sacramento adoranda esse.

XX. Præter hæc, justo Dei judicio, relinquimus omnes curiosas, sannis virulentis tinctas, & blasphemas quæstiones, quæ honeste, piè, & sine gravi offensione recitari nequeunt, daliosq; sermones: quando de supernaturali & cœlesti mysterio hujus sacramenti, crasse, carnaliter, Capernaitice, & plane abominandis modis, blasphemè, & maximo cum Ecclesiæ offendiculo, Sacramentarii loquuntur.

XXI. Prorsus etiam rejicimus atque damnamus Capernaiticam manducationem corporis Christi: quam nobis Sacramentarii contra suæ conscientiæ testimonium, post tot nostras protestationes, malitiose affingunt, ut doctrinam nostram apud auditores suos in odium adducant: quasi videlicet doceamus, corpus Christi dentibus laniari, & instar alterius cujusdam cibi, in corpore humano digeri. Credimus autem & asserimus, secundum clara verba Testamenti Christi, veram, sed supernaturalem manducationem corporis CHRISTI: quemadmodum etiam verè, supernaturaliter tamen, sanguinem Christi bibi docemus. Hæc autem humanis sensibus aut ratione nemo comprehendere potest: quare in hoc negotio, sicut & in aliis fidei articulis, intellectum nostrum in obedientiam Christi captivare oportet. Hoc enim mysterium in solo Dei verbo revelatur, & sola fide comprehenditur.

VIII. DE

VIII.

DE PERSONA CHRISTI.

EX controversia superiore de cœna Domini inter sinceros Theologos Augustanæ Confessionis, & Calvinistas, qui alios etiam quosdam Theologos perturbarunt, dissensio orta est, de persona CHRISTI, de duabus in CHRISTO naturis, & de ipsarum proprietatibus. *Aug. Conf. 10. Apol. 59. Art. Sm. 303. Decl. 761.*

Status Controversiæ.

PRincipalis hujus dissidii quæstio fuit, an divina & humana natura & utriusque proprietates propter unionem personalem, REALITER, hoc est, vere & reipsa in persona Christi invicem communicent, & quousque illa communicatio extendatur?

Sacramentarii affirmarunt, divinam & humanam naturas in Christo eo modo personaliter unitas esse, ut neutra alteri quicquam realiter, hoc est, vere, & reipsa, quod cujusque naturæ proprium sit, communicet: nomina tantum nuda communicari. Unio (inquiunt illi) facit tantum nomina communia: ut videlicet Deus dicatur homo, & homo Deus appelletur: ita tamen, ut Deus nihil cum humanitate commune habeat: & viciſſim humanitas nihil cum divinitate, quoad ipsius Majestatem & proprietates, realiter, hoc est, revera & reipsa commune habeat. Contrariam vero huic dogmati sententiam D. Lutherus, & qui cum ipso faciunt, adversus Sacramentarios propugnarunt.

AFFIR-

AFFIRMATIVA.

Sincera doctrina Ecclesiæ Dei, de persona Christi.

AD explicandam hanc controversiam & juxta analogiam fidei nostræ Christianæ decidendam, fidem, doctrinam & confessionem nostram piam perspicue profitemur, videlicet:

I. Quod divina & humana natura in Christo personaliter unitæ sint, ita prorsus, ut non sint duo Christi, unus filius Dei, alter filius hominis: sed ut unus & idem sit Dei & hominis filius.
Luc. 1. *Rom. 9.*

II. Credimus, docemus, & confitemur, divinam & humanam naturas, non in unam substantiam commixtas, nec unam in alteram mutatam esse: sed utramque naturam retinere suas proprietates essentiales: ut quæ alterius naturæ proprietates fieri nequeant.

III. Proprietates divinæ naturæ sunt, esse omnipotentem, æternam, infinitam, & secundum naturæ, naturalisque suæ essentiæ proprietatem, per se, ubique præsentem esse, omnia noviſſe, &c. Hæc omnia neque sunt, neque unquam fiunt humanæ naturæ proprietates.

IV. Humanæ autem naturæ proprietates sunt: corpoream esse creaturam, constare carne & sanguine, esse finitam & circumscriptam, pati, mori, ascendere, descendere, de loco ad locum moveri, esurire, sitire, algere, æstu affligi: & si quæ sunt similia. Hæc neque sunt, neque unquam fiunt proprietates divinæ naturæ.

V. Cum vero divina & humana naturæ personaliter, hoc est, ad constituendum unum ὑφιστάμενον, sint unitæ, credimus, docemus, & confitemur, unionem illam hypostaticam non esse talem copulationem aut combinationem, cujus ratione neutra natura cum altera per-

perſonaliter, hoc eſt, propter unionem perſonalem, quicquam commune habeat: qualis combinatio ſit, cum duo afferes conglutinantur: ubi neuter alteri quicquam confert, aut aliquid ab altero accipit. Quin potius hic ſumma communio eſt, quam Deus cum aſſumto homine vere habet: & ex perſonali unione, & ſumma ac ineffabili communione, quæ inde conſequitur, totum illud promanat, quicquid humani de DEO, & quicquid divini de homine Chriſto dicitur & creditur. Et hanc unionem atque communionem naturarum antiquiſſimi Eccleſiæ doctores ſimilitudine ferri candentis, itemque unione corporis & animæ in homine, declararunt.

Hinc etiam credimus, docemus, atque confitemur, quod DEUS ſit homo, & homo ſit Deus: id quod nequaquam ita ſe haberet, ſi divina & humana natura prorſus inter ſe nihil revera & reipſa communicarent. VI.

Quomodo enim homo, Mariæ filius, Deus aut filius Dei altiſſimi vere appellari poſſet, aut eſſet, ſi ipſius humanitas cum filio Dei non eſſet perſonaliter unita: atque ita realiter, hoc eſt, vere & reipſa, nihil prorſus, excepto ſolo nudo nomine, cum ipſo commune haberet?

Eam ob cauſam credimus, docemus, & confitemur, quod virgo Maria non nudum aut merum hominem duntaxat, ſed verum Dei filium conceperit & genuerit: unde recte mater Dei & appellatur & revera eſt. VII.

Inde porro credimus, docemus, & confitemur, quod non nudus homo tantum pro nobis paſſus, mortuus, & ſepultus ſit, ad inferos deſcenderit, à mortuis reſurrexerit, ad cœlos aſcenderit, & ad Majeſtatem & Omnipotentem Dei virtutem evectus fuerit: ſed talis homo, cujus humana natura cum filio DEI tam arctam ineffabilemque unionem & communicationem habet, ut cum eo una ſit facta perſona. IIX.

Qua

IX. Quapropter verè filius Dei pro nobis eſt paſſus: ſed ſecundum proprietatem humanæ naturæ, quam in unitatem divinæ ſuæ perſonæ aſſumſit, ſibique eam propriam fecit: ut videlicet pati, & Pontifex noſter ſummus, reconciliationis noſtræ cum Deo cauſa, eſſe poſſet. Sic enim ſcriptum eſt: Dominum gloriæ crucifixerunt. Et: Sanguine Dei redemti ſumus.

1. Cor. 2, 8.
Actor. 20, 28.

X. Ex eodem etiam fundamento credimus, docemus, & confitemur, Filium hominis ad dextram omnipotentis Majeſtatis, & virtutis Dei, REALITER, hoc eſt, vere & reipſa, ſecundum humanam ſuam naturam, eſſe exaltatum, cum homo ille in Deum aſſumtus fuerit, quamprimum in utero matris à Spiritu Sancto eſt conceptus, ejusque humanitas jam tum cum filio Dei altiſſimi perſonaliter fuerit unita.

XI. Eamque Majeſtatem, ratione unionis perſonalis, ſemper Chriſtus habuit: ſed in ſtatu ſuæ humiliationis ſeſe exinanivit: qua de cauſa revera ætate, ſapientia, & gratia apud Deum atque homines PROFECIT. Quare Majeſtatem illam non ſemper, ſed quoties ipſi viſum fuit, exeruit: donec formam ſervi non autem naturam humanam, poſt reſurrectionem plene & prorſus deponeret, & in plenariam uſurpationem, manifeſtationem, & declarationem divinæ majeſtatis collocaretur, & hoc modo in gloriam ſuam ingrederetur. „Itaque jam non tantum ut Deus, verum etiam ut homo, omnia novit, omnia poteſt, omnibus creaturis præſens eſt, & omnia, quæ in cœlis, & in terris, & ſub terra ſunt, ſub pedibus ſuis, & in manu ſua habet. Hæc ita ſe habere, Chriſtus ipſe teſtatur, inquiens: Mihi data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra. Et Paulus ait: Aſcendit ſuper omnes cœlos, ut omnia impleat. Hanc ſuam poteſtatem ubique præſens exercere poteſt: neque quicquam illi aut impoſſibile eſt, aut ignotum.

Joh. 13, 3.
Matth. 28, 18.
Epheſ. 4, 10.

XII. Inde adeo, & quidem facilime, corpus ſuum verum

&

& ſanguinem ſuum in ſacra cœna præſens diſtribuere poteſt. Id vero non fit ſecundum modum & proprietatem humanæ naturæ: ſed ſecundum modum & proprietatem dextræ Dei: ut Lutherus ſecundum analogiam fidei noſtræ Chriſtianæ, in Catecheſi comprehenſæ, loqui ſolet. Et hæc Chriſti in ſacra cœna præſentia neque phyſica aut terrena eſt, neque Capernaitica: interim tamen veriſſima & quidem ſubſtantialis eſt. Sic enim verba Teſtamenti Chriſti ſonant: Hoc eſt, eſt, eſt, corpus meum, &c.

XIII. Hac noſtra fide, doctrina & confeſſione perſona Chriſti non ſolvitur: quod olim Neſtorius fecit. Is enim veram communicationem Idiomatum ſeu proprietatum utriusque naturæ in Chriſto negavit, & hac ratione Chriſti perſonam ſolvit: quam rem D. Lutherus in libello ſuo de Concilio perſpicue declaravit. Neque hac pia noſtra doctrina duæ in Chriſto naturæ, earumque proprietates confunduntur, aut in unam eſſentiam commiſcentur: (in quo errore Eutyches fuit) neque humana natura in perſona Chriſti negatur, aut aboletur: neque altera natura in alteram mutatur. Sed Chriſtus verus Deus & homo in una indiviſa perſona eſt, permanetq; in omnem æternitatem. Hoc poſt illud Trinitatis ſummum eſt myſterium, ut Apoſtolus teſtatur: in quo ſolo tota noſtra conſolatio, vita & ſalus poſita eſt. *1. Tim. 3, 16.*

NEGATIVA.

Contrariæ & falſæ doctrinæ de perſona Chriſti rejectio.

REpudiamus igitur atque damnamus omnes erroneos, quos jam recitabimus, articulos: eo quod verbo Dei & ſinceræ fidei noſtræ Chriſtianæ repugnent, cum videlicet ſequentes errores docentur:

I. Quod Deus & homo in Chriſto non conſtituant unam perſonam, ſed quod alius ſit Dei filius, & alius hominis filius: ut Neſtorius deliravit.

II. Quod divina & humana naturæ in unam eſſentiam commixtæ ſint, & humana natura in Deitatem mutata ſit, ut Eutyches furenter dixit.

III. Quod Chriſtus non ſit verus, naturalis, & æternus Deus: ut Arius blaſphemavit.

IV. Quod Chriſtus non veram humanam naturam anima rationali & corpore conſtantem habuerit: ut Marcion finxit.

V. Quod unio perſonalis faciat tantum communia nomina, & communes titulos.

VI. Quod phraſis tantum & modus quidam loquendi ſit, cum dicitur: Deus eſt homo, & homo eſt Deus: ſiquidem divinitas nihil cum humanitate, & humanitas nihil cum Deitate REALITER, hoc eſt, vere & reipſa commune habeat.

VII. Quod tantum ſit VERBALIS, ſine re ipſa, idiomatum communicatio, cum dicitur: Filium Dei pro peccatis mundi mortuum eſſe: Filium hominis omnipotentem factum eſſe.

VIII. Quod humana in Chriſto natura, eo modo, quo eſt divinitas, facta ſit eſſentia quædam infinita: & ex hac eſſentiali, communicata, in humanam naturam effuſa, & à Deo ſeparata virtute & proprietate, eo modo, quo divina natura, ubique præſens ſit.

IX. Quod humana natura divinæ, ratione ſubſtantiæ atque eſſentiæ ſuæ, vel proprietatum divinarum eſſentialium, exæquata ſit.

X. Quod humana natura in Chriſto, in omnia loca cœli & terræ localiter expanſa ſit: quod ne quidem divinæ naturæ eſt tribuendum.

XI. Quod Chriſto impoſſibile ſit, propter humanæ naturæ

turæ proprietatem, ut simul in pluribus, quam in uno loco, nedum ubique, suo cum corpore esse possit.

Quod sola humanitas pro nobis passa sit, nosque redemerit: & quod filius Dei in passione nullum prorsus cum humanitate (reipsa) communicationem habuerit: perinde ac si id negotium nihil ad ipsum pertinuisset. XII.

Quod filius Dei tantummodo divinitate sua nobis in terris, in verbo, Sacramentis, in omnibus denique ærumnis nostris, præsens sit: & quod hæc præsentia prorsus ad humanitatem nihil pertineat. Christo enim, postquam nos passione & morte sua redemerit, secundum humanitatem suam nihil amplius nobiscum in terris esse negotii. XIII.

Quod filius Dei, qui humanam naturam assumsit, jam post depositam servi formam, non omnia opera omnipotentiæ suæ, in, & cum humanitate sua, & per eam efficiat, sed tantum aliqua, & quidem in eo tantum loco, ubi humana natura est localiter. XIV.

Quod secundum humanitatem, Omnipotentiæ aliarumque proprietatum divinæ naturæ prorsus non sit capax: Idque asserere audent contra expressum testimonium Christi: Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra. *Matth. 28, 18.* Et contradicunt Paulo, qui ait: In ipso inhabitat tota divinitatis plenitudo corporaliter. *Coloss. 2, 9.* XV.

Quod Christo secundum humanitatem data quidem sit maxima potestas in cœlo & in terra, videlicet, major & amplior, quam omnes Angeli & creaturæ acceperint: sed tamen ita, ut cum omnipotentia Dei nullam habeat communicationem: neque omnipotentia illi data sit. Itaque mediam quandam potentiam, inter omnipotentiam Dei, & inter aliarum creaturarum potentiam, fingunt, datam Christo secundum humanam ejus naturam per exaltationem: quæ minor quidem sit, quam Dei omnipotentia, major tamen omnium aliarum creaturarum potestate. XVI.

XVII. Quod Christo secundum spiritum suum humanum certi limites positi sint, quantum, videlicet, ipsum scire oporteat: & quod non plus sciat, quam ipsi conveniat, & ad executionem sui officii, judicis nimirum, necessario requiratur.

XIIX. Quod Christus ne hodie quidem perfectam habeat cognitionem Dei, & omnium ipsius operum: Cum tamen de Christo scriptum sit: In ipso omnes thesauros sapientiæ & scientiæ absconditos esse. *Galat. 2, 3.*

XIX. Quod Christo secundum humanitatis suæ spiritum impossibile sit scire, quid ab æterno fuerit, quid jam nunc ubique fiat, & quid in omnem æternitatem sit futurum. *Matth. 28. 18.*

Rejicimus etiam, damnamusque, quod dictum Christi (Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra) horribili & blasphema interpretatione à quibusdam depravatur, in hanc sententiam: quod Christo secundum divinam suam naturam in resurrectione & ascensione ad cœlos iterum restituta fuerit omnis potestas in cœlo & in terra, perinde quasi, dum in statu humiliationis erat, eam potestatem, etiam secundum divinitatem, deposuisset & exuisset. Hac enim doctrina non modo verba testamenti Christi falsa explicatione pervertuntur: verum etiam dudum damnatæ Arianæ hæresi via de novo sternitur: ut tandem æterna Christi divinitas negetur, & Christus totus, quantus quantus est, una cum salute nostra amittatur: nisi huic impiæ doctrinæ ex solidis verbi Dei & fidei nostræ Catholicæ fundamentis constanter contradicatur.

(o)

Digitized by Google

IX.

DE DESCENSU CHRISTI AD INFEROS.

Status Controverſiæ.

DIſceptatum fuit ſuper hoc articulo inter quosdam Theologos, qui Auguſtanam Confeſſionem profitentur: quando & quomodo Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ut teſtatur fides noſtra Catholica, ad inferos deſcenderit: an id ante vel poſt mortem ejus factum ſit. Præterea quæſitum fuit, num anima tantum, an divinitate ſola, an vero anima & corpore deſcenderit: idque an ſpiritualiter, an vero corporaliter ſit factum. Diſputatum etiam eſt, num hic articulus ad paſſionem, an vero ad glorioſam victoriam & triumphum Chriſti ſit referendus. *Decl. 718.*

Cum autem hic fidei noſtræ articulus, ſicut & præcedens, neque ſenſibus neque ratione noſtra comprehendi queat: ſola autem fide acceptandus ſit: unanimi conſenſu conſulimus, de hac re non eſſe diſputandum, ſed quam ſimpliciſſime hunc articulum credendum & docendum eſſe. Atque in hoc negotio ſequamur piam D. Lutheri doctrinam, qui hunc articulum in concione Torgæ habita (ANNO &c. XXXIII.) pie admodum explicuit, omnes inutiles & curioſas quæſtiones præcidit, atq; ad piam fidei ſimplicitatem omnes Chriſtianos adhortatus eſt.

Satis enim nobis eſſe debet, ſi ſciamus, Chriſtum ad inferos deſcendiſſe, infernum omnibus credentibus deſtruxiſſe, nosque per ipſum è poteſtate mortis & Satanæ, ab æterua damnatione, atque adeo è faucibus inferni ereptos. Quo autem modo hæc effecta fuerint,

non curioſe ſcrutemur, ſed hujus rei agnitionem alteri ſeculo reſervemus: ubi non modo hoc myſterium, ſed alia multa, in hac vita ſimpliciter à nobis credita, revelabuntur: quæ captum cœcæ noſtræ rationis excedunt.

X.

DE CEREMONIIS ECCLESIAſticis, quæ vulgo adiaphora ſeu res mediæ & indifferentes vocantur.

ORta eſt etiam inter Theologos Auguſtanæ Confeſſionis controverſia de Ceremoniis ſeu ritibus Eccleſiaſticis: qui in verbo Dei neque præcepti ſunt, neque prohibiti: ſed ordinis tantum & decori gratia in Eccleſiam ſunt introducti.

Status Controverſiæ.

QVæſitum fuit, num perſecutionis tempore, & in caſu confeſſionis (etiamſi adverſarii nobiſcum in doctrina conſentire nolint) nihilominus ſalva conſcientia aliquæ abrogatæ ceremoniæ, quæ per ſe indifferentes, & à Deo neque mandatæ neque prohibitæ ſint, poſtulantibus id & urgentibus adverſariis, iterum in uſum revocari poſſint: & an hoc modo cum Pontificiis in ejusmodi ceremoniis & adiaphoris conformari recte queamus. Una pars hoc fieri poſſe affirmavit; altera vero negavit.

AFFIRMATIVA.

Sincera doctrina & Confeſſio de hoc articulo.

AD

AD hanc controverſiam dirimendam unanimi conſenſu credimus, docemus, & confitemur, quod ceremoniæ ſive ritus Eccleſiaſtici (qui verbo Dei neque præcepti ſunt, neque prohibiti, ſed tantum decori & ordinis cauſa inſtituti) non ſint per ſe cultus divinus, aut aliqua ſaltem pars cultus divini. Scriptum eſt enim: Fruſtra colunt me, docentes doctrinas, mandata hominum. I. *Matth. 15, 19*

Credimus, docemus, & confitemur, Eccleſiæ Dei, ubivis terrarum, & quocunque tempore, licere, pro re nata, ceremonias tales mutare: juxta eam rationem, quæ Eccleſiæ Dei utiliſſima, & ad ædificationem ejusdem maxime accommodata judicatur. II.

Ea tamen in re omnem levitatem fugiendam & offendicula cavenda: inprimis vero infirmorum in fide rationem habendam, & iis parcendum eſſe cenſemus. III. *1. Cor. 8, 9. Rom. 14, 13.*

Credimus, docemus, & confitemur, quod temporibus perſecutionum, quando perſpicua & conſtans confeſſio à nobis exigitur, hoſtibus Evangelii in rebus adiaphoris non ſit cedendum: Sic enim Apoſtolus inquit: Qua libertate Chriſtus nos liberavit, in ea ſtate, & nolite iterum jugo ſervitutis ſubjici. Et alibi: Nolite jugum ducere cum infidelibus, &c. Quæ enim eſt ſocietas luci ad tenebras? &c. Item, quibus neque ad horam ceſſimus ſubjectione: ut veritas Evangelii permaneret apud nos. In tali enim reium ſtatu non agitur, jam amplius de adiaphoris: ſed de veritate Evangelii, & de libertate Chriſtiana ſarta tectaque conſervanda: & quomodo cavendum ſit, ne manifeſte idololatria confirmetur, & infirmi in fide offendantur. In hujusmodi rebus noſtrum certe non eſt, aliquid adverſariis largiri: ſed officium noſtrum requirit, ut piam & ingenuam confeſſionem edamus, & ea patienter feramus, quæ Dominus nobis ferenda impoſuerit, & hoſtibus verbi Dei in nos permiſerit. IV. *Galat. 5, 1. 2. Cor. 6. 14. Galat. 2, 5.*

Credimus, docemus, & confitemur, quod Ecclesia alia aliam damnare non debeat, propterea, quod hæc vel illa plus minusve externarum ceremoniarum, quas Dominus non instituit, observet: si modo in doctrina ejusque articulis omnibus, & in vero Sacramentorum usu sit inter eas consensus. Hoc enim vetus & verum dictum est: Dissonantia jejunii non dissolvit consonantiam fidei.

NEGATIVA.

Falsæ doctrinæ de hoc articulo rejectio.

REpudiamus atque damnamus hæc falsa & verbo Dei contraria dogmata.

I. Quod humanæ traditiones & constitutiones, in Ecclesiasticis rebus, per se, pro cultu Dei, aut certe pro parte divini cultus sint habendæ.

II. Quando ejusmodi ceremoniæ & constitutiones, Ecclesiæ Dei coactione quadam tanquam necessariæ obtruduntur: & quidem contra libertatem Christianam, quam Ecclesia Christi, in rebus ejusmodi externis, habet.

III. Cum asseritur, quod tempore persecutionis, quando clara confessio requiritur, hostibus Evangelii in observatione ejusmodi rerum adiaphorarum gratificari, & cum ipsis paciſci & consentire liceat: quæ res cum detrimento veritatis cœlestis conjuncta est.

IV. Cum externæ ceremoniæ, quæ indifferentes sunt, ea opinione abrogantur, quasi Ecclesiæ Dei liberum non sit, pro re nata, ut judicaverit ad ædificationem utile esse, hanc vel illam ceremoniam, ratione libertatis Christianæ, usurpare.

Digitized by Google

XI.

DE ÆTERNA PRÆDESTINATIONE ET ELECTIONE DEI.

DE hoc articulo non quidem publice mota est controversia inter Augustanæ Confessionis Theologos, sed tamen cum hic articulus magnam piis mentibus consolationem adferat, si recte & dextre explicetur: visum est eundem in hoc scripto declarare, ne forte temporis progressu disputationes aliquæ cum offendiculo conjunctæ de hac re exoriantur. *Decl. 797.*

AFFIRMATIVA.

Sincera doctrina de hoc Articulo.

PRimum omnium est, quod accurate observari oportet: discrimen esse inter Præscientiam, & Prædestinationem, sive æternam electionem Dei. I.

Præscientia enim Dei nihil aliud est, quam quod Deus omnia noverit, antequam fiant, sicut scriptum est: Est Deus in cœlo, revelans mysteria, qui indicavit tibi Rex Nabuchodonosor, quæ ventura sunt in novissimis temporibus. II.

Hæc Dei præsentia simul ad bonos & malos pertinet: sed interim non est causa mali: neque est causa peccati, quæ hominem ad scelus impellat. Peccatum enim ex diabolo, & ex hominis prava & mala voluntate oritur. Neque hæc Dei præscientia causa est, quod homines pereant: hoc enim sibi ipsis imputare debent. Sed præscientia Dei disponit malum, & metas illi III.

constituit, quousque progredi & quamdiu durare debeat, idque eo dirigit, ut, licet per se malum sit, nihilominus electis Dei ad salutem cedat.

IV. Prædestinatio vero, seu æterna Dei electio, tantum ad bonos & dilectos filios Dei pertinet: & hæc est causa ipsorum salutis. Etenim eorum salutem procurat, & ea, quæ ad ipsam pertinent, disponit. Super hanc Dei prædestinationem salus nostra ita fundata est, ut inferorum portæ eam evertere nequeant.

Joh. 10.
Matth. 16, 18.

V. Hæc Dei prædestinatio non in arcano Dei consilio est scrutanda, sed in verbo Dei, in quo revelatur, quærenda est.

VI. Verbum autem Dei deducit nos ad Christum: is est liber ille vitæ, in quo omnes inscripti & electi sunt, qui salutem æternam consequuntur. Sic enim scriptum est: Elegit nos in Christo, ante mundi constitutionem.

Ephes. 1, 4.

VII. Christus vero omnes peccatores ad se vocat, & promittit illis levationem: Et serio vult, ut omnes homines ad se veniant, & sibi consuli & subveniri sinant. His sese redemtorem in verbo offert: & vult ut verbum audiatur, & ut aures non obturentur, nec verbum negligatur & contemnatur. Et promittit se largiturum virtutem & operationem Spiritus Sancti, & auxilium divinum, ut in fide constantes permaneamus, & vitam æternam consequamur.

VIII. De nostra igitur electione ad vitam æternam neque ex rationis nostræ judicio, neque ex lege Dei judicandum est: ne vel dissolutæ & Epicureæ vitæ nos tradamus, vel in desperationem incidamus. Qui enim rationis suæ judicium in hoc negotio sequuntur, in horum cordibus hæ pernicioſæ cogitationes (quibus ægerrime resistere possunt) excitantur: Si (inquiunt) Deus me ad æternam salutem elegit, non potero damnari, quicquid etiam designavero. Contra vero, si non sum electus ad vitam æternam, nihil pla-

plane mihi profuerit, quantumcunque boni fecero: omnes enim conatus mei irriti erunt.

Vera igitur ſententia de Prædeſtinatione ex Evangelio Chriſti diſcenda eſt. In eo enim perſpicue docetur, quod Deus omnes ſub incredulitatem concluſerit, ut omnium miſereatur: & quod nolit quenquam perire: ſed potius ut omnes convertantur, & in Chriſtum credant, IX. *Rom. 11, 32. Ezech. 18, 32. Cap. 33, 11. 1. Joh. 2, 2.*

Qui igitur voluntatem Dei revelatam inquirunt, eoque ordine progrediuntur, quem D. Paulus in Epiſtola ad Romanos ſecutus eſt, (qui hominem prius deducit ad pœnitentiam, ad agnitionem peccatorum, ad fidem in Chriſtum, ad obedientiam mandatorum Dei, quam de æternæ prædeſtinationis myſterio loquatur) iis doctrina de prædeſtinatione Dei ſalutaris eſt, & maximam conſolationem affert. X.

Quod vero ſcriptum eſt: multos quidem vocatos, paucos vero electos eſſe: non ita accipiendum eſt, quaſi Deus nolit, ut omnes ſalventur: ſed damnationis impiorum cauſa eſt, quod verbum Dei aut prorſus non audiant, ſed contumaciter contemnant, aures obturent, & cor indurent, & hoc modo Spiritui Sancto viam ordinariam præcludant, ut opus ſuum in his efficere nequeat: aut certe quod verbum auditum floccipendant, atque abjiciant. Quod igitur pereunt, neque Deus, neque ipſius electio, ſed malitia eorum in culpa eſt. XI. *Matth. 22, 14. 2. Petr. 1. Luc. 11. Hebr. 12.*

Hucusque homo pius in meditatione articuli de æterna Dei electione tuto progredi poteſt: quatenus, videlicet, ea in verbo Dei eſt revelata. Verbum DEI enim nobis Chriſtum, librum vitæ, proponit: is nobis per Evangelii prædicationem aperitur & evolvitur, ſicut ſcriptum eſt: Quos elegit, hos vocavit. In Chriſto igitur electio æterna DEI Patris eſt quærenda. XII. *Rom. 8, 30.*

Is in æterno ſuo conſilio decrevit, quod præter eos, qui filium ejus Jeſum Chriſtum agnoſcunt & in eum vere credunt, neminem ſalvum facere velit. Reliquæ cogitationes ex animis piorum penitus excutiendæ ſunt: quia non à Deo, ſed ex afflatu Satanæ proficiſcuntur: quibus humani generis hoſtis hoc agit, ut dulciſſimam illam conſolationem vel enervet, vel penitus è medio tollat, quam ex ſaluberrima hac doctrina haurire poſſumus: qua videlicet certi reddimur, quod mera gratia, ſine ullo noſtro merito, in Chriſto ad vitam æternam electi ſimus: & quod nemo ex ipſius manibus rapere nos poſſit. Et hanc clementiſſimam electionem non nudis verbis, ſed interpoſito jurejurando Dominus conteſtando confirmavit, & venerabilibus ſacramentis nobis obſignavit: quorum in ſummis tentationibus meminiſſe, & ex iis conſolationem petere debemus, ut ignita Diaboli tela extinguamus.

XIII. Interim tamen ſummo ſtudio in eo elaboremus, ut ad normam voluntatis divinæ vitam noſtram inſtituamus, & vocationem noſtram (ut D. Petrus loquitur) firmam faciamus: neque à Dei revelato verbo latum unguem recedamus: illud enim nunquam nos fallet.

2. Petr. 1, 20.

XIV. Hac brevi explicatione æternæ electionis divinæ honos ſuus Deo plene & in ſolidum tribuitur: quod videlicet ſecundum voluntatis ſuæ propoſitum, mera miſericordia, ſine ullo noſtro merito ſalvos nos faciat. Neque tamen hac doctrina vel gravioribus illis animi perturbationibus, & puſillanimitati, vel Epicureiſmo anſa præbetur.

NEGATIVA.

Falſæ doctrinæ, de hoc articulo, rejectio.

Credi-

Digitized by Google

CRedimus igitur & ſentimus, quando doctrina de electione Dei ad vitam æternam eo modo proponitur, ut perturbatæ piæ mentes ex ea conſolationem nullam capere queant: ſed potius per eam in animi anguſtias aut deſperationem conjiciantur: aut impœnitentes in diſſoluta ſua vita confirmentur: quod articulus hic non ad normam verbi & voluntatis DEI, ſed juxta humanæ rationis judicium, & quidem impulſu Satanæ male & perperam tractetur. Quæcunque enim ſcripta ſunt, (inquit Apoſtolus) ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt: ut per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus. Rejicimus itaque omnes, quos jam enumerabimus, errores. *Rom. 15, 4.*

I. Quod Deus nolit, ut omnes homines pœnitentiam agant, & Evangelio credant.

II. Quando Deus nos ad ſe vocat, quod non ſerio hoc velit, ut omnes homines ad ipſum veniant.

III. Quod nolit DEUS, ut omnes ſalventur: ſed quod quidam, non ratione peccatorum ſuorum, verum ſolo DEI conſilio, propoſito, & voluntate, ad exitium deſtinati ſint, ut prorſus ſalutem conſequi non poſſint.

IV. Quod non ſola Dei miſericordia, & ſanctiſſimum Chriſti meritum, ſed etiam in nobis ipſis aliqua cauſa ſit electionis divinæ, cujus cauſæ ratione Deus nos ad vitam æternam elegerit.

Hæc dogmata omnia falſa ſunt, horrenda & blaſphema: iisque piis mentibus omnis prorſus conſolatio eripitur, quam ex Evangelio & ſacramentorum uſu capere deberent: & idcirco in Eccleſia Dei nequaquam ſunt ferenda.

Hæc brevis eſt & ſimpliciſſima articulorum controverſorum explicatio, de quibus inter Theologos Auguſtanæ Confeſſionis aliquandiu diſceptatum & diſcrepantibus inter ſe ſententiis diſputatum eſt. Et ex hac declaratione homo pius quantumvis ſimplex, ſecum-

cundum analogiam verbi Dei, & Catechismi simplicem doctrinam deprehendere potest, quid verum sit, quid falsum. Non enim tantummodo sincera doctrina diserte est recitata, verum etiam contraria & falsa doctrina repudiata est, & rejecta: & controversiæ illæ, offendiculorum plenæ, solide sunt decisæ atque dijudicatæ.

Faxit Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, ut per gratiam Spiritus Sancti omnes in ipso consentientes & concordes simus, atque in consensu pio, qui ipsi probetur, constanter perseveremus, Amen.

XII.

DE ALIIS HÆRESIBUS ET Sectis, quæ nunquam Augustanam Confessionem sunt amplexæ.

NE tacita cogitatione hæreses illæ & sectæ nobis tribuantur, propterea, quod earum in commemorata declaratione expressam mentionem non fecimus: visum est articulos earum ad calcem (ut dicitur) hujus scripti nude recitare, in quibus nostri temporis hæretici à veritate dissentiunt, & sinceræ nostræ religioni & confessioni contrarium docent.

ERRORES ANABAPTISTARUM.

ANabaptistæ in multas sectas sunt divisi: quarum aliæ plures, aliæ pauciores errores defendunt: Generatim tamen omnes talem doctrinam profitentur, quæ neque in Ecclesia, neque in Politia, neque in Oeconomia tolerari potest.

Arti-

Articuli Anabaptiſtici, qui in Eccleſia ferri non poſſunt.

I. Quod Chriſtus carnem & ſanguinem ſuum non è Maria virgine aſſumſerit, ſed è cœlo attulerit.

II. Quod Chriſtus non ſit verus Deus: ſed tantummodo cæteris ſanctis ſit ſuperior, quia plura Spiritus Sancti dona acceperit, quam alius quispiam homo Sanctus.

III. Quod juſtitia noſtra coram Deo, non in ſolo Chriſti merito, ſed in renovatione atque adeo in noſtra propria probitate, in qua ambulemus, conſiſtat. Ea vero Anabaptiſtarum juſtitia magna ex parte electitia, & humanitus excogitata quadam ſanctimonia conſtat, & revera nil aliud eſt, quam novus quidam Monachatus.

IV. Quod infantes non baptizati, coram Deo non ſint peccatores, ſed juſti & innocentes: & in illa ſua innocentia, cum uſum rationis nondum habeant, ſine baptiſmo (quo videlicet, ipſorum opinione, non egeant) ſalutem conſequantur. Et hoc modo rejiciunt totam de peccato Originali doctrinam, reliqua etiam, quæ ex ea dependent.

V. Quod infantes baptizandi non ſunt, donec uſum rationis conſequantur, & fidem ſuam ipſi profiteri poſſint.

VI. Quod Chriſtianorum liberi eam ob cauſam, quia à parentibus Chriſtianis & fidelibus orti ſunt, (etiam præter & ante ſuſceptum Baptiſmum) revera ſancti, & in filiorum Dei numero ſint habendi. Qua de cauſa etiam neque Pædobaptiſmum magnifaciunt, neque id operam dant, ut infantes baptizentur: Quod cum expreſſis verbis promiſſionis divinæ pugnat: ea enim tantum ad eos pertinet, qui fœdus Dei obſervant, illudque non contemnunt. *Geneſ. 1.*

Quod

VII. Quod ea non sit vera & Christiana Ecclesia, in qua aliqui adhuc peccatores reperiuntur.

VIII. Quod conciones non sint audiendæ ullæ, in iis templis, in quibus aliquando Missæ Pontificiæ sunt celebratæ.

IX. Quod homo pius nihil prorsus commercii habere debeat cum Ecclesiæ ministris, qui Evangelion Christi juxta Augustanæ Confessionis sententiam docent, & Anabaptistarum conciones ac errores reprehendunt: & quod ejusmodi Ecclesiæ ministris neque servire, neque operam locare liceat: sed quod iidem ut perversores verbi divini vitandi & fugiendi sint.

Articuli Anabaptistici, qui in Politia sunt intolerabiles.

I. QVod Magistratus officium non sit, sub novo Testamento, genus vitæ, quod Deo placeat.

II. Quod homo Christianus salva & illæsa conscientia officio Magistratus fungi non possit.

III. Quod homo Christianus illæsa conscientia officium magistratus, rebus ita ferentibus, adversus improbos administrare & exequi, & subditi potestatem illam, quam magistratus à Deo accepit, ad defensionem implorare non possint.

IV. Quod homo Christianus sana conscientia jusjurandum præstare, & juramento interposito, obedientiam & fidem suo principi aut magistratui promittere nequeat.

V. Quod magistratus sub novo Testamento, bona conscientia homines facinorosos capitali supplicio afficere non possit.

Articuli Anabaptistici, qui in Oeconomia ferri non possunt.

Quod

Digitized by Google

QVod homo pius non possit conscientia salva proprium tenere & possidere: sed quod is, quicquid omnino facultatum habeat, id totum in commune conferre debeat. I.

Quod homo Christianus illæsa conscientia neque cauponariam, neque mercaturam exercere, aut arma conficere possit.

Quod conjugibus, propter diversam religionem, divortium facere, & cum alia persona, quæ in religione non dissentiat, matrimonium contrahere liceat. III.

ERRORES SCHWENCOFELDIANORUM.

QUod omnes illi, qui Christum, secundum carnem, creaturam esse dicunt, non habeant veram regnantis cœlestis Regis agnitionem. I.

Quod caro Christi per exaltationem eo modo omnes proprietates divinas acceperit, ut Christus, quatenus homo est, potentia, virtute, majestate, gloria, Patri & τῷ λόγῳ, per omnia, in gradu & statu essentiæ, omnino æqualis sit: ita, ut jam utriusque in Christo naturæ una sit essentia, eædem proprietates, eadem voluntas, eademque gloria: & quod caro Christi ad Sacrosanctæ Trinitatis essentiam pertineat. II.

Quod ministerium verbi, prædicatum & auditu perceptum verbum, non sit instrumentum illud, per quod Deus Spiritus Sanctus homines doceat, salutaremque Christi agnitionem largiatur, & conversionem, veram pœnitentiam, fidem, & novam obedientiam in ipsis efficiat. III.

Quod aqua baptismi non sit medium, per quod Dominus adoptionem in filiis Dei obsignet, & regenerationem efficiat. IV.

Quod panis & vinum in sacra cœna non sint organa, V.

per quæ & cum quibus Christus corpus & sanguinem suum distribuat.

VI. Quod homo pius, vere per spiritum Dei regeneratus, legem Dei in hac vita perfecte servare & implere valeat.

VII. Quod non sit vera Ecclesia Christi, in qua non vigeat publica excommunicatio, & solennis aliquis excommunicationis modus, seu, ut vulgo dicitur, processus ordinarius.

IX. Quod is Ecclesiæ minister alios homines cum fructu docere, aut vera Sacramenta dispensare non possit, qui ipse non sit vere renovatus, renatus & vere justus.

ERRORES NOVORUM ARIANORUM.

QVod Christus non sit verus, substantialis, naturalis Deus, ejusdem cum Patre & Spiritu Sancto essentiæ: sed divina tantum Majestate ita cum Patre ornatus, ut Patre sit inferior.

ERRORES ANTITRINITARIORUM.

HÆc prorsus nova est hæresis, quæ antehac Ecclesiis Christi ignota fuit, eorum videlicet, qui opinantur, docent, & profitentur, non esse unicam tantum divinam & æternam Patris, Filii, & Spiritus S. essentiam: sed quemadmodum Pater, Filius & Spiritus Sanctus tres sunt distinctæ personæ; ita unamquamque personam habere distinctam, & à reliquis personis divinitatis separatam essentiam. Et horum alii sentiunt, quod singulæ personæ in singulis essentiis æquali sint potestate, sapientia, majestate, & gloria; sicut alias tres numero differentes homines, ratio-

Digitized by Google

ratione essentiæ suæ, sunt à se invicem disjuncti & separati. Alii sentiunt tres illas personas & essentias ita inæquales esse, ratione essentiæ & proprietatum, ut solus Deus Pater verus sit Deus.

Hos, atque his similes errores omnes,& eos etiam, qui ab his dependent, & ex his consequuntur, rejicimus atque damnamus: utpote, qui falsi sint atque hæretici, & qui verbo Dei, tribus approbatis Symbolis, Augustanæ Confessioni, ejusdem Apologiæ,Smalcaldicis articulis,&Catechismis Lutheri repugnent: quos etiam errores omnes pii summi atque infimi cavere & vitare debent: nisi æternæ suæ salutis jacturam facere velint.

Quod autem hæc sit omnium nostrum fides, doctrina, & Confessio, (de qua in novissimo illo die judici Domino nostro Jesu Christo rationem reddere parati sumus:) & quod contra hanc doctrinam nihil vel occulte vel aperte dicere aut scribere, sed per gratiam Dei in ea constanter perseverare velimus: in ejus rei fidem, re bene meditata, in vero Dei timore & invocatione nominis ejus,hanc epitomen propriis manibus subscripsimus.

(o)

SOLIDA, PLANA AC PERSPICUA REPETITIO ET DECLARATIO QUORUNDAM Articulorum Auguſtanæ Confeſſionis, de quibus aliquandiu inter nonnullos Theologos eidem addictos diſputatum fuit: continens earum controverſiarum, ad normam & analogiam verbi Dei & compendiariam Chriſtianæ noſtræ doctrinæ formulam & rationem, deciſionem atque conciliationem.

IMmenſa Dei optimi Maximi bonitate atque miſeratione factum eſt: ut doctrina de præcipuis Chriſtianæ noſtræ religionis articulis, quæ opinionibus & traditionibus humanis durante Papatu, horribiliter obſcurata fuerat; opem D. Lutheri, piæ ſanctæque memoriæ, rurſus ſecundum præſcriptum & analogiam verbi Dei ſincere explicaretur, & repurgaretur; Pontificii vero errores, abuſus, & idolomaniæ graviter redarguerentur. Hac pia Reformatione adverſarii nova dogmata in Eccleſiam Dei introduci putaverunt: eam igitur, quaſi verbo Dei prorſus repugnaret, & piæ Ordinationes penitus everteret, vehementer, falſo tamen, criminati ſunt, & calumniis prope infinitis, quæ nullo tamen vel probabili ſaltem colore fulcirentur, oppugnarunt. Ea re moti Illuſtriſſimi, pietatique religioſa præſtantiſſimi Electores, Principes, & Ordines Im-

Imperii (qui tum ſinceram Evangelii doctrinam amplexi fuerant, & Eccleſias ſuas ad verbi Dei normam pie reformaverant) in comitiis, frequentiſſimis & celeberrimis illis Auguſtæ Vindelicorum, Anno poſt milleſimum quingenteſimum trigeſimo habitis, ſedulo curarunt, ut Confeſſio pia, è ſacris literis collecta, conſcriberetur: eamque Confeſſionem Imperatori Carolo V. exhibuerunt. In ea perſpicue & candide profeſſi ſunt, quid de præcipuis articulis (iis præſertim qui inter ipſos & Pontificios in controverſiam venerant) in Eccleſiis Evangelicis & reformatis crederetur & publice doceretur. Eam Confeſſionem Adverſarii moleſte quidem gnviterque acceperunt: ſed ad hunc usque diem neque refutare neque evertere potuerunt.

Hanc piam atque e fundamentis verbi Dei ſolidiſſimis extructam Auguſtanam Confeſſionem nos toto pectore amplecti, publice & ſolenniter etiamnum profitemur: & ſimplicem illius, ſinceram & perſpicuam ſententiam, quam verba ipſa monſtrant, retinemus. Eamque pium noſtri temporis Symbolum eſſe, quod piæ mentes poſt invictam verbi Dei autoritatem recipere debeant, judicamus: quemadmodum olim etiam in Eccleſia Dei, exortis gravissimis in Religionis negotio certaminibus, Confeſſiones & pia quædam Symbola ſunt conſcripta: quæ ſinceri doctores & auditores toto animo amplectebantur, & publice profitebantur. Et quidem, bene juvante nos gratia Dei Opt. Maximi, in illius Confeſſionis pia doctrina (quemadmodum ea Carolo V. Anno &c. 30. exhibita eſt) ad ultimos usque vitæ noſtræ ſpiritus conſtantes perſeverabimus. Neque in animo habemus, hoc ſcripto aut quocunque alio, à commemorata jam Confeſſione vel transverſum, ut ajunt, unguem diſcedere: vel aliam aut novam Confeſſionem condere.

Etſi autem pia Confeſſionis illius doctrina, magna ex parte (præterquam quod à Pontificiis factitatum eſt)

non fuit impugnata: fateri tamen oportet, nonnullos Theologos in præcipuis quibusdam & magni momenti articulis, à doctrina illius Confessionis discessisse: veramque illius sententiam aut non assecutos esse, aut certe non constanter retinuisse, quosdam etiam ei alienam sententiam affingere conatos esse, qui nihilominus tamen Augustanam se Confessionem amplecti simularunt, & ex ea, quasi gloriantes de ejus professione, prætextus quæsiverunt. Ex ea autem re gravia admodum & pernitiosa in reformatis Ecclesiis dissidia sunt orta: quemadmodum olim etiam, vivis adhuc Apostolis, inter eos, qui Christiani haberi volebant, & de doctrina Christi gloriabantur, horribiles errores sunt exorti. Act. 15. *Quidam enim per opera legis justificationem &* 1. Cor. 15. *salutem quærebant: alii resurrectionem mortuorum negabant: alii Christum, verum & æternum Deum esse, non credebant. His certe Apostoli sese & concionibus & scriptis severe opposuerunt: etsi non ignorabant, errores illos, & de rebus tantis acerrima certamina gravissimam offensionem, tam apud infideles, quam apud infirmos in fide, excitare: Perinde ac hodie nostri adversarii Pontificii propter dissidia illa, inter nos orta, exultant: spem illam minime piam & quidem falsam foventes, fore ut ex nostris mutuis contertationibus, sanæ doctrinæ ruina & interitus consequantur. Infirmi vero interim valde offenduntur & perturbantur: quidam dubitant, an inter tot & tanta dissidia etiam vera apud nos doctrina reperiatur: quidam non vident, cui parti in articulis illis controversis subscribere debeant. Mota enim illa certamina, non sunt λογομαχίαι aut de verbis inanes & non necessaria disceptationes: quales oriri solent, cum altera pars alterius sententiam non satis assecuta est: ut quibusdam fortasse, in hoc religionis negotio, res habere videntur: qui existimant, disputari tantum de paucis quibusdam vocabulis, quæ nullius pene, aut certe non magni-*

gni ſint momenti. Sed res grabiſſimæ ſunt, de quibus controvertitur, & prorſus tales, ut illius partis, quæ à vero aberrat, ſententiæ in Eccleſia Dei nec poſſit nec debeat ferri, nedum excuſari, aut defendi.

Quare neceſſitas exigit, ut controverſi illi articuli è verbo Dei & probatis ſcriptis perſpicue explicentur: quo omnes pii & intelligentes animadvertere poſſint, cujusnam partis ſententia in controverſiis illis motis, verbo Dei & Auguſtanæ Confeſſioni orthodoxæ, conformis ſit, & quæ probatis illis ſcriptis adverſemur: ut bonæ & piæ mentes, quibus veritas cordi eſt, corruptelas & errores, qui exorti ſunt, effugere & vitare queant.

DE COMPENDIARIA DOCTRINÆ FORMA, FUNdamento, norma atque regula, ad quam omnia dogmata, juxta analogiam verbi Dei, dijudicanda, & controverſiæ motæ pie declarandæ atque decidendæ ſunt.

PRimo, ad ſolidam, diuturnam & firmam concordiam in Eccleſia Dei conſtituendam, neceſſarium omnino eſt, ut certa compendiaria forma & quaſi typus, unanimi conſenſu approbatus extet: in quo communis doctrina, quam Eccleſiæ ſincerioris & reformatæ religionis profitentur, è verbo DEI collecta extet. Etenim ea in re exemplum primitivæ Eccleſiæ ſequimur: quæ in talem uſum ſua quædam certa ſymbola ſemper habuit. Cum vero compendaria illa

doctrinæ forma non privatis, ſed publicis ſcriptis niti debeat, quæ confecta, approbata, & recepta ſint earum Eccleſiarum nomine, quæ ſinceram doctrinam & religionem unanimi conſenſu profitentur: mentem noſtram invicem corde & ore ita declaravimus, & jam declaramus, quod nullam novam aut ſingularem confeſſionem fidei noſtræ conſcribere aut recipere in animo habeamus. Quin potius publica illa & communia ſcripta amplectimur, quæ in omnibus Eccleſiis Auguſtanæ Confeſſionis pro ſymbolis & communibus confeſſionibus ſemper habita ſunt: priusquam diſſenſiones inter eos, qui Auguſtanam Confeſſionem profitentur, ortæ ſunt: quæ etiam ſcripta publicam autoritatem obtinuerunt, quamdiu magno conſenſu paſſim in omnibus articulis ſincera verbi Dei doctrina, ut eam D. Lutherus propoſuit, conſervata, retenta, atque uſurpata fuit.

I. PRIMUM igitur toto pectore Prophetica & Apoſtolica ſcripta Veteris & Novi Teſtamenti, ut limpidiſſimos puriſſimosque Iſraelis fontes, recipimus & amplectimur: & ſacras literas ſolas, unicam & certiſſimam illam regulam eſſe credimus, ad quam omnia dogmata exigere, & ſecundum quam de omnibus tum doctrinis, tum doctoribus judicare oporteat.

Supra p. 570. 571.

II. Et quia jam olim ſincera Chriſti doctrina, in genuino & ſano ſenſu, ex ſacris literis collecta, & in articulos ſeu capita breviſſima contra hæreticorum corruptelas digeſta eſt: amplectimur etiam tria illa Catholica, & generalia ſummæ autoritatis ſymbola: Apoſtolicum, videlicet, Nicenum, & Athanaſii. Hæc enim agnoſcimus eſſe breves quidem, ſed easdem maxime pias, atque in verbo Dei ſolide fundatas, præclaras confeſſiones fidei, quibus omnes hæreſes, quæ iis temporibus Eccleſias Chriſti perturbarunt, perſpicue & ſolide refutantur.

Deinde,

Digitized by Google

Deinde, cum poſtremis hiſce temporibus, Deus Optimus Maximus ſumma clementia puritatem verbi ſui è tenebris horrendis, & plus quam Cimmeriis, quibus ſub Papatu oppreſſa fuerat, fideli opera præſtantiſſimi viri D. Lutheri viri Dei rurſus in lucem produxerit: quæ ſincera doctrina non modo contra Papatum, ſed etiam adverſus aliarum Sectarum corruptelas, è verbo Dei in articulos & capita Auguſtanæ Confeſſionis digeſta eſt: etiam Auguſtanam, primam illam & non mutatam, Confeſſionem amplectimur. Idque non ea de cauſa facimus, quod à noſtris Theologis ſit conſcripta: ſed quia è verbo Domini eſt deſumta, & ex fundamentis ſacrarum literarum ſolide extructa, ſicut ea Anno 1530. ſcripto comprehenſa, & Imperatori Carolo V. per quosdam Electores, Principes, & ordines Romani Imperii, (ut communis pie reformatarum Eccleſiarum Confeſſio) Auguſtæ eſt exhibita. Hanc enim noſtri temporis Symbolum eſſe judicamus, quo reformatæ noſtræ Eccleſiæ ab Romanenſibus, aliisque rejectis & damnatis ſectis & hæreſibus ſejunguntur. Et ſane hoc ipſum olim uſu in primitiva Eccleſia receptum eſt, ut ſubſequentes Synodi, pii item Epiſcopi & doctores, ad Nicænum Symbolum provocarent, atque ſe id amplecti, publice profiterentur.

IV. Poſtea cum hoc etiam curandum eſſet, ut propria & genuina Confeſſionis Auguſtanæ ſententia conſervaretur, atq; adverſus Pontificiorum calumnias plenius explicaretur, & præmuniretur, ne ſub Auguſtanæ Confeſſionis prætextu & patrocinio damnati errores ſeſe in Eccleſiam Dei paulatim inſinuarent: poſt exhibitam confeſſionem luculenta Apologia conſcripta, & Anno 1531. typis vulgata eſt. Eam etiam unanimi conſenſu approbamus & amplectimur: quia in ea non modo Auguſtana Confeſſio perſpicue explicatur, atque ab adverſariorum calumniis vindicatur, verum etiam

clariſſimis & ſolidiſſimis ſacræ ſcripturæ teſtimoniis confirmatur.

V. Præterea etiam articulos illos toto pectore amplectimur, qui Smalcaldiæ, in frequentiſſimo Theologorum conventu, Anno ſalutis 1537. conſcripti, approbati & recepti ſunt. Eos autem articulos intelligimus, quales initio conſcripti, poſtea typis in lucem editi ſunt: in eum, videlicet, finem, ut Concilio, vel Mantuæ vel alibi celebrando, nomine Illuſtriſſimorum Electorum, Principum atque Ordinum Imperii (ut Auguſtanæ Confeſſionis uberior declaratio, in qua per Dei gratiam conſtantes perſeverare decreviſſent) publice proponi poſſet. In iis enim articulis doctrina Auguſtanæ Confeſſionis repetita eſt, & in quibusdam articulis è verbo Dei amplius declarata: & inſuper fundamenta monſtrata & graves cauſæ recitatæ ſunt, cur à Pontificiis erroribus & Idolomaniis receſſionem fecerimus: cur etiam in iis rebus cum Pontifice Romano nobis convenire non poſſit, quodque cum eo in illis conciliari nequeamus.

VI. Poſtremo, quando negotium religionis etiam ad ſalutem vulgi & Laicorum (quos vocant) pertinet, & illis etiam, ratione ſalutis, neceſſarium eſt, ut ſinceram doctrinam à falſa diſcernant: amplectimur etiam minorem & majorem D. Lutheri Catechiſmos: eos dicimus, quales illi ab ipſo ſcripti & Tomis ejus inſerti ſunt. Omnes enim Eccleſiæ Auguſtanæ Confeſſionis hos Catechiſmos approbarunt atque receperunt: ita ut paſſim in Eccleſiis & ſcholis publice, & in privatis etiam ædibus propoſiti fuerint. Et pia doctrina è verbo Dei deſumta, in iis quam maxime perſpicue & ſimpliciſſime, in uſum rudiorum & Laicorum, eſt comprehenſa & dilucide declarata.

Hæc publica & ab omnibus piis approbata ſcripta in purioribus Eccleſiis & ſcholis ſemper habita fuere

pro

pro compendiaria hypotypoſi, ſeu forma ſanæ doctrinæ, quam D. Lutherus in ſuis ſcriptis è ſacris literis, contra Papatum & alias ſectas, depromſit, luculenter declaravit, & ſolide fundavit; Et ad D. Lutheri explicationes præclaras tam in polemicis, quam dialecticis ipſius ſcriptis comprehenſas provocamus: eo videlicet modo, quem D. Lutherus in Latina ſua præfatione Tomis operum ejus præfixa, de ſcriptis ſuis, pia & neceſſaria admonitione, nobis ipſe monſtravit. Ibi enim hoc diſcrimen (inter divina & humana ſcripta) perſpicue poſuit: ſolas videlicet ſacras literas pro unica regula & norma omnium dogmatum agnoſcendas: iisque nullius omnino hominis ſcripta adæquanda, ſed potius omnia ſubjicienda eſſe.

Hæc autem non ita accipi debent, quaſi alia utilia & ſincera ſcripta (verbi gratia, commentarios in ſacras literas, errorum refutationes, articulorum præcipuorum explicationes) rejicere, aut ex hominum manibus excutere velimus. Ea enim ſcripta (quatenus commemoratæ hypotypoſi & compendiariæ ſanæ doctrinæ conformia ſunt) tanquam explicationes atque declarationes utiles, retineri, & cum fructu legi poſſunt. Quicquid enim hactenus de compendiaria hypotypoſi ſanæ doctrinæ diximus, eo tantum referendum eſt, ut unanimi conſenſu approbatam certamque formam doctrinæ habeamus, quam Evangelicæ Eccleſiæ noſtræ ſimul omnes agnoſcant & amplectantur: ſecundum quam, cum è verbo DEI ſit deſumta, omnia alia ſcripta judicare & accommodare oportet, quatenus probanda ſint & recipienda.

Quod enim commemorata ſcripta, videlicet, Auguſtanam Confeſſionem, Apologiam, Smalcaldicos articulos, Minorem & Majorem Catechiſmos Lutheri, illa doctrinæ noſtræ Chriſtianæ ſumma complecti voluerimus: eam ob cauſam factum eſt, quod in iis unani-

unanimem & communem Ecclesiarum nostrarum piam sententiam contineri, semper sit judicatum: quippe quæ à præcipuis iisque excellentissimis illius temporis Theologis subscriptione confirmata, & in Evangelicis Ecclesiis & scholis recepta fuere. Et ea quidem (ut paulo ante monuimus) omnia conscripta atque edita sunt, priusquam controversiæ illæ inter Augustanæ Confessionis Theologos orirentur: ideoque nihil in illis datum est affectibus: quare etiam ab iis, qui inter se disceptant, reprobari nullo jure possunt. Neque vero quisquam (modo sincere & sine fuco Augustanam Confessionem amplectatur) eorum autoritatem elevabit aut contemnet, sed ea (ut veritatis testes) recipiet. Quare nemo vitio nobis vertet, quod ad eorum scriptorum declarationem & decisionem, in obortis controversiis, provocamus. Ut enim verbum Dei, tanquam immotam veritatem pro fundamento ponimus: ita illa scripta, tanquam veritatis testes, & quæ unanimem sinceramque majorum nostrorum, qui in puriore doctrina constantes permansere, sententiam complectantur, in medium recte producimus.

De Antithesi, seu Rejectione falsæ doctrinæ in Articulis controversis.

NEcessarium est ad conservandam in Ecclesia sinceram doctrinam, & ad solidam, firmam, Deoque probatam atque gratam concordiam, ut non tantum sana doctrina dextre proponatur, sed etiam contradicentes diversumque docentes redarguantur. Fidelium enim pastorum utrumque officium est (ut D. Lutherus dicere solet) & oviculas pascere, & lupum arcere: ut alienas voces vitare discant, & pretiosum à vili secernere possint.

2. Tim. 3, 16. Tit. 1, 9. Ioh. 1, 12. Ierem. 15, 19.

Quare

Quare in hac etiam parte mentem noſtram invicem declaravimus, & perſpicue declaramus: quod, videlicet, diſcrimen ſit habendum inter non neceſſarias, atque inutiles contentiones, quæ plus deſtruunt, quam ædificant, ne iis Eccleſia perturbetur: & inter neceſſaria certamina: quando tales controverſiæ incidunt, ubi de articulis fidei aut præcipuis partibus Chriſtianæ doctrinæ agitur: tum enim ad veritatis defenſionem, neceſſario contraria & falſa doctrina eſt refutanda.

Etſi autem paulo ante commemorata ſcripta pio lectori, qui veritatis cœleſtis amore flagrat, in omnibus & ſingulis articulis Chriſtianæ noſtræ Religionis perſpicue & dilucide commonſtrant, quidnam, juxta verbi Dei, Propheticorum & Apoſtolicorum ſcriptorum normam verum ſit, & amplectendum: & quid falſum & rejiciendum atque fugiendum ſit: tamen de præcipuis & ſummis articulis ſingulis, qui hiſce temporibus in controverſiam venerunt, ſententiam noſtram perſpicue & ſine omni ambiguitate proponere voluimus. Idque eo conſilio, ut veritas magis eluceſcat, clariusque agnoſcatur, & ab erroribus facilius diſcernatur: ne quicquam, quod veritati officiat, ſub nimis generalibus verbis aut phraſibus occultari poſſit: Tum etiam, ut publicum ſolidumque teſtimonium, non modo ad eos, qui nunc vivunt, ſed etiam ad omnem poſteritatem extaret: oſtendens, quænam Eccleſiarum noſtrarum de controverſis articulis unanimis fuerit, eſſeque perpetuo debeat, deciſio atque ſententia, videlicet:

Primo rejicimus atque damnamus omnes hæreſes & errores, qui in primitiva (recte credentium) Eccleſia, ex ſolidis verbi Dei fundamentis rejecti ſunt & damnati. I.

Deinde reprobamus & damnamus omnes ſectas atque hæreſes, quæ in ſcriptis paulo ante commemoratis reprobatæ ſunt. II.

Præ-

Præterea, cum intra triginta annos partim ex interreligionis, quam Interim vocant, formula, partim aliis occasionibus dissidia inter Theologos quosdam Augustanæ Confessionis orta sint, de illis omnibus & singulis fidem & confessionem nostram, non modo in thesi, verum etiam in antithesi (veram videlicet, & falsam contrariam doctrinam) diserte, categorice, & perspicue proponere & declarare voluimus. Idque ea de causa à nobis factum est, ut solida cœlestis doctrinæ in omnibus articulis fundamenta rectius conspicerentur: & omnia falsa, ambigua, suspecta, & damnata dogmata (quibuscunque libris contineantur, & à quocunque tandem vel conscripta sint, vel hodie etiamnum defendantur) diserte repudientur: & omnes, ad cavendos errores (hinc inde in quorundam Theologorum libris sparsos) fideliter præmoneantur & excitentur: ne in rebus tantis ullius hominis autoritate seducantur. Hanc nostram controversiarum explicationem si pius lector sedulo perpenderit, eamque cum scriptis illis aliquoties commemoratis contulerit: liquido intelliget, ea, quæ de unoquoque articulo (in compendiaria illa doctrina nostræ religionis & fidei) initio majores nostri senserunt atque publice professi sunt, easque declarationes, quæ diversis temporibus, per intervalla, sunt consecutæ, & eam doctrinam, quam nunc hoc scripto repetimus, haudquaquam inter se discrepare: sed esse simplicem, immotam, ac certissimam veritatem. Et agnoscet lector candidus, nos non de uno dogmate ad aliud (levitate quadam, ut adversarii nos criminantur) transilire: sed potius nos in eo elaborare, ut semel exhibitam illam Augustanam Confessionem, ejusque unanimem, piam, & veram sententiam firmiter retineamus, atque in ea doctrina per gratiam Dei (adversus omnes, quæ inciderunt, corruptelas) constantes perseveremus.

I. De

I.

DE PECCATO ORIGINIS.

ORta eſt inter nonnullos Auguſtanæ Confeſſionis Theologos controverſia de peccato Originali, quidnam hoc proprie & revera ſit. Una enim pars contendit (cum per lapſum Adæ, humana natura & eſſentia totaliter corrupta ſit) quod nunc poſt lapſum hominis corrupta natura, ſubſtantia & eſſentia, aut certe præcipua & præſtantiſſima pars ipſius eſſentiæ (anima videlicet, rationalis in ſummo ſuo gradu, aut præcipuis potentiis) ſit ipſum peccatum Originale, quod ideo vocetur peccatum naturæ, vel perſonæ, quod non ſit cogitatio, verbum, aut opus quoddam, ſed ipſiſſima natura, è qua, tanquam ex radice, omnia alia peccata oriantur: eamque ob cauſam affirmarunt, jam poſt lapſum (quandoquidem natura per peccatum corrupta eſt) nullum plane diſcrimen eſſe, inter hominis naturam, ſubſtantiam, ſeu eſſentiam, & inter peccatum Originis.

Aug. Conf. 9, 10. Apol. 50. Art. Sm. 317. Fp. 512.

Altera vero pars contrarium aſſeruit: Peccatum, videlicet, originale non eſſe ipſam hominis naturam, ſubſtantiam, aut eſſentiam, hoc eſt, ipſius hominis corpus & animam: (quæ hodie in nobis, etiam poſt lapſum ſunt manentq; Dei opus & creatura) ſed malũ illud originis eſſe aliquid IN ipſa hominis natura, corpore, anima, omnibusque viribus humanis: horrendam, videlicet, profundam, intimam atque verbis inexplicabilem humanæ naturæ corruptionem, ita, ut homo originali juſtitia, cum qua initio creatus erat, penitus ſpoliatus careat, atque (in rebus ſpiritualibus) ad bonum prorſus ſit mortuus: ad omne vero malum totus plane

plane ſit converſus, & ut propter hanc naturæ corruptionem & inſitum ac innatum peccatum (quod in ipſa natura infixum hæret) e corde humano omnis generis actualia peccata promanent. Diſcrimen itaque retinendum eſſe affirmarunt, inter corrupti hominis naturam & eſſentiam, ſeu animam & corpus hominis, quæ in nobis etiam poſt lapſum ſunt Dei opus & creatura: & inter peccatum originale, quod eſt diaboli opus, per quod natura eſt depravata.

Hæc diſceptatio de peccato originis non eſt certamen quoddam non neceſſarium, ſed maximi momenti. Cum enim hæc doctrina juxta verbi Dei analogiam recte ac ſincere proponitur, & ab omnibus cum Pelagianis, tum Manichæis erroribus ſeparatur, tunc (ut Apologia habet) beneficia Chriſti, & ſatisfactio, ſeu pretioſiſſimum ipſius meritum, atque operationes Spiritus Sancti gratuitæ rectius agnoſcuntur, & magis celebrantur, ac inſuper Deo gloria ſua tribuitur, quando opus Dei & creatura, in homine, à Diaboli opere (per quod natura corrupta eſt) recte diſcernitur. Ut igitur hæc controverſia pie, ſecundum verbi Dei analogiam, explicetur, & ſincera doctrina de peccato Originis conſervetur, ex illis, quorum ſupra mentionem fecimus, ſcriptis Theſin & Antitheſin, id eſt, ſinceram doctrinam, & falſam huic contrariam, in certa, eaque brevia capita colligemus.

I. Et primum quidem conſtat, Chriſtianos non tantum actualia delicta & transgreſſiones mandatorum Dei, peccata eſſe, agnoſcere & definire debere: ſed etiam, horrendum atque abominabilem illum hæreditarium morbum, per quem tota natura corrupta eſt, inprimis pro horribili peccato, & quidem pro principio & capite omnium peccatorum (è quo reliquæ transgreſſiones, tanquam è radice naſcantur, & quaſi è ſcaturigine promanent) omnino habendum eſſe; Et hoc malum aliquando D. Lutherus peccatum naturæ, item

item peccatum perſonæ appellare ſolet: ut ſignificet, etiamſi homo prorſus nihil mali cogitaret, loqueretur, aut ageret, (quod ſane poſt primorum noſtrorum parentum lapſum, in hac vita, humanæ naturæ eſt impoſſibile:) tamen nihilominus hominis naturam & perſonam eſſe Peccatricem, hoc eſt, Peccato Originali (quaſi lepra quadam ſpirituali) prorſus & totaliter in intimis etiam viſceribus, & cordis receſſibus profundiſſimis totam eſſe, coram Deo, infectam, venenatam & penitus corruptam, & propter hanc corruptionem, atque primorum noſtrorum parentum lapſum natura aut perſona hominis lege Dei accuſatur & condemnatur: ita, ut natura filii iræ, mortis & damnationis mancipia ſimus, niſi beneficio meriti Chriſti ab his malis liberemur & ſervemur.

Deinde etiam hoc extra controverſiam eſt poſitum, II.
(ut decimus nonus articulus Confeſſionis Auguſtanæ habet) quod Deus non ſit cauſa, creator vel autor peccati: ſed quod inſtinctu, opera & machinationibus Satanæ per unum hominem peccatum (quod eſt Diaboli opus) in mundum intraverit. Et hodie, etiam in hac naturæ corruptione, Deus non creat aut facit in nobis peccatum: ſed una cum natura, quam DEUS etiamnum in hominibus creat & efficit, peccatum originale per carnalem conceptionem & nativitatem à patre & matre (ex ſemine per peccatum corrupto) propagatur. *Rom. 5, 12. 1. Joh. 3, 8.*

Præterea, quid & quantum ſit hoc ingens hæreditarium malum, id nulla humana ratio indagare, aut agnoſcere poteſt: ſed ut Smalcaldici articuli loquuntur, ex ſcripturæ ſacræ patefactione diſcendum & credendum eſt, id quod in Apologia breviter his præcipuis capitibus comprehenditur. III.

Primo: quod hoc hæreditarium malum ſit culpa ſeu reatus, quo fit, ut omnes, propter inobedientiam Adæ & I.

Epheſ. 2, 3. Rom. 5, 19. Hevæ, in odio apud Deum, & natura filii iræ ſimus: ut Apoſtolus teſtatur.

II. Deinde, quod ſit per omnia totalis carentia, defectus ſeu privatio concreatæ in Paradiſo juſtitiæ originalis, ſeu imaginis Dei, ad quam homo initio, in veritate, ſanctitate, atque juſtitia creatus fuerat: & quod ſimul etiam ſit impotentia & ineptitudo, ἀδυναμία, & ſtupiditas, qua homo ad omnia divina ſeu ſpiritualia ſit prorſus ineptus. Verba Apologiæ latine ſic habent: Deſcriptio peccati originalis detrahit naturæ non renovatæ & dona, & vim ſeu facultatem & actus inchoandi, & efficiendi ſpiritualia.

III. Præterea, quod peccatum Originale in humana natura non tantummodo ſit ejusmodi totalis carentia ſeu defectus omnium bonorum in rebus ſpiritualibus ad Deum pertinentibus: ſed quod ſit etiam, loco imaginis Dei amiſſæ in homine, intima, peſſima, profundiſſima, (inſtar cujusdam abyſſi) inſcrutabilis & ineffabilis corruptio totius naturæ, & omnium virium, inprimis vero ſuperiorum & principalium animæ facultatum, in mente, intellectu, corde & voluntate. Itaque jam poſt lapſum homo hæreditario à parentibus accipit congenitam pravam vim, internam immundiciem cordis, pravas concupiſcentias, & pravas inclinationes: ita, ut omnes natura, talia corda, tales ſenſus & cogitationes ab Adamo, hæreditaria & naturali propagatione conſequamur, quæ ſecundum ſummas ſuas vires, & juxta lumen rationis, naturaliter è diametro cum Deo & ſummis ipſius mandatis pugnent, atque inimicitia ſint adverſus Deum, præſertim quantum ad res divinas & ſpirituales attinet. In aliis enim externis & hujus mundi, quæ rationi ſubjectæ ſunt, relictum eſt homini adhuc aliquid intellectus virium & facultatum: etſi hæ etiam miſeræ reliquiæ valdè ſunt debiles: & quidem hæc ipſa quantula-

tulacunque, per morbum illum hæreditarium veneno infecta ſunt atque contaminata, ut coram DEO nullius momenti ſint.

Pœna vero peccati Originalis, quas Deus filiis Adæ, ratione hujus peccati, impoſuit, hæ ſunt: Mors, æterna damnatio, & præter has, aliæ corporales, ſpirituales, temporales atque æternæ ærumnæ & miſeriæ: tyrannis & dominium Satanæ, quod videlicet humana natura regno Diaboli ſubjecta eſt, cui in miſerrimam ſervitutem tradita, captiva ab eo tenetur. Is certe multos magnos & ſapientes homines in mundo horribilibus erroribus ac hæreſibus & cœcitate multiplici faſcinat & ſeducit, ac miſeros mortales ſæpe in varia & atrocia ſcelera præcipitat. IV.

Hoc hæreditarium malum tantum, tamque horrendum eſt, ut nullo alio modo, niſi propter ſolum Chriſtum, (in hominibus baptizatis & credentibus) coram DEO contegi, & condonari poſſit. Et quidem humana natura, quæ hoc malo perverſa, & tota corrupta eſt, aliter ſanari non poteſt, niſi ut per Spiritum Sanctum regeneretur & renovetur. Idque opus Spiritus Sancti in hac vita tantummodo in nobis inchoatur: in altera demum vita abſolvetur & perficietur.

Hæc capita de peccato originis, quæ hoc loco ſummarie tantum recitavimus, in commemoratis ſcriptis, quæ Confeſſionem Chriſtianæ noſtræ doctrinæ complectuntur, copioſius explicantur. V.

Hæc vero doctrina ſic aſſerenda, conſervanda, atque munienda eſt, ut in neutram partem, hoc eſt, neque ad Pelagianos neque ad Manichæos errores, declinet. Itaque (quanta fieri poteſt brevitate) etiam contraria de hoc articulo doctrina, quæ ab Eccleſiis noſtris reprobatur & rejicitur, eſt recitanda.

Repudiantur igitur & rejiciuntur veterum & recentio-

tiorum Pelagianorum falsæ opiniones & dogmata vana: quod peccatum originale sit tantum reatus aut culpa, quæ ex aliena transgressione (absque ulla naturæ nostræ corruptione) sit contracta.

II Quod pravæ concupiscentiæ non sint peccatum, sed conditiones quædam, aut concreatæ essentiales naturæ proprietates.

III. Quod defectus ille, & malum hæreditarium non sit proprie & vere coram Deo tale peccatum, propter quod homo filius iræ & damnationis habeatur: cujus ratione sub tyrannide & regno Satanæ ei sit pereundum, nisi Christo inseratur, & per eum liberetur.

IV. Reprobantur etiam, & rejiciuntur hi & similes Pelagiani errores: ut: Quod natura etiam post lapsum, incorrupta, & quidem præcipue, quoad res spirituales tota adhuc bona ac pura sit, & in suis naturalibus, hoc est, in potentiis & viribus suis naturalibus perfecta &
V. integra sit. Aut, quod peccatum originis tantum sit externus quidam, nullius prope momenti, nævus, aut aspersa macula: aut corruptio tantum accidentium & qualitatum: cum qua & sub qua nihilominus natura suam bonitatem & vires, etiam in rebus spiritualibus,
VI. habeat & retineat. Vel, quod Originale peccatum non sit defectus, spoliatio aut privatio, sed tantummodo externum quoddam impedimentum spiritualium bonarum virium, perinde ac si magnes allii succo illinitur, ubi non tollitur vis ipsius naturalis, sed tantummodo impeditur: Vel, quod macula ista, tanquam macula à facie, aut color à pariete, facile abstergi possit.

VII. Repudiantur similiter & rejiciuntur etiam ii, qui docent: naturam, ex lapsu humani generis, valde quidem debilitatem atque corruptam esse, non tamen prorsus omnem bonitatem (quoad res divinas & spirituales) amisisse. Et falsum esse contendunt, quod

Eccle-

Digitized by Google

Ecclesiæ nostræ canunt: Per lapsum Adæ penitus humanam naturam & essentiam corruptam esse. Ajunt enim, hominem ex naturali nativitate adhuc aliquid boni, quantulumcunque etiam, & quam minutulum, exiguum atque tenue id sit, reliquum habere: capacitatem videlicet, aptitudinem, habilitatem, potentiam, & vires aliquas, in rebus spiritualibus aliquid inchoandi, operandi aut cooperandi. Quod vero ad externa, temporalia, & ad hunc mundum pertinentia negotia, quæ rationi subjecta sunt, attinet: de his in sequentibus articulis dicetur.

Hæc atque hujus generis veritati contraria dogmata eam ob causam reprehenduntur & rejiciuntur: quia verbo Domini docemur, quod corrupta natura ex se, & suis viribus, in rebus spiritualibus & divinis, nihil boni, & ne minimum quidem, utpote, ullas bonas cogitationes habeat. Neque id modo: sed insuper etiam asserunt, quod natura corrupta ex se, & viribus suis coram DEO nihil aliud, nisi peccare possit.

Vera autem hæc doctrina etiam ab altera parte contra Manichæorum errores probe munienda est. Quare hæc & similia alia falsa dogmata rejiciuntur, ut: Quod initio quidem humana natura bona & pura à Deo creata sit: verum jam post lapsum, extrinsecus peccatum originale (tanquam quiddam essentiale) per Satanam in naturam infusum, & cum ea permixtum sit, quemadmodum venenum vino admiscetur.

Etsi enim in Adamo & Heva, natura initio pura, bona & sancta creata est: tamen per lapsum peccatum non eo modo ipsorum naturam invasit, (ut Manichæi furenter dixerunt) quasi Satan aliquod malum substantiale creasset aut formasset, & illud cum natura ipsorum commiscuisset. Quin potius cum seductione Satanæ, per lapsum, justo Dei judicio (in pœnam hominum) justitia concreata seu originalis amissa esset,

defectu illo, privatione, seu spoliatione, & vulneratione (quorum malorum Satan causa est) humana natura, eo modo, quo supra diximus, perversa & corrupta est: ut jam natura, una cum illo defectu & corruptione, ad omnes homines, qui naturali modo à parentibus concipiuntur & nascuntur, hæreditario propagetur. Post lapsum enim jam humana natura non pura & bona primum creatur, & deinde demum per originis peccatum corrumpitur; sed in primo conceptionis nostræ momento, ipsum semen, ex quo homo formatur, peccato contaminatum & corruptum est. Et hoc originale peccatum non est quiddam, in natura vel extra naturam corrupti hominis per se subsistens: sed neque est hominis corrupti propria essentia, corpus aut anima, aut homo ipse. Neque etiam originale peccatum eo modo à corrupta per illud natura est discernendum, quasi ipsa natura coram Deo pura, bona, sancta, & incorrupta extaret: & tantum inhabitans in illa peccatum originis esset malum.

Neque ea sententia, quam Augustinus Manichæis tribuit, ulla ratione probari potest: quod nimirum non homo ipse corruptus (ratione innati peccati originalis) peccet; sed aliud quiddam & alienum in homine: & quod Deus per legem non ipsam Naturam, (quatenus peccato corrupta est) sed tantum peccatum originale (quod sit in Natura) accuset atque damnet. Tota enim hominis Natura, (ut supra in thesi seu assertione sinceræ doctrinæ de peccato originali diximus) qualis naturali modo à parentibus generatur, corpore & anima, in omnibus viribus prorsus, tota extreme est per peccatum originis corrupta & perversa, quo ad bonitatem suam, veritatem, sanctitatem, & justitiam: quæ dotes in Paradiso Naturæ erant concreatæ. Non tamen penitus deleta, abolita, aut in aliam substantiam, genere aut specie diversam, id est, quæ secundum

suam

ſuam eſſentiam non ſit ſimilis noſtræ naturæ, atque ita nobiscum non unius eſſentiæ ſit, transmutata eſt.

Et quidem propter hanc corruptionem tota hominis corrupta natura per legem accuſatur & condemnatur: niſi peccatum propter Chriſtum remittatur.

Lex autem naturam noſtram non eam ob cauſam accuſat & damnat, quod homines ſimus, à Deo creati: ſed ea de cauſa, quod peccatores & mali ſimus. Neque eatenus lex naturam accuſat & damnat, quatenus, etiam poſt lapſum, ea in nobis eſt opus & creatura DEI, ſed propterea & eatenus, quod per peccatum infecta & corrupta eſt.

Etſi vero peccatum originale totam hominis Naturam, ut ſpirituale quoddam venenum & horribilis lepra (quemadmodum D. Lutherus loquitur) infecit & corrupit: ita quidem, ut jam in noſtra Natura corrupta ad oculum non monſtrari poſſint diſtinctè hæc duo, ipſa natura ſola, & originale peccatum ſolum: tamen non unum & idem eſt, corrupta natura, ſeu ſubſtantia corrupti hominis, corpus & anima, aut homo ipſe à Deo creatus: in quo originale peccatum habitat, (cujus ratione natura, ſubſtantia, totus denique homo corruptus eſt:) & IPSUM originale peccatum, quod in hominis natura aut eſſentia habitat, eamque corrumpit. Quemadmodum etiam in lepra corporali ipſum corpus leproſum, & lepra ipſa in corpore non ſunt unum & idem: ſi proprie & diſtincte ea de re diſſerere velimus. Diſcrimen igitur retinendum eſt, inter Naturam noſtram, qualis à Deo creata eſt, hodieque conſervatur: in qua peccatum originale habitat: & inter ipſum peccatum originis, quod in Natura habitat. Hæc enim duo ſecundum S. Scripturæ regulam diſtincte conſiderari, doceri, & credi debent, & poſſnt.

Et quidem ad retinendum hoc diſcrimen movemur,

urgemur atque cogimur præcipuis articulis Chriſtianæ fidei noſtræ. In primo enim articulo de creatione docet ſacra ſcriptura: Deum non modo ante lapſum humanam naturam creaſſe: Verum etiam eandem, poſt lapſum, eſſe Dei opus & creaturam.

Deut. 32. Eſa. 45. 54. 64. Actor. 17.

Manus tuæ (inquit Iob) fecerunt me, & plaſmaverunt me totum in circuitu; & ſic repente præcipitas me? Memento, quæſo, quod ſicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me. Nonne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti? Pelle & carnibus veſtiiſti me, oſſibus & nervis compegiſti me. Vitam & miſericordiam tribuiſti mihi, & viſitatio tua cuſtodivit ſpiritum meum.

Job. 10. Apocal. 4.

Confiteor tibi (inquit David) quod mirabiliter formatus ſum: mirabilia ſunt opera tua, & anima mea cognoſcit abunde. Non eſt occultatum os meum à te, quod feciſti in occulto, & ſubſtantia mea (id eſt, formatio mei, ſeu cum formarer) in inferioribus terræ. Imperfectum meum viderunt oculi tui: & in libro tuo omnes dies mei ſcripti ſunt, qui adhuc futuri ſunt, cum nullus adhuc ex eis eſſet.

Pſal. 139, 13.

Et Eccleſiaſtæ Salomonis ſcriptum eſt: Revertetur pulvis in terrram ſuam, unde erat: & ſpiritus redibit ad eum, qui dedit illum.

Eccleſ. 12, 7.

Hæc ſcripturæ dicta inculenter teſtantur, quod Deus etiam poſt lapſum nihilominus ſit hominis creator: qui ipſius corpus & animam creet. Itaque verum eſſe non poteſt, quod corruptus homo, ſine omni diſcrimine, ſit ipſum peccatum: alias conſequeretur, Deum eſſe peccati Creatorem, ſicut etiam minor noſter Catechiſmus in explicatione primi articuli, teſtatur, ubi ita ſcriptum eſt: Credo, quod Deus me creaverit, ſicut & omnes alias creaturas: quodque mihi animam & corpus, oculos, aures, & omnia membra, rationem & ſenſus omnes largitus ſit, & adhuc conſervet. Et

in

in Majore Catechiſmo hæc verba extant: Hoc ſentio & credo, me eſſe Dei creaturam: hoc eſt, mihi ab ipſo donata eſſe, & ſemper conſervari corpus meum, animam, vitam, membra, tam minima, quam maxima, omnes ſenſus, totamque meam rationem & intellectum, &c. Etiamſi negari non poſſit, quod iſta creatura & opus Dei per peccatum horribiliter ſint corrupta. Maſſa enim illa, ex qua hodie Deus hominem format & fingit, in Adamo corrupta & perverſa eſt: & ita hæreditario modo in nos propagatur.

Et hoc loco omnes impiæ mentes ineffabilem Dei bonitatem merito agnoſcere debent: quod videlicet hanc penitus corruptam, perverſam, & peccato contaminatam maſſam DEUS non ſtatim à facie ſua in æternum gehennæ incendium abjicit: ſed quod ex ea, quantumvis peccato horribiliter corrupta, formet atque fingit humanam naturam, quam hodie circumferimus, ut per unigenitum dilectum Filium ſuum à peccato eam emundet, ſanctificet, atque ſalvam faciat.

Quare ex hoc primo fidei noſtræ articulo clariſſime elucet diſcrimen. Originale enim peccatum non eſt à Deo: neque Deus eſt creator vel autor peccati. Nec originale peccatum eſt opus aut creatura Dei: ſed eſt opus Diaboli.

Quod ſi prorſus nulla differentia eſſet inter naturam ſeu ſubſtantiam corporis atque animæ noſtræ: quæ per peccatum originis corrupta ſunt: & inter ipſum peccatum originale, quod naturam corrumpit: ſequeretur alterutrum, videlicet, aut Deum (quippe hujus naturæ noſtræ creatorem) etiam ipſum peccatum originis creare & formare: id enim, hac ratione, ipſius opus & creatura eſſet: aut certe conficeretur, (cum peccatum ſit opus Diaboli) ipſum Satanam hujus noſtræ naturæ, corporis atque animæ, creatorem, atque ita naturam noſtram, opus & creaturam Diaboli eſſe; ſi abs-

que omni discrimine nostra corrupta natura ipsum peccatum esset. Utrumque autem absurdum primo fidei nostræ Christianæ articulo repugnat. Quapropter, ut opus & creatura Dei in homine, ab opere Diaboli discerni queat: asserimus, quod homo corpus & animam habet, id habere eum beneficio creationis divinæ: & quidem id ipsum Dei esse opus, quod homo aliquid cogitare, loqui, agere, operari potest. In ipso enim vivimus, movemur & sumus, inquit Apostolus. Quod vero Natura hominis corrupta est, quod cogitationes, verba & facta ejus prava sunt: hoc originaliter & principaliter est opus Satanæ, qui per peccatum opus Dei in Adamo miserabiliter corrupit: quæ naturæ depravatio inde in nos hæreditario derivata est.

Actor. 17, 28.

IN SECUNDO fidei nostræ articulo, de redemtione, sacræ literæ luculenter testantur, quod filius DEI humanam nostram naturam (sine peccato tamen) assumserit: ita quidem, ut nobis, fratribus suis, per omnia similis fieret: peccato excepto, ut Apostolus docet. Unde omnes veteres orthodoxi dixerunt, Christum secundum assumtam humanam naturam nobis, fratribus suis, consubstantialem esse. Quia naturam, quæ (excepto peccato) ejusdem generis, speciei & substantiæ cum nostra est, assumsit. Et contrariam sententiam ut hæresin manifeste damnarunt.

Hebr. 2, 17.

Jam si nullum esset discrimen inter hominis corrupti naturam seu substantiam, & inter peccatum originis, horum alterutrum consequeretur: aut Christum naturam nostram non assumsisse; quandoquidem certum est, quod peccatum non assumserit: aut Christum assumsisse etiam peccatum, cum naturam nostram assumserit. Horum utrumque sacræ scripturæ repugnat. Cum igitur filius Dei naturam nostram humanam, non autem peccatum originale, assumserit, manifestum est, quod humana natura, etiam post lapsum,

pſum, & peccatum originis, non ſint unum & idem: ſed quod diligenter ſint diſcernenda.

IN TERTIO articulo fidei noſtræ Chriſtianæ de ſanctificatione teſtatur ſacra ſcriptura, quod Deus hominem à peccato abluat, emundet, ſanctificet: & quod Chriſtus populum ſuum ſalvum faciat à peccatis eorum. Ergo peccatum originis non poteſt eſſe ipſemet homo. Deus enim hominem propter Chriſtum in gratiam recipit: Peccatum autem in omnem æternitatem odit. Quare impium eſt, & auditu horrendum, qnod peccatum originale in nomine ſacroſanctæ Trinitatis baptizetur, ſanctificetur & ſalvetur: & ſi quæ ſunt alia hujus farinæ prorſus paradoxa, quæ in ſcriptis recentiorum Manichæorum leguntur. Ea recitare nolumus, ne pias mentes offendamus. *Matth. 1.*

QUARTO: In articulo de reſurrectione ſcriptura perſpicue docet, quod hujus noſtræ carnis, quam circumferimus, ſubſtantia (ſed tamen à peccato mundata) ſit reſurrectura: & quod in vita æterna eam ipſam animam (ſed peccato non contaminatam) habituri, & retenturi ſimus.

Jam ſi nulla prorſus eſſet differentia, inter corpus & animam noſtram corruptam, & inter peccatum originale, rurſus duo abſurda, quæ cum hoc articulo è diametro pugnant, conſequerentur. Aut, videlicet, hanc carnem in die noviſſimo non reſurrecturam: & nos in altero illo ſeculo, non has corporis & animæ noſtræ ſubſtantias, ſed aliam ſubſtantiam, ſive aliam animam habituros: cum conſtet, nos tum ab omni peccato fore mundos. Aut, quod etiam peccatum in noviſſimo die reſurrecturum, & in vita illa æterna in electis futurum & manſurum ſit.

Ex his omnibus luce meridiana clarius eſt, hanc Manichæorum doctrinam, & omnes opiniones, quæ ex ea dependent & conſequuntur, rejici oportere; cum,

cum videlicet asseritur, quod peccatum originale sit hominis corrupta natura, substantia, essentia, corpus & anima ipsa, adeo ut nullum prorsus sit discrimen, inter corruptam nostram naturam, substantiam & essentiam, & inter peccatum originis. Præcipui enim articuli fidei nostræ Christianæ magnas gravissimasque causas adferunt, quare differentia inter naturam seu substantiam hominis (per peccatum corrupti) & inter ipsum peccatum (quo homo corruptus est) constituenda & retinenda sit. Et hæc sufficere existimamus ad simplicem declarationem doctrinæ sinceræ, & falsæ contrariæ (in thesi & antithesi) de hac controversia: quantum ad principalem ipsius statum attinet: hoc quidem loco, ubi non copiose & argute disputatur, sed certis quibusdam articulis tantum præcipua capita tractanda sunt.

Quod vero ad vocabula & Phrases attinet, utilissimum est & tutissimum, ut forma sanorum verborum (quibus in hoc articulo explicando sacræ literæ & supra commemorata scripta publica & recepta utuntur) usurpetur & retineatur.

Sed & æquivocationes vocabulorum ad cavendas λογομαχίας, diligenter & diserte sunt explicandæ. Verbi gratia: cum dicitur: Deus creat hominum naturam: per vocabulum (naturæ) intelligitur ipsa substantia, corpus & anima hominis. Sæpe autem proprietas aut conditio alicujus rei (tam in bonam, quam in malam partem) vocatur ejus rei natura, ut cum dicitur: Serpentis natura est icere & veneno inficere (ibi exprimitur non serpentis substantia, sed malitia.) In hac sententia D. Lutherus utitur vocabulo naturæ, cum dicit, peccatum, & peccare esse corrupti hominis naturam.

Sic igitur peccatum originale proprie significat profundissimam illam naturæ nostræ corruptionem: quem-

quemadmodum ea in articulis Smalcaldicis describitur. Interdum etiam concretum seu subjectum, hoc est, hominem ipsum, cum corpore & anima, in quo peccatum est, & infixum hæret, simul complectimur: idque eam ob causam, quod totus homo peccato corruptus, veneno infectus, & fœdissima lue originalis peccati contaminatus sit. In hanc sententiam loquitur D. Lutherus, cum inquit: Tua nativitas, tua natura, tota tua substantia est peccatum, hoc est, peccatrix, seu peccato polluta & impurissima.

Et cum Lutherus utitur hisce vocabulis: Peccatum naturæ, peccatum personæ, peccatum substantiale aut essentiale: satis ipse mentem suam declarat, quod hoc velit: non tantum hominis sermones, cogitationes, & opera esse peccata: sed totam hominis naturam, personam & substantiam hominis, per originale peccatum prorsus & omnino esse depravata & totaliter corrupta.

Quod vero ad Latina vocabula, Substantiæ & Accidentis, attinet, in publicis concionibus coram simplice plebe (quæ horum vocabulorum significationem & vim non tenet) ab iis abstinendum censemus: ut ea in re piæ & sanctæ simplicitatis Ecclesiæ ratio habeatur. Cum autem viri docti, vel inter se, vel cum aliis (quibus hæc vocabula non sunt ignota) differentes, iis in hoc negotio utuntur, tum immediatam hanc divisionem ponunt: quod omne, quidquid est, aut substantia sit, aut accidens, quod non per se subsistit, sed in aliqua substantia est, & ab ea discerni potest. Et sequuntur ea in re viri eruditi exemplum Eusebii, Ambrosii, inprimis Augustini, Cyrilli, Basilii, aliorumque præcipuorum Ecclesiæ doctorum: qui cogente necessitate, in explicatione articuli de peccato originis, hisce vocabulis in genuina sua sententia contra hæreticos sunt usi.

Et

Et cum ſit indubitatum certiſſimumque axioma in re Theologica, quod omnis ſubſtantia (quatenus eſt ſubſtantia) aut ſit Deus ipſe, aut opus & creatura Dei: Auguſtinus in multis ſuis ſcriptis contra Manichæos (quemadmodum & reliqui ſinceri Eccleſiæ doctores) rem diligentiſſime expendit: & propoſitionem hanc (peccatum originis eſt ſubſtantia vel natura) magno zelo rejecit atque damnavit. Et poſt eum etiam omnes eruditi & intelligentes ſemper ſenſerunt, quicquid non per ſe ſubſiſtit, nec eſt pars alterius per ſe ſubſiſtentis eſſentiæ, ſed in alio eſt mutabiliter, id ſubſtantiam non eſſe, id eſt, quiddam per ſe ſubſiſtens, ſed accidens, quod aliunde accedit. At Auguſtinus conſtanter in hanc ſententiam loqui ſolet: peccatum originale non eſt ipſa natura, ſed accidens vitium in natura. Et hoc ipſo modo etiam noſtro ſeculo in ſcholis & Eccleſiis noſtris (juxta regulas Dialecticæ) ante motam hanc controverſiam libere, & ſine ulla hæreſeos ſuſpicione locuti ſunt viri docti, neque eam ob cauſam vel à D. Luthero vel ab ullo alio ſincero doctore Evangelicarum Eccleſiarum unquam ſunt reprehenſi.

Cum igitur hæc ſit immota veritas, quod, quicquid eſt, id aut ſubſtantia, aut accidens, hoc eſt, vel per ſe ſubſiſtens quiddam, vel quod aliunde accidit, & in ſubſtantia hæret, quemadmodum paulo ante teſtimonio Eccleſiaſticorum ſcriptorum docuimus & demonſtravimus: neque ea de re quisquam, qui eſt ſanæ mentis, dubitaverit: profecto neceſſario fatendum eſt, neque effugio ulli locus eſt: ſi quis quærat, an peccatum ſit ſubſtantia, id eſt, res quædam per ſe ſubſiſtens, & non in alio, an vero accidens, hoc eſt, res non per ſe ſubſiſtens, ſed in alio inhærens, quod ſimpliciter categorice, & rotunde reſpondendum ac fatendum ſit: Peccatum non eſſe ſubſtantiam, ſed accidens.

Quare Eccleſiæ Dei ad conſtituendam firmam pacem,

Digitized by Google

cem, quo ad hanc controverſiam) non conſulitur, ſed diſſidia magis foventur & confirmantur, ſi Eccleſiæ miniſtri in dubio relinquantur, an peccatum originale ſubſtantia ſit, an vero accidens: & an illud recte & proprie ſubſtantia vel accidens nominetur.

Quapropter ſi controverſiam hanc (plenam certe offenſionis & detrimenti) ſolide componere velimus, neceſſarium eſt, ut unusquisque de hoc negotio recte erudiatur.

Quando autem præterea quæritur, qualenam Accidens ſit peccatum originis: hæc jam alia eſt quæſtio. Hujus quæſtionis declarationem veram nullus Philoſophus, nullus Papiſta, nullus Sophiſta, imo nulla humana ratio (quæ etiam acutiſſimi ſit judicii) proferre poteſt: ſed ejus explicatio è ſola ſacra ſcriptura eſt petenda. Ea vero teſtatur, quod peccatum originale ſit ineffabile malum, & tanta humanæ naturæ corruptio, quæ in natura, omnibusque ejus viribus tam internis quam externis, nihil ſinceri, nihil boni reliquerit, ſed omnia penitus depravarit: ita quidem certe, ut homo, ratione peccati originalis, coram DEO vere & ſpiritualiter ad bonum cum omnibus viribus ſuis plane ſit emortuus.

Hac facta explicatione, per vocabulum Accidentis, peccatum originis haudquaquam extenuatur: cum videlicet illud juxta verbi DEI Analogiam ita declaratur, quemadmodum D. Lutherus in latino ſuo Commentario in caput tertium Geneſeos contra extenuationem peccati originalis magno zelo diſſeruit. Vocabulum autem accidentis in hunc tantum finem uſurpatur, ut diſcrimen inter opus Dei (quod eſt noſtra natura, etiam corrupta) & inter Diaboli opus (quod eſt peccatum in opere Dei inhærens, ejus videlicet operis intima & ineffabilis corruptio) monſtretur.

Et ſane D. Lutherus ipſe in hoc negotio uſus eſt vocu-

vocabulo accidentis, quemadmodum etiam Qualitatis: neque eas voces rejecit. Interim tamen singulari diligentia & magno zelo declaravit, & inculcavit, quam horribilis sit qualitas & accidens: per quod humana natura non tantum contaminata, aut impura facta, verum etiam adeo in universum corrupta est, ut nihil sinceri, nihil sani prorsus in ea sit relictum. Sic enim verba ejus in explicatione Psalmi nonagesimi habent: Sive igitur peccatum originis QUALITATEM, sive MORBUM vocaverimus, profecto extremum malum est, non solum pati æternam iram & mortem, sed ne agnoscere quidem, quæ pateris. Et in commentario super tertium caput Geneseos inquit: Qui isto veneno peccato originis à planta pedis, usque ad verticem infecti sumus: siquidem in natura adhuc integra hæc accidere, &c.

II.

DE LIBERO ARBITRIO, SIVE DE VIRIBUS HUMANIS.

Aug. Conf. 14. Apol. 217. Art. Sm. 218. Epit. 578.

CUm de libero arbitrio, seu viribus humanis non modo inter nos & Pontificios hactenus controversum fuerit: verum etiam ea de re quidam Augustanæ Confessionis Theologi disceptarint: primum omnium, quinam controversiæ hujus inter Augustanæ Confessionis Theologos status fuerit, perspicue docebimus.

Quandoquidem homo, ratione liberi sui arbitrii, in quatuor, & quidem valde diversis statibus, considerari potest: jam non quæritur, quale fuerit ipsius arbitrium ANTE LAPSUM: aut quale id sit, post lapsum, ante hominis conversionem, in REBUS EXTERNIS,

quæ

quæ ad hanc vitam ſpectant: Neque quæritur, quale ſit illud arbitrium, aut quantæ ipſius vires, etiam in rebus ſpiritualibus, POSTQVAM per Spiritum DEI REGENERATUS EST, & a Dei Spiritu jam regitur: aut, quale liberum arbitrium ſit habiturus, quando à MORTUIS reſurget. Sed hic eſt verus & unicus controverſiæ Status: quid hominis NONDUM RENATI intellectus & voluntas, IN IPSA CONVERSIONE & regeneratione, ex PROPRIIS ſuis, & poſt lapſum RELIQVIS VIRIBUS præſtare poſſit: quando videlicet verbum Dei prædicatur, & Dei gratia nobis offertur. Hic quæritur, an homo ad hanc DEI gratiam apprehendendam ſeſe applicare, eam amplecti, & verbo DEI aſſentiri poſsit? Hæc diſputatio jàm aliquot, & quidem multos annos in Eccleſiis Auguſtanæ Confeſsionis, inter Theologos nonnullos fuit agitata.

Una pars ſenſit atque docuit: quamvis homo propriis ſuis viribus legem Dei implere, Deo vere confidere, ipſum timere & diligere, ſine gratia Spiritus ſancti non poſsit: tamen tantum adhuc ipſi virium naturalium, ante regenerationem, reliquum eſſe, ut aliquo modo ſe ad gratiam Dei præparare, applicare, & aſſentiri, languidè tamen, poſsit. Sed niſi accedat gratia Spiritus ſancti, nihil illum qualemcunque aſſenſum præſtare poſſe, ſed in lucta ſuccumbere.

Ex altera autem parte Enthuſiaſtæ, tum veteres, tum recentiores docuere: quod Deus hominem, ſine ullo medio aut inſtrumento creaturarum, hoc eſt, ſine externa prædicatione, & absque auditione verbi Dei, per Spiritum ſuum convertat, & ad ſalutarem Chriſti agnitionem pertrahat.

Contra utriusque partis corruptelas, ſinceri Auguſtanæ Confeſsionis doctores aſſeruerunt: hominem ex lapſu primorum noſtrorum parentum ita penitus

corruptum esse, ut in rebus spiritualibus, quæ ad conversionem & salutem nostram spectant, natura cæcus
1. Cor. 2, 14. sit, & verbum Dei prædicatum neque intelligat, neque intelligere possit, sed illud ut rem stultam judicet, & nunquam à seipso ad Deum appropinquet, sed potius inimicus Dei sit, & maneat, donec virtute Spiritus Sancti, per verbum prædicatum & auditum, ex mera gratia, sine omni sua propria cooperatione, convertatur, fide donetur, regeneretur & renovetur.

Ut autem hæc controversia juxta verbi Dei analogiam pie declaretur, & per ipsius gratiam decidatur, doctrina, fides & confessio nostra hæc est, ut sequitur:

CREDIMUS, quod hominis non renati intellectus, cor, & voluntas, in rebus spiritualibus & divinis, ex propriis naturalibus viribus prorsus nihil intelligere, credere, amplecti, cogitare, velle, inchoare, perficere, agere, operari, aut cooperari possint, sed homo ad bonum prorsus corruptus & mortuus sit, ita, ut in hominis natura, post lapsum, ante regenerationem, ne scintillula quidem spiritualium virium reliqua manserit, aut restet, quibus ille ex se ad gratiam Dei præparare se, aut oblatam gratiam apprehendere, aut ejus gratiæ (ex sese & per se) capax esse possit, aut se ad gratiam applicare aut accommodare, aut viribus suis pro-
Joh. 8, 34. Eph. 2, 2. 2. Tim. 2, 26. priis, aliquid ad conversionem suam vel ex toto, vel ex dimidia, vel minima parte, conferre, agere, operari aut cooperari (ex seipso, tanquam ex semetipso) possit; Sed homo sit peccati SERVUS, & mancipium Satanæ, à quo agitatur. Inde adeo naturale liberum arbitrium, ratione corruptarum virium & naturæ suæ depravatæ, duntaxat ad ea, quæ Deo displicent & adversantur, activum & efficax est.

Hanc piam declarationem & generalem (ad statum causæ, in exordio hujus tractationis propositum) responsionem, è verbo Dei desumta argumenta, quæ

reci-

recitabimus, confirmant. Licet autem ea ſupercilio humanæ rationis & Philoſophiæ diſpliceant: tamen novimus, mundi hujus perverſiſſimi ſapientiam, coram DEO eſſe ſtultitiam, & quod de capitibus religionis noſtræ tantummodo ex verbo Dei ſit judicandum.

PRIMO, etſi humana ratio, ſeu naturalis intellectus hominis obſcuram aliquam notitiæ illius ſcintillulam reliquam habet: quod ſit Deus: & particulam aliquam legis tenet: tamen adeo ignorans, cœca, & perverſa eſt ratio illa, ut etiamſi ingenioſisſimi & doctisſimi homines in hoc mundo Evangelion de Filio Dei, & promiſſiones divinas de æterna ſalute legant vel audiant: tamen ea propriis viribus percipere, intelligere, credere, & vera eſſe, ſtatuere nequeant. Quin potius, quanto diligentius in ea re elaborant, ut ſpirituales res iſtas ſuæ rationis acumine indagent & comprehendant: tanto minus intelligunt & credunt: & ea omnia pro ſtultitia & meris nugis & fabulis habent, priusquam à Spiritu ſancto illuminentur & doceantur. Sic enim ſcribit Apoſtolus: Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei: ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere: quia ſpirituaſiter examinatur. Et quia in Dei ſapientia non cognovit mundus per ſapientiam DEUM: placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes. Et alibi de hominibus impiis & nondum renatis in hanc ſententiam ſcribit: Gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ eſt in illis, propter cœcitatem cordis ipſorum. Et Chriſtus inquit: Videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt, &c. Vobis autem datum eſt, noſſe myſterium regni Dei. Et rurſus Apoſtolus ait: Non eſt intelligens, non eſt requirens Deum. Omnes declinaverunt: ſimul inutiles facti ſunt

I. *Rom. 1, 19.*

1. Cor. 2, 14.

1. Cor. 1, 21.

Eph. 4, 17.

Matth. 13, 14.

Luc. 8, 10.

Rom. 3, 11.

Epheſ. 5, 8. *Act. 26, 18.* *Joh. 1, 9.* non eſt, qui faciat bonum, non eſt usque ad unum. Et ſacra ſcriptura hominem naturalem, in rebus divinis & ſpiritualibus, tenebras vocat. Lux in tenebris lucet, hoc eſt, in tenebricoſo & excœcato mundo, qui Deum neque novit neque curat, & tenebræ eam non comprehenderunt. Quin etiam ſacræ literæ docent, *Epheſ. 2, 1.* *Coloſſ. 2, 13.* hominem in peccatis non tantummodo languidum & ægrotum, verum etiam prorſus mortuum eſſe.

Sicut igitur homo, qui corporaliter mortuus eſt, ſeipſum propriis viribus præparare aut accommodare non poteſt, ut vitam externam recipiat: ita homo ſpiritualiter in peccatis mortuus, ſeipſum propriis viribus ad conſequendam ſpiritualem & cœleſtem juſtitiam & vitam præparare, applicare aut vertere non poteſt: niſi per filium Dei à morte peccati liberetur & vivificetur.

Scriptura igitur hominis naturalis intellectui, cordi, & voluntati omnem aptitudinem, capacitatem, & facultatem in rebus ſpiritualibus aliquid boni & recti *2. Cor. 3, 5.* (ex ſemetipſo cogitandi, intelligendi, inchoandi, volendi, proponendi, agendi, operandi, & cooperandi *Rom. 3, 11.* adimit. Sic enim inquit Apoſtolus: Non quod idonei *Joh. 8, 43.* ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: ſed *Joh. 1, 11.* quod idonei ſumus, id ex Deo eſt, &c. Omnes inutiles *1. Cor. 2, 14.* facti ſunt. Sermo meus (ait Chriſtus) non capitur a vobis. Tenebræ non comprehenderunt (ſeu receperunt) lucem. Animalis homo non percipit (vel ut græcum vocabulum ſignificanter exprimit ὁ δέχεται, non capit, non comprehendit, non accipit) ea, quæ ſunt Spiritus Dei, vel, non eſt capax rerum ſpiritualium: ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere, &c. Multo minus igitur ejusmodi animalis ſeu naturalis homo Evangelio vere credere, aut aſſentiri, & id pro veritate *Rom. 8, 7.* agnoſcere poterit. Carnis ſive naturalis hominis ſenſus inimicitia eſt adverſus Deum: quia legi Dei non ſub-

subjicitur, ac ne potest id quidem. Summa, verum est, perpetuoque manebit verum, quod filius Dei inquit: Sine me nihil potestis facere: Et Apostolus ait: Deus est, qui operatur in vobis & VELLE & PERFICERE, pro bona voluntate: quæ scripturæ dulcissima sententia omnibus piis mentibus, quæ scintillulam aliquam & desiderium gratiæ divinæ & æternæ salutis in cordibus suis sentiunt, eximiam consolationem adfert. Certi enim sunt, quod ipse Deus initium illud veræ pietatis, tanquam flammulam, in cordibus ipsorum accenderit: quodque velit eos etiam in magna infirmitate porro confirmare, & juvare, ut in vera fide ad finem usque perseverent. *Joh. 15, 5. Phil. 2, 13.*

Huc referantur etiam omnes sanctorum precationes, quibus petunt, ut à Deo doceantur, illuminentur, & sanctificentur. His enim precibus fatentur, quod ea, quæ petunt, suis naturalibus viribus habere nequeant; Et quidem David in uno duntaxat Psalmo decies & amplius orat pro intellectu, ut doctrinam divinam recte capere & discere queat. Tales precatiunculæ multæ admodum in scriptis Paulinis extant: quæ preces & sententiæ, de ignorantia & impotentia nostra, non ideo nobis præscriptæ sunt, ut ad legendum, audiendum atque meditandum verbum Dei tardiores atque remissiores reddamur, sed ut primum Deo toto pectore gratias agamus, quod nos è tenebris ignorantiæ, & captivitate peccati ac mortis, per Filium suum liberaverit, & per Baptismum & Spiritum sanctum regeneraverit atque illuminaverit. *Psal. 119. Eph. 1, 17. Col. 1, 10. Phil. 1, 9.*

Et, postquam Deus per Spiritum S. suum initium in Baptismo fecit, atque veram Dei agnitionem & fidem in cordibus nostris accendit atque operatus est: assiduis precibus orandus est, ut per eundem spiritum, sua gratia (per quotidiana exercitia audiendi, legendi, & ad usum transferendi verbum Dei) in nobis

fidem & cœleſtia ſua dona fovere, de die in diem confirmare, & ad finem usque conſervare velit. Niſi enim Dominus ipſe Doctoris & præceptoris officio fungatur: nihil eorum, quæ ipſi grata, nobis autem & aliis ſalutaria ſunt, diſcemus.

II. DEINDE, verbum Dei teſtatur, hominis naturalis non renati intellectum, cor, & voluntatem in rebus divinis prorſus non modo à Deo averſa, verum etiam adverſus Deum ad omne malum converſa, & penitus depravata eſſe. Item, hominem non tantum infirmum, imbecillem, ineptum, & ad bonum emortuum: verum etiam per peccatum originis adeo miſerabiliter perverſum, veneno peccati infectum & corruptum eſſe: ut ex ingenio & natura ſua totus ſit malus, Deo rebellis & inimicus, & ad omnia ea, quæ Deus odit, nimium ſit potens, vivus, efficax. Senſus & cogitatio humani cordis tantum mala ſunt, ab adoleſcentia ſua. Pravum eſt cor hominis (ait Jeremias) & inſcrutabile: quis cognoſcet illud? Hoc dictum Apoſtolus his verbis interpretatur: Senſus carnis inimicitia eſt adverſus Deum. Caro concupiſcit adverſus Spiritum: Hæc ſibi invicem adverſantur. Et ad Romanos ſic ait: Scimus, quod lex ſpiritualis eſt: ego autem carnalis, venundatus ſub peccato. Et paulo poſt: Scio quod in me, hoc eſt, in carne mea non habitet bonum, &c. Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem (qui ex Spiritu ſancto renatus eſt:) Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, &c.

Gen. 8, 21.

Jer. 17, 9.

Rom. 8, 7.

Gal. 5, 17.

Rom. 7, 14.

v. 18.

Si autem in beato Apoſtolo Paulo, & aliis renatis hominibus, naturale vel carnale liberum arbitrium, etiam poſt regenerationem legi divinæ repugnat: quanto magis ante regenerationem legi & voluntati Dei rebellabit & inimicum erit? Ex his manifeſtum eſt (ut articulo de peccato originis pluribus oſtendimus,

ad

ad quæ brevitatis cauſa nunc nos referimus (liberum arbitrium, propriis & naturalibus ſuis viribus non modo nihil ad converſionem, juſtitiam, & ſalutem ſuam operari, aut cooperari, aut Spiritui ſancto (qui homini in Evangelio gratiam Dei & ſalutem offert) obſequi, credere, aut aſſentiri poſſe: ſed potius, pro inſita ſua rebelli & contumaci natura, Deo & voluntati ejus hoſtiliter repugnare: niſi Spiritu Dei illuminetur atque regatur.

Eam ob cauſam ſacræ literæ hominis non renati cor duro lapidi, qui ad tactum non cedat, ſed reſiſtat, item rudi trunco, interdum etiam feræ indomitæ comparant, non quod homo poſt lapſum non amplius ſit rationalis creatura, aut quod absque auditu & meditatione verbi divini ad Deum convertatur: aut quod in rebus externis & civilibus nihil boni aut mali intelligere posſit, aut libere aliquid agere vel omittere queat.

Nàm (ut D. Lutherus in Commentario ſuper Pſ. 90. dicit:) in civilibus externis rebus, quæ ad victum & corporalem ſuſtentationem pertinent, homo eſt induſtrius, ingenioſus & quidem admodum negotioſus: ſed in ſpiritualibus & divinis rebus, quæ ad animæ ſalutem ſpectant, homo eſt inſtar ſtatuæ ſalis (in quam uxor Patriarchæ Loth eſt converſa) Imo eſt ſimilis trunco & lapidi, ac ſtatuæ vita carenti, quæ neq; oculorum, oris, aut ullorum ſenſuum, cordisve uſum habet. Homo enim horrendam Dei iram adverſus peccatum, & ex ea conſequentem mortem neque videt, neque agnoſcit: ſed ſtrenuè in carnali ſua ſecuritate (etiam ſciens volensque) pergit: & ita in mille pericula, tandem etiam in æternam mortem & damnationem ſe præcipitat. Neque ab eo ad interitum curſu, homo precibus, admonitionibus, obſecrationibus, minis, objurgationibus, revocari ſe patitur: nulla

D. Lutherus in 6. caput Oſeæ: Et in Poſtillis Eccleſiaſticis in epiſtolam nativitatis Chriſti, Tit. 3. Et ibidem Dominic. poſt Ephiphaniæ.

doctrina, nullæ conciones apud eum locum habent, antequam per Spiritum S. illuminatur, convertitur & regeneratur. Ad hanc vero Spiritus Sancti renovationem nullus lapis, nullus truncus, ſed ſolus homo creatus eſt. Et cum Deus, ſeveriſſimo & juſtiſſimo ſuo judicio, lapſos malos ſpiritus prorſus in æternum abjicerit: ſingulari nihilominus & mera miſeratione voluit, ut miſerrima & lapſi hominis natura converſionis & gratiæ Dei, ac vitæ æternæ rurſus capax particepsque fieret, & eſſet, non ex ſua propria, naturali & activa aut efficaci habilitate, aptitudine aut capacitate, (natura enim hominis eſt inimicitia adverſus Deum) ſed ex mera gratia, per clementem & efficacem operationem Spiritus Sancti. Et hoc ipſum vocat D. Lutherus capacitatem: (non activam, ſed paſſivam) eamque his verbis declarat: Quando Patres Liberum arbitrium defendunt, capacitatem libertatis ejus prædicant: quod ſcilicet verti poteſt ad bonum per gratiam Dei, & fieri revera liberum, ad quod creatum eſt. Horum ſimilia etiam Auguſtinus lib. 2. contra Julianum ſcripſit.

Tom. 1. p. 236.

Antequam autem homo per Spiritum Sanctum illuminatur, convertitur, regeneratur, & trahitur, ex ſeſe, & propriis naturalibus ſuis viribus in rebus ſpiritualibus, & ad converſionem aut regenerationem ſuam, nihil inchoare, operari, aut cooperari poteſt: nec plus, quam lapis, truncus, aut limus. Etſi enim locomotivam potentiam ſeu externa membra regere, Evangelium audire, & aliquo modo meditari, atque etiam de eo diſſerere poteſt: ut in Phariſæis & hypocritis eſt videre: tamen id tacitis cogitationibus, ut rem ſtultam ſpernit, neque credere poteſt. Et hac in parte deterior eſt trunco: quia voluntati divinæ rebellis eſt & inimicus: niſi Spiritus ſanctus in ipſo ſit efficax, & fidem aliasque Deo probatas virtutes atque obedientiam in ipſo accendat & operetur.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆTEREA, ſacræ literæ, hominis converſionem, fidem in Chriſtum, regenerationem, renovationem, & omnia, quæ ad illam efficaciter inchoandam & abſolvendam pertinent, nequaquam humanis viribus naturalis Liberi arbitrii, neque ex toto, neque dimidia, aut ulla vel minima ex parte, ſed in ſolidum, id eſt, ſimpliciter SOLI divinæ operationi & Spiritui ſancto adſcribunt, ſicut etiam Apologia teſtatur.

Ratio & naturale liberum arbitrium habet aliquo modo facultatem, ut externam honeſtam vitam inſtituere poſſit: at ut interne homo renaſcatur, ipſiusque cor & animus immutentur, hoc ſolius Spiritus Sancti opus eſt. Et ſane is donat intellectum, & cor hominis aperit, ut ſcripturam intelligat, & verbo Domini attendat, ut Lucæ 24. ſcriptum eſt: Aperuit ipſis ſcripturam, ut eam intelligerent. Et Actor. 16. Lydiæ auſcultanti Dominus aperuit cor, intendere his, quæ dicebantur à Paulo. Operatur enim Dominus in nobis utrumque, & velle & perficere, dat pœnitentiam, operatur fidem: ut Apoſtolus ait: Vobis donatum eſt, ut in eum credatis, Donum Dei eſt. Et Chriſtus inquit: Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum, quem miſit ille. Dominus donat cor intelligens, oculos videntes, & aures audientes. Spiritus ſanctus eſt Spiritus regenerationis & renovationis. Ille aufert durum, lapideum cor, & donat novum, molle, & carneum cor, ut in præceptis ejus ambulemus. Ille nos in Chriſto Jeſu creat ad opera bona: & nos novas creaturas facit. Et ut paucis dicamus: omne donum bonum eſt à Deo. Nemo poteſt ad Chriſtum venire, niſi Pater traxerit eum. Nemo novit Patrem, niſi cui Filius revelare voluerit. Nemo poteſt Chriſtum Dominum appellare, niſi per Spiritum Sanctum. Sine me (inquit Chriſtus) nihil facere poteſtis. Omnis ſufficientia noſtra à Deo eſt. Et quid habes, quod non accepiſti? quid igitur gloriaris, quaſi non acceperis?

Luc. 24, 27. *Act. 16, 14.* *Phil. 2, 13.* *Act. 5, 31.* *2. Tim. 2.* *Phil. 1, 29.* *Eph. 2, 8.* *Joh. 6, 29.* *Deut. 30, 4.* *Matth. 13, 11.* *Tit. 3, 6.* *Ezech. 11, 19.* *Deut. 36, 6.* *Pſal. 51, 12.* *Eph. 2, 10.* *2. Cor. 5, 7.* *Gal. 6, 15.* *Jac. 1, 17.* *Joh. 6, 44.* *Matth. 11, 27.*

1. Cor. 12, 3. Ioh. 15, 5. 2. Cor. 3, 5. 1. Cor. 4, 7. De prædestinat. c. 4.

Et ſane D. Auguſtinus hoc ſcripturæ loco, convictum ſe eſſe fatetur, ut opinionem, quam antea ea de re falſam conceperat, abjiceret. Senſerat enim gratiam Dei in eo tantum conſiſtere, quod in præconio veritatis Dei voluntas nobis revelaretur: ut autem prædicato nobis Evangelio conſentiremus, noſtrum eſſe proprium, & ex nobis eſſe. Item, Erravi (inquit) cum dicerem, noſtrum eſſe credere & velle, Dei autem, dare credentibus & volentibus facultatem operandi.

Hæc doctrina in ſacris literis ſolidiſima fundamenta habet, & Auguſtanæ Confeſſioni, aliisque ſcriptis publicis & approbatis, quorum ſupra mentionem fecimus, plane conformis eſt: quemadmodum dicta, quæ recitabimus, luculenter teſtantur.

In Articulo XX. Auguſtana Confeſſio hæc verba habet: Homines ſine Chriſto, ſine fide, & ſine Spiritu ſancto ſunt in poteſtate Diaboli, qui impellit homines ad varia & manifeſta ſcelera. Ideo primum docentur homines de fide, quomodo Spiritus ſanctus detur, & quod Chriſtus nos juvet, & tegat contra Diabolum, &c. Et paulo poſt: Humana ratio & virtus ſine CHRISTO ſnimis infirma eſt ad reſiſtendum Diabolo, qui impellit homines ad peccandum, &c.

Ex his manifeſtum eſt, quod Auguſtana Confeſſio hominis voluntatem in rebus ſpiritualibus haudquaquam liberam pronunciet: ſed affirmet, hominem eſſe in Diaboli poteſtate: Quomodo igitur ſuis ipſe viribus ad Evangelion, aut ad Chriſtum ſe convertere poſſet?

Articulo 18. Confeſſionis.

Apologia Confeſſionis de libero arbitrio ad hunc modum docet: Non adimimus humanæ voluntati libertatem. Habet enim libertatem in operibus & rebus deligendis, quas ratio per ſe comprehendit &c. Et paulo poſt: Humana corda ſine Spiritu Sancto, ſunt ſine timore Dei, ſine fide, & fiducia erga Deum, non credunt

dunt ſe exaudiri à Deo, ſibi remitti peccata, & in tribulatione velle Deum opem ferre: igitur ſunt impia.

Porro arbor mala non poteſt ferre bonos fructus. Et ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. Igitur, etiamſi concedimus Libero arbitrio libertatem & facultatem externa legis opera efficiendi: tamen illa ſpiritualia non tribuemus libero arbitrio, ſcilicet, vere timere Deum, vere credere Deo, &c. Hæc ſatis clare teſtantur, quod Apologia humanæ voluntati nullas vires attribuat, vel bonum inchoandi, vel ex ſeſe cooperandi. *Matth. 7, 18. Ebr. 11, 7.*

In articulis Smalcaldicis ſequentes errores de libero arbitrio rejiciuntur; quod homo liberum habeat arbitrium, bonum agendi, & malum omittendi, &c. Et poſt aliqua tanquam error repudiatur, cum docetur: Non poſſe ex ſcriptura probari, ad bonum opus neceſſario requiri Spiritum Sanctum, & ejus gratiam. *De peccato Originis.*

Præterea in articulis Smalcaldicis hæc leguntur. Et hæc pœnitentia in Chriſtianis usque ad mortem durat. Luctatur enim cum reliquiis peccati in carne, per totam vitam: quemadmodum D. Paulus Rom. 7. teſtatur, ſe luctari cum lege membrorum ſuorum, atque hoc non propriis viribus, ſed Spiritus ſancti dono, quod remiſſionem peccatorum ſtatim ſequitur. Hoc donum quotidie aliquid de reliquiis peccati expurgat, & in hoc incumbit, ut hominem vere mundum & ſanctum reddat. Hæc verba prorſus nihil de noſtra voluntate loquuntur: neque dicunt, quod ea, etiam in renatis, aliquid ex ſeſe operetur, ſed omnia Spiritus ſancti dono adſcribunt: quod hominem emundet, & de die in diem meliorem & ſanctiorem faciat: & ab eo opere vires noſtræ propriæ prorſus excluduntur. *De pœnitentia. Rom. 7, 23.*

Major D. Lutheri Catechismus ſic habet: Illius Catholicæ Chriſtianæ Eccleſiæ ego quoque pars ſum & membrum: omnium bonorum, quæ ipſa habet, particeps & conſors: per Spiritum Sanctum enim ad eam com- *De tertio articulo Symboli Apoſtolici.*

communnionem cœleſtium bonorum introductus, & Eccleſiæ ſum inſertus: hoc videlicet medio, quod verbum Dei audivi & adhuc audio: hoc enim initium eſt, per quod aditus ad Eccleſiam Dei nobis patet.

Antequam enim in Eccleſiam Chriſti introducti ſumus, viliſſima Diaboli mancipia eramus: quia de Deo & Chriſto nihil noveramus. Spiritus ſanctus autem manet cum ſancta Eccleſia Catholica ad noviſſimum usque Diem: & per Eccleſiam nos ſanat, eiusque opera utitur in docendo & propagando Dei verbo: per quod ipſe ſanctificationem noſtram operatur & promovet: ut de die in diem proficiamus, & in fide confirmemur, atque in ferendis bonis fidei fructibus, quos ipſe efficit, progreſſus ſubinde majores faciamus, &c. In his omnibus, quæ jam è Catechiſmo recitavimus, liberi noſtri arbitrii, aut cooperationis noſtræ, ne uno quidem verbulo fit mentio: ſed omnia Spiritui ſancto attribuuntur: quod, videlicet, nos per miniſterium verbi in Eccleſiam Dei introducat, in qua nos ſanctificet, & efficiat, ut quotidie in fide & bonis operibus proficiamus.

Quamvis autem renati, etiam in hac vita, eo usque progrediantur, ut bonum velint eoque delectentur, & bene agere atque in pietate proficere ſtudeant: tamen hoc ipſum (ut paulo ante dictum eſt) non à noſtra voluntate, aut à viribus noſtris proficiſcitur: ſed Spiritus ſanctus (ut Paulus ipſe de hac re loquitur) operatur in nobis illud VELLE & PERFICERE. Quemadmodum etiam alibi Apoſtolus hoc opus ſoli Deo tribuit, cum inquit: Ipſius ſumus factura, creati in Chriſto Jeſu, ad opera bona, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.

Phil. 2, 13.

Eph. 2, 10.

In minori Catechiſmo D. Luttheri ſic ſcriptum eſt: Credo, me non propria mea ratione aut virtute in Jeſum Chriſtum Dominum meum credere, ac ad ipſum venire

venire posse, quandoquidem Spiritus sanctus me per Evangelium vocavit, suis donis illuminavit, in recta fide sanctificavit & conservavit, quemadmodum universam Christianam Ecclesiam in terris vocat, colligit, illuminat, sanctificat, & in vera ac una fide in Jesum Christum conservat, &c.

Et in explicatione secundæ petitionis in Oratione Dominica hæc sunt verba: Qui fit hoc? (ut scilicet regnum Dei ad nos veniat) Responsio: Quando cœlestis Pater nobis Spiritum Sanctum suum largitur, ut verbo ejus sancto per gratiam Dei credamus, & pie vivamus, &c.

Hæc testimonia affirmant, nos propriis viribus non posse ad Christum venire, sed Deum dare nobis Spiritum suum sanctum, à quo illuminamur, sanctificamur, & ita ad Christum per fidem adducimur, atque in ipso conservamur. Hic nec voluntatis nostræ, nec cooperationis mentio fit.

His adjungemus dictum, quo D. Lutherus tandem adhibita protestatione seipsum declarat, quod in hac doctrina usque ad vitæ finem perseverare velit. Verba in majore Confess. de sacrosancta Cœna hæc sunt: Rejicio & damno tanquam meros errores, omnia dogmata, quæ nostrum liberum arbitrium prædicant, utpote quæ auxilio & gratiæ Salvatoris nostri Jesu Christi simpliciter repugnant. Cum enim (extra Christum) mors & peccatum nobis dominentur, & Diabolus sit Deus & princeps noster, non potest hic esse ulla potentia aut virtus, sapientia, aut intelligentia in nobis, qua ad justitiam & vitam nos parare & eam quærere possimus, sed constat nos plane excœcatos & captivos, & peccati ac diaboli mancipia esse, & facere atque cogitare ea, quæ ipsis placent, & Deo & præceptis ejus adversa sunt.

In his verbis D. Lutherus piæ sanctæque memoriæ, libero

libero noſtro arbitrio prorſus nihil virium tribuit, quibus ſe homo ad juſtitiam præparare, aut eam quærere poſsit. Contra vero docet, hominem excœcatum & captivum tantummodo voluntati Satanæ parere, & ea, quæ Deo diſplicent, facere. Quare non eſt in hoc negotio ſomnianda ulla cooperatio voluntatis noſtræ, in hominis converſione. Etenim neceſſe eſt, ut homo divinitus trahatur, & ex Deo renaſcatur: alias nulla in cordibus noſtris cogitatio eſt, quæ à ſeipſo ad Evangelion amplectendum, ſeſe convertat. Hoc negotium D. Lutherus in libro ſuo, De Servo arbitrio contra Eraſmum, egregie & ſolide explicuit, atque ſententiam hanc piam & invictam eſſe demonſtravit. Poſtea, in Commentario illo præclaro, quem in Geneſin ſcripſit (præcipue in explicatione 26. capitis) eandem repetivit & declaravit. Eo loco etiam alias quasdam peculiares ab Eraſmo motas diſputationes (ut, de abſoluta neceſſitate, &c.) attigit: & quomodo ea intelligi & accipi vellet, contra omnes ſiniſtras ſuſpiciones & corruptelas, pia explicatione optime munivit. Ea hic repetita eſſe volumus: & ut diligenter legantur, omnes hortamur.

Joh. 6. 44.

Quare male docetur, cum fingitur: hominem non renatum adhuc tantum habere virium, ut Evangelion amplecti, eoque ſeſe conſolari cupiat: & hoc modo humanam voluntatem (qualis natura eſt) in converſione aliquo modo cooperari. Hæc enim falſa opinio ſacroſanctæ ſcripturæ, piæ Auguſtanæ Confeſſioni, ejusdem Apologiæ, Smalcaldicis articulis, majori & minori Catechiſmis Lutheri, & aliis hujus excellentiſſimi & divinitus illuminati Theologi ſcriptis repugnat.

Non ignoramus autem, & Enthuſiaſtas & Epicuræos pia hac, de impotentia & malitia naturalis liberi arbitrii, doctrina (quo converſio & regeneratio noſtra ſoli Deo, nequaquam autem noſtris viribus tribuitur) impie,

impie, turpiter, & maligne abuti. Et multi impiis illorum ſermonibus offenſi atque depravati, diſſoluti & feri fiunt, atque omnia pietatis exercitia, orationem, ſacram lectionem, pias meditationes, remiſſe tractant aut prorſus negligunt, ac dicunt: quandoquidem propriis ſuis naturalibus viribus ad Deum ſeſe convertere nequeant, perrecturos ſe in illa ſua adverſus Deum contumacia: aut expectaturos, donec a Deo violenter, & contra ſuam ipſorum voluntatem convertantur. Et cum in hiſce ſpiritualibus rebus nullam agendi facultatem habeant, ſed totum illud converſionis negotium ſolius Spiritus ſancti operatio ſit, negant ſe porro verbum Dei vel audituros vel lecturos, aut Sacramento uſuros: ſed expectare velle, donec ipſis Deus immediate cœlitus dona ſua infundat, ut revera in ſe ipſis ſentire & experientia ipſa certiores fieri poſſint, ſe à Deo converſos eſſe.

Alii vero, ut infirmæ & perturbatæ mentes, non ſatis recte intellecta pia noſtra doctrina de libero arbitrio, fortaſſe in triſtes has cogitationes & periculoſam dubitationem incidere poſſent: an ſint à Deo electi: & an Deus dona illa per Spiritum ſanctum in ipſis operari velit: præſertim cum in cordibus ſuis non adeo firmam & flagrantem fidem, promtamque obedientiam, ſed ſolummodo meras infirmitates, miſerias & anguſtias ſentiant.

Hanc ob cauſam porro ê verbo Dei docebimus: quomodo homo ad Deum convertatur: quomodo & qnibus mediis (videlicet per verbum vocale, & per Sacramenta) Spiritus ſanctus in nobis efficax ſit, & veram pœnitentiam, fidem, novasque ſpirituales vires ac facultates ad bene agendum, in cordibus noſtris operari & largiri velit: & quemadmodum nos erga oblata illa media gerere, & iis quomodo uti debeamus.

Non eſt voluntas Dei, ut quisquam pereat: ſed vult,

ut

ut omnes homines ad ipsum convertantur,& in æternum salvi fiant. Vivo ego (inquit Dominus) nolo mortem peccatoris: sed ut convertatur & vivat. Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret: ut omnis, qui in eum crediderit, non pereat, sed habeat vitam æternam.

Ezech. 33, 11.

Joh. 3, 16.

Propterea Deus pro sua ineffabili bonitate & clementia curat,ut & sua divina & immota lex,& mirandum consilium, de liberatione nostra, sanctum videlicet & salvificum Evangelion de æterno filio suo, unico Salvatore & Redemtore nostro Jesu Christo, publice annuncientur. Ea prædicatione æternam Ecclesiam sibi è genere humano colligit: & in hominum mentibus veram pœnitentiam, agnitionem peccatorum, & fidem veram in filium Dei, Jesum Christum, operatur. Et visum est Deo per hoc medium, & non alio modo, nimirum per sanctum verbum suum, cum id vel prædicari auditur vel legitur, & per Sacramentorum legitimum usum homines ad æternam salutem vocare, ad se trahere, convertere,regenerare,& sanctificare. Quia in Dei sapientia (inquit Apostolus) non cognovit mundus per sapientiam Deum: placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Et Angelus inquit: Petrus loquetur tibi verba, in quibus salvus eris tu, & universa domus tua. Et: Fides est ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Item: Sanctifica eos,pater,in veritate tua, verbum tuum est veritas, &c. Oro autem pro iis etiã, quia per sermonem ipsorum in me sunt credituri. Quapropter æternus Deus pater cœlestis cœlitus de filio suo dilecto, & de omnibus, qui ipsius nomine pœnitentiam & remissionem peccatorum prædicant: clamat: HUNC AUDITE.

1. Cor. 1, 21.

Act. 10, 6.

Rom. 10, 17.

Joh. 17, 17. 20.

Matth. 17, 5.

Hanc verbi Dei prædicationem audire oportet omnes,qui æternam salutem consequi cupiunt.Prædicatio enim verbi Dei,& ejusdem auscultatio, sunt Spi-

ritus

ritus ſancti inſtrumenta, cum quibus, & per quæ efficaciter agere, & homines ad Deum convertere, atque in ipſis & velle & perficere operari vult.

Hoc Dei verbum homo, etiam nondum ad Deum converſus, nec renatus, externis auribus audire aut legere poteſt. In Ejusmodi enim externis rebus, ut ſupra dictum eſt, homo adhuc, etiam poſt lapſum, aliquo modo liberum arbitrium habet, ut ad cœtus publicos Eccleſiaſticos accedere, verbum Dei audire, vel non audire poſſit.

Per hoc medium ſeu inſtrumentum, prædicationem nimirum & auditionem verbi, Deus operatur: emollit corda noſtra, trahitque hominem, ut ex concionibus legis & peccata ſua, & iram Dei agnoſcat, & veros terrores atque contritionem in corde ſuo ſentiat. Et per annunciationem ac meditationem Evangelii, de gratuita & clementiſſima peccatorum remiſſione in Chriſto, ſcintillula fidei in corde ipſius accenditur, quæ remiſſionem peccatorum propter Chriſtum amplectitur, & ſeſe promiſſione Evangelii conſolatur: & hoc modo Spiritus ſanctus, qui hæc omnia operatur, in cor mittitur. *Gal. 4, 6.*

Etſi autem utrumque, tum concionatoris plantare & rigare, tum auditoris currere & velle, fruſtra omnino eſſent, neque converſio ſequeretur, niſi Spiritus Sancti virtus & operatio accederet: qui per verbum prædicatum & auditum corda illuminat & convertit, ut homines verbo credere & aſſentiri poſſint: tamen neque concionator neque auditor de hac Spiritus Sancti gratia & operatione dubitare debent. Quin potius uterque certo ſciat, ſi verbum Dei, juxta mandatum & voluntatem Dei pure & ſincere prædicatum fuerit, & homines diligenter & ſerio auſcultaverint, illudque meditati fuerint, certiſſime Dominum gratia ſua præſentem adeſſe, & largiri ea, ut paulo ante

dictum est, quæ homo alias suis propriis viribus neque accipere, neque dare potest. De præsentia enim, operatione & donis Spiritus sancti non semper ex sensu (quomodo videlicet & quando in corde sentiuntur) judicari debet aut potest: Sed quia hæc sæpe multiplici infirmitate contecta sunt, ex promissione verbi Dei certo statuere debemus, quod verbum Dei prædicatum & auditum revera sit ministerium & organon Spiritus sancti, per quod in cordibus nostris vere efficax est & operatur.

2. Cor. 21. v. 14. seq.

At si homo quispiam neque verbum Dei audire, neque legere velit, sed potius ministerium verbi & Ecclesiam Dei contemnat, & in peccatis suis ita moritur & pereat: is neque ex æterna Dei prædestinatione quicquam consolationis capere, neque misericordiam apud Deum consequi potest. Christus enim, in quo electi sumus, omnibus hominibus clementiam suam in verbo & Sacramento offert, & serio vult, ut verbum illud audiatur: ac promisit: ubicunque duo aut tres in nomine ejus congregati fuerint, & verbum ejus pie tractaverint, ibi se in medio ipsorum adfuturum.

Matth. 18, 20.

Quare cum homo prophanus instrumenta seu media Spiritus sancti contemnit, neque verbum Dei audire vult, non fit illi injuria, si à Spiritu sancto non illuminetur, sed in tenebris infidelitatis suæ relinquatur, & pereat. De hac re sic scriptum extat: Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & NOLUISTI?

Matth. 23, 37.

Et hac ratione recte etiam dici potest, hominem non esse lapidem aut truncum. Lapis enim aut truncus non reluctatur ei, à quo movetur: sed neque intelligit aut sentit, quid secum agatur, sicut homo Deo sua voluntate reluctatur, donec ad Dominum conversus fuerit. Et tamen verum est, quod homo, etiam ante conversionem, sit creatura rationalis, quæ intellectum & voluntatem habeat: (intellectum autem non in rebus divi-

divinis, & voluntatem, non ut bonum & ſalutare aliquid velit) ſed tamen ad converſionem ſuam (ut ſæpe jam eſt dictum) prorſus nihil conferre poteſt. Et hac in parte multo eſt deterior lapide aut trunco: quia repugnat verbo & voluntati Dei, donec Deus eum à morte peccati reſuſcitet, illuminet atque renovet. Etſi autem Dominus hominem non cogit, ut convertatur (qui enim ſemper Spiritui Sancto reſiſtunt, & veritati agnitæ perſeverantes repugnant: quod ſanctus Stephanus induratis Judæis tribuit: hi non convertuntur:) attamen trahit Deus hominem, quem convertere decrevit. Sic autem eum trahit, ut ex intellectu cœcato, illuminatus fiat intellectus, & ex rebelli voluntate fiat prompta & obediens voluntas. Et hoc ipſum ſcriptura vocat, NOVUM COR CREARE. Eam ob cauſam etiam non recte dicitur: hominem ante converſionem in rebus ſpiritualibus habere MODUM AGENDI aliquid, quod ſit bonum & ſalutare: Cum enim homo ante converſionem in peccatis mortuus ſit: non poteſt in ipſo aliqua vis ad bene agendum in rebus ſpiritualibus ineſſe: itaque non habet modum operandi ſeu agendi aliquid in rebus divinis. Quando vero de eo agitur, quomodo Deus in homine operetur, verum quidem eſt, quod Deus alium modum agendi habeat in homine, utpote in creatura rationali, & alium modum in alia aliqua irrationali creatura, vel in lapide aut trunco: nihilominus ea de cauſa homini ante converſionem ejus modus agendi aliquid boni in rebus divinis tribui non poteſt. Quando vero jam homo eſt converſus & illuminatus, ejuſq; voluntas renovata eſt: tunc homo VULT BONUM, quatenus renatus & novus homo eſt: & lege Dei delectatur, ſecundum interiorem hominem. Et in poſterum tantum boni & tamdiu bonum operatur, quantum, & quamdiu à Spiritu Dei impellitur: ſicut D. Paulus ait: Qui Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei. Hæc autem agitatio Spiritus

Act. 7, 51.

Pſ. 51, 12.

Epheſ. 5, 8.

Rom. 8, 14.

Pſ. 110, 3. ſancti non eſt coactio: ſed homo converſus ſponte bonum operatur: Quemadmodum David inquit: Poſt victoriam tuam populus tuus tibi ſpontaneus offeret. Rom. 7, 22. Et tamen ſimul etiam in renatis lucta carnis & ſpiritus reliqua manet, de qua Paulus ait: Delector lege Dei ſecundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in v. 25. membris meis. Et ibidem: Servio igitur mente legi Gal. 5, 17. Dei, carne vero legi peccati. Et ad Galatas inquit: Caro concupiſcit adverſus Spiritum: Spiritus autem adverſus carnem. Hæc ſibi invicem adverſantur: ut non, quæcunque vultis, illa faciatis.

Ex his conſequitur, quam primum Spiritus Sanctus (ut dictum eſt) per Verbum & Sacramenta opus ſuum regenerationis & renovationis in nobis inchoavit: quod revera tunc per virtutem Spiritus Sancti cooperari poſſimus ac debeamus: quamvis multa adhuc infirmitas concurrat. Hoc vero ipſum, quod cooperamur, non ex noſtris carnalibus & naturalibus viribus eſt, ſed ex novis illis viribus & donis, quæ Spiritus Sanctus in converſione in nobis inchoavit. In quam ſententiam D. Paulus expreſſis verbis graviter hortatur, ut curemus, ne, tanquam Dei cooperarii, fruſtra Dei gratiam acceperimus. Quod tamen ſic, & non aliter intelligendum eſt: hominem jam converſum tantum atque tamdiu bene operari, quantum & quamdiu à Deo per Spiritum Sanctum ducitur, regitur & gubernatur. Quamprimum enim Dominus clementem ſuam manum ab ipſo retraheret, homo quidem ne ad minimum momentum in obedientia divina perſeverare poſſet. Si quis vero Pauli dictum in ea ſententia accipere vellet, quaſi homo converſus una cum Spiritu Sancto eo modo cooperaretur, quemadmodum duo equi ſimul una currum trahunt:

1. Corinth. 6, 1. συνεργοῦντες παρακαλοῦμεν; *Nos, qui ſumus adminiſtri ſeu cooperarii Dei, monemus vos, ut noſtrum exemplũ imitemini, qui eſtis arvum & ædificatio Dei.*

trahunt: equidem hoc citra veritatis divinæ jacturam concedi haudquaquam posset.

Quapropter ingens discrimen est inter homines baptizatos & non baptizatos. Cum enim, juxta Pauli doctrinam, omnes, qui baptizati sunt, Christum induerint, & revera sint renati, habent illi jam liberatum arbitrium: hoc est, rursus liberati sunt: ut Christus testatur. Unde etiam non modo verbum Dei audiunt, verum etiam, licet non sine multa infirmitate, eidem assentiri, illudque fide amplecti possunt.

1. Cor. 3. Gal. 3, 27. Ne gratia Dei in vobis sit inanis. 1. Cor. 15, 10. sed ut sitis templum Dei viventis & habitantis in vobis. 2. Cor. 6, 16.

Cum enim in hac vita tantum primitias Spiritus acceperimus, & regeneratio nondum sit absoluta, sed solummodo in nobis inchoata: manet perpetua quædam lucta inter carnem & Spiritum etiam in electis & vere renatis hominibus. Et quidem non modo inter Christianos magnum discrimen deprehenditur: quorum hic infirmus, ille robustus est spiritu: verum etiam hanc diversitatem quilibet Christianus in semetipso animadvertere potest, se nunc quidem excelso animo esse, & ad omnia virtute Spiritus paratum promptumque, nunc vero timido & trepido: jam quidem charitate ardere, firmum in fide & spe esse, post vero frigere, & imbecillitatem suam sentire.

Cum vero homines baptizati contra conscientiam aliquid patrarint, & peccato in mortali suo corpore dominium concesserint, atque Spiritum Sanctum in se ipsis contristarint & amiserint, non opus est quidem, ut rebaptizentur: necesse est autem, ut rursus convertantur, de qua re antea satis dictum est.

Hoc enim certissimum est, in vera conversione immutationem, renovationem, & motum fieri oportere in hominis intellectu, voluntate & corde: ut nimirum hominis mens peccata agnoscat, iram Dei metuat, à peccato sese avertat, promissionem gratiæ in Christo agnoscat & apprehendat, pias cogitationes animo

agitet, bonum propoſitum habeat, atque diligentiam in moribus ſuis regendis adhibeat, & contra carnem pugnet. Ubi enim nihil horum ſit: ibi procul dubio etiam non eſt vera ad Deum converſio. Cum autem quæſtio ſit de CAUSA EFFICIENTE, hoc eſt, quisnam hæc in nobis operetur, unde homo hoc ipſum habeat, & quomodo id conſequi poſſit: hæc pia doctrina oſtendit horum bonorum fontem, hoc videlicet modo. Cum naturales hominis vires ad veram converſionem nihil conferre, aut quicquam adjumenti adferre poſſint, Deus ineffabili bonitate, & miſericordia nos prævenit: & Evangelion (per quod Spiritus Sanctus converſionem & regenerationem in nobis operari & perficere vult) annunciari curat: & per verbi ſui prædicationem & meditationem, fidem, aliasque pietatis virtutes in nobis accendit: ita quidem, ut hæc omnia ſolius Spiritus ſancti dona ſint atque operationes. Quin etiam hæc ſincera doctrina oſtendit nobis media, per quæ Spiritus ſanctus hæc, quæ diximus, in nobis vult inchoare & efficere, & monet, quomodo hæc dona conſerventur, confirmentur & augeantur: & hortatur, ut gratiam illam divinam non fruſtra acceperimus: ſed ut dona illa ſedulo exerceamus, cogitantes, quam grave ſit peccatum, tales Spiritus ſancti operationes impedire, aut illis reſiſtere.

1. Cor. 2, 14.
1. Cor. 2, 12.

Ex hac ſolida totius doctrinæ de libero arbitrio explicatione, de quæſtionibus illis, quæ jam multis annis in Eccleſiis Auguſtanæ Confeſſionis agitatæ ſunt, judicari poteſt. Verbi gratia: quod quæſitum fuit: an homo ante, in, vel poſt converſionem Spiritui ſancto repugnet? vel pure paſſive ſe habeat: an homo convertatur ut truncus? an Spiritus ſanctus detur repugnantibus? & an converſio hominis fiat per modum coactionis? Hæc atque hujusmodi multa, juxta

reci-

Digitized by Google

recitatam piam noſtram de hoc articulo doctrinam, facile dijudicari, & contraria falſa dogmata & errores agnoſci, redargui atque rejici poſſunt.

PRIMO Stoicorum & Manichæorum furores, qui aſſeruerunt: omnia, quæ fiunt, neceſſario fieri, & quidem eo, quo fiunt, & non alio modo: & hominem coactum omnia facere. Et, quod hominis voluntas etiam in externis operibus nullam omnino libertatem aut facultatem (ad externam civilem juſtitiam, & diſciplinam honeſtam aliquo modo præſtandam, & ad vitanda externa peccata & flagitia) habeat: aut, quod hominis voluntas ad externa ſcelera, libidines, rapinas, cædes, &c. violenter cogatur. I.

Deinde craſſus ille Pelagianorum error: quod liberum arbitrium ex propriis naturalibus viribus, ſine Spiritu ſancto ſeſe ad DEUM convertere, Evangelio credere, legem DEI etiam toto corde implere, atque hac libera & ſpontanea ſua obedientia remiſſionem peccatorum & vitam æternam promereri poſſit. II.

Poſtea & Papiſtarum & Scholaſticorum error, qui aliquanto ſubtiliùs falſam opinionem ſuam propoſuerunt, & docuerunt, quod homo naturalibus ſuis viribus initium ad agendum bonum & ad converſionem ſuam facere poſſit: ſed quia infirmior ſit, quam ut bene cœpta perficere queat, quod Spiritus ſanctus illa, quæ naturalibus propriis viribus inchoata erant, adjuvet & abſolvat. III.

Item, Synergiſtarum dogma, qui fingunt, hominem in rebus ſpiritualibus non prorſus ad bonum eſſe emortuum, ſed tantum graviter vulneratum & ſemimortuum eſſe. Et quamvis liberum arbitrium infirmius ſit, quam ut initium facere, & ſeipſum propriis viribus ad Deum convertere, & legi Dei toto corde IV.

obedire poſſit: tamen ſi Spiritus Sanctus initium faciat, & nos per Evangelion vocet, gratiam ſuam, remiſſionem peccatorum, & æternam ſalutem nobis offerat, tunc liberum arbitrium propriis ſuis, naturalibus viribus Deo occurrere, aliquo modo (aliquid ſaltem, etſi parum & languide) ad converſionem ſuam conferre, eam adjuvare, cooperari, ſeſe ad gratiam præparare & applicare, eam apprehendere, amplecti, Evangelio credere, & quidem in continuatione & conſervatione hujus operis, propriis ſuis viribus, una cum Spiritu Sancto COOPERARI POSSE.

Contra hunc errorem ſupra luculenter demonſtratum eſt, quod facultas applicandi ſe ad gratiam non ex noſtris naturalibus propriis viribus, ſed ex ſola Spiritus Sancti operatione promanet.

V. Item, Pontificum & Monachorum doctrina: quod homo, poſtquam regeneratus eſt, Legem Dei in hac vita perfecte implere poſſit: & quod per hanc impletionem legis coram Deo juſtificetur, & vitam æternam promereatur.

VI. Ab altera parte magna ſeveritate & pio zelo redarguendi ſunt Enthuſiaſtæ, neque in Eccleſia Dei ferendi: qui ſomniant, Deum ſine omnibus mediis, ſine auditione verbi divini & ſine uſu Sacramentorum hominem ad ſe trahere, illuminare, juſtificare, & ſalvum facere.

VII. Item, qui fingunt: Deum in converſione & regeneratione novum cor, atque adeo novum hominem ita creare, ut veteris Adami ſubſtantia & eſſentia (præſertim vero anima rationalis) penitus aboleatur, & nova animæ eſſentia ex nihilo creetur. Hunc errorem expreſſe refutat D. Auguſtinus, in explicatione Pſalmi vigeſimi quinti, quo loco dictum Pauli: Deponite veterem hominem, &c. adfert & interpretatur, hiſce verbis: Ne aliquis arbitretur, deponendam eſſe ali-

Epheſ. 4. 22.

quam

quam ſubſtantiam, expoſuit, quid eſſet, deponite veterem hominem, & induite novum, &c. cum dicit in conſequentibus: quapropter deponentes mendacium, loquimini veritatem. Ecce hoc eſt deponere veterem hominem, & induere novum.

Repudiamus etiam ſequentes loquendi formas, ſi quis iis citra declarationem utatur: quod hominis voluntas ante converſionem in ipſa converſione, & poſt converſionem Spiritui ſancto repugnet: & quod Spiritus Sanctus detur ipſi repugnantibus. VIII.

Ex ea enim, quam paulo ante recitavimus, explicatione manifeſtum eſt, ubi per Spiritum ſanctum in hominis intellectu, voluntate & corde prorſus nulla fit immutatio ad bonum, & homo promiſſioni divinæ fidem prorſus non adhibet, & à Deo ad gratiam non redditur idoneus, ſed totus verbo Dei repugnat, quod ibi nulla converſio vel fieri vel eſſe poſſit. Converſio enim hominis talis eſt immutatio, per operationem Spiritus ſancti, in hominis intellectu, voluntate & corde, qua homo (operatione, videlicet, Spiritus ſancti) poteſt oblatam gratiam apprehendere. Et quidem omnes, qui operationi & motibus Spiritus ſancti (quæ per verbum fiunt) contumaciter & perſeveranter repugnant, non accipiunt, ſed contriſtant & amittunt Spiritum Sanctum.

Manet quidem etiam in renatis rebellio quædam, cujus ſcriptura mentionem facit: quod nimirum, caro concupiſcit adverſus ſpiritum: quod carnales concupiſcentiæ adverſus animam militant: & quod lex illa in membris legi mentis repugnat. *Gal. 5, 17. 1. Petr. 2, 11. Rom. 7, 23.*

Homo autem non renatus, Deo prorſus rebellis eſt, & totus eſt ſervus peccati. Renatus vero delectatur lege Dei, ſecundum interiorem hominem. Videt autem nihilominus in membris ſuis legem peccati, quæ legi mentis repugnat. Quare mente quidem ſervit legi Dei, *Joh. 8, 34. Rom. 7. v. 21. ſqq. v. 25.*

Rom. 7, 25. carne vero legi peccati. Ad hunc modum vera de hoc negotio ſententia ſolide, perſpicue & dextre declaranda & docenda eſt.

Quod vero attinet ad phraſes & dicta Chryſoſtomi & Baſilii: Trahit Deus, ſed volentem trahit: Tantum velis, & Deus præoccurrit. Item Scholaſticorum & Pontificiorum: Hominis voluntas in converſione non eſt otioſa, ſed agit aliquid, &c. quia dicta illa pro confirmando naturali libero arbitrio in converſione hominis, contra doctrinam gratiæ Dei introducta ſunt: ex propoſita declaratione manifeſte apparet, formæ ſanorum verborum ea non eſſe analoga, ſed cum illa pugnare: & idcirco, cum de converſione ad Deum agitur, merito vitanda eſſe.

Converſio enim voluntatis noſtræ depravatæ (quæ revera nihil aliud eſt, quam ejusdem reſuſcitatio à ſpirituali morte) omnino ſolius Dei opus eſt: ſicut etiam reſuſcitatio in corporali carnis reſurrectione ſoli Deo eſt tribuenda: quemadmodum ſupra perſpicue id explicatum, & ſolidis ſcripturæ ſacræ teſtimoniis demonſtratum eſt.

Quomodo vero Dominus in converſione ex rebellibus & nolentibus hominibus, per Spiritus ſancti tractum, volentes & promtos faciat: & quod poſt hominis converſionem voluntas jam renata, in quotidianis pœnitentiæ exercitiis, non ſit otioſa, ſed omnibus operibus Spiritus ſancti (quæ ille per nos efficit) cooperetur, ſupra ſatis perſpicue eſt declaratum.

Et quando D. Lutherus affirmat, hominem in converſione ſua pure paſſive ſeſe habere, id eſt, plane nihil agere, ſed tantummodo pati id, quod Deus in ipſo agit, certe non ſentit, quod converſio absque prædicatione & auditione verbi Dei fiat: neque hæc ita accipi voluit, quaſi in converſione per Spiritum ſanctum prorſus nulli novi motus in nobis excitentur,

neque

neque ulla ſpiritualis operatio in nobis inchoetur. Sed hoc voluit Doct. Lutherus: hominem ex ſeipſo, aut naturalibus ſuis viribus non poſſe aliquid conferre, vel adjumentum adferre ad ſuam converſionem: & hominis converſionem non tantum ex parte, ſed totam prorſus eſſe operationem, donum, & opus ſolius Spiritus ſancti: qui eam virtute & potentia ſua, per verbum (in intellectu, corde & voluntate hominis, tanquam in ſubjecto patiente, ubi homo nihil agit, aut operatur, ſed tantum patitur) efficiat atque operetur. Quod tamen non eo modo fit, quaſi cum ſtatua è lapide formatur: aut ſigillum in ceram imprimitur: quæ cera neque notitiam, neque ſenſum, neque voluntatem habet: ſed eo modo hominis immutationem & renovationem fieri credimus, quem ſatis luculenter ſupra explicuimus.

Quandoquidem etiam juventus in ſcholis, doctrina illa de tribus cauſis efficientibus concurrentibus in converſione hominis non renati, vehementer perturbata eſt, dum diſputatum fuit, quomodo illæ (verbum videlicet prædicatum & auditum, Spiritus Sanctus, & hominis voluntas) concurrant: denuo repetitum volumus ex ſupra poſita explicatione, quod converſio ad Deum ſit ſolius Spiritus ſancti opus: qui ſolus eſt egregius ille artifex, hæc in nobis efficiens: interim tamen prædicatione & auditu ſancti verbi ſui (tanquam ordinario & legitimo medio ſeu inſtrumento ſuo) utitur. Hominis autem nondum renati intellectus & voluntas, tantum ſunt ſubjectum convertendum, ſunt enim hominis ſpiritualiter mortui intellectus & voluntas, in quo homine Spiritus ſanctus converſionem & renovationem operatur; Ad quod opus hominis convertendi voluntas nihil confert: ſed patitur, ut Deus in ipſa operetur, donec regeneretur.

Poſtea

Postea vero in aliis sequentibus bonis operibus Spiritui sancto cooperatur, ea faciens, quæ Deo grata sunt; eo modo, qui jam à nobis in hoc scripto abunde satis est declaratus.

III.

DE JUSTITIA FIDEI CORAM DEO.

Augusſt. C. 10. 11. 16. Ap. 60, 71. Art. Sm. 304. 335. Epit. 383.

TERTIA controversia inter Theologos quosdam Augustanæ Confessionis orta, est de Justitia Christi, seu justitia fidei, quæ à Deo, per fidem, miseris peccatoribus ad justitiam ex gratia imputatur.

Alii contenderunt, justitiam fidei (quam Apostolus justitiam Dei appellat) esse justitiam Dei essentialem: quæ sit ipse Christus, ut verus naturalis & essentialis Dei filius, qui per fidem in electis habitet, eosque ad bene operandum impellat: & hac ipsa ratione eorum sit justitia: cujus inhabitantis essentialis justitiæ respectu, omnium hominum peccata sese habeant instar guttulæ aquæ, ad magnum mare collatæ.

Alii vero asseruerunt, Christum esse justitiam nostram, duntaxat juxta humanam naturam.

Contra utrosque unanimi consensu reliqui Augustanæ Confessionis Theologi docuerunt, Christum esse nostram justitiam non secundum divinam tantum naturam, neque etiam secundum humanam tantum, sed juxta utramque naturam: quippe qui nos (ut Deus & homo) à peccatis nostris perfectissima sua obedientia liberaverit, justificaverit, atque salvos fecerit. Itaque asseruerunt, fidei justitiam esse remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, & adoptionem in filios Dei: proprer solam Christi obedientiam; quæ per solam fidem, ex mera gratia omnibus vere

vere credentibus ad juſtitiam imputetur: ita ut ipſi propterea ab omni injuſtitia abſolvantur.

Præter hanc controverſiam etiam aliæ quædam diſputationes de articulo juſtificationis (occaſione formulæ Interim ſeu Interreligionis) & alias motæ ſunt, quæ poſtea in antitheſi, id eſt, in recitatione errorum, qui puræ doctrinæ in hoc articulo adverſantur, explicabuntur.

Hic autem articulus, de juſtitia fidei, præcipuus eſt (ut Apologia loquitur) in tota doctrina Chriſtiana, ſine quo conſcientiæ perturbatæ nullam veram & firmam conſolationem habere, aut divitias gratiæ Chriſti recte agnoſcere poſſunt. Id D. Lutherus ſuo etiam teſtimonio confirmavit, cum inquit: Si unicus hic articulus ſincerus permanſerit, etiam Chriſtiana Eccleſia ſincera, concors, & ſine omnibus ſectis, permanet: ſin vero corrumpitur, impoſſibile eſt, ut uni errori aut fanatico ſpiritui recte obviam iri poſſit. Et de hoc articulo D. Paulus præcipue loquitur, cum inquit: paululum fermenti totam conſperſionem fermentat. Atque ea ipſa de cauſa Paulus particulas excluſivas, (videlicet, ſine lege, ſine operibus, ex gratia, gratis) quibus humana opera excluduntur, in hoc articulo tanta diligentia, tantoque zelo urget: ut oſtendat, quod valde neceſſarium ſit: ut in hoc articulo non modo ſincera doctrina perſpicue explicetur, verum etiam antitheſis ponatur, & omnia veritati contraria dogmata à pia doctrina ſegregentur, excludantur & rejiciantur.

Tom. 3. Jen. pag. 159.

Gal. 5, 9. 1. Cor. 5, 6.

Rom. 3, 28. Eph. 2, 8. 9.

Quare ut hæc controverſia pie, juxta verbi Dei analogiam, explicetur, ut per gratiam Dei componatur, ſinceram doctrinam, fidem & confeſſionem noſtram ad hunc modum recitamus.

De juſtitia fidei coram Deo, unanimi conſenſu credimus, docemus & confiteamur, (juxta compendiaria Chri-

Christianæ nostræ fidei & confessionis capita, quæ supra posuimus) quod homo peccator coram Deo justificetur, hoc est, absolvatur ab omnibus suis peccatis, & à judicio justissimæ condemnationis, & adoptetur in numerum filiorum Dei, atque hæres æternæ vitæ scribatur, sine ullis nostris meritis, aut dignitate: & absque ullis præcedentibus, præsentibus, aut sequentibus nostris operibus, ex mera gratia, tantummodo propter unicum meritum, perfectissimamque obedientiam, passionem acerbissimam, mortem, & resurrectionem Domini nostri Jesu Christi, cujus obedientia nobis ad justitiam imputatur.

Hæc bona nobis in promissione Evangelii per Spiritum sanctum offeruntur. Fides autem unicum est medium illud, quo illa apprehendimus, accipimus nobisque applicamus. Ea fides donum Dei est, per quod Christum redemtorem nostrum in verbo Evangelii recte agnoscimus, & ipsi confidimus: quod videlicet tantum propter ipsius obedientiam, ex gratia, remissionem peccatorum habeamus, & justi à Deo Patre reputemur, & in æternum salvemur. Itaque hæ propositiones sunt æquipollentes, & idem plane volunt, cum Paulus dicit: Fide nos justificari. Aut, fidem nobis ad justitiam imputari. Et, cum docet: quod unius mediatoris Christi obedientia justificemur. Aut, quod per unius justitiam in omnes homines justificatio vitæ veniat. Fides enim non propterea justificat, quod ipsa tam bonum opus, tamque præclara virtus sit, sed quia in promissione Evangelii meritum Christi apprehendit & amplectitur: illud enim per fidem nobis applicari debet, si eo ipso merito justificari velimus. Itaque justitia illa, quæ coram Deo fidei, aut credentibus, ex mera gratia imputatur, est obedientia, passio & resurrectio Christi: quibus ille legi nostra causa satisfecit, & peccata nostra expiavit. Cum enim Christus

Rom. 3, 28.
Rom. 4, 5.
Rom. 5, 19.
Ibidem 18.

non

non tantum homo, verum Deus & homo ſit, in una perſona indiviſa, tam non fuit legi ſubjectus, quam non fuit paſſioni & morti (ratione ſuæ perſonæ) obnoxius: quia Dominus legis erat. Eam ob cauſam ipſius obedientia (non ea tantum, qua Patri paruit in tota ſua pasſione & morte, verum etiam, qua noſtra cauſa ſponte ſeſe legi ſubjecit, eamque obedientia illa ſua implevit) nobis ad juſtitiam imputatur: ita ut Deus propter totam obedientiam (quam Chriſtus agendo & patiendo, in vita & morte ſua, noſtra cauſa Patri ſuo cœleſti præſtitit) peccata nobis remittat, pro bonis & juſtis nos reputet, & ſalute æterna donet. Hæc juſtitia per Evangelion, & in Sacramentis, à Spiritu ſancto nobis offertur, & per fidem applicatur, atque apprehenditur: unde credentes habent reconciliationem cum Deo, remiſſionem peccatorum, Dei favorem, adoptionem filiorum, & hæreditatem vitæ æternæ.

Vocabulum igitur JUSTIFICATIONIS in hoc negotio ſignificat, juſtum pronunciare, à peccatis & æternis peccatorum ſuppliciis abſolvere: propter juſtitiam Chriſti, quæ à Deo fidei imputatur. Et ſane hic vocabuli illius uſus tam in Veteri, quam in Novo Teſtamento admodum frequens eſt. Salomon inquit: Qui juſtificat impium & qui condemnat juſtum, abominabilis eſt uterque apud Deum. Eſaias væ denunciat illis, qui juſtificant impium propter munera, & juſtitiam juſti auferunt ab eo. Paulus ait: Quis accuſabit electos Dei? Deus eſt, qui juſtificat: hoc eſt, qui à peccatis abſolvit.

Supra pag. 585.

Phil. 3, 9.

Prov. 17, 15.

Eſ. 5, 23.

Rom. 8, 35.

Cum autem interdum vocabulum REGENERATIONIS pro vocabulo JUSTIFICATIONIS uſurpetur: neceſſe eſt, ut illud dextre & proprie explicetur: ne renovatio, quæ juſtificationem ſequitur, cum juſtificatione fidei confundatur, ſed hæc recte à ſe invicem diſcernantur.

Voca-

Vocabulum enim Regenerationis interdum in eo ſenſu accipitur: ut ſimul & remiſſionem peccatorum (quæ duntaxat propter Chriſtum contingit) & ſubſequentem renovationem complectatur: quam Spiritus ſanctus in illis, qui per fidem juſtificati ſunt, operatur. Quandoque etiam ſolam remiſſionem peccatorum, & adoptionem in filios Dei ſignificat. Et in hoc poſteriore uſu ſæpe multumque id vocabulum in Apologia Confeſſionis ponitur. Verbi gratia, cum dicitur: Juſtificatio eſt regeneratio. Sed & Paulus hæc vocabula cum diſcrimine ponit, cum dicit: Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus ſancti. Quin etiam VIVIFICATIONIS vocabulum interdum ita accipitur, ut remiſſionem peccatorum notet. Cum enim homo per fidem (quam quidem ſolus Spiritus ſanctus operatur) juſtificatur, idipſum revera eſt quædam regeneratio: quia ex filio iræ fit filius Dei, & hoc modo è morte in vitam transfertur, ſicut ſcriptum eſt: Cum eſſemus mortui in peccatis, convivificavit nos in Chriſto. Et alibi: Juſtus fide ſua vivet. Et in hac poſteriore ſignificatione Apologia vocabulo regenerationis frequenter uti ſolet.

Tit. 3, 5.

Eph. 2, 5.
Rom. 1, 17.
Hab. 2, 4.

Deinde etiam REGENERATIO ſæpe pro SANCTIFICATIONE & renovatione [quæ fidei juſtificationem ſequitur] uſurpatur. In qua ſignificatione D. Lutherus hac voce, tum in libro de Eccleſia & conciliis, tum alibi etiam, multum uſus eſt.

Quando autem docemus, quod per operationem Spiritus ſancti regeneremur & juſtificemur: non ita accipiendum eſt, quod juſtificatis & renatis nulla prorſus injuſtitia (poſt regenerationem) ſubſtantiæ ipſorum & converſationi adhæreat: ſed, quod Chriſtus perfectiſſima obedientia ſua omnia ipſorum peccata tegat: quæ quidem in ipſa natura (in hac vita) adhuc infixa hærent. Nihilominus tamen per fidem, propter obedientiam CHRISTI (quam CHRISTUS inde

inde à nativitate ſua usque ad ignominioſiſſimam crucis mortem pro nobis Patri ſuo præſtitit) boni & juſti pronunciantur & reputantur: etiamſi ratione corruptæ naturæ ſuæ adhuc ſint maneantque peccatores, dum mortale hoc corpus circumferunt. Sed neque hoc ſentimus, quod liceat nobis absque pœnitentia, & vitæ emendatione peccatis frenos laxare, in iisque perſeverare & ſubinde pergere.

Oportet enim præcedere veram & non ſimulatam contritionem. Et qui mera gratia (ut diximus) propter unicum mediatorem Chriſtum, tantum per fidem ſine omnibus operibus & meritis coram Deo juſti ſunt, hoc eſt, in gratiam Dei recipiuntur: his etiam Spiritus ſanctus datur, qui eos renovat atque ſanctificat, in ipſis dilectionem erga Deum & proximum operatur. Cum autem inchoata illa renovatio in hac vita ſit imperfecta, & peccatum adhuc in carne, etiam in renatis, habitet: juſtitia fidei coram Deo, in gratuita & benigniſſima imputatione juſtitiæ Chriſti (absque ulla noſtrorum operum additione) conſiſtit: quod, videlicet, peccata nobis remiſſa & tecta ſint, neque nobis imputentur. *Rom. 4, 6.*

Sed de hoc diligentiſſime obſervandum eſt, ſi modo articulum de juſtificatione ſincerum retinere velimus, ne ea, quæ fidem præcedunt, & quæ eam ſequuntur, articulo huic, tanquam ad juſtificationem neceſſaria, & ad eam pertinentia, admiſceantur aut inferantur. Non enim unum idemque eſt de converſione hominis, & de juſtificatione ejus agere.

Non omnia illa, quæ ad veram converſionem requiruntur, etiam ad juſtificationem pertinent. Ad juſtificationem enim tantum hæc requiruntur atque neceſſaria ſunt: Gratia Dei, meritum Chriſti, & fides: quæ hæc ipſa Dei beneficia in promiſſione Evangelii

angelii amplectitur: qua ratione nobis Christi justitia imputatur, unde remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, adoptionem in filios Dei & hæreditatem vitæ æternæ consequimur.

Quare vera & salvans fides in iis non est, qui contritione carent, & propositum in peccatis pergendi & perseverandi habent. Vera enim contritio præcedit: & fides justificans in iis est, qui vere, non ficte, pœnitentiam agunt.

1. Joh. 3, 10. Et charitas fructus est, qui veram fidem certissime & necessario sequitur. Qui enim non diligit, de eo recte judicari potest, quod non sit justificatus, sed quod adhuc in morte detineatur: aut rursus justitiam fidei amiserit, ut Johannes testatur. Et quando D. Paulus affirmat, fide nos justificari, sine operibus: hoc ipso docet, neque præcedentem contritionem, neque sequentia bona opera, ad articulum aut negotium justitiæ fidei pertinere. Bona enim opera non præcedunt justificationem, sed eam demum sequuntur. Et oportet personam primum esse justam, antequam bona opera facere queat.

Rom. 3, 28. Similiter & renovatio seu sanctificatio, quamvis & ipsa sit beneficium mediatoris Christi, & opus Spiritus Sancti, non tamen ad articulum aut negotium justificationis coram Deo, pertinet: sed eam sequitur. Quia propter carnis nostræ corruptionem, in hac vita imperfecta est, & nondum omnibus numeris absoluta. De hac re erudite & pie D. Lutherus in præclaro illo suo & copioso super Epistolam ad Galatas commentario ad hunc modum docet: Concedimus de charitate & bonis operibus etiam docendum esse, sed suo tempore & loco, quando scilicet quæstio est de bonis operibus extra hunc articulum de justificatione. Hic autem status causæ & caput est, de quo agitur, ut scilicet quæratur, non, an bona opera sint facienda, & charitas exercenda sit, sed qua re justificemur, & vitam

æternam

æternam conſequamur. Hic reſpondemus cum Paulo: Sola fide in Chriſtum nos pronunciari juſtos, non operibus legis aut charitate. Non quod opera aut charitatem rejiciamus, ut adverſarii nos falſo accuſant, ſed quod à ſtatu cauſæ in alienum negotium, quod ad hanc quæſtionem prorſus non pertinet, abſtrahi nos, & implicari nolumus, id quod tamen Satanas maximopere molitur, & quærit. Itaque cum jam verſemur in loco communi & articulo de Juſtificatione, rejicimus & damnamus opera. Is enim locus nequaquam patitur aut admittit diſputationem de bonis operibus. Abſcindimus igitur hoc propoſito ſimpliciter omnes leges, & omnia opera legis. Hactenus Lutherus.

Quare ut perturbatæ mentes certam, firmamque conſolationem habeant: & merito Chriſti atque gratiæ divinæ debitus honor tribuatur: docet nos ſcriptura, juſtitiam fidei coram Deo tantummodo conſiſtere in ſola clementi & quidem gratuita reconciliatione ſeu remiſſione peccatorum: quæ ex mera gratia, propter ſolum Chriſti mediatoris meritum, nobis donatur: & per ſolam fidem, in promiſſione Evangelii, apprehenditur. Ad eundem modum etiam fides illa in juſtificatione coram Deo, neque contritione, neque dilectione, aliisve virtutibus, ſed ſolo Chriſto confidit: & in Chriſto, ipſius perfectiſſima obedientia (qua pro nobis legem implevit) nititur: quæ obedientia credentibus ad juſtitiam imputatur.

Et quidem neque contritio, neque dilectio, neque ulla alia virtus, ſed ſola fides eſt illud unicum medium & inſtrumentum, quo gratiam Dei, meritum Chriſti, & remiſſionem peccatorum (quæ bona nobis in promiſſione Evangelii offeruntur) apprehendere & accipere poſſumus.

Recte etiam dicitur: quod credentes, qui per fidem in Chriſtum juſtificati ſunt, in hac vita primum qui-

dem imputatam fidei juſtitiam, deinde vero etiam inchoatam juſtitiam novæ obedientiæ, ſeu bonorum operum, habeant. Sed hæc duo non inter ſe permiſcenda, aut ſimul in articulum de juſtificatione fidei coram Deo ingerenda ſunt. Cum enim inchoata illa juſtitia ſeu renovatio in nobis, propter carnem, in hac vita imperfecta ſit & impura: ejus juſtitiæ ratione perſona coram Dei Judicio conſiſtere non poteſt. Sola autem juſtitia obedientiæ, paſſionis & mortis Chriſti, (quæ fidei imputatur) coram judicio Dei ſtare poteſt: ita quidem, ut tantum propter hanc obedientiam perſona (etiam poſtquam renovata eſt & multa bona opera habet, atque jam honeſte & innocenter vivit) DEO placeat, & accepta, in filium Dei adoptata, atque hæres vitæ æternæ ſcripta ſit.

Rom. 4, 3. Huc referendum eſt, quod Paulus ſcribit, Abrahamum coram Deo juſtificatum eſſe, ſola fide propter mediatorem, ſine operibus, idque non tantum, *Gen. 15, 10.* cum primo ab Idololatria converſus, nulla bona ope- *Hebr. 11, 8.* ra haberet: ſed etiam cum poſtea per Spiritum San- *Rom. 4, 13.* ctum renovatus, multis præclaris bonis operibus ornatus eſſet. Et movet Paulus quæſtionem hanc, in quanam re Abrahami juſtitia coram Deo (propter quam Deum clementem habuerit, ipſique placuerit, & acceptus ac hæres regni Dei fuerit) poſita & conſtituta fuerit?

Rom. 4, 5. Reſpondet autem: Ei, qui non operatur, credenti autem in eum, qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam. Sicut & David dicit, beatitudinem hominis (eſſe) cui Deus acceptam fert juſtitiam ſine operibus. Quare, etſi converſi & in Chriſtum credentes habent inchoatam in ſe renovationem, ſanctificationem, dilectionem, virtutes & bona opera: tamen hæc omnia nequaquam poſſunt aut debent immiſceri articulo juſtificationis coram DEO: ut redem-

demtori Christo honor illibatus maneat: & cum nostra nova obedientia imperfecta & impura sit, perturbatæ conscientiæ certa & firma consolatione sese sustentare valeant.

Et hoc ipsum vult D. Paulus, quando in hoc articulo particulas exclusivas, quibus ex articulo justitiæ fidei, opera excluduntur, ut sunt hæ (absque operibus, sine lege, sine merito, non nisi ex gratia, gratis, non ex operibus) tanta diligentia, tantoque zelo urget. Hæ autem exclusivæ omnes hisce verbis comprehenduntur, cum docemus: Sola fide coram Deo justificamur & salvamur. Hoc enim modo opera nostra excluduntur: non quidem ea ratione, quasi vera fides possit existere sine contritione: aut, quasi bona opera non necessario fidem veram (tanquam certissimi fructus) sequantur: aut, quasi credentes in Christum non debeant bene operari. Sed ab articulo JUSTIFICATIONIS coram Deo bona opera excluduntur, ne negotio justificationis peccatoris coram Deo, quasi ad eam rem necessaria, pertinentia, & requisita, inserantur & admisceantur. Et hæc est vera particularum exclusivarum in articulo justificationis sententia: quæ diligenter & sedulo in hoc articulo retinenda atque urgenda est: propter rationes, quas statim subjiciemus.

Primum, ut per illas particulas omnia opera propria, merita, dignitas, gloria, & fiducia omnium operum nostrorum in articulo justificationis penitus excludantur: ita quidem, ut opera nostra, neque causæ, neque meriti ullius, in justificatione, ad quæ Deus in hoc negotio respiciat, aut quibus nos fidere possimus, aut debeamus, vel ex toto, vel dimidia aut minima ex parte, rationem habeant. I.

Deinde ut hoc officium & hæc proprietas fidei solius sit, maneatque, quod videlicet sola fides & nulla prorsus alia res, sit illud medium & instrumentum, II.

quo Dei gratia & meritum Christi, in promissione Evangelii, apprehendatur, accipiatur, nobisque applicetur, & ut ab hoc applicationis officio atque proprietate charitas, omnesque aliæ virtutes aut opera penitus excludantur.

III. Denique has formulas teneamus, ut neque renovatio, neque sanctificatio, virtutes aut bona opera, tanquam forma, aut pars, aut causa justificationis, aut sub qualicunque prætextu, titulo aut nomine, articulo justificationis, tanquam ad eam rem necessaria aut pertinentia immisceantur: sed ut fidei justitia tantummodo in remissione peccatorum (ex mera gratia, propter solum Christi meritum) consistat: quæ bona in promissione Evangelii nobis offerantur, & sola fide recipiantur, apprehendantur, nobisque applicentur.

Eodem modo etiam conservandus est ordo, inter fidem & bona opera: inter justificationem, & renovationem, seu sanctificationem.

Bona enim opera non præcedunt fidem: & sanctificatio non præcedit justificationem. Sed primum in conversione per Spiritum sanctum fides ex auditu Evangelii in nobis accenditur. Illa vero apprehendit gratiam Dei in Christo, qua persona justificatur. Cum vero persona jam est justificata, tum etiam per Spiritum sanctum renovatur & sanctificatur: ex ea vero renovatione & sanctificatione deinceps fructus, hoc est, bona opera sequuntur. Et hæc non ita divelluntur, quasi vera fides aliquando, & aliquandiu stare possit cum malo proposito: sed ordine causarum & effectuum, antecedentium & consequentium, ita distribuuntur. Manet enim, quod Lutherus recte dicit: bene conveniunt & sunt connexa inseparabiliter fides & opera: sed sola fides est, quæ apprehendit benedictionem, sine operibus: & tamen nunquam est sola. De qua re supra satis est dictum.

Ac

Ac multæ ſane diſputationes hac vera & ſolida diſtinctione utiliter & dextre explicari poſſunt; quam etiam Apologia, cum agit de dicto (Jacobi 2.) affert. Quando enim de fide agitur, quomodo, videlicet, ea juſtificet, hæc eſt ea de re D. Pauli doctrina, quod ſola fides, ſine operibus, juſtificet: quatenus nobis Chriſti meritum, ut diximus, applicat & communicat. Quando vero quæritur, qua in re, & quonam indicio homo Chriſtianus, vel in ſeipſo, vel in aliis hominibus, veram & vivam fidem, item ſimulatam & mortuam fidem, agnoſcere & diſcernere poſſit: (cum multi torpentes & ſecuri Chriſtiani ſibi opinionem quandam, loco fidei imaginentur, cum tamen veram fidem non habeant) de hac re Apologia ſic reſpondet: Jacobus eam vocat mortuam fidem, quam non omnis generis bona opera, & fructus Spiritus ſequuntur. Et in hanc ſententiam etiam latina Apologia loquitur. Jacobus recte negat, nos tali fide juſtificari, quæ eſt ſine operibus, hoc eſt, quæ eſt, mortua. *p. 107.* *Rom. 3, 28.*

Jacobus autem (ut Apologia docet) agit de eorum operibus, qui per Chriſtum jam ſunt juſtificati, cum Deo reconciliati, & per Chriſtum remiſſionem peccatorum ſunt conſecuti. Cum vero quæritur, unde fides hoc habeat, & quid requiratur, ut juſtificet & ſalvet, tum falſum erit, ſi quis dicat, fidem non poſſe juſtificare ſine operibus: vel, fidem, quatenus charitatem, qua formetur, conjunctam habet, juſtificare: vel, fidei, ut juſtificet, neceſſariam eſſe præſentiam bonorum operum: aut ad juſtificationem, vel in articulo juſtificationis eſſe neceſſariam præſentiam bonorum operum: vel, bona opera eſſe cauſam, ſine qua non: quæ per particulas excluſivas ex articulo juſtificationis non excludantur. Fides enim tantum eam ob cauſam juſtificat, & inde vim illam habet, quod gratiam Dei, & meritum Chriſti in promiſſione Evangelii

tanquam medium & instrumentum) apprehendit & amplectitur.

Et hæc quidem, pro ratione compendiariæ explicationis articuli de justificatione, sufficiant, qui articulus in scriptis supra nominatis copiosius tractatur. Ex his autem, quæ jam dicta sunt, facile intelligi potest, non modo supra commemoratos errores, verum etiam ea falsa dogmata, quæ jam recitabimus, redarguenda, repudianda & rejicienda esse.

I. Quod dilectio nostra, seu bona opera, sint meritum vel causa nostræ coram Deo justificationis: aut ex toto, aut saltem ex aliqua parte.

II. Quod homo bonis operibus suis se præparare debeat, ut dignus fiat applicatione & communicatione meritorum Christi.

III. Formalem nostram justitiam coram Deo esse inhærentem nostram novitatem seu charitatem.

IV. Quod justitia fidei coram Deo duabus partibus constet: remissione peccatorum, & renovatione seu sanctificatione.

V. Fidem justificare tantum initialiter, vel partialiter, vel principaliter: & novitatem vel charitatem nostram justificare etiam coram Deo, vel completive, vel minus principaliter.

VI. Credentes coram Deo justificari, vel coram Deo justos esse, simul & imputatione & inchoatione: vel partim imputatione justitiæ Christi, partim inchoatione novæ obedientiæ.

Applicationem promissionis gratiæ fieri & fide cordis, & confessione oris, & reliquis virtutibus.

VII. Sed & hic error rejiciendus est, cum docetur: hominem alio modo, seu per aliquid aliud SALVARI, quam per id, quo coram DEO JUSTIFICATUR: ita ut sine operibus per solam quidem fidem coram Deo

Digitized by Google

Deo juſtificemur: ſed tamen absque operibus ſalutem æternam conſequi impoſſibile ſit.

Hoc ideo falſum eſt, quia è diametro pugnat cum dicto Pauli: Beatitudo hominis eſt, cui Deus juſtitiam imputat, ſine operibus. Et hoc eſt fundamentum Paulinæ diſputationis, quod eodem prorſus modo & juſtitiam, & ſalutem conſequamur. Imo, quod eo ipſo, cum fide juſtificamur, ſimul etiam adoptionem in filios Dei, & hæreditatem vitæ æternæ atque ſalutem adipiſcamur. Eamque ob cauſam Paulus particulas illas excluſivas, id eſt, ejusmodi voces, quibus opera, & propria merita prorſus excluduntur, videlicet (ex gratia, ſine operibus, & ſimiles) non minus conſtanter & graviter in articulo SALUTIS, quam in articulo JUSTIFICATIONIS noſtræ urget. *Rom. 4,7.*

Præterea etiam diſputatio illa de inhabitatione eſſentialis juſtitiæ Dei in nobis, recte declaranda eſt. Etſi enim Deus Pater, Filius & Spiritus Sanctus, (qui eſt æterna & eſſentialis juſtitia) per Fidem in electis, qui per Chriſtum juſtificati, & cum Deo reconciliati ſunt, habitat: (omnes enim vere pii ſunt templa Dei Patris, Filii, & Spiritus Sancti; à quo etiam ad recte agendum impelluntur:) tamen hæc inhabitatio Dei non eſt juſtitia illa fidei, de qua Paulus agit, eamque juſtitiam Dei appellat: propter quam coram Deo juſti pronunciamur. Sed inhabitatio Dei ſequitur antecedentem fidei juſtitiam: quæ nihil aliud eſt, quam remiſſio peccatorum, gratuita acceptatio peccatoris, propter ſolam obedientiam, & meritum perfectiſſimum unius Chriſti.

Cum igitur in Eccleſiis noſtris apud Theologos Auguſtanæ Confeſſionis extra controverſiam poſitum ſit: totam juſtitiam noſtram extra nos, & extra omnium hominum merita, opera, virtutes, atq; dignitatem quærendam, eamq; in ſolo Domino noſtro Jeſu

Christo consistere: dextre considerandum est, qua ratione Christus, in negotio justificationis, nostra justitia dicatur. Nempe, quod justitia nostra neque in divina neque in humana natura, sed in tota ipsius persona consistat: quippe qui ut Deus & homo IN SOLA SUA, TOTA, ET PERFECTISSIMA OBEDIENTIA est nostra JUSTITIA.

Etiamsi enim Christus de Spiritu Sancto quidem sine peccato conceptus & natus esset, & in sola humanitate sua omnem justitiam impleviſſet, nec tamen verus & æternus Deus fuisset: talis tamen ipsius humanæ naturæ obedientia & passio nobis ad justitiam imputari non posset. Et vicissim, si filius Dei non homo factus esset, non posset sola divina natura nostra esse justitia. Quare credimus, docemus, & confitemur, quod tota TOTIUS personæ Christi OBEDIENTIA, quam ille Patri usque ad ignominiosissimam crucis mortem, nostra causa, præstitit, nobis ad justitiam imputetur. Humana enim natura sola, sine divinitate, æterno, omnipotenti Deo, neque obedientia, neque passione, pro TOTIUS MUNDI peccatis satisfacere valuisset. Divinitas vero sola, sine humanitate, inter Deum & nos, mediatoris partes implere non potuisset.

Cum autem, ut supra commemoratum est, obedientia illa Christi, non sit unius duntaxat naturæ, sed totius personæ; ideo ea est perfectissima pro humano genere satisfactio & expiatio: qua æternæ & immutabili justitiæ divinæ (quæ in lege revelata est) satis est factum. Ea obedientia est illa nostra justitia, quæ coram Deo valet, & in Evangelio revelata seu monstrata nobis est: qua fides nostra coram Deo nititur: quam justitiam Deus fidei imputat, ut scriptum est: Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita per unius obedientiam justi constituentur

Rom. 5, 19.

entur multi. Et Johannes inquit: Sanguis Jesu Christi, Filii Dei, emundat nos ab omni peccato. Item, Justus fide sua vivet. *1. Joh. 1, 7. Rom. 1, 17. Hab. 2, 4.*

Hac ratione nobis neque divina neq; humana Christi natura (per se) ad justitiam imputatur: sed sola obedientia illius personæ, quæ simul Deus est, & homo. Et hoc modo fides nostra respicit in personam Christi: quatenus illa pro nobis legi sese subjecit, peccata nostra pertulit, & cum ad Patrem suum iret, solidam, absolutam, & perfectissimam obedientiam (jam inde à nativitate sua sanctissima, usque ad mortem) Patri suo cœlesti pro nobis miserrimis peccatoribus præstitit. Qua sua obedientia omnem nostram inobedientiam (quæ in nostra natura, & hujus cogitationibus, verbis, & operibus hæret) texit: ut ea nobis ad damnationem non imputetur, sed ex mera gratia, propter solum Christum, condonetur atque remittatur.

Rejicimus igitur atque unanimi consensu damnamus, propter supra commemoratos errores, etiam sequentes & omnes alios hisce similes: quippe qui verbo Dei, Propheticæ & Apostolicæ doctrinæ, & piæ nostræ religioni repugnant.

Quod Christus sit justitia nostra coram Deo, tantum secundum divinam naturam. I.

Quod Christus nostra sit justitia duntaxat secundum humanam naturam. II.

Quod in Prophetarum & Apostolorum dictis (ubi de justitia fidei agitur) vocabula (JUSTIFICARE, & JUSTIFICARI) non significent à peccatis absolvere, & remissionem peccatorum consequi, sed propter infusam (per Spiritum Sanctum) charitatem, virtutes & opera, quæ inde promanant, reipsa & revera justos effici. III.

Quod fides non respiciat tantum obedientiam Christi, sed divinam ipsius naturam: quatenus, videlicet, IV.

ea

ea in nobis habitet & operetur: & quod per hanc inhabitationem noſtra coram Deo peccata tegantur.

V. Quod fides ſit talis in obedientiam Chriſti fiducia, quæ exiſtere & manere poſſit in ejusmodi homine, qui non vere pœnitentiam habeat, & qui charitate ſit vacuus, & in peccatis contra conſcientiam perſeveret.

VI. Quod non Deus ipſe, ſed dona Dei duntaxat in credentibus habitent.

Hos errores, hisque ſimiles, omnes unanimiter rejicimus: quia verbo Dei clariſſimo repugnant. Et per Dei gratiam conſtantes perſeveramus in doctrina ſincera, de juſtificatione fidei coram Deo: ut ea in Auguſtana Confeſſione, ejusque Apologia perſpicue propoſita, explicata, & verbo Dei munita eſt.

Quod præterea ad copioſiorem hujus ardui & præcipui articuli juſtificationis coram Deo (in quo noſtra ſalus vertitur) explicationem requiritur, de eo præclarum D. Lutheri commentarium in Epiſtolam Pauli ad Galatas, ab unoquoque conſuli & diligenter legi monemus, ad quem brevitatis ſtudio, hoc loco nos referimus.

IV.

DE BONIS OPERIBUS.

Aug. Conf. 11. 15. 16 Apol. 83. Art. Sm. 335. Epit. 588.

DISSIDIUM porro ortum eſt inter quosdam Theologos Auguſtanæ Confeſſionis de bonis operibus. Alii enim has propoſitiones uſurparunt: Bona opera ſunt neceſſaria ad ſalutem: Impoſſibile eſt ſine bonis operibus ſalvari: Nemo unquam ſine bonis operibus eſt ſalvatus: Quandoquidem à vere credentibus bona opera, ut fructus fidei requirantur: & fides ſine charitate mortua ſit: etiamſi charitas non ſit cauſa noſtræ ſalutis.

Alii

Alii vero hoc dogma impugnarunt, atque docuerunt, quod bona opera neceſſaria quidem ſint: ſed non ad ſalutem: Verum propter alias cauſas. Et affirmarunt paulo ante recitatas propoſitiones in Eccleſia Dei non eſſe ferendas: propterea quod formæ ſanorum verborum & piæ doctrinæ non ſint conformes: & quod Papiſtæ cum antea ſemper, tum vero inprimis noſtro ſeculo eas propoſitiones oppoſuerint piæ noſtræ doctrinæ, qua aſſerimus, ſola fide nos juſtificari & ſalvari. Itaque eas rejiciendas judicarunt: ne meritum Chriſti Servatoris noſtri extenuetur: & ut promiſſio de ſalute noſtra credentibus certa ſit, & firma maneat.

In hoc diſſidio quidam pauci hanc propoſitionem (quæ & ipſa controverſiæ occaſionem dedit) attulerunt: Bona opera ad ſalutem eſſe pernicioſa. Sed & à quibusdam diſputatum fuit: quod bona opera non neceſſaria, ſed libera & ſpontanea ſint, propterea quod non metu & comminationibus Legis extorqueantur, ſed ſpiritu ſpontaneo, & alacri mente fieri debeant. Alii vero aſſeruerunt: bona opera eſſe neceſſaria.

Hæc poſterior controverſia initio tantum ex æquivocatione vocabulorum (neceſſitatis & libertatis) occaſionem ſumſit: quod vocabulum neceſſitatis non tantum immutabilem & æternum ordinem divinum (qua omnes homines ad obediendum Deo debitores ſunt, & adſtricti) verum etiam interdum coactionem, qua lex homines ad bona opera ſevere urget, deſignet.

Progreſſu autem temporis non jam de verbis amplius diſputatum, ſed de rebus ipſis magna vehementia fuit diſceptatum. Et à quibusdam acriter pugnatum eſt, novam obedientiam in renatis (quam ſupra commemoratus ordo divinus requirit) non eſſe neceſſariam.

Ut

Ut autem & hoc diſſidium, juxta verbi Dei analogiam pie declaretur, & per Dei gratiam prorſus componatur, doctrinam, fidem, & confeſſionem noſtram de hoc negotio recitabimus.

PRIMO, in hoc articulo nulla eſt inter noſtros diſſenſio, de his propoſitionibus. Quod, videlicet, Dei voluntas & ordinatio ſit atque mandatum, ut credentes in bonis operibus ambulent. Quod ea non ſint vere bona opera, quæ quisque bona intentione ipſemet excogitat, aut quæ ſecundum humanas traditiones fiunt: ſed ea, quæ Deus ipſe in verbo ſuo præſcripſit atque præcepit. Quod vere bona opera non propriis naturalibus viribus, ſed tum demum fiant, cum perſona per fidem cum Deo eſt reconciliata, & per Spiritum Sanctum renovata, & in Chriſto Jeſu (ut Paulus loquitur) denuo ad bona opera, creata eſt. *Eph. 2, 10.*

Sed & hoc extra controverſiam eſt, quomodo, & qua de cauſa, bona credentium opera (licet in hac carne noſtra impura & imperfecta) Deo placeant & accepta ſint: videlicet, propter Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, per fidem: propterea quod perſona Deo accepta eſt. Etſi enim opera illa, quæ ad conſervandam externam diſciplinam faciunt (qualia etiam ab infidelibus & non ad Deum converſis hominibus fiunt, & quidem requiruntur) ſuam, coram mundo, dignitatem & laudem habent, & temporalibus quibusdam præmiis in hoc mundo, à Deo ornantur: attamen, cum non ex vera fide proficiſcantur, revera coram Deo ſunt peccata, hoc eſt, peccatis contaminata: & à Deo pro peccatis & immunditia reputantur: propter naturæ humanæ corruptionem, & quia perſona cum Deo non eſt reconciliata. *Matth. 7, 18.* Mala enim arbor non poteſt bonos fructus ferre. *Rom. 14, 23.* Et in ea, quæ ad Romanos ſcripta eſt, legitur: Quicquid non ex fide eſt, peccatum eſt. Neceſſe eſt enim, ut perſona Deo antea placeat, idque propter

pter ſolum Chriſtum, ſi modo perſonæ illius operaDeo placere & accepta eſſe debent.

Quare eorum operum, quæ revera bona ſunt, & Deo placent, quæ etiam Dominus, tum in hoc, tum in futuro ſeculo vult remunerari, mater & fons eſt IPSA FIDES: unde & veri fructus fidei, ſicut & fructus Spiritus à D. Paulo appellantur. Fides enim (quemadmodum D. Lutherus in præfatione Epiſtolæ Pauli ad Romanos ſcribit) eſt divinum quoddam opus in nobis, quod nos immutat, ex Deo regenerat, veterem Adamum mortificat, & ex nobis plane alios homines (in corde, animo, & omnibus viribus noſtris) facit, & Spiritum Sanctum nobis confert. Et eſt fides illa quiddam vivum, efficax, potens: ita ut fieri non poſſit, quin ſemper bona operetur. Neque fides quærit demum, an bona opera ſint facienda, ſed priusquam de ea re inquiratur, jam multa bona opera effecit, & ſemper in agendo eſt occupata. Qui vero non ad hunc modum bene operatur; is homo vera fide caret: & ubi ſit fides, ubi bona opera, quaſi cœcus palpando quæritat, neque tamen, quid fides, aut bona opera ſint, novit: interim tamen multa inepte de fide & bonis operibus garrit & nugatur. Fides juſtificans eſt viva & ſolida fiducia in gratiam ſeu clementiam Dei, adeo certa, ut homo millies mortem oppetere, quam eam fiduciam ſibi eripi pateretur. Et hæc fiducia atque agnitio divinæ gratiæ & clementiæ, lætos, animoſos, alacres efficit, cum erga Deum, tum erga omnes creaturas: quam lætitiam & alacritatem Spiritus Sanctus excitat per fidem. Inde homo ſine ulla coactione promptus & alacris redditur, ut omnibus benefaciat, omnibus inſerviat, omnia toleret: idque in honorem & laudem Dei, pro ea gratia, qua Dominus eum eſt proſecutus. Itaque impoſſibile eſt, bona opera à fide vera ſeparare: quemadmodum calor urens & lux ab igne ſeparari non poteſt. *Gal. 5, 22.*

Quia

Quia vero de hac re inter noſtros non eſt controverſia, nolumus eſſe nunc prolixiores: ſed tantum de iis rebus, quæ in controverſiam venerunt, quanta fieri poteſt ſimplicitate & perſpicuitate, mentem noſtram declarabimus.

Quod igitur ad Neceſſitatem aut libertatem bonorum operum attinet, negari non poteſt, quod in Auguſtana Confeſſione, ejusdemque Apologia hæc verba ſæpe uſurpentur, atque repetantur: Bona opera eſſe neceſſaria: &, quod neceſſe ſit bona opera facere: quia neceſſario fidem & reconciliationem cum Deo ſequi debent: &, quod neceſſario ea opera, quæ Deus præcepit, à nobis ſint facienda. Sed & ſacræ literæ vocabulis (neceſſitatis, neceſſarii, debiti, debemus, oportet, &c., utuntur, quoties de iis rebus agunt, quas ratione mandati, ordinationis & voluntatis divinæ præſtare tenemur.

Rom. 13, 15. 1. Cor. 5. Actor. 1. Johan. 15. 1. Johann. 4.

Quare propoſitiones hæ (bona opera eſſe neceſſaria: & neceſſe eſſe, bene agere) in commemorata pia & genuina ſententia, immerito à quibusdam reprehenduntur & rejiciuntur Hæ enim retinendæ atq; urgendæ ſunt ad redarguendam atq; refutandam ſecuritatis Epicureæ opinionem, qua multi fidem mortuam, aut perſuaſionem quandam vanam, quæ ſine pœnitentia & bonis operibus eſt, pro vera fide falſo habent: quaſi ſcilicet, in uno eodemque corde ſimul ſtare poſſint, vera fides, & malum propoſitum in peccatis perſeverandi & progrediendi: quod tamen prorſus eſt impoſſibile: aut, quaſi aliquis veram fidem, juſtitiam & ſalutem habere ac retinere valeat, etiamſi arbor putrida & infrugifera ſit maneatque, neque ullos bonos fructus ferat: imo, quamvis in peccatis contra conſcientiam perſeveret, aut rurſus deſtinata malitia in ſcelera priora relabatur. Hæc falſa & impia ſunt. Interim tamen de hoc etiã diſcrimine cõmonefactio obſervanda eſt,

eſt, quod per vocabulum neceſſitatis intelligenda ſit neceſſitas ORDINIS, mandati, & voluntatis Chriſti ac debiti noſtri, non autem neceſſitas coactionis. Vult enim mandatum Dei, ut creatura ſuo creatori obediat. In aliis enim quibusdam ſcripturæ locis vocabula (ex neceſſitate) de iis rebus accipiuntur, quæ homini præter voluntatem ejus, coactione quâdam aut alias extorquentur, ut externe, & quidem in ſpeciem, ſed tamen contra ſuam voluntatem aliquid faciat. Talia enim hypocritica opera Deus non probat: ſed vult, ut populus Novi Teſtamenti ſit populus ſpontaneus: & ut ſpontanea ſacrificia offerat: atque obedientiam non invitus aut coactus, ſed ex animo præſtet. Hilarem enim datorem diligit Dominus. In hanc ſententiam recte dicitur atque docetur: quod vere bona opera ſponte, libero ſpiritu ab iis, quos filius DEI liberavit, fieri debeant: quemadmodum etiam diſputatio illa de libertate bonorum operum, præcipue ad hanc ſententiam confirmandam à quibusdam agitata eſt.

2. Cor. 9, 5. ad Philemonem, 1. Petr. 5. Pſal. 110, 3. Pſal. 54, 8. 2. Cor. 9. v. 5. 7. Rom. 6, 19. 2. Cor. 8. v. 2. 3.

Hic autem etiam diſcrimen hoc obſervandum eſt, de quo Paulus loquitur: Delector lege Dei (promtus ſum ad bene agendum) ſecundum interiorem hominem, ſed in carne mea legem aliam reperio, quæ non modo invita & ad bene operandum difficilis eſt, verum etiam legi mentis meæ repugnat. Et quod ad illam rebellem & difficilem carnem noſtram attinet, ea de re Paulus ſic ait: CASTIGO corpus meum, & IN SERVITUTEM REDIGO, &c. Et, qui ſunt Chriſti, carnem ſuam CRUCIFIXERUNT, imo mortificarunt, cum vitiis & concupiſcentiis. Contra autem opinio falſo redarguenda & rejicienda eſt, cum docetur: bona opera ita eſſe libera homini Chriſtiano, ut in ejus libero arbitrio poſitum ſit, ea vel facere, vel omittere: aut licet contra legem Dei peccetur, nihilo-

Rom. 7, 22. 1. Cor. 9. v. 27. Galat. 5, 24. Rom. 8, 14.

minus tamen fidem, Dei gratiam atque favorem retinere posse.

DEINDE, cum docetur: Bona opera necessaria esse, etiam hoc explicandum est, quare, quibusque de causis ea sint necessaria: quæ causæ in Augustana Confessione ejusque Apologia recitantur.

Interim tamen diligenter in hoc negotio cavendum est, ne bona opera articulo Justificationis & salutis nostræ immiscentur. Propterea merito hæ propositiones rejiciuntur: bona opera fidelibus necessaria esse ad salutem: ita ut impossibile sit, sine bonis operibus salvari: quia simpliciter pugnant cum doctrina de particulis exclusivis in articulo justificationis & salvationis: quibus particulis D. Paulus opera & merita nostra ab articulo justificationis & salutis nostræ penitus excluſit, & omnia soli gratiæ atque clementiæ divinæ, & Christi merito adscripsit: quemadmodum superius declaravimus. Et propositiones illæ (de necessitate bonorum operum ad salutem) perturbatis & afflictis conscientiis veram Evangelii consolationem eripiunt: occasionem præbent dubitationi de gratia Dei: multis modis sunt periculosæ: præsumtionem & falsam opinionem de propria justitia, & fiduciam propriæ dignitatis confirmant: a Papistis acceptantur, & ad ipsorum malam causam fulciendam (contra sinceram doctrinam de sola fide salvante) adducuntur. Quin etiam formæ sanorum verborum repu-

Rom. 4, 6. gnant: cum scriptum sit: Beatitudinem tantum esse hominis, cui Deus imputat justitiam, sine operibus. Et in Confessione Augustana Articulo sexto scriptum legimus: Salvari nos sine opere, SOLA FIDE. Sed & D. Lutherus has propositiones rejicit atque damnavit:

I. Primo quidem in falsis Apostolis, qui Galatas in errorem induxerant.

II. Deinde in Papistis, multis admodum locis.

Postea

Poſtea etiam in Anabaptiſtis : qui hanc interpretationem adferunt, quod fides quidem non debeat niti meritis operum : ſed tamen ea neceſſario ad ſalutem requiri ſit confitendum. III.

Poſtremo in quibusdam aliis, ſuis hominibus, qui hanc, ut loquuntur, gloſſam in medium adducebant : ſi maxime, dicebant, bona opera tanquam ad ſalutem neceſſaria requiramus, tamen non docemus, quod bonis operibus ſit confidendum. IV. *In commentario ſuo ſuper Geneſin c. 22.*

Quare & ex jam commemoratis cauſis in Eccleſiis noſtris merito hoc ratum, certum & fixum eſſe debet : quod phraſes ſeu propoſitiones illæ, de bonis operibus ad ſalutem neceſſariis, non ſint docendæ, defendendæ, pingendæ, ſed potius ex Eccleſiis noſtris, ut falſæ & non ſinceræ explodendæ atque rejiciendæ : quippe quæ rempore perſecutionis (ubi clara & perſpicua confeſſione adverſus omnis generis corruptelas & depravationes articuli juſtificationis maxime opus erat) ex Interreligionis formula renovatæ, promanarint, atque denuo diſputationibus novis occaſionem præbuerint.

POSTEA, cum de eo etiam diſputatur : an bona opera ſalutem conſervent : aut, num ad retinendam aut conſervandam fidem, juſtitiam & ſalutem ſint neceſſaria : diligenter & accurate declarandum eſt, qua ratione juſtitia & ſalus in nobis conſerventur, ne rurſus amittantur. Scriptum eſt enim : qui perſeveraverit usque ad finem, ſalvus erit. Et Apoſtolus ait : Participes Chriſti effecti ſumus : ſi tamen initium ſubſtantiæ usque ad finem firmum retinuerimus. *Matth. 10, 22. Hebr. 3, 6.*

Et quidem imprimis falſa & Epicuræa illa opinio graviter redarguenda atq; rejicienda eſt, quod quidam fingunt, fidem & acceptam juſtitiam atque ſalutem non poſſe ullis peccatis aut ſceleribus (tametſi omnino

voluntarie & deſtinata malitia mala opera perpetrentur) amitti: ſed etiamſi homo absque omni Dei timore & pudore pravis ſuis concupiſcentiis indulgeat, Spiritui ſancto repugnet, & atrocia flagitia contra conſcientiam ſuam (& quidem malo propoſito) deſignet, nihilominus tamen fidem, gratiam Dei, juſtitiam atque ſalutem retinere poſſe.

Contra hanc peſtilentiſſimam perſuaſionem, ſingulari diligentia hæ veriſſimæ, immotæ, divinæ comminationes, pœnæ, admonitiones, Chriſtianis, per fidem juſtificatis, ſæpe repetendæ atque inculcandæ ſunt. Nolite errare, neque fornicarii, neque adulteri, neque avari, &c. regnum Dei poſſidebunt. Et alibi: Qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur. Et ad Romanos: Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini. Et: propter talia venit ira Dei ſuper filios incredulitatis.

Galat. 5, 21
Epheſ. 5, 5.
Rom. 8, 13.
Coloſſ. 3, 6.

Quando autem & qua ratione ex hoc fundamento exhortationes ad bona opera (absque obſcuratione doctrinæ de fide, & articuli de juſtificatione) acui poſſint: Apologia luculentum ejus rei exemplar depingit, ubi capite XX. ſuper verba Petri (Satagite vocationem veſtram firmam facere) hæc verba habet: Petrus docet, quare ſint bona opera facienda, ſcilicet, ut ſit firma vocatio, hoc eſt, ne vocatione ſua excidant, ſi iterum peccent. Facit (inquit) bona opera, ut perſeveretis in veſtra cœlitus vobis injuncta vocatione, ne rurſum deficiatis, & amittatis Spiritum ac dona, quæ prius contigerunt, non propter ſequentia opera, ſed ex gratia, per Chriſtum, & jam RETINENTUR FIDE. At fides non manet in his, qui pravam vitam agunt, & amittunt Spiritum Sanctum, & abjiciunt pœnitentiam. Hactenus Apologia.

2. Petr. 1, 10.

E contrario autem non eſt ſentiendum, quod fides initio tantum juſtitiam & ſalutem apprehendat, poſtea vero officium ſuum operibus reſignet, ut ea deinceps fidem,

fidem, apprehenſam, juſtitiam, & ſalutem conſervare debeant. Ut enim nobis promiſſio de juſtitia & ſalute noſtra non modo conſequenda, verum etiam retinenda, certa & firma eſſe poſſit: Paulus non tantum aditum ad gratiam, verum etiam, quod in gratia perſeveramus, & de futura gloria gloriamur, (hoc eſt, initium, medium & finem) SOLI FIDEI adſcribit. Et alibi ait: Propter incredulitatem ſuam defracti ſunt: tu autem FIDE STAS: Et ad Coloſſenſes inquit: Exhibebit vos ſanctos & immaculatos, & irreprehenſibiles coram ſeipſo: ſi tamen permanetis IN FIDE fundati & ſtabiles, &c. Et Petrus ait: In virtute Dei cuſtodimini PER FIDEM in ſalutem. Et: Reportabitis finem fidei veſtræ, ſalutem animarum.

Rom. 5. v. 2.
Rom. 11, 20.
Coloſſ. 1, 23.
1. Petr. 1. v. 5. & 9.

Cum igitur ex ſacrarum literarum teſtimoniis manifeſtum ſit, quod fides proprium & unicum illud medium ſit, quo juſtitia & ſalus non modo apprehenduntur, verum etiam à DEO conſervantur: merito rejiciendum eſt Tridentinæ Synodi Decretum (& ſi quid alibi in eam ſententiam fuit propoſitum:) quod videlicet bona noſtra opera ſalutem conſervent: aut, quod apprehenſa fidei Juſtitia, aut fides ipſa, per noſtra opera, vel ex toto, vel ſaltem ex parte retineantur, ac conſerventur.

Etſi enim ante motam hanc controverſiam multi ſinceri doctores ejusmodi phraſibus in explicatione ſacræ ſcripturæ uſi ſunt; non autem eo animo, quod commemoratos Papiſtarum errores confirmare vellent: tamen cum interea de ejusmodi phraſibus diſceptationes, ſcandala, & diſtractiones variæ exortæ ſint, longe tutiſſimum eſt (juxta Pauli admonitionem) formam ſanorum verborum non minori diligentia, quam ipſam ſinceram doctrinam, firmiter retinere: qua ratione multis non neceſſariis concertationibus anſa præciditur, & multa in Eccleſia Dei offendicula præcaventur.

1. Cor. 1, 10.

PRÆTEREA, quod ad propoſitionem illam attinet: Bona opera ad ſalutem eſſe pernicioſa: ſententiam noſtram perſpicue exponemus. Si quis bona opera articulo juſtificationis immiſcere, juſtitiam ſuam, aut fiduciam ſalutis ſuæ in ea reponere, gratiam Dei iis promereri, & per ea ſalutem conſequi velit: reſpon-
Phil. 3. demus, non quidem nos, ſe D. Paulus ipſe, idque tertio repetit: quod tali homini opera ſua non tantum ſint inutilia, atque ad ſalutem impedimento: verum etiam pernicioſa ſint. Culpa tamen non eſt bonorum operum per ſe, ſed vanæ fiduciæ, quæ contra expreſſum Dei verbum in opera collocatur.

Inde tamen haudquaquam conſequitur, quod ſimpliciter & nudè aſſerere liceat: Bona opera credentibus ad ſalutem eſſe pernicioſa. Bona enim opera in credentibus (cum propter veras cauſas fiunt, & ad veros fines, ſicuti ea Deus à renatis exigit, referuntur) indicia
Phil. 1, 29. ſunt æternæ ſalutis. Siquidem hæc eſt voluntas, & expreſſum Dei mandatum, ut credentes bona opera faciant: quæ Spiritus Sanctus in credentibus operatur: eaque Deus Pater propter Chriſtum accepta & grata habet, & præclara illis præmia, hujus & futuræ vitæ, promittit.

Eam ob cauſam etiam paulo ante commemorata propoſitio in Eccleſiis noſtris reprehenditur & rejicitur, propterea, quod ita nude uſurpata, falſa eſt, & offendiculi plena: qua diſciplina & morum honeſtas labefactantur, diſſolutæ vero & Epicureæ ferè vitæ janua aperitur & confirmatur. Ab ea enim re, quæ alicui ad animæ noſtræ ſalutem pernicioſa creditur, abſtinendum & cavendum eſſe, omnes judicant.

Cum vero Chriſtiani à bonis operibus non deterrendi, ſed potius quam diligentiſſime ad ea adhortandi ſint: profecto nuda iſta propoſitio in Eccleſia Chriſti tolerari non poteſt, nec defendenda eſt.

V. De

V.

DE LEGE ET EVANGELIO.

CUm discrimen Legis & Evangelii magnam & clarissimam lucem sacris literis adferat, cujus adminiculo verbum Dei recte secari, & Prophetica atque Apostolica scripta dextre explicari atque intelligi possunt: accurata diligentia illud est in Ecclesia conservandum atque retinendum, ne hæc duo doctrinarum genera inter se commiscean-tur: aut Evangelion in Legem transformetur. Ea enim ratione meritum Christi obscuraretur: & con-scientiis perturbatis dulcissima consolatio (quam in Evangelio Christi, sincere prædicato, habent, qua etiam sese in gravissimis tentationibus adversus legis terrores sustentant) prorsus eriperetur. *Apol. 83. Artic. Sm. 318. 329. Epit. 591.*

Orta est autem etiam de hoc ipso negotio quædam inter aliquos Augustanæ Confessionis Theologos controversia. Una enim pars asseruit: Evangelion PROPRIE non esse tantum doctrinam de gratia Dei, verum etiam esse simul concionem pœnitentiæ: quæ summum peccatum, videlicet incredulitatem, redarguit. Altera vero pars contrariam sententiam pro-pugnavit: quod, nimirum, Evangelion propriè non sit concio pœnitentiæ, arguens peccatum (hoc enim Legis Dei proprium esse officium, arguere omnia pec-cata atque ita etiam incredulitatem) sed Evangelion proprie esse prædicationem, de gratia & clementia Dei, propter Christum: per quem conversis ad Chri-stum, incredulitas (in qua antea hæserant, quam eti-am Lex Dei redarguerat) condonetur atque remit-tatur.

Cum autem de hoc dissidio diligenter cogitamus,

deprehenditur, inde adeo illud exortum esse, quod vocabulum Evangelii non semper in una eademque significatione accipiatur; sed duobus modis, tum in sacris literis, tum in veterum ac neotericorum scriptis usurpetur & accipiatur. Uno enim modo totam Christi doctrinam significat, quam ministerio suo in his terris proposuit, & in Novo Testamento proponendam præcepit, & hac ratione Christus Legis explicationem & annunciationem clementiæ & gratiæ DEI patris sui cœlestis est complexus, sicut Marci primo scriptum est: Initium Evangelii Jesu Christi, filii
Marc. 1, 1. Dei, &c. Et paulo post capita totius doctrinæ cœlestis præcipua recitantur: videlicet, pœnitentia &
Marc. 16, 15. remissio peccatorum. Ad eundem modum, cum Christus post resurrectionem suam Apostolis præciperet, ut prædicarent Evangelion in universo terrarum orbe, totius doctrinæ suæ summam brevissimis comprehen-
Luc. 24, 46. dit, inquiens: Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die: & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem pec-
Actor. 20, 21. catorum, in omnes gentes. Et sic etiam Paulus totam suam doctrinam vocat Evangelion: Summam autem suæ doctrinæ distribuit in hæc duo præcipua capita: in pœnitentiam erga Deum, & fidem in Christum. Et in hoc sensu generalis illa definitio Evangelii (cum late accipitur, & extra discrimen Legis & Evangelii usurpatur) vera est, cum dicit: Evangelion est concio de pœnitentia, & de remissione peccatorum. Etenim Johannes Baptista, Christus, & Apostoli prædicationem suam à pœnitentia sunt exorsi: & ita non tantum promissionem illam dulcissimam de immensa Dei gratia, atque peccatorum remissione, proposuerunt; verum etiam Legem Dei explicuerunt atque urserunt. Deinde vocabulum Evangelii in alia, & quidem propriissima sua significatione usurpatur; & tum non concionem de pœnitentia, sed tan-

tantum prædicationem de clementia Dei complectitur, ut ſtatim Marc. 1. ſequitur, cum Chriſtus inquit: Pœnitentiam agite, & credite Evangelio. *Marc. 1, 15.*

Sed & Pœnitentiæ vocabulum in ſacris literis non ſemper unam eandemque ſignificationem habet. Quibusdam enim ſacræ ſcripturæ locis pro tota hominis converſione ad Deum ſumitur. Verbi gratia, cum Chriſtus inquit: Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis. Et alibi: Gaudium erit ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, &c. At in Marco (quod teſtimonium paulo ante attulimus) & alibi, ubi diſtincte ponuntur, pœnitentia, & fides in Chriſtum: aut pœnitentia, & remiſſio peccatorum: pœnitentiam agere nihil aliud ſignificat, quam peccata vere agnoſcere, ſerio dolere, à peccatis in poſterum abſtinere: ea vero peccatorum agnitio ex LEGE eſt, & ad ſalutarem converſionem ad DEUM non ſufficit, ſi non fides in Chriſtum accedat: cujus meritum dulciſſima & conſolationis plena Evangelii doctrina, omnibus reſipiſcentibus peccatoribus offert, qui per concionem legis perterriti & proſtrati erant. Evangelion enim remiſſionem peccatorum non ſecuris mentibus, ſed perturbatis, & vere pœnitentibus annunciat. Et ne contritio & terrores legis in deſperationem vertantur, opus eſt prædicatione Evangelii, ut ſit pœnitentia ad ſalutem. *Luc. 13, 3. Luc. 15, 10. Marc. 1, 15. Actor. 20, 21. Luc. 24, 46. Luc. 4, 18. 2. Cor. 5.*

Cum enim nuda illa Legis prædicatio (ſine mentione Chriſti) aut inflatos hypocritas efficiat, qui ſibi imaginantur, quod Legem externis operibus ſuis implere valeant, aut homines ad deſperationem adigat: Chriſtus Legem in manus ſuas ſumit, eamque ſpiritualiter explicat: & ſic iram ſuam de cœlo revelat, ſuper omnem impietatem hominum, & oſtendit, quanta ſit ira divina. Ea ratione ad legem illi ablegantur, ut ex ea demum recte peccata ſua agnoſcere diſcant: quam agnitionem peccatorum Moyſes nunquam ab illis ex- *Matth. 5. Rom. 1, 7.*

torquere potuiſſet. Quia (ut Apoſtolus teſtatur) etſi Moyſes prælegitur: manet tamen nihilominus velamen ſuper faciem ejus, non retectum, ut non agnoſcere poſſint homines, legem eſſe ſpiritualem, & exigere à nobis res longè maximas, quas cum præſtare & implere nequeant, Legem nos horribili & extrema maledictione atque damnatione obruere. Quando autem ad Chriſtum convertuntur, tum velamen illud tollitur; ut idem Apoſtolus docet.

2. Cor. 3, 14.

1. Cor. 3, 15.

Hæc cum ita ſe habeant, manifeſtum eſt, Spiritus ſancti officium eſſe, non tantum conſolari, verum etiam (miniſterio Legis) arguere mundum de peccato: & ita (etiam in novo Teſtamento) facere opus alienum, ut Propheta loquitur, quod eſt, arguere: ut poſtea faciat opus proprium, quod eſt, conſolari, & gratiam Dei prædicare. Hanc enim ob cauſam Chriſtus precibus ſuis & ſanctiſſimo merito eundem nobis à Patre impetravit, & miſit: unde & paracletus ſeu conſolator dicitur: quemadmodum D. Lutherus in explicatione Evangelii Dominicæ 5. poſt Trinitatis ſequentibus verbis hanc rem perſpicue expoſuit.

Concio Legis eſt, quicquid de peccatis noſtris & de ira Dei docet: quomodocunque aut quandocunque id fiat. Evangelion vero talis eſt concio, quæ nihil niſi gratiam & clementiam Dei atque remiſſionem peccatorum in Chriſto monſtrat & exhibet. Interim tamen verum eſt & recte fit, quod Apoſtoli & Evangelii miniſtri (quod & ipſe Chriſtus fecit) concionem Legis confirmant, eamque inchoant apud eos, qui peccata ſua nondum agnoſcunt, & ſenſu iræ Dei nondum ſunt perturbati, ut ipſe inquit: Spiritus Sanctus arguet mundum de peccato: quia in me non credunt. Imo, quæ magis ſevera & horrenda ſignificatio atque concio iræ divinæ adverſus peccata eſt, quam illa ipſa paſſio & mors Jeſu Chriſti, filii Dei? Veruntamen quoad hæc omnia iram Dei oſtendunt, & hominem terrent, non-

Joh. 6, 8.

nondum ſunt proprie Evangelii aut Chriſti concio: ſed potius Moſes & Lex, contra impœnitentes. Evangelion enim & Chriſtus nobis non eam ob cauſam donantur, ut nos perterrefaciant atque condemnent: ſed ut ii, qui perturbati & puſillanimes ſunt, conſolationem capiant atque erigantur. Et alibi inquit D. Lutherus: Chriſtus ait: Spiritus Sanctus arguet mundum de peccato. Hoc autem fieri non poteſt, NISI per explicationem LEGIS. *Tom. 2. Jenenſ. fol. 455.*

In hanc ſententiam etiam Smalcaldici articuli loquuntur: Novum Teſtamentum retinet atque urget miniſterium Legis: quæ & peccata arguit, & iram Dei revelat. Sed ad illud Legis officium, adjungit mox promiſſionem gratiæ divinæ, per Evangelii prædicationem.

Et Apologia inquit: Ad ſalutarem & veram pœnitentiam non ſufficit Legis prædicatio: ſed accedere oportet Evangelion. Hoc modo duo hæc doctrinarum genera conjuncta ſunt, & ambo urgenda ſunt: certo tamen ordine, & convenienti diſcrimine obſervato. Et juſte damnantur Antinomi adverſarii Legis, qui prædicationem legis ex Eccleſia explodunt, & affirmant, non ex lege, ſed ex ſolo Evangelio peccata arguenda, & contritionem docendam eſſe.

Ut autem omnes intelligant, quod in hac controverſia nihil diſſimulare, ſed pio Lectori totum negotium, quanta fieri poteſt ſimplicitate & perſpicuitate, ante oculos proponere cupiamus, ſententiam noſtram exponemus.

Credimus, docemus, & confitemur unanimi conſenſu: quod Lex proprie ſit Doctrina Divina, in qua juſtiſſima & immutabilis Dei voluntas revelatur: qualem oporteat eſſe hominem in ſua natura, cogitationibus, verbis, factis, ut Deo probari & acceptus eſſe poſſit. Simul autē transgreſſoribus, Dei iram & temporalia

atque

Rom. 3, 7. atque æterna ſupplicia Lex denunciat. Nam (ut D. Lutherus contra Antinomos ſcribit) quicquid peccatum arguit, id Legis habet rationem, & ad Legem pertinet: cujus proprium officium eſt, peccata arguere, & ad agnitionem peccatorum adducere. Et quia incredulitas radix & fons eſt omnium peccatorum, quæ arguenda & reprehendenda ſunt, Lex Dei etiam incredulitatem arguit.

Eſt autem etiam hoc verum, Legis doctrinam per Evangelion illuſtrari & declarari. Nihilominus vero proprium Legis officium eſt manetque, peccata arguere, & de bonis operibus docere.

Hac ratione Lex incredulitatem arguit: quando videlicet verbo Dei fides non adhibetur. Cum autem Evangelion (quod ſolum, & proprie docet ac jubet in Chriſtum credere) ſit verbum Dei, Spiritus Sanctus per miniſterium Legis etiam incredulitatem arguit: quod peccatores non in Chriſtum credant: quod Evangelium tamen ſolum proprie docet de ſalvifica fide in Chriſtum.

Evangelion autem proprie doctrina eſt, quæ docet (quandoquidem homo Legi Dei non ſatisfecit, ſed eam transgreſſus eſt, & Legi Dei tota ipſius natura, cogitationes, ſermones, facta repugnant: unde & iræ Dei, morti, omnibusque temporalibus ærumnis, & æterno gehennæ incendio obnoxius eſt) quid miſerrimus ille peccator CREDERE debeat, ut remiſſionem peccatorum apud Deum obtineat: videlicet, Filium Dei, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum in ſeſe ſuſcepiſſe maledictionem Legis ferendam, omnia noſtra peccata, pleniſſima ſatisfactione expiaſſe: ita quidem, ut per ipſum ſolum cum Deo reconciliemur, remiſſionem peccatorum per fidem conſequamur, à morte omnibusque aliis peccati ſuppliciis liberemur, & in æternum ſalvemur.

Quic-

Quicquid enim pavidas mentes consolatur, quicquid favorem & gratiam Dei transgressoribus Legis offert, hoc proprie est, & recte dicitur Evangelion, hoc est, lætissimum nuncium: quod Dominus Deus peccata nostra nolit punire, sed propter Christum condonare.

Quare peccatores pœnitentes credere debent, hoc est, totam suam fiduciam in solum Christum collocent: quod videlicet propter peccata nostra traditus sit, & propter justitiam nostram resurrexerit: qui peccatum quidem non noverat, & tamen pro nobis peccatum factus est: ut nos efficeremur justitia Dei in ipso, qui nobis factus est justitia: & cujus obedientia nobis coram severo Dei judicio ad justitiam imputatur: ut ita lex, ut supra ostensum est, ministerium sit, quod per literam occidit, & damnationem denunciat, Evangelion autem sit potentia Dei ad salutem omni credenti, prædicans justitiam, & dans Spiritum: quemadmodum D. Lutherus hoc discrimen propemodum in omnibus suis scriptis diligenter inculcavit: atque accurate monuit, longe aliam Dei agnitionem ex Evangelio, quam ex lege hauriri: quia etiam gentes ex Lege Naturæ aliquam Dei cognitionem habuere: nec tamen eum recte vel agnoverunt, vel coluerunt.

Rom. 4, 25. *2. Cor. 5, 21.* *1. Cor. 1, 30.* *2. Cor. 3, 7.* *Rom. 1, 16.* *Rom. 1, 20.*

Hæc autem duo doctrinarum genera jam inde à condito mundo in Ecclesia Dei, convenienti tamen discrimine, proposita fuere. Patriarcharum enim posteri (quemadmodum etiam ipsi Patriarchæ) non modo assidue in memoriam revocarunt, quod homo initio à Deo justus & sanctus creatus, fraude autem serpentis mandatum Dei transgressus peccator sit factus, eaque re non modo se, verum etiam totam suam posteritatem perdiderit, atque in mortem & æternam damnationem præcipitaverit: Sed rursus se erexerunt, & consolati sunt dulcissima illa concione, de semine mulieris, con-

Gen. 3, 15.

Gen. 22, 18. Pſal. 110, 2. 3. Eſ. 49. & 53, 5. contrituro caput Serpentis: Item, de Abrahami ſemine, in quo benedicendæ erant omnes gentes: & de filio Davidis, qui regnum Iſraelis reſtaurare debebat: & lumen gentium futurus erat: qui vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, & attritus eſt propter ſcelera noſtra, cujus livore ſanati ſumus.

Hæc duo doctrinæ Chriſtianæ capita credimus atque confitemur, usque ad noviſſimum diem ſedulo, convenienti tamen diſcrimine, in Eccleſia Dei proponenda atque urgenda eſſe. Concione enim LEGIS, ejusque graviſſimis comminationibus in miniſterio Novi Teſtamenti, mentes impœnitentium hominum perterrefaciendæ, atque ad veram peccatorum ſuorum agnitionem, & ad agendam pœnitentiam ſunt adducendæ. Id tamen non eo modo, ut propter peccata deſperent: ſed ut ad Chriſtum confugiant: Lex enim pædagogus eſt in Chriſtum, ut per fidem juſtificemur: & cum Chriſtus ſit finis legis, non a Chriſto, ſed ad Chriſtum nos ducat. Quare poſt agnita peccata ex Lege, mentes perturbatæ erigendæ ſunt, ut ex EVANGELII de Chriſto prædicatione ſolidam conſolationem capiant, atque confirmato animo ſint, ſcientes, quod Dominus (ſi quidem Evangelio crediderint) omnia peccata per Chriſtum ipſis condonet, eos propter mediatorem filios adoptet, & ex mera gratia, ſine ullo ipſorum merito, juſtificet, & ſalvare velit. Non tamen divina illa gratia abutantur: aut ejus fiducia ſcientes volentes peccent. Et hoc diſcrimen Legis & Evangelii Paulus in Epiſtola ad Corinthios poſteriore luculenter admodum declaravit.

Galat. 3, 24. Rom. 10, 4.

2. Cor. 3.

Quare ne doctrina Legis & Evangelii denuo commiſceatur, & uni, quod alterius eſt, tribuatur, ſummo ſtudio vera & propria differentia Legis & Evangelii retinenda atque urgenda eſt: eaq; omnia, quæ novæ confuſioni inter Legem & Evangelium occaſionem præbere

bere poſſent, ſtudioſe cavenda atque vitanda ſunt. Talis enim confuſio facile meritum & beneficia Chriſti obſcurare, & Evangelium in Legem transformare poſſet: quod ſub Papatu accidiſſe videmus. Et hac ratione piis mentibus vera conſolatio, quam ex Evangelio contra terrores legis haurire debent, eriperetur: & Pontificiis erroribus feneſtra in Eccleſiam Dei irrependi & invadendi aperiretur. Quapropter magno cum periculo conjunctum eſt, neque approbari poteſt, quod aſſeritur, Evangelium (proprie ſic dictum, & cum à lege diſcernitur) eſſe concionem pœnitentiæ, arguentem peccata. Alias vero quando generaliter de tota doctrina Chriſtiana accipitur, etiam Apologia aliquoties docet, quod Evangelium ſit concio de pœnitentia & remiſſione peccatorum. Interim tamen Apologia etiam oſtendit, Evangelion PROPRIE dici promiſſionem de remiſſione peccatorum, & juſtificatione noſtra per Chriſtum: Legem vero eſſe doctrinam, quæ & peccata arguat, & damnationem denunciet.

VI.

DE TERTIO USU LEGIS DIVINÆ.

CUm conſtet, triplicem eſſe legis divinæ uſum, (Lege enim diſciplina externa & honeſtas contra feros & indomitos homines utcunque conſervatur. Lege peccatores ad agnitionem peccati adducuntur. Denique qui per Spiritum Dei renati, & ad Dominum converſi ſunt, & quibus jam velamen Moyſis ſublatum eſt, lege docentur, ut in vera pietate vivant & ambulent) orta eſt de tertio illo uſu Legis controverſia, inter paucos quosdam Theologos. Horum alii docuerunt atque ſenſerunt, non opus eſſe, ut renati *Epit. 594.* I. II. III.

novam

novam obedientiam, ſed bona opera (in quibus ambulare oporteat) ex lege diſcant: aut ut doctrina de bonis operibus ex lege depromatur vel urgeatur, quandoquidem per filium Dei libertati reſtituti, & jam facti ſint templa Spiritus Sancti, & propterea liberi, perinde ac Sol absque alieno impulſu, ſponte curſum ſuum naturalem conficit: ita enim & renatos ſua ſponte, inſtinctu & impulſu Spiritus Sancti, ea agere, quæ DEUS ab ipſis requirat. Alii vero docuere: etiamſi vere credentes Spiritu Dei revera agantur, & hac ratione ſecundum interiorem hominem libero & ſpontaneo Spiritu voluntatem Dei faciant: tamen Spiritum Sanctum ſcripta lege ad doctrinam ipſorum uti ſolere, qua etiam recte credentes informentur, & diſcant, DEO non eſſe ſerviendum juxta ipſorum cogitationes aut opiniones, ſed juxta ſcriptam legem, & verbum ejus revelatum. Illud enim certiſſimam eſſe regulam & normam, ad quam vita, ſecundum immutabilem voluntatem Dei, ſit pie inſtituenda.

Ad declarandam igitur & componendam hanc diſſenſionem, credimus, docemus, & confitemur unanimiter, quod etſi credentes & ad Deum vere converſi atque juſtificati, liberati ſunt à MALEDICTIONE legis, ita quidem, ut ea ratione jam liberi dicantur: tamen in lege divina quotidie exercere ſe debeant, ut
Pſal. 1, 2. ſcriptum eſt: Beatus, qui lege Domini delectatur, & in lege ejus meditatur die ac nocte. Eſt enim lex Dei inſtar ſpeculi limpidiſſimi, in quo voluntas Dei, & quæ ipſi placent, perſpicue oculis noſtris proponuntur: igitur ea credentibus ſemper inculcanda, & apud eos diligenter & aſſidue eſt urgenda.

1. Tim. 1, 9. Etſi enim juſto lex non eſt poſita, (ut Apoſtolus teſtatur) ſed injuſtis: hoc tamen non ita nude accipiendum eſt, quaſi juſtis ſine lege vivere liceat. Lex enim divina cordibus ipſorum inſcripta eſt. Et quidem primo

primo homini ſtatim poſt ipſius creationem etiam Lex data fuit, ſecundum quam vivere debebat. Hæc igitur eſt verborum Pauli vera & genuina ſententia: quod lex eos, qui per Chriſtum cum Deo reconciliati ſunt, maledictione ſua obruere nequeat: & quod renatis, coactione ſua, moleſta eſſe non poſſit: quandoquidem illi ſecundum interiorem hominem lege Dei delectentur.

Et ſane, ſi credentes, & electi filii Dei per inhabitantem Spiritum, in hac vita perfecte renovarentur: ita quidem, ut in tota ipſorum natura, & in omnibus viribus peccatum non amplius hæreret, non indigerent illi lege, neque ullo exactore, qui eos ad bene operandum urgeret. Quia ſponte & liberrimo Spiritu, ſine omni doctrina, admonitione, cohortatione, aut impulſu legis, ea ipſa facerent, quæ juxta voluntatem Dei agere debent. Sicut etiam Sol, Luna, & reliqua aſtra naturalem ſuum curſum, ſine admonitione, cohortatione, impulſu & coactione, per ſe ſine impedimento abſolvunt: ad eum modum, quem Dominus ſemel in prima creatione inſtituit: imo, ſicut ſancti Angeli, promptam & per omnia ſpontaneam obedientiam præſtant.

At vero credentes in hac vita non perfecte, completive vel conſummative (ut veteres loquuti ſunt) renovantur. Et quamvis ipſorum peccata Chriſti obedientia abſolutiſſima contecta ſint, ut credentibus non ad damnationem imputentur: & per Spiritum ſanctum veteris Adami mortificatio, & renovatio in Spiritu mentis eorum inchoata ſit: tamen vetus Adam in ipſa natura, omnibusque illius interioribus & exterioribus viribus adhuc ſemper inhæret. De hac re Apoſtolus ait: Scio, quod in me, hoc eſt, in carne mea, non habitet bonum. Et rurſus: Non quod volo bonum, hoc facio: ſed, quod nolo malum, hoc ago. Et: Video *Rom. 7, 18. 19. 20.*

aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ & captivantem me in lege peccati. Item, Caro concupiſcit adverſus Spiritum: Spiritus autem adverſus carnem. Hæc autem ſibi invicem adverſantur, ut non quæcunque vultis, illa faciatis.

Gal. 5, 17.

Eam ob cauſam credentes, electi, & renati filii Dei (propter illas concupiſcentias carnis) non modo aſſidua Legis admonitione, doctrina, & comminationibus indigent, verum etiam ſæpe caſtigationibus, ut veternus illis excutiatur, & Spiritui Sancto obtemperent, ſicut ſcriptum eſt: Bonum eſt mihi, Domine, quod humiliaſti me, ut diſcerem juſtificationes tuas. Et: Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne forte, cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar. Et: Quod ſi extra diſciplinam eſtis, cujus participes facti ſunt omnes: ergo ſpurii, & non filii eſtis. Ea de re D. Lutherus in explicatione Evangelii Dominicæ 19. poſt Trinitatis luculenter admodum docuit.

Pſal. 119, 71.
1. Cor. 9, 27.
Hebr. 12, 8.

Diſtincte autem etiam explicandum eſt, quid Evangelium ad Novam obedientiam credentium faciat & præſtet: & quodnam (quoad bona opera credentium) ſit Legis officium.

Lex enim inculcat quidem, eſſe voluntatem & mandatum Dei, ut in nova vita ambulemus: at vires & facultatem non donat, quibus novam obedientiam inchoare & præſtare poſſimus. Spiritus autem Sanctus, qui non per Legis, ſed per Evangelii prædicationem datur & accipitur, cor hominis renovat. Deinde idem Spiritus miniſterio Legis utitur, ut per eam renatos doceat, atque in Decalogo ipſis monſtret, quæ ſit voluntas Dei bona, & ipſi placens: ut noverint, quibus bonis operibus opera danda ſit, quæ DEUS præparavit, ut in illis ambulemus. Et exhortatur Spiritus Sanctus ad bona opera: ac ſi quando propter carnem remiſſiores ſunt & negligentiores, aut etiam rebelles, per legem

Gal. 5, 5.
Rom. 12, 2.
Eph. 2, 10.

eos

eos arguit. Et hoc modo idem Spiritus duo officia diversa in iisdem hominibus facit: mortificat, & vivificat: deducit ad inferos & reducit. Ejus enim officium non tantum est CONSOLARI, verum etiam ARGUERE, ut scriptum est: Cum venerit Paracletus, arguet mundum (sub quo & vetus Adam comprehenditur) de peccato, & de justitia, & de judicio. Peccatum autem est, quicquid legi divinæ adversatur. Et Paulus ait: Omnis scriptura divinitus inspirata, *2.Tim.3,16.* utilis est ad docendum, ad ARGUENDUM, &c. Arguere autem peccata est proprium officium legis. Quare quoties credentes delinquunt, corripiuntur & arguuntur a Spiritu Sancto per Legem: & ab eodem Spiritu rursus eriguntur & consolationem accipiunt per Evangelii prædicationem.

Ut autem omnis ambiguitas & erroris occasio, quo ad ejus fieri potest, caveatur, & discrimen inter opera Legis & opera Spiritus proprie & dextre tradatur atque conservetur: singulari diligentia observandum est, quando de bonis operibus agitur, quæ LEGI DEI sunt conformia, (alias enim bona opera nequaquam censerentur:) quod, hoc loco, vocabulum LEGIS unam tantum rem significet: immutabilem, videlicet, voluntatem Dei, secundum quam homines omnes vitæ suæ rationes instituere debeant.

Est autem discrimen in operibus propter differentiam HOMINUM, qui secundum Legem illam & voluntatem Dei vivere studenr. Homo enim nondum renatus, qui utcunque secundum Legem Dei vivit, & opera Legis ideo facit, quia ad eum modum sunt mandata: eamque obedientiam formidine pœnæ, aut spe præmii alicujus præstat: is adhuc sub Lege est, tanquam servus, & opera ejus proprie a D. Paulo Legis opera vocantur. Quia talia opera à Lege extorta sunt: & hi sunt Cainici sanctuli (hoc est, hypocritæ.)

Cum autem homo per Spiritum Sanctum renatus atque à lege, hoc eſt, à coactione Legis, liberatus eſt, jamque Spiritu Dei agitur: tum ſecundum immutabilem Dei voluntatem, in Lege revelatam, vivit: & omnia, quatenus renatus eſt, libero & promto Spiritu agit. Et talia opera proprie non ſunt appellanda Opera legis, ſed opera & fructus Spiritus: aut ut D. Paulus ea vocat, dicuntur, Lex mentis, & Lex Chriſti. Hi enim homines non amplius ſub lege ſunt, ſed ſub gratia: ut idem Apoſtolus teſtatur.

1. Tim. 1.

Rom. 6, 8. & v. 14.

Cum autem credentes in hac vita non plene renoventur, ſed vetus Adam ipſis, usque ad extremum ſpiritum, adhæreat: manet etiam in illis lucta inter Spiritum & carnem. Quare delectantur quidem lege Dei, ſecundum interiorem hominem: interim tamen Lex illa, quæ eſt in membris eorum, legi mentis repugnat. Unde fit: ut nunquam quidem ſine lege, & tamen non ſub lege, ſed in lege ſint, ſecundum legem Domini vivant & ambulent: & tamen bona opera non EX COACTIONE legis faciant.

Quod vero ad veterem Adamum attinet, qui in ipſis adhuc hæret: ille non modo Lege, verum etiam pœnis urgendus & coercendus eſt; & tamen omnia invitus & coactus facit: non minus quam impii, qui comminationibus Legis urgentur, & in officio & obedientia inviti utcunque retinentur.

1. Cor. 9. Rom. 7.

Quin etiam legis doctrina hoc nomine credentibus neceſſaria eſt: ne propria quadam ſanctimonia religioſum vitæ genus de ſuo ingenio excogitent, & ſub prætextu Spiritus Dei electitios cultus ſine verbo & mandato Dei inſtituant. De qua re ſic ſcriptum eſt: Non facietis ſinguli, quod ſibi rectum videtur, &c. Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: neque addas quicquam, nec minuas.

Deut. 12, 8. & 32.

Sed & aliam ob cauſam doctrina legis in exercitio bono-

bonorum operum credentibus neceſſaria eſt. Facile enim homo imaginari & perſuadere ſibi poteſt: vitam & opera ſua omnino pura & perfecta eſſe. At lex Dei credentibus bona opera ad eum modum præſcribit: ut ſimul, tanquam in ſpeculo, nobis commonſtret, ea omnia in nobis in hac vita adhuc imperfecta & impura eſſe; ita quidem, ut cum Apoſtolo fatendum nobis ſit: Etſi mihi nihil conſcius ſum, tamen in eo non ſum juſtificatus. Quare cum D. Paulus renatos hortatur, ut bona opera faciant, expreſſe Decalogum eis proponit: & opera ſua imperfecta & impura eſſe, ipſe ex lege agnoſcit. Et David inquit: Viam mandatorum tuorum cucurri. Interim tamen orat: Non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.

1. Cor. 4.
Rom. 13, 8. 9.
Rom. 7.
Pſ. 119, 32.
Pſ. 143, 2.

Quomodo autem, & qua de cauſa bona opera credentium (licet in hac vita propter peccatum in carne hærens imperfecta & impura) grata Deo acceptaque ſint, hoc non docet Lex; quæ integram, perfectam & puram, omnibusque numeris abſolutiſſimam obedientiam requirit: ſi modo ea Deo probari debeat. Evangelion vero docet, Spiritualia ſacrificia noſtra Deo accepta eſſe per fidem, propter Chriſtum. Et hac ratione pii non ſunt ſub lege, ſed ſub gratia: propterea quod ipſa perſona piorum à maledictione & damnatione legis per fidem in Chriſtum ſit liberata, & quod bona opera ipſorum, etſi imperfecta & impura, Deo, propter Chriſtum, ſint accepta & grata: & quod non ex coactione legis, ſed ex renovatione Spiritus ſancti ex animo promte & ſponte ea faciant, quæ Deo placent: quatenus ſecundum interiorem hominem ſunt renati. Interim tamen aſſidue cum veteri ſuo Adamo luctantur.

1. Pet. 2, 5.
Hebr. 11, 13.

Vetus enim ille Adam (quaſi aſinus indomitus & contumax) eſt adhuc etiam pars aliqua ipſorum, quæ

non modo legis doctrina, exhortationibus, impulſu,& comminationibus, verum etiam (quaſi fuſte) plagis & pœnis cohercenda, & in obedientiam Chriſti cogenda eſt: donec carnem peccati prorſus exuamus, & homo perfecte in beata illa reſurrectione renovetur. Tum vero nec doctrina, nec comminationibus & reprehenſionibus legis, denique ne Evangelii quidem prædicatione indigebit: hæc enim ad hanc mortalem duntaxat & imperfectam vitam ſpectant. Sed quemadmodum Dominum a facie ad faciem intuebuntur: ita virtute inhabitantis Spiritus Dei, ſponte, ſine ulla coactione, absque omni impedimento, puri prorſus & perfecti, maximo cum gaudio voluntatem Patris cœleſtis facient: & in Deo, in omnem æternitatem, lætabuntur.

Quare rejicimus & damnamus, ut errorem pernicioſum, qui Chriſtianam diſciplinam ſolvit & veræ pietati adverſatur: cum docetur, quod Lex (eo modo, qui ſupra explicatus eſt) non apud pios & credentes, ſed tantum apud infideles, impios & impœnitentes urgenda ſit.

VII.
DE COENA DOMINI.

Auguſt. C. 12. Apol. 157. Artic. Smal. 33. Catech. Minor. 380. Cat. Major. 402. 581. Epit. 597.

QUAMVIS fortaſſe quibusdam videri poſſit, declarationem articuli de ſacra Cœna, huic ſcripto inſerendam non fuiſſe: in quo eos duntaxat articulos, qui inter Theologos Auguſtanæ Confeſſionis in controverſiam venerunt, declarandos ſuſcepimus, & vero manifeſtum ſit, Sacramentarios jam olim, (cum Confeſſio Auguſtana Anno Domini 1530. primum conſcriberetur & Imperatori exhiberetur) penitus ab ea alienos fuiſſe, atque talem eo tempore ſeceſſionem feciſſe, ut peculiarem ea de re Confeſſionem

nem offerrent. Quia tamen (quod ſane dolendum eſt) Theologi quidam, & alii præterea nonnulli, qui Confeſſionis Auguſtanæ religionem jactitant, proximis hiſce annis in hoc articulo non clam tantum & occulte, ſed partim etiam aperte ad Sacramentarios defecerunt & contra conſcientiæ ſuæ teſtimonium Auguſtanam Confeſſionem (quaſi ea cum Sacramentariorum doctrina in hoc articulo per omnia faceret) violenter in alienam ſententiam pertrahere, eamque hoc modo depravare nituntur: facere non potuimus, quin etiam in hoc ſcripto veritati cœleſti pia & ſincera noſtra Confeſſione teſtimonium perhiberemus, & veram ac genuinam tam verborum Chriſti, quam Auguſtanæ Confeſſionis ſententiam, de hoc negotio repeteremus. Agnoſcimus enim, noſtri officii eſſe, ut (quantum quidem in nobis eſt) piam & ſinceram doctrinam hanc, per gratiam Dei, etiam ad poſteritatem transmittamus: & auditores noſtros aliosque pios homines fideliter admoneamus, ut à peſtilenti errore illo (qui & verbo Dei & Auguſtanæ Confeſſioni repugnat, ac dudum aliquoties damnatus eſt) quam diligentiſſime ſibi caveant.

Status Controverſiæ, quæ eſt inter nos & Sacramentarios, in negotio Cœnæ Dominicæ.

ETſi Sacramentarii quidam in eo elaborant, ut quam proxime verbis ad Auguſtanam Confeſſionem accedant, & noſtrarum Eccleſiarum formas loquendi uſurpent: ac fatentur, quod in Cœna Domini corpus Chriſti vere à fidelibus accipiatur: attamen, quando ſerio urgentur, ut ſententiam ſuam ingenue, aperte, & perſpicue profiteantur, tum uno ore omnes animum ſuum declarant, quod credant, verum & ſub-

ſubſtantiale Chriſti corpus, ejusque ſanguinem à benedicto pane & vino, in cœna ſacra, tanto locorum intervallo abeſſe, quanto ſummum cœlum ab infima terra diſtet. Hæc enim ſunt ipſorum verba: Abeſſe Chriſti corpus & ſanguinem à ſignis tanto intervallo dicimus: quanto abeſt terra ab altiſſimis cœlis. Quare cum de præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in cœna loquuntur, non volunt ea in terris adeſſe, niſi reſpectu fidei noſtræ: hoc eſt, fidem noſtram dicunt per viſibilia ſymbola, perinde ut verbum prædicatum, commonefieri & excitari: ut ſeſe attollat, atq; omnes cœlos tranſcendat: & hoc modo præſens, in cœlo corpus Chriſti, ejusque ſanguinem (imo ipſum Chriſtum, cum omnibus beneficiis ſuis) vere & ſubſtantialiter ſed tamen SPIRITUALITER TANTUM ſumat, eoque fruatur. Sentiunt enim, uti panis & vinum hic ſunt in terris, & non in cœlo: ita corpus Chriſti jam in cœlis eſſe, & non in terra: quare in cœna Domini nihil aliud ore ſumi, quam panem & vinum.

Ac initio quidem, cum hæc controverſia orta fuiſſet, fingebant, cœnam Domini eſſe tantum externum ſignum profeſſionis, quo Chriſtiani ab aliis hominibus diſcernerentur: & in eo Sacramento nihil niſi panem & vinum (abſentis videlicet corporis Chriſti nuda ſymbola) exhiberi. At cum intelligerent, hoc figmentum nihil prorſus coloris habere, neque conſiſtere poſſe, cœperunt fateri, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum in ſacra cœna ſua vere præſentem eſſe, per communicationem Idiomatum; hoc eſt, tantummodo ſecundum divinam ſuam naturam: ſed non ſuo corpore & ſanguine.

Poſtea etiamſi verbis Chriſti graviter urgebantur, ut præſentiam corporis Chriſti in ſacra cœna fateri cogerentur: id tamen aliter non intellexerunt, & declararunt, quam quod ſpiritualem tantum præſentiam crederent: hoc eſt, quod Chriſtus tantum virtutis, opera-

Digitized by Google

operationis, & beneficiorum ſuorum, per fidem nos participes faceret. Quia (inquiunt) Spiritus Chriſti (qui ubique præſens eſt) corpora noſtra (in quibus Spiritus ille hic in terris habitat) cum corpore Chriſti, quod in cœlis eſt, conjungit.

Quare ſplendidis & magnificis verbis illis, multis magnis & præclaris viris impoſuerunt, quando nimirum affirmarunt atque jactitarunt, ſe plane nihil aliud ſentire, quam quod Dominus Jeſus Chriſtus vere, ſubſtantialiter, vivus in ſacra ſua cœna præſens ſit. Hoc autem intelligunt ipſi tantum de divina Chriſti natura: non autem de ipſius carne & ſanguine. De his enim ſentiunt, ea tantum in cœlis, & præterea nullibi eſſe: ideoque Chriſtum nobis cum pane & vino verum corpus & verum ſanguinem manducandum & bibendum dare, ſpiritualiter, per fidem, ſed non corporaliter ore ſumendum.

Verba enim inſtitutionis cœnæ Dominicæ, EDITE, HOC EST CORPUS MEUM, non proprie, ut ſonant, ſecundum literam, ſed quaſi figuratum ſermonem, figurate accipiunt: ita ut EDERE corpus Chriſti nihil aliud ipſis ſignificet, quam CREDERE in Chriſtum: Et vocabulum, corporis, illis nil niſi Symbolum, hoc eſt, ſignum ſeu figuram corporis Chriſti denotet: quod tamen non in terris & in ſacra Cœna præſens, ſed tantum in cœlis ſit. Verbum (EST ſacramentaliter, ſeu modo ſignificativo interpretantur: ne quis rem cum ſignis ita putet copulari, ut Chriſti quoque caro nunc in terris adſit, modo quodam inviſibili & incomprehenſibili. Hoc, nimirum, volunt, Corpus Chriſti cum pane Sacramentaliter ſeu ſignificative unitum eſſe: ita, ut credentes ac pii homines tam certo corpus Chriſti (quod ſurſum in cœlis ſit) fide ſpiritualiter accipiant, quam certo panem ore manducant. Quod vero corpus Chriſti in ſacra Cœna in his terris ſubſtantialiter (licet inviſibili & incomprehenſibili modo)

præsens sit, & una cum pane benedicto, ore etiam ab hypocritis, & nomine duntaxat Christianis, sumatur, id solent quasi horrendam blasphemiam damnare & execrari.

Contra vero de Cœna Domini in Confessione Augustana, ex verbo Dei sic docetur: verum corpus & sanguinem Christi vere, sub specie panis & vini, in sacra Domini Cœna præsentia esse, distribui & sumi: secus autem docentes improbari. His postremis verbis Sacramentariorum error perspicue rejicitur; qui eo ipso tempore Augustæ peculiarem Confessionem obtulerunt: quæ veram & substantialem corporis & sanguinis Christi præsentiam in Sacramento cœnæ, in terris administratæ, idcirco negabat, quia Christus ascendisset in cœlos. Pia etiam nostra de hac re sententia in Minore D. Lutheri Cctechismo perspicue sequentibus verbis expressa est: Sacramentum altaris est verum corpus & verus sanguis Domini nostri Jesu Christi, sub pane & vino nobis Christianis ad manducandum & bibendum à Christo ipso institutum. Luculentius etiamnum hæc ipsa sententia nostra in Apologia non modo declaratur, verum etiam illustri dicto Pauli 1. Cor. 10. & testimonio Cyrilli confirmatur hisce verbis: Decimus articulus approbatus est: in quo confitemur, nos sentire, quod in cœna Domini vere & substantialiter adsint corpus & sanguis Christi: & vere exhibeantur cum illis rebus, quæ videntur, pane & vino, his, qui Sacramentum accipiunt. Cum enim Paulus dicat: Panem, quem frangimus, communicationem corporis CHRISTI esse, &c. sequeretur: panem non corporis, sed Spiritus Christi participationem esse, si non ipsum Christi corpus, sed duntaxat Spiritus Sanctus vere præsens esset. Et comperimus, non tantum Romanam Ecclesiam affirmare corporalem Christi præsentiam: sed idem & nunc sentire, & olim etiam sensisse Græcam Ecclesiam. Sed & ibidem

1. Cor. 10, 16.

ex

ex Cyrillo teſtimonium adducitur, Chriſtum etiam corporaliter in ſacra cœna communicatione ſuæ carnis in nobis habitare.

Poſtea cum illi, qui Auguſtæ peculiarem ſuam confeſſionem de hoc articulo obtulerant, noſtrarum Eccleſiarum Confeſſionem approbare velle viderentur, Wittenbergæ anno Domini 1536. formula quædam Concordiæ (quam nunc recitabimus) inter Saxonicos, & ſuperioris Germaniæ quosdam Theologos, conſcripta, & D. Mart. Lutheri, aliorumque (utriusque partis) Theologorum ſubſcriptione approbata eſt. Ea ſic habet:

Audivimus Bucerum explicantem ſuam & aliorum concionatorum, qui una adfuerunt, ſententiam de Sacramento corporis & ſanguinis Chriſti, hoc modo:

Confitentur, juxta verba Irenæi, Euchariſtiam conſtare duabus rebus, terrena & cœleſti. Proinde ſentiunt & docent, cum pane & vino vere & ſubſtantialiter adeſſe, exhiberi & ſumi corpus & ſanguinem Chriſti. Et quanquam negant, fieri Transſubſtantiationem, nec ſentiunt fieri localem incluſionem in pane, aut durabilem aliquam conjunctionem extra uſum Sacramenti: tamen concedunt, Sacramentali unione panem eſſe corpus Chriſti; hoc eſt: porrecto pane ſentiunt ſimul adeſſe & vere exhiberi corpus Chriſti. Nam extra uſum, dum reponitur, aut aſſervatur in pixide, aut oſtenditur in proceſſionibus, ut fit apud Papiſtas, ſentiunt non eſſe corpus Chriſti.

Deinde hanc inſtitutionem Sacramenti à Chriſto factam ſentiunt valere in Eccleſia: nec pendere ex dignitate vel indignitate Miniſtri & ſumentis. Quare, ſicut Paulus ait, etiam indignos manducare Sacramentum; ita ſentiunt, corpus Chriſti & ſanguinem vere porrigi etiam indignis: & indignos vere illa ſumere: ubi ſervantur verba & inſtitutio CHRISTI: Sed tales ſumunt ad judicium, ut Paulus ait: quia abutuntur

Sacra-

Sacramento, cum sine vera pœnitentia & fide eo utuntur. Ideo enim institutum est, ut testetur, illis applicari gratiam & beneficia Christi: illos inseri Christo, & sanguine ejus ablui, qui agunt pœnitentiam, & erigunt se fide in Christum.

In sequenti anno præcipui Augustanæ Confessionis Theologi è tota Germania Smalcaldiam convocati sunt: ut in medium conferrent, quæ doctrinæ capita, in nostris Ecclesiis hactenus proposita, Concilio (quod Pontificii celebraturi dicebantur) exhibenda & defendenda essent. Ibi D. Lutherus articulos illos, quos Smalcaldicos vocant, composuit: qui communi & unanimi consensu ab omnibus illis Theologis, qui convenerant, subscriptione confirmati sunt. In his articulis D. Lutherus veram & genuinam supra commemoratæ formulæ, Wittebergæ conscriptæ, sententiam, brevibus quidem, sed significantibus & perspicuis verbis, quæ proxime ad verba Christi accederent, explicuit. Sacramentarii enim jam dictæ formulæ verba ad malam suam causam fulciendam plane in alienam sententiam detorserant: quod videlicet Corpus Christi non alia ratione in cœna distribueretur, quam sicut idem corpus una cum omnibus beneficiis suis verbo Evangelii exhibetur. Et Sacramentalem unionem nihil aliud esse, quam præsentiam Christi spiritualem, quæ fit fide, interpretati fuerant. Has rimas, per quas illi effugium quærebant, Smalcaldici articuli obstruxerunt. Asserunt enim, panem & vinum in sacra Cœna esse verum corpus & verum sanguinem Jesu Christi: quæ & exhibeantur & sumantur non modo à piis, verum etiam ab iis, qui præter nomen nihil habent Christianum.

Hanc piam sententiam D. Luthenus copiosius è verbo Dei, in Majore suo Catechismo declarat: & sic ait: Quid igitur est Sacramentum, quod ad altare distribuitur?

buitur? Reſpondetur: Eſt verum corpus & verus ſanguis Chriſti, in, & ſub pane & vino: quæ edere & bibere Chriſti verbo jubemur. Et poſt aliqua: Verbum Dei, inquam, illud eſt, quod hoc Sacramentum conſtituit, & diſcrimen facit, ut non ſit merus panis & merum vinum, ſed ut hæc Chriſti corpus & ſanguis ſint & dicantur. Et poſt pauca: Hoc Chriſti verbo conſcientiam tuam confirmare, & intrepido animo dicere potes: etiamſi decem diabolorum myriades, una cum omnibus fanaticis doctoribus irruentes, mihi objiciant, dicentes: quomodo panis & vinum poſſunt eſſe corpus & ſanguis Chriſti; tamen certo ſcio, quod omnes fanatici ſpiritus, & doctiſſimi quique homines, omnes ſimul non tantum ſapientiæ habeant, quantum divina Majeſtas vel in minimo digitulo habet. Hic vero in medio eſt Chriſti verbum expreſſum: Accipite, edite, hoc eſt corpus meum: Bibite ex hoc omnes, hoc eſt Novum Teſtamentum in meo ſanguine. Huic verbo firmiter inſiſtimus: hîc tuto manebimus: & expectabimus eventum, an IPSUM vincere, & inſtitutionem ejus mutare valeant. Hoc quidem verum eſt, quando verbum Dei ab hoc Sacramento removeris: aut absque verbo divino Sacramentum conſiderare volueris: quod tum prærer panem & vinum nihil habeas. At ſi verbum cum Sacramento retineatur, ut fieri omnino convenit: tum Sacramentum illud (ut ipſa verba teſtantur) revera eſt corpus & ſanguis Jeſu Chriſti. Ut enim Chriſtus ore ſuo de hoc Sacramento loquitur, ita res veriſſime habet: IPSE enim mentiri & fallere *Tit. 1.* neſcit.

His fundamentis jactis, facile eſt reſpondere ad quæſtiones multas, quæ hoc ſeculo plurimum agitantur: an, videlicet, miniſter Eccleſiæ, qui vitæ eſt diſſolutioris, poſſit Cœnam Domini recte adminiſtrare & exhibere? & ſi quæ ſunt alia his non diſſimilia, de quibus diſpu-

disputatur. Ita enim sentimus & statuimus: si maxime homo improbus & sceleratus Sacramentum cœnæ Dominicæ sumat, aut distribuat: tamen sumere illum verum Sacramentum, hoc est, Christi corpus & sanguinem, non minus, quam eum, qui digniſſime illud sumat aut distribuat. Hoc enim Sacramentum non habet fundamentum, hominum sanctitatem, sed ipsum verbum Dei. Et quemadmodum nec ullus sanctus in terris, neque Angelus in cœlis efficere potest, ut panis & vinum sint corpus & sanguis Christi: ita nemo id Sacramentum mutare potest, ut non sit Christi corpus & sanguis: etiamsi quidam eo abutantur.

Non enim propter alicujus aut personam aut incredulitatem, verbum Dei (quo cœna Domini instituta est, & propter quod rationem Sacramenti habet:) irritum & vanum fieri potest. Quia Christus non dixit: si credideritis, aut digni fueritis, tum in cœna sacra corpus & sanguinem meum præsentia habebitis; sed potius ait: Accipite, edite, & bibite: hoc est corpus meum: hic est sanguis meus. Et præterea inquit: Hoc facite: quidnam? hoc ipsum certe, quod ego nunc facio, quod instituo, quod vobis trado, & vos accipere jubeo. Verba Christi hoc volunt: sive dignus, sive indignus sis, habes hîc in cœna Christi corpus & sanguinem: idque virtute verborum, quæ ad panem & vinum accesserunt. Hæc memori mente repone: quia in his verbis (institutionis cœnæ) fundamentum nostrum, defensio & arma nostra sunt, adversus omnes errores & fallacias, quæ aut allatæ sunt hactenus, aut unquam adferri in hoc negotio poterunt:

Hæc Catechismi Majoris recitata verba veram præsentiam corporis & sanguinis Christi in cœna Domini verbo Dei egregie confirmant: & iis solide demonstratur, præsentiam illam non tantum de manducatione credentium & dignorum, verum etiam de infide-

fidelibus & indignis communicantibus intelligendam esse.

Et quia singularibus & excellentissimis Spiritus sancti donis illuminatus Heros, Doct. Lutherus, in Spiritu prævidit, quod post mortem ipsius, quidam ipsum suspectum facturi essent, quasi vel a doctrina jam commemorata, vel ab aliis etiam partibus purioris doctrinæ recesserit: eam ob causam Majori suæ, de cœna Domini, confessioni hanc protestationem, sub finem, inseruit.

Quia video nullum esse sectarum & errorum finem, sed hæc mala indies incrementa sumere, Satanamque magis ac magis furere: ne quis igitur Sectariorum, me vivo, aut mortuo, aliquando nomen meum suo figmento prætexere possit, erroremque suum (non candide in medium allatis meis scriptis) stabilire audit: quod Sacramentarii, & Anabaptistæ jam facere cœperunt: Fidem meam, in hoc scripto, coram Deo & toto mundo, de omnibus religionis nostræ articulis, profitebor. Et in ea fide (Domino me bene juvante) ad extremum usque vitæ Spiritum perseverare, atque ex hac vita emigrare, & coram tribunali Domini nostri Jesu Christi intrepide comparere paratus sum. Ac si quis forte post meum obitum dicturus esset: si D. Lutherus nunc viveret, profecto de hoc vel illo articulo longe aliter sentiret atque doceret: (non enim satis diligenter eam rem hactenus expendit) Contra hoc figmentum id jam dico, quod tunc essem affirmaturus: & quod tunc dicturus essem, idem jam nunc profiteor: me, videlicet, per gratiam Dei omnes hosce articulos quam diligentissime expendisse, & non semel, sed sæpissime ad normam sacræ scripturæ exegisse, & tanquam ad Lydium lapidem examinasse: nec minore animi constantia atque πληροφορίᾳ singulos articulos defensurum, quam qua nunc doctrinam de Sacramento altaris propugnavi.

Tom. Witteb. Germ. 2. fol. 243.

Non

Non temulentus ſum, aut parum conſiderate loquor: Scio, quid affirmem: & intelligo, quanta res mea agatur in illo die Domini noſtri Jeſu Chriſti, cum venerit, vivos & mortuos judicaturus. Quare nemo me, in re tam magna & ſeria, nugari exiſtimet: hæc enim res vel maxime cordi mihi eſt. Novi (Dei beneficio) Satanam magna ex parte: qui cum poſſit verbum Dei & ſacras literas pervertere & depravare: quid ille meis aut cujuspiam alterius ſcriptis non faceret.

Fol. 245. Poſt hanc Proteſtationem D. Lutherus ſanctæ memoriæ inter alios articulos etiam hunc ponit: Eodem modo (inquit) loquor & confiteor etiam de Sacramento altaris: quod nimirum, ibi revera corpus & ſanguis Chriſti in pane & vino ore odatur & bibatur, etiamſi miniſtri, qui Cœnam Domini diſtribuunt, aut qui eam ſumunt, non credant, aut alias ſacra Cœna abutantur. Cœna enim Domini non nititur hominum fide aut incredulitate, ſed verbo Dei & ipſius inſtitutione. Niſi forte verbum Dei prius immutent, & prorſus aliter, quam oportet, interpretentur: ut hodie Sacramenti hoſtes faciunt. Hi procul dubio nil niſi panem & vinum in Coena habent, quia neque verba neque inſtitutionem Domini habent, ſed ea ad ſuam falſam opinionem inflexerunt, mutarunt & depravarunt.

Tom. 2. Witteb. Germ. fol. 252. Et ſane D. Lutherus (qui certe veram & genuinam Auguſtanæ Confeſſionis ſententiam præ aliis intellexit, & eam conſtanter, usq; ad finem vitæ, retinuit, & defendit) paulo ante ſuum ex hac vita diſceſſum, in poſtrema illa ſua de Coena Domini confeſſione, fidem ſuam de hoc articulo magno zelo, ſequentibus verbis profeſſus eſt, atq; repetivit, ubi ſic ait: Ego omnes eos eodemnum ero habeo, hoc eſt, pro Sacramentariis & fanaticis agnoſco, (ſunt enim tales,) qui credere nolunt, quod panis Domini in ſacra Coena ſit verum ipſius naturale corpus, quod impius quispiam, vel Judas ipſe, non

non minus ore accipiat, quàm D. Petrus, & omnes alii Sancti: Qui (inquam) hoc credere recuſat, is me miſſum faciat: neque ullam amicitiam aut familiaritatem à me expectet: ſic enim ſtat ſententia, quam non ſum mutaturus.

Ex hiſce (præſertim vero D. Lutheri, ut Primarii Doctoris Auguſtanæ Confeſſionis,) declarationibus, quas prolixe recitavimus, cuilibet homini cordato (ſi modo veritatis & pacis ſit ſtudioſus) manifeſtum, certum & indubitatum eſſe poteſt, quæ fuerit, hodieque ſit genuina & vera Confeſſionis Auguſtanæ SENTENTIA.

Quod autem præter illas phraſes, quibus CHRISTUS & Paulus utuntur, (cum dicunt: panem in cœna eſſe corpus CHRISTI, aut communicationem corporis Chriſti) etiam alias loquendi formas uſurpamus: verbi gratia, cum dicimus, ſub pane, cum pane, in pane adeſſe & exhiberi corpus Chriſti: id non ſine gravibus cauſis facimus. Primum enim his phraſibus ad rejiciendam Papiſticam Tranſubſtantiationem utimur. Deinde etiam Sacramentalem unionem ſubſtantiæ panis non mutatæ, & corporis Chriſti hac ratione docere volumus. Ad eundem enim modum hoc dictum, VERBUM CARO FACTUM EST, repetitur & declaratur aliis æquipollentibus propoſitionibus: exempli gratia: Verbum habitavit IN NOBIS: In Chriſto inhabitat tota plenitudo divinitatis corporaliter: DEUS erat cum eo: DEUS erat in Chriſto, &c. & alia plura hujus generis. Hæ phraſes ſupra commemoratum dictum Johannis repetunt & declarant: videlicet, quod per incarnationem divina eſſentia non ſit in humanam naturam converſa; ſed quod duæ naturæ ſine confuſione perſonaliter ſint unitæ. Et quidem multi excellentes Doctores ex erudita antiquitate, Juſtinus, Cyprianus, Auguſtinus, Leo, Gelaſius, Chryſoſtomus

Joh. 1, 14. Col. 2. v. 9.

& alii, hac ipſa ſimilitudine (de perſona CHRISTI) myſterium Sacramenti Cœnæ Dominicæ explicant. Docent enim, quemadmodum in Chriſto duæ diſtinctæ & non mutatæ naturæ inſeparabiliter ſunt unitæ: ita in ſacra Cœna duas diverſas ſubſtantias, panem videlicet naturalem, & verum naturale corpus Chriſti in inſtituta ſacramenti adminiſtratione hic in terris ſimul eſſe præſentia: Quod tamen non ita accipiendum, quaſi unio hæc corporis & ſanguinis CHRISTI cum pane & vino ſit perſonalis unio: qualis eſt utriusque naturæ in CHRISTO: Sed eſt unio Sacramentalis: ut eam D. Lutherus & alii (in illa Concordiæ formula, Anno 36. conſcripta, & alias) appellant. Quo ſignificare volunt, etiamſi formis loquendi, in pane, ſub pane, cum pane, quandoque utantur, tamen ſe propoſitionem (hoc eſt corpus meum) ſimpliciter, & ut verba ſonant, accipere & amplecti, eamque nequaquam pro figurata, ſed pro inuſitata prædicatione agnoſcere. Sic etiam Juſtinus de hoc negotio loquitur, inquiens: Non ut panem vulgarem & potum accipimus: ſed quemadmodum Chriſtus Servator noſter, per verbum DEI, caro eſt factus, carnem quoque & ſanguinem propter noſtram ſalutem habuit: ita etiam credimus, per verbum & preces ab ipſo ſanctificatum cibum, Domini noſtri JESU CHRISTI corpus & ſanguinem eſſe. Et ſanè D. Lutherus (in Majori, præſertim vero ultima ſua confeſſione de Cœna) eam de hac re formam loquendi, qua Chriſtus in prima Cœna celebranda uſus eſt, graviter & magno zelo defendit.

Cum autem D. Lutherus haud dubiè præcipuus earum Eccleſiarum, quæ Auguſtanam Confeſſionem amplexæ ſunt, Doctor fuerit, (cujus tota doctrina, tanquam compendio, ſummatim in Auguſtana Confeſſione comprehenſa, & Imperatori Carolo V. exhibita eſt) profecto commemoratæ illius Auguſtanæ Con-

Confeſſionis propria, vera & genuina ſententia ex nullius hominis libellis rectius & certius, quam ex D. LUTHERI Didacticis & Polemicis ſcriptis hauriri poteſt.

Et quidem hæc ipſa jam commemorata D. Lutheri ſententia, in unica, ſolidiſſima, immota, & extra omne dubium poſita petra veritatis (inſtitutione nimirum Cœnæ, quæ in verbo Dei recitatur) fundata eſt: & hanc ſententiam ſancti Evangeliſtæ, Apoſtoli, & ipſorum diſcipuli ad eum modum acceperunt & amplexi ſunt, eamque alios docuerunt, atque ad poſteritatem propagarunt.

Cùm enim Dominus & Salvator noſter Jeſus Chriſtus, de quo (ut de unico noſtro præceptore) ſeveriſsimum mandatum de cœlis omnibus hominibus datum eſt: HUNC AUDITE: non ſit vulgaris aliquis homo, aut Angelus: nec ſit tantummodo verax, ſapiens, potens: ſed & ipſa æterna veritas & ſapientia, & verus Omnipotens DEUS, qui rectiſſimè novit, quid & quomodo loqui debeat, & omnia, quæ loquitur ac promittit, potentiſſime efficere & præſtare valet, ſicut ipſe inquit: Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt. Et alibi: Mihi data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra, &c. *Matth. 17, 5.* *Luc. 21, 33.* *Matth. 28. v. 18.*

Cùm, inquam, hic verax, omnipotens Dominus, creator & Redemtor noſter Jeſus Chriſtus, poſt ultimam illam Cœnam, cum jam jam acerbiſſimam ſuam paſſionem & mortem pro peccatis noſtris accederet, triſtiſſimo nimirum illo, & poſtremo tempore, re graviſſime deliberata, & magno zelo auguſtiſſimum hoc Sacramentum Eccleſiæ ordinaverit, (quod usque ad finem mundi magna cum reverentia, obedientia & humilitate ſumendum, & perpetuum acerbiſſimæ paſſionis & mortis, & omnium beneficiorum ejus monumentum futurum erat, ſimulque obſignatio & confirmatio Novi Teſtamenti, ſolatium omnium perturbatarum conſcientiarum, firmum vinculum ſocietatis Chriſtianæ,

& cum capite ſuo Chriſto, & inter ſe invicem, conjunctio arctiſſima:) certe res graviſſimas & longe maximas animo agitavit, cum hæc verba inſtitutionis Cœnæ (de pane illo, cui benedicebat, & quem diſcipulis porrigebat) pronunciaret: Accipite, comedite, HOC EST CORPUS MEUM, quod pro vobis traditur. Et de calice, ſeu vino: HIC EST SANGVIS MEUS NOVI TESTAMENTI, qui pro vobis effunditur in remiſſionem peccatorum.

Hæc cùm ita ſe habeant: profectò æterni, veraciſſimi atque omnipotentis Filii DEI, Domini, Creatoris, & Redemtoris noſtri JESU CHRISTI verba, non ut figuratè, Metaphoricè, tropicè dicta aut prolata, in aliam ſententiam detorquenda ſunt: ut noſtræ humanæ rationi veriſimilia fiant. Quin potius hæc CHRISTI verba, ut ſonant, in propria ſua ac perſpicua ſententia, ſimplici fide & debita obedientia atque reverentia accipere tenemur. Neque committendum eſt, ut ullæ objectiones aut hominum contradictiones, quæ ab humanæ rationis acumine promanant, utcunque humani rationi blandiantur, nos ab expreſſo illo Chriſti Teſtamento abducant.

Sanctiſſimus Patriarcha Abrahamus, cùm verbum DEI, de offerendo filio ſuo, audiſſet, poterat certè occaſionem diſputandi arripere, an verba ſecundum literam accipere, an vero commoda & tolerabiliore aliqua interpretatione lenire deberet: quandoquidem non modo cum omni ratione, & cum Lege DEI & naturæ, verùm etiam cum præcipuo illo fidei articulo, de promiſſo ſemine Chriſto, qui ex Iſaaci ſtirpe naſciturus erat, aperte pugnare viderentur. Veruntamen ſicut antea promiſſionem de benedicto ſemine (ex Iſaaci progenie naſcendo) fide acceperat atque amplexus fuerat: etſi idipſum rationi ejus impoſſibile videretur: & ſic Deo laudem veritatis tribuerat, certiſſime ſciens atque credens,

credens, quod Deus, quæ promiſſiſſet, etiam præſtare poſſet: ita quoque nunc ſimpliciter accipit verbum & mandatum Dei ſecundum literam, remque totam divinæ Omnipotentiæ & Sapientiæ permittens: quam ſcit multo plures habere modos, per quos promiſſionem illam de ſemine, ab Iſaaco propagando, implere poſſet, quam ipſe cœca ſua ratione comprehendere valeret. Et ad hunc modum etiam nos vera humilitate & obedientia creatoris & redemtoris noſtri, perſpicuo, firmo, claro & maxime ſerio verbo & mandato (absque omni hæſitatione & diſputatione, quomodo id ad noſtram rationem quadret, aut poſſibile ſit) ſimpliciter CREDERE debemus. Hæc enim verba locutus eſt DOMINVS ille, qui immenſa eſt DEI patris Sapientia, & veritas ipſa: qui omnia, quæ promittit, certiſſimè reipſa perficere & præſtare poteſt.

Et ſanè omnes circumſtantiæ inſtitutionis Cœna Dominicæ luculenter teſtantur: verba illa Domini & Salvatoris noſtri JESV CHRISTI (quæ per ſe perſpicua, firma, clara & indubitata ſunt) non aliter, quam in uſitata, propria & communi ſignificatione accipi poſſe & debere. Cùm enim Chriſtus mandatum illud (de edendo corpore ſuo, &c.) in menſa, & in Cœna dederit, dubium eſſe non poteſt, quin de vero naturali pane, & de vero naturali vino, atque de manducatione, quæ ore fit, loquatur; ita ut nulla in vocabulo (panis) metaphora eſſe poſſit: quaſi Chriſti corpus ſpiritualem panem aut ſpiritualem cibum animæ dicere voluerit. Et Chriſtus ipſe præcavere ſtuduit, ne metonymia in vocabulo (corporis) intelligeretur: & ne exiſtimaretur de ſigno corporis ſui, aut tantum de ſymbolo, vel de figurato corpore, aut de virtute corporis ſui, ſeu beneficiis, quæ oblatione corporis ſui nobis promeruit, agere. Diſerte enim loquitur de vero, eſſentiali, & ſubſtantiali ſuo corpore, quod in mortem pro nobis tradidit, & de vero, ſubſtantiali ſanguine ſuo, quem

pro nobis in ara crucis, in remiſſionem peccatorum effudit.

Atqui nullus poteſt eſſe tam fidelis aut idoneus atque doctus interpres verborum Jeſu Chriſti, quam ille ipſe Chriſtus Dominus, qui ſua verba illa certiſſima, ſuam mentem atque ſententiam omnium optimè intelligit, atque ad eam dextrè declarandam intelligentia & ſapientia inſtructiſſimus eſt. Hic in declaratione inprimis ultimæ ſuæ voluntatis, Teſtamenti & perpetui fœderis atque conjunctionis, non figuratis, non ambiguis, ſed propriis, ſimpliciſſimis & diſertis verbis uti voluit: quemadmodum etiam in aliis fidei articulis ponendis & confirmandis, atque in ſignis gratiæ & pacti, ſeu Sacramentis inſtituendis, (verbi gratia in circumciſione, in conſtituendis olim Sacrificiis Veteris Teſtamenti, poſteà verò in Baptiſmi inſtitutione) non verbis obſcuris, figuratis, aut ambigius uti ſolitus eſt: Et, ut omnem ambiguitatem caveret, ſatis mentem ſuam declaravit, cum de corpore ſuo in ſacra Cœna exhibendo dixit: quod pro vobis datur; & de ſanguine: qui pro vobis effunditur. Et cùm Apoſtoli hæc ipſius verba ſimpliciſſimè acciperent, relinquit eos in hac propria & ſimplici ſententia, ac mandat illis, ut omnes gentes ad eum modum doceant; jubeantque eas obſervare, quæ ipſis, Apoſtolis, à Chriſto præcepta erant.

Matth. 26. v. 26. Marc. 14. v. 22. Luc. 22, 19. 1. Cor. 11. v. 24.

Qua de cauſa etiam tres Evangeliſtæ, Matthæus, Marcus, Lucas, & D. Paulus, qui inſtitutionem Cœnæ Dominicæ ab ipſo Chriſto poſt aſcenſionem ipſius acceperat, unanimi conſenſu, iisdem verbis & ſyllabis, hæc clara, firma, perſpicua, & vera verba Chriſti, HOC EST CORPUS MEUM, prorſus eodem modo de benedicto & diſtributo pane, ſine omni tropo, figura, aut variatione, recitant. Itaque dubium eſſe non poteſt, quin & de altera parte Sacramenti hæc verba (Hic calix eſt Novum Teſtamentum in meo ſanguine)

in

Digitized by Google

in Evangeliſta Luca & Paulo nullam aliam ſententiam habeant, quam verba Matthæi & Marci: qui dicunt: Hoc, quod ore ex calice bibitis, eſt ſanguis meus, Novi Teſtamenti: quo, videlicet, hoc Teſtamentum meum & Novum fœdus, videlicet, remiſſionem peccatorum, vobis hominibus ſancio, ferio, obſigno & confirmo.

Sed & hæc repetitio, confirmatio & declaratio verborum Chriſti, quam D. Paulus ponit, (ut clariſſimum veræ ſubſtantialis præſentiæ, & diſtributionis corporis & ſanguinis Chriſti in Cœna teſtimonium) ſingulari diligentia & accuratè eſt expendenda. Sic enim ait: Calix benedictionis, cui benedicimus, nonnè communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt? His enim Apoſtoli verbis docemur, quod non modo calix ille, cui Chriſtus in prima Cœna benedixit, & non modo panis, quem Chriſtus fregit & diſtribuit, ſed etiam panis, quem nos frangimus, & calix, cui nos benedicimus, ſint corporis & ſanguinis CHRISTI, communicatio: ita quidem, ut omnes, qui hunc panem edunt, atque è calice bibunt, vere accipiant atque participent verum corpus, & verum ſanguinem Chriſti. Etenim, niſi corpus Chriſti verè & ſubſtantialiter, ſed duntaxat virtute & efficacia ſua præſens eſſet, & ſumeretur, panis non corporis, ſed Spiritus, virtutis & beneficiorum Chriſti communicatio dici debuiſſet, quemadmodum etiam Apologia prorſus eadem ratione in hoc ipſo negotio argumentatur & ſtatuit. Et ſanè ſi D. Paulus duntaxat de ſpirituali communicatione corporis Chriſti, quæ per fidem fit, ageret, (ut Sacramentarii hoc Paulinum dictum ſuo more depravare ſolent) non dixiſſet, panis, ſed Spiritus, aut fides eſt communicatio corporis Chriſti: At Apoſtolus affirmat, panem eſſe communicationem corporis Chriſti, quod, 1. Cor. 10, v. 16.

videlicet, omnes, qui participant benedictum panem, etiam corporis Christi participes fiant. Ex eo ergo hoc conficitur, Paulum haudquaquam de spirituali, sed de Sacramentali, seu ea, quæ ore fit, participatione corporis Christi loqui, quæ piis & impiis, titulo duntaxat Christianis communis est.

Hanc piam nostram sententiam etiam ratio & circumstantiæ concionis illius Paulinæ confirmant. Eos enim, qui de Idolothytis edebant, & Ethnicis cultibus diabolicis communicabant, nihilominus autem etiam ad mensam Domini accedebant, & corporis & sanguinis CHRISTI participes fiebant, Paulus à tanto facinore deterret, & admonet, ne sibi ipsis ad judicium & damnationem corpus & sanguinem Christi sumant. Cùm enim omnes illi, qui benedicti & distributi panis in sacra Cœna participes fiunt, etiam cum corpore Christi communicationem habeant, profecto D. Pauli verba non possunt accipi de spirituali communicatione cum Christo, qua nemo abuti unquam potest, & à qua homines non sunt deterrendi.

Quare Patres & pii Majores nostri, D. Lutherus & alii sinceri Doctores Augustanæ Confessionis, hoc D. Pauli dictum ejusmodi verbis declarant, ut cum verbis Christi optimè consentiant: ut cum ad hunc modum id explicant: Panis, quem frangimus, est corpus Christi distributum, seu communicatum corpus Christi, quod inter eos distribuitur, qui fractum panem accipiunt.

In hac simplici & solidè fundata explicatione luculenti illius testimonii Paulini magno consensu acquievimus. Et non injuria miramur, quod audaces homines reperiantur, qui, cùm ipsi ante hæc tempora Sacramentariis hoc Pauli dictum opposuerint, nunc illud ipsum pro fundamento erroris sui (quod videlicet corpus Christi in Cœna spiritualiter tantummodo sumatur) ponere non erubescant. Sic enim loquuntur: Panis est com-

1. Cor. 10, 16.

mu-

municatio corporis Chriſti, hoc eſt, id, quod ſit ſocietas cum corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia : ſeu eſt medium, per quod fideles unimur Chriſto : ſicut verbum Evangelii fide apprehenſum, eſt medium, per quod Chriſto ſpiritualiter unimur, & corpori Chriſti, quod eſt Eccleſia, inſerimur.

Quod autem non tantùm pii & credentes in Chriſtum, verùm etiam indigni, impii, hypocritæ (verbi gratia: Judas, & hujus farinæ homines, qui nullam prorſus ſpiritualem cum Chriſto communicationem habent, & ſine vera pœnitentia atque converſione ad DEUM, ad Cœnam Domini accedunt) etiam verum corpus, & verum ſanguinem Chriſti, ore, in Sacramento ſumant, & grande ſcelus, indigne edendo & bibendo, in corpus & ſanguinem Chriſti admittant, id D. Paulus expreſſe docet, cum adfirmat, quod ii, qui indignè de illo pane edunt, & de calice DOMINI bibunt, rei fiant non tantum panis & vini, non tantum ſignorum & ſymbolorum, aut figuræ corporis & ſanguinis: ſed quod rei ſint corporis & ſanguinis JESV CHRISTI, quem in ſacra Cœna præſentem contumelia atque ignominia afficiunt : ſicut Judæi, qui ipſo facto & opere (indignis modis Salvatorem tractantes) in corpus CHRISTI horribiliter peccarunt, & CHRISTVM occiderunt. Sic enim antiquiſſimi, pii & eruditi Doctores Eccleſiæ hoc Pauli dictum intellexerunt : & magno conſenſu in hanc ſententiam ſunt interpretati. *1. Cor. 11. v. 27.*

Duplex igitur eſt manducatio carnis Chriſti. Vna ſpiritualis, de qua præcipue Chriſtus in Evangeliſta Johanne, capite ſexto, agit: quæ non alio modo, quam ſpiritu & fide in prædicatione & meditatione Evangelii fit, non minus, quàm cum Cœna Domini dignè, & in fide ſumitur. Hæc ſpiritualis manducatio per ſe utilis & SALVTARIS eſt, OMNIBVSQVE Chriſtia- *Joh. 6.*

nis, & quidem OMNIBUS temporibus ad ſalutem NECESSARIA eſt: ſine qua ſpirituali participatione Sacramentalis illa, aut quæ ore duntaxat fit, manducatio in Cœna non modo accipientibus non ſalutaris, ſed noxia etiam & damnationis cauſa eſſe ſolet.

Spiritualiter igitur manducare nihil aliud eſt, quàm CREDERE prædicato verbo Dei, in quo nobis Chriſtus verus Deus & homo, cum omnibus beneficiis, quæ carne ſua, pro nobis in mortem tradita, & ſanguine ſuo pro nobis effuſo, promeruit, offertur, videlicet, gratia & clementia Dei, remiſſio peccatorum, juſtitia, & vita æterna. Hæc qui ex verbo Dei commemorari audit, fide accipit, ſibique applicat, & hac conſolatione totus nititur (quod Deum placatum, & vitam æternam, propter mediatorem Jeſum Chriſtum habeamus:) qui, inquam, vera fiducia in verbo Evangelii firmiter, in omnibus tribulationibus & tentationibus, acquieſcit: hic ſpiritualiter Corpus Chriſti edit, & ſanguinem ejus bibit.

Altera vero manducatio corporis Chriſti eſt Sacramentalis, & ore fit, quando in ſacra Cœna verum & ſubſtantiale corpus & ſanguis Chriſti, ore accipiuntur atque participantur; ab omnibus, qui panem illum benedictum, & vinum in Cœna Dominica, edunt & bibunt. Ac pii quidem corpus & ſanguinem Chriſti in certum pignus & confirmationem accipiunt, quod peccata ipſis certo ſint remiſſa, & quod Chriſtus in ipſis habitet atque efficax eſſe velit. Impii vero idem corpus & eundem ſanguinem Chriſti etiam ore ſuo, ſed ad judicium & damnationem ſumunt. Hoc Chriſti verba, quibus Cœnam inſtituit, expreſſe docent. In prima enim Cœna menſæ aſſidens, diſcipulis ſuis naturalem panem, & naturale vinum porrigit: & de iis pronunciat, verum eſſe corpus & ſanguinem ſuum: & jubet eos edere & bibere. Ergo illud Chriſti

man-

Digitized by Google

mandatum, conſideratis diligenter omnibus circumſtantiis, non poteſt niſi de orali, non autem de craſſa, carnali, Capernaitica, ſed de ſupernaturali & incomprehenſibili manducatione corporis CHRISTI intelligi. Ad hanc manducationem, quæ ore fit, Chriſtus mandato ſuo etiam alteram requirit, cùm inquit: Hoc facite in mei commemorationem: hic enim FIDEM (quæ eſt ſpiritualis corporis Chriſti participatio) poſtulat.

Quare tota erudita & pia antiquitas (ſecundum hæc verba inſtitutionis Chriſti, & explicationem Pauli) expreſſe, & cum tota Catholica Eccleſia magno conſenſu docuit, quod corpus Chriſti non tantùm ſpiritualiter, fide, (quod extra uſum Sacramenti fieri poteſt) verùm etiam ore, non modo à credentibus, ſed & ab indignis, infidelibus, hypocritis, nomine duntaxat Chriſtianis, accipiuntur. Quæ antiquitatis teſtimonia recitare, hoc loco nimis eſſet prolixum: quare Lectorem ad noſtrorum ſcripta, in quibus hæc copioſe tractata ſunt, remittimus.

Ex his manifeſtum eſt, quam inique virulentis ſarcaſmis Sacramentarii Domino noſtro Jeſu Chriſto & D. Paulo, totique Eccleſiæ inſultent, qui oralem & indignorum manducationem vocant, duos pilos caudæ equinæ: & commentum, cujus vel ipſum Satanam pudeat: doctrinam vero de Majeſtate Chriſti EXCREMENTUM Satanæ, quo Diabolus ſibi ipſi & hominibus illudat, appellare auſi fuerint. Hæc adeo horrenda ſunt, ut homo Chriſtianus ea ſine horrore non recitare poſſit.

Accuratè autem hoc etiam declarandum eſt, quinam ſint indigni convivæ in hac ſacra Cœna. Hi nimirum, qui ſine vera pœnitentia & contritione, & ſine vera fide, & absque bono propoſito vitam emendandi, ad cœnam Domini accedunt. Hi ſibi ipſis judicium,

hoc

hoc eſt, temporales & æternas pœnas indigna ſua orali manducatione corporis Chriſti accerſunt: & corporis atque ſanguinis Chriſti rei fiunt.

Digni vero convivæ in Cœna Domini ſunt, infirmi in fide, puſillanimes, perturbati Chriſtiani, qui dum magnitudinem & multitudinem peccatorum ſuorum ſecum reputant, cohorreſcunt: qui magnam ſuam immundiciem conſiderantes, hoc pretioſiſſimo theſauro, & beneficiis Chriſti indignos ſeſe judicant: qui fidei ſuæ infirmitatem ſentiunt atque deplorant, & nihil magis in votis habent, quam ut Domino DEO firmiore & alacriore fide, & puriore obedientia ſervire poſſint. Hi (ut diximus) ſunt verè digni illi convivæ, in quorum gratiam, & quibus recreandis imprimis hoc auguſtiſſimum Sacramentum & ſacrum convivium eſt inſtitutum. Chriſtus enim ejusmodi homines benignisſime invitat, dicens: venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis: & ego reficiam vos. Et alibi ait: Non eſt opus valentibus medicus, ſed malè habentibus. Et Apoſtolus inquit: Virtus mea (dicit Dominus) in infirmitate perficitur. Et ad Romanos ſcribit: Infirmum in fide aſſumite: & paulo poſt: Deus eum aſſumſit. Quisquis enim in filium Dei crediderit, ſive is firma ſive infirma fide præditus fuerit, habet vitam æternam.

Matth. 11. v. 28.
Matth. 9, 19.
2. Cor. 12, 9.
Rom. 14, 1.
Joh. 3, 16.

Dignitas igitur neque in magna, neque in exigua infirmitate aut firmitate fidei, ſed in merito Chriſti conſiſtit. Hujus fructum infirmus ille in fide anguſtique animi parens, qui opem Chriſti in curando filio miſerrimo implorabat, non minus, quam Patriarcha Abraham, Apoſtolus Paulus, & alii, qui robuſtam fidem habuere, participat.

Marc. 7.

Et hæc de vera præſentia & duplici manducatione corporis & ſangvinis Chriſti, quæ aut fide ſpiritualiter, aut

autore fit (quæ posterior dignis & indignis communis est) dicta sunt.

Cum vero etiam de Consecratione, & de usitata illa regula (Nihil habet rationem Sacramenti extra usum seu actionem divinitus institutam) dissensiones quædam inter aliquos Augustanæ Confessionis Theologos inciderint: de his etiam duobus capitibus unanimem & pium nostrum consensum declarare visum est. Ac de priore illa quæstione, quæ est de consecratione, sentimus: quod veram præsentiam corporis & sanguinis CHRISTI in cœna non efficiat, ullius hominis vel verbum, vel opus, dignitas seu meritum, sive pronunciatio ministri: seu manducatio, seu fides communicantium: horum nullum nobis corpus & sangvinem CHRISTI præsentia facit. Sed hoc totum, quod in cœna Christi corpus præsens habemus, simpliciter, & in solidum omnipotentis Dei virtuti, & verbo, institutioni atque ordinationi Domini nostri JESU CHRISTI est adscribendum.

Verissima enim illa & omnipotentia verba JESU Christi, quæ in prima institutione pronunciavit, non modo in prima illa cœna efficacia fuêre: sed eorum vis, virtus, & efficacia adhuc hodiè durant & valent: ita quidem certè, ut eorum virtute in omnibus locis, ubi cœna Domini juxta Christi institutionem celebratur, & verba ipsius usurpantur, virtute & potentia eorum verborum, quæ Christus in prima cœna locutus est, corpus & sanguis Christi verè præsentia distribuantur & sumantur. Christus ipse enim (ubi ipsius institutio observatur, & verba ejus super pane & vino recitantur, & benedictus panis & vinum benedictum distribuuntur) per verba illa recitata, VIRTUTE PRIMÆ INSTITUTIONIS, hodie etiam, verbo suo, quod repeti vult, efficax est. Hanc piam nostram sententiam Chrysostomus his verbis confirmat: *De proditione Judæ.*

Et

Hom. 7. sive de passione.

Et nunc (inquit) illi præsto est Christus, qui illam ornavit mensam, ipse istam quoque consecrat. Non enim homo est, qui proposita, panem & vinum, corpus Christi facit & sanguinem: sed ille, qui crucifixus pro nobis est, Christus. Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute consecrantur, & gratia. Hoc est, ait, corpus meum: hoc verbo proposita elementa in Cœna consecrantur. Et sicut illa vox, quæ dicit: crescite & multiplicamini, & replete terram, semel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum, ad generationem operante natura: ita & vox illa (hoc est corpus meum: hic est sanguis meus) semel quidem dicta est: sed per omnes mensas Ecclesiæ, usque ad hodiernum diem, & usque ad ejus adventum præstat sacrificio firmitatem.

Gen. 1, 28.

Tom. 6. Jen. fol. 99.

D. Lutherus de hac ipsa re ad eundem modum scribit: Hæc illius jussio & institutio possunt hæc præstare: & efficiunt, ut non nudum tantum panem & vinum, verùm etiam corpus & sanguinem ipsius distribuamus & accipiamus. Sic enim verba ipsius habent: Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus. Itaque non opus nostrum, non pronunciatio nostra, sed mandatum & ordinatio Christi efficiunt, ut panis sit corpus, & vinum sit sanguis Christi: idque jam inde à prima institutione Cœnæ, usque ad finem mundi fieri solet: nostro autem ministerio hæc quotidie distribuuntur.

Tom. 3. Jenens. f. 446.

Item alibi: Sic & hîc fit: Etiamsi de omnibus panibus hæc verba pronunciarem: Hoc est Corpus Christi, nihil tamen ea re efficeretur. At quando ad ipsius mandatum & institutionem in administratione Cœnæ Dominicæ dicimus: Hoc est corpus meum: tùm revera est ipsius corpus. Non propter nostram pronunciationem: aut, quod hæc verba pronunciata hanc habeant efficaciam: sed quia Christus nobis præcipit, ut hæc verba pronunciemus, & hoc agamus, quod ipse in prima cœna fecit: & hoc modo suum mandatum & factum cum recitatione nostra conjunxit.

Et

Et quidem verba inſtitutionis Chriſti in adminiſtratione Cœnæ Dominicæ palàm coram Eccleſia diſertè & clarè recitentur, aut decantentur: neque ulla ratione intermittantur: idque plurimis & graviſſimis de cauſis. Primùm quidem, ut ſatisfiat & pareatur Chriſti mandato, qui inquit: Hoc facite: non igitur omittendum eſt, quod Chriſtus ipſe in ſacra Cœna fecit. Deinde, ut auditorum fides, de ſubſtantia & fructu hujus Sacramenti, (de præſentia corporis & ſanguinis Chriſti, & de remiſſione peccatorum, omnibusque beneficiis, quæ nobis Chriſti morte, & ſanguinis profuſione parta ſunt, & nobis in Teſtamento Chriſti donantur) per verba Teſtamenti Chriſti excitetur, confirmetur, & quam certiſſima reddatur. Præterea, ut elementa panis & vini, ad hunc ſacrum uſum (quo videlicet nobis unà cum illis CHRISTI corpus manducandum, & ſanguis ejus bibendus exhibeatur) ſanctificentur ſeu benedicantur, ut D. Paulus inquit: Calix benedictionis, cui benedicimus, &c. hæc autem benedictio non alia ratione fit, quam verborum inſtitutionis repetitione & recitatione. *1. Cor. 10. v. 16.*

Hæc tamen benedictio ſeu recitatio verborum inſtitutionis Chriſti ſola, non efficit Sacramentum, ſi non tota actio Cœnæ, quemadmodum ea à Chriſto ordinata eſt, obſervetur. Verbi gratiâ: cum benedictus panis non diſtribuitur, ſumitur, aut participatur: ſed vel includitur, vel ſacrificatur, vel circumgeſtatur; Mandatum enim Chriſti, (Hoc facite) quod totam actionem complectitur, totum & inviolatum obſervandum eſt. Ad hujus autem Sacramenti adminiſtrationem requiritur, ut in conventu aliquo piorum hominum panis & vinum benedictione conſecrentur, diſpenſentur, ſumantur, hoc eſt, edantur & bibantur, & mors Domini annuncietur. Ad hunc enim modum D. Paulus totam actionem, in qua panis frangitur, ſeu diſtribuitur & ſumitur, ob oculos nobis proponit. *1. Cor. 11.*

Acce-

Accedamus jam etiam ad alterum caput, de quo paulò ante mentio eſt facta. Ut vera & pia doctrina de Cœna Domini ſincere conſervaretur: & multiplices Idololatrici abuſus atque corruptelæ hujus ſacroſancti Teſtamenti CHRISTI vitarentur, & abolerentur: utilis hæc regula & norma ex verbis inſtitutionis Cœnæ deſumta eſt: Nihil habet rationem Sacramenti extra uſum à Chriſto inſtitutum: ſeu extra actionem divinitùs inſtitutam. Hæc regula nequaquam rejicienda eſt: magno enim cum fructu in Eccleſia Chriſti retineri poteſt & debet. Vocabula autem (uſus ſeu actio) in hoc negotio propriè non ſignificant fidem, nec ſolam manducationem, quæ ore fit: ſed totam externam viſibilem actionem Cœnæ Dominicæ à Chriſto inſtitutam. Ad eam verò requiritur: Conſecratio, ſeu verba inſtitutionis: diſtributio & ſumtio, ſeu externa, quæ dicitur, oralis manducatio benedicti panis & vini: item corporis & ſanguinis CHRISTI perceptio. Et, cum extra hunc uſum panis in Miſſa Pontificia non diſtribuitur, ſed vel offertur, vel includitur, vel circumgeſtatur, aut adorandus proponitur, non eſt ille pro Sacramento agnoſcendus. Quemadmodum etiam aqua Baptiſmi, ſi ad campanas baptizandas, aut ad curandam lepram adhiberetur, aut adoranda proponeretur, nullam haberet Sacramenti (Baptiſmatis) rationem. Hujusmodi Pontificiis abuſibus hæc regula initio renaſcentis Evangelii oppoſita, & ab ipſo D. Luthero piè declarata eſt. *Tom. 4. Jen.*

Interim tamen diſſimulare non debemus, quod Sacramentarii hanc utilem & neceſſariam regulam vafrè, ſubdolè, & malitiosè ad negandam veram & ſubſtantialem præſentiam, & oralem manducationem corporis Chriſti (quæ hîc in terris fit, & dignis atque indignis communis eſt) falſa interpretatione depravent. Interpretantur enim eam de ſpirituali uſu FIDEI interno,

ac

ac ſentiunt, ſumtionem cœnæ dominicæ indignis non eſſe Sacramentum: & fieri communicationem corporis Chriſti, tantummodo ſpiritualiter per fidem: aut fidem hoc præſtare, ut corpus Chriſti in cœna præſens ſit. Inde porro colligunt, indignos, infideles, hypocritas, corpus Chriſti nec præſens habere, nec accipere.

Atqui fides noſtra Sacramentum non efficit: ſed tantum omnipotentis Dei atque Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti certiſſimum verbum & inſtitutio hoc præſtant. Verbum enim Domini in Eccleſia efficax eſt manetq́; : neque vel dignitate vel indignitate miniſtri, neque ſumentis incredulitate quicquam ei derogatur, aut virtus ejus enervatur. Sanctum Chriſti Evangelion eſt permanetque Evangelion, etiamſi impii quidam auditores nullam illi fidem adhibeant, in quibus etiam illud non eſt efficax ad ſalutem: idem etiam fit in ſumtione Sacramenti: ut Chriſtus in verbis ſuis (Accipite, edite, hoc eſt corpus meum) verax maneat, ſive communicantes in ipſum credant, ſive non credant: præſentiam enim corporis & ſanguinis ſui non per noſtram fidem, ſed per omnipotentiam ſuam efficit.

Quare pernicioſus error eſt, quem adverſarii impudenter defendunt, & ſubdola depravatione uſitatæ hujus regulæ, plus fidei noſtræ (quippe quæ, ipſorum opinione, corpus Chriſti præſens nobis ſiſtat, atque participet) quam omnipotentiæ Domini atque Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, adſcribunt.

JAM quod ad Sacramentariorum varia & imaginaria fundamenta atque futiles objectiones attinet, quas illi de eſſentialibus & naturalibus humani corporis proprietatibus, de aſcenſu Chriſti ad cœlos, & de ipſius ex hoc mundo diſceſſu, & ſi quæ ſunt his ſimilia, adferunt: hæ nugæ, inquam, omnes & ſingulæ argumentis è verbo Dei deſumtis, ſolide, nervoſe & copioſe à D. Luthero in Polemicis ipſius ſcriptis refuta-

ſunt. Quare pium Lectorem (brevitatis ſtudio) ad illius ſcripta remittimus. In his autem principem locum habent, Libellus, quem contra cœleſtes Prophetas (ut tum vocabantur) edidit: & aliud opuſculum, cujus inſcriptio eſt: Quod verba (hoc eſt corpus meum) adhuc firma conſtent: item, major ipſius, & minor (poſt aliquot annos) edita Confeſſio de Cœna Domini: & alia præterea ejusdem de hoc negotio evulgata opuſcula. Neque enim fanatici Spiritus a morte D. Lutheri ullum novum argumentum in medium attulerunt.

D. Lutherus in majori ſua de Cœna Domini Confeſſione.

Quod autem nullis argumentis ab hominibus argute excogitatis, utcunque rationi blandiantur, abduci nos patimur, nec pati vel volumus, vel poſſumus, vel debemus, a perſpicua, ſimpliciſſima & clara verborum Teſtamenti Chriſti ſententia, in aliam opinionem, quæ ab expreſſis verbis CHRISTI recedit: ſed ſimpliciter potius ea intelligimus & credimus: hæc noſtra ſunt fundamenta, quibus hactenus, poſt motam controverſiam in hoc articulo, conſtanter nixi ſumus: quæ etiam D. Lutherus initio exortæ hujus diſſenſionis contra Sacramentarios ſequentibus verbis poſuit: Mea fundamenta, quibus in hoc negotio nitor, hæc ſunt:

I. Primum eſt hic articulus fidei: Jeſus Chriſtus eſt ſubſtantialis, naturalis, verus, perfectus Deus & homo, in una perſona indiviſus & inſeparabilis.

II. Secundum, quod dextera Dei eſt ubique.

III. Tertium, quod verbum Dei neque falſum eſt neque fallax.

IV. Quartum, quod Deus varios modos habet, novitq;, quibus aliquo in loco eſſe poteſt: neque uno illo tantum modo contentus eſſe cogitur, de quo fanatici homines nugantur, quem Philoſophi localem vocant.

Et Chriſti unicum corpus (inquit Lutherus) tribus modis ſeu triplici ratione poteſt alicubi eſſe.

Primo, comprehenſibili & corporali ratione: quali uſus

uſus eſt, cum in his terris corporaliter converſaretur: cum certo loco ſecundum quantitatem ſuam circumſcriberetur. Hoc modo etiam hodie uti poteſt, quoties ipſi viſum fuerit: id quod poſt reſurrectionem ſuam aliquoties fecit, & in noviſſimo die tali ratione præſentiæ ſeſe manifeſtabit: ſicut Paulus de Chriſto docet, inquiens: Quem ſuis temporibus OSTENDET beatus, & ſolus potens, rex regum, & Dominus dominantium. Et ad Coloſſ. ait: Cum Chriſtus APPARUERIT, vita veſtra, &c. Hoc modo non eſt in Deo, aut apud Patrem, aut in cœlis: ſicut fanaticus ille ſpiritus ſomniat. Deus enim non eſt corporalis locus. Et de hoc modo agitur in illis ſcripturæ dictis, quæ a fanaticis hominibus adferuntur: quod videlicet Chriſtus mundum reliquerit, & ad Patrem iverit.

1. Tim. 6, 15.

Col. 3, 4.

Deinde alio incomprehenſibili & ſpirituali modo alicubi eſſe poteſt, ut loco non circumſcribatur, ſed per omnes creaturas penetret, pro liberrima ſua voluntate: quemadmodum (ut craſſa quadam ſimilitudine rem utcunque adumbrem) viſus meus per aerem, lumen, aut aquam penetrat, atque in iis rebus eſt: neque tamen loco circumſcribitur. Et quemadmodum ſonus per aquam, aerem, aſſerem, aut parietem tranſit, & in iis rebus eſt: neque tamen loco circumſcribitur; Eodem modo etiam lux & calor per aerem, aquam, vitrum, cryſtallum, & per ſimiles materias penetrant, & in iis rebus ſunt: nec tamen loco circumſcribuntur: & quidem ejus rei multæ comparationes adduci poſſent. Hoc modo uſus CHRISTVS, cum reſurgens e ſepulcro clauſo & obſignato prodiret: & quando per januas clauſas ad diſcipulos ingrederetur: & ſicut eſt in pane & vino Cœnæ: atque hoc modo creditur de ſanctiſſima virgine Maria, matre ſua, natus eſſe.

Præterea alicubi eſſe poteſt divino & cœleſti modo, ſecundum quem cum Deo una eſt perſona. Ea ratione

creaturæ longe illi præsentiores & penetratu faciliores sunt, quam juxta secundum modum. Si enim juxta illum secundum modum potest esse in creaturis, & apud creaturas, ut tamen ipsum non sentiant, tangant, circumscribant, aut comprehendant: multo profecto magis secundum hunc tertium, admirandum, sublimem modum in omnibus creaturis, multoque mirabilius erit: ut ipsum non includant, circumscribant, aut comprehendant; sed potius, ut ipsas præsentes habeat, circumscribat & comprehendat. Hunc enim præsentiæ Christi modum, quem ex unione personali cum Deo habet, longissime extra creaturas, quam longe videlicet Deus extra creaturas est, ponere te oportet. Rursus autem tam profunde & prope eundem modum in omnes creaturas, quam profunde & prope Deus in omnibus creaturis est, pones. Est enim una inseparabilis persona cum Deo: ubi igitur Deus est: ibi ipsum quoque esse, aut fidem nostram falsam esse oportet. Quis autem explicare, aut saltem cogitationibus suis assequi poterit, quomodo hoc fiat? Scimus quidem rem revera ita se habere: quod videlicet sit in Deo extra omnes creaturas, & cum ipso una sit persona: modum autem, quo ista fiant, ignoramus. Excedit hoc mysterium naturam, & rationis humanæ, imo etiam Angelorum in cœlis captum: soli Deo notum est. Cum igitur hoc arcanum nobis incomprehensum, & tamen verissimum sit, non decet nos ipsius verbo contradicere, nisi firmis argumentis probare possimus, quod Christi corpus nequaquam ibi esse valeat, ubi Deus est, & quod hic modus præsentiæ confictus sit. Hoc fanaticis illis hominibus probandum incumbit: sed nunquam id præstabunt.

An vero Deus etiam plures modos habeat & norit, juxta quos Christi corpus alicubi sit, ego haudquaquam negaverim. Hoc saltem indicare volui, quam crassi

craſſi & ſtupidi homines ſint fanatici illi, qui Chriſti corpori non niſi unicum illum, primum & comprehenſibilem præſentiæ modum tribuunt. Sed neque de illo modo probare poterunt, quod cum noſtra ſententia pugnet. Ego enim nunquam aſſerere velim, quod potentia Dei non efficere valeat, ut unum corpus ſimul in pluribus locis, etiam corporali & incomprehenſibili modo, adeſſe poſſit. Quis enim & quibus argumentis evincet, quod hoc Deo ſit IMPOSSIBILE? Quis potentiæ ipſius finem deprehendit? Fanatici quidem id cogitant: Hoc Deus præſtare non poteſt: ſed quis ipſorum cogitationibus credat, & quo argumentorum genere has cogitationes ſuas confirmabunt? Hactenus Lutherus.

Ex his D. Lutheri verbis etiam manifeſtum eſt, in qua ſignificatione vocabulum (Spiritualiter) in Eccleſiis noſtris, quo ad hoc negotium, uſurpetur. Vocabulum enim (Spiritualiter) Sacramentariis nihil aliud ſignificat, quàm ſpiritualem illam communionem: quando nimirum, per fidem, in Spiritu vere viventes Chriſto Domino incorporantur, & revera ſpiritualia membra corporis ejus fiunt.

Cum vero D. Lutherus, aut nos vocabulo (Spiritualiter) in hoc negotio utimur, intelligimus ſpiritualem, ſupernaturalem, cœleſtem modum, ſecundum quem Chriſtus in ſacra Cœna præſens eſt: & non tantum in credentibus conſolationem & vitam, verum etiam in infidelibus judicium efficit. Et quidem per vocabulum illud (ſpiritualiter) Capernaiticas illas imaginationes, de craſſa & carnali præſentia excludimus, & rejicimus: quæ Eccleſiis noſtris per Sacramentarios, poſt tot publicas noſtras proteſtationes, affingitur. Et in ea ſententia intelligi volumus vocabulum (ſpiritualiter) cum dicimus, corpus & ſanguinem Chriſti in

sti in sacra Cœna spiritualiter accipi, edi & bibi. Tam etsi enim participatio illa ore fiat: tamen modus spiritualis est.

Fides igitur nostra in hoc articulo de vera præsentia corporis & sanguinis Christi in sacra Cœna, super veri & omnipotentis Dei, Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, VERITATEM & OMNIPOTENTIAM est fundata & extructa. Hæc fundamenta ita solida atque immota sunt, ut & fidem nostram in omnibus tentationibus (quæ de hoc articulo incidere possunt) confirmare & stabilire: & omnes Sacramentariorum objectiones & argutias, utcunque speciosæ sint, & humanæ rationi plurimum blandiantur, refutare & evertere, & piis animis per omnia sufficere, & præsentissimam consolationem & fiduciam afferre possint.

QVARE rejicimus & damnamus corde & ore, utpote fallaces & fraude plenos, omnes errores, qui recitatæ jam sanæ doctrinæ, & in sacris literis fundatæ adversantur & repugnant.

I. Pontificiam Transsubstantiationem: cum docetur, quod panis & vinum, si consecrata seu benedicta fuerint, in sacrosancta Cœna, substantiam & essentiam suam penitus amittant, & in substantiam corporis & sanguinis Christi convertantur: ita quidem, ut sola externa species panis & vini, sive accidentia sine subjecto, reliqua maneant. Et quod fingunt, corpus Christi sub specie panis (qui tamen panis ipsorum opinione jam non amplius est panis, sed naturalem suam essentiam amisit) revera præsens esse, etiam extra actionem Cœnæ Dominicæ: cum videlicet panis in sacrario inclusus adservatur aut in solenni theatrica pompa adorandus ostentatur & circumgestatur. Ni-

II. hil enim rationem Sacramenti habere potest, extra mandatum Dei, & usum à Christo institutum: ut supra monuimus.

Repudiamus & damnamus etiam omnes alios Pontificios

tificios abuſus hujus Sacramenti: inprimis vero abominationem ſacrificii Miſſæ, pro vivis & defunctis.

Quod Laicis (ut vocant) una tantum Sacramenti ſpecies ſive pars (& quidem contra expreſſum mandatum & claram inſtitutionem Chriſti) porrigitur. Et ſane hi aliique plurimi Pontificii abuſus, in Eccleſiis noſtris, in communi illa Confeſſione & Apologia, in Smalcaldicis articulis, & aliis noſtrorum ſcriptis, ſolide verbo Dei, & eruditæ atque piæ antiquitatis teſtimoniis, refutati & rejecti ſunt. III.

Cum autem in hoc ſcripto præcipue confeſſionem & declarationē noſtram de vera præſentia corporis & ſanguinis Chriſti, contra Sacramentarios (quorum aliqui ſub Auguſtanæ Confeſſionis titulo in Eccleſias noſtras ſine fronte ſeſe ingerunt) proponere voluerimus: eam ob cauſam Sacramentariorum errores præcipue hoc loco recitare & cōmemorare viſum eſt, eo fine, ut auditores noſtri eos agnoſcere & cavere poſſint.

Rejicimus igitur atque damnamus corde & ore, ut falſas & impoſturæ plenas, omnes Sacramentariorum opiniones, & dogmata, quæ ſupra commemoratæ, & in verbo Dei fundatæ doctrinæ non conſentiunt, ſed adverſantur & repugnant.

Cum docetur: quod verba inſtitutionis non ſimpliciter in propria ſua ſignificatione, ut ſonant, de vera ſubſtantiali corporis & ſanguinis Chriſti præſentia in Cœna Domini, accipienda, ſed per tropos & figuratas ſignificationes in alienam & novam ſententiam ſint torquenda. Et hoc loco omnes Sacramentariorum opiniones ejusmodi, quarum aliquæ inter ſe etiam pugnant (quot aut quam variæ illæ ſint) rejicimus. I.

Quod oralis ſumtio corporis & ſanguinis Chriſti in ſacra Cœna à Sacramentariis negatur: eique opponitur, quod corpus Chriſti in cœna ſpiritualiter tantum, per fidem accipiatur: ita quidem, ut ore in ſacra Cœna tantum panem & vinum edamus atque bibamus. II.

III. Quod docetur, panem & vinum in Cœna Domini nihil aliud esse, nisi notas quasdam professionis, quibus Christiani se invicem agnoscant. Vel, quod panis & vinum sint tantum figuræ, symbola, typi, ac similitudines longissime absentis corporis Christi: ea quidem ratione, quod ut panis & vinum sunt cibus externus nostri corporis, ita absens corpus Christi, una cum ipsius merito, sit animæ nostræ cibus spiritualis.

IV. Quod panis & vinum non sint nisi symbola aut signa memorialia absentis corporis Christi, quibus signis, tanquam externo pignore confirmemur, quod fides illa (quæ à Cœna sese avertit, & supra omnes cœlos ascendit) sursum non minus vere corporis & sanguinis Christi particeps fiat, quam revera in cœna Domini ore externa symbola accipimus. Et, quod hoc modo fides nostra in sacra Cœna, tantummodo per externa symbola, non autem per verum, præsens, & nobis exhibitum corpus & sanguinem Christi obsignetur & confirmetur.

V. Quod in Cœna Domini, FIDEI tantummodo virtus, operatio, & meritum longe absentis corporis Christi distribuantur & communicentur: ut hac ratione ABSENTIS corporis Christi participes fiamus. Et

VI. quod juxta hunc modum, unio Sacramentalis sit intelligenda: videlicet, de analogia signi & signati: quatenus, nimirum, corpus & sanguis Christi, cum pane & vino aliquid similitudinis habent.

VII. Quod corpus & sanguis Christi spiritualiter duntaxat, per fidem sumatur & participetur.

VIII. Quod Christus propter ascensum suum in cœlos, corpore suo, in certo quodam cœli loco ita sit comprehensus & circumscriptus, ut suo corpore nobiscum in sacra Cœna (quæ juxta institutionem Christi in terris celebratur) vere & substantialiter præsens esse, neque possit, neque velit: sed potius tam longe à sacra Cœna absit, quantum altissimum cœlum à terris distat.

Sic

Sic enim quidam Sacramentarii verba illa in actis Apoſtolicis (oportet Chriſtum cœlum accipere) de induſtria malitioſe (ad confirmandum errorem ſuum) depravarunt: & loco ſinceræ translationis hæc verba repoſuerunt: oportet Chriſtum cœlo CAPI: quæ verba ſignificant, Chriſtum ita in cœlum receptum, ut cœlo circumſcribatur & comprehendatur: ut nobiscum in terris, humana ſua natura nullo prorſus modo, præſens eſſe poſſit, aut velit. *Actor. 3, 21.*

IX. Quod Chriſtus veram ſubſtantialem præſentiam corporis & ſanguinis ſui in ſacra ſua Cœna neque promiſerit, neque præſtare poſſit aut velit; cum ipſius natura, & proprietas aſſumtæ ſuæ humanitatis id non admittant.

X. Quod non ſolum verbum, & ſola Chriſti omnipotentia, ſed fides corpus Chriſti in Cœna Domini præſens nobis ſiſtat. Unde quidam verba inſtitutionis in actione Cœnæ Dominicæ non recitant, ſed omittunt. Etſi autem Papiſtica Conſecratio (quæ pronunciationi verborum, tanquam operi Sacerdotis, eam vim adſcribit, quaſi ea Sacramentum efficiat) non injuria reprehenditur atque rejicitur: tamen verba inſtitutionis in actione Cœnæ Dominicæ nequaquam omitti poſſunt aut debent: id quod ex ſuperiore declaratione manifeſtum eſt.

XI. Quod credentes jubentur corpus Chriſti non cum pane & vino Cœnæ (juxta Chriſti inſtitutionem) quærere: ſed à pane ſacræ Cœnæ, fide ſua in cœlum, ad locum illum ablegantur, in quo Chriſtus ſuo corpore ſit: ut ibi ejus fiant participes.

XII. Rejicimus etiam hunc errorem, cum docetur: quod infideles & impœnitentes (qui titulo duntaxat Chriſtiani ſunt, revera autem fidem vivam, veram & ſalvificam non habent) in Cœna Domini non corpus & ſanguinem Chriſti, ſed tantum panem & vinum accipiant. Et, cum non niſi duo genera convivarum in hoc

cœlesti convivio reperiantur, digni videlicet, & indigni: rejicimus etiam illud discrimen inter indignos, quod aliqui faciunt, qui asserunt, impios Epicuræos, empæctas & verbi Dei contemtores (qui in externa Ecclesiæ communione sunt) non corpus & sanguinem Christi ad judicium in usu Cœnæ, sed tantummodo panem & vinum sumere.

XIII. Et, cum docetur: dignitatem non tantum in vera fide, verum etiam in propria hominis præparatione consistere.

XIV. Similiter, cum docetur, etiam vere credentes, qui viva & vera fide prædiți sunt, eamque retinent, si tamen ea præparatione propria & sufficiente careant, quam ipsi sibi proposuerunt, hoc sacramentum, tanquam indignos convivas, ad judicium accipere.

XV. Elementa illa, seu visibiles species benedicti panis & vini adorari oportere. Quod autem Christus ipse, verus Deus & homo, (qui in Cœna sua, in legitimo nimirum ejus usu, vere & substantialiter præsens est) in spiritu & in veritate (quemadmodum etiam omnibus aliis locis, præcipue vero, ubi Ecclesia ipsius est congregata) adorari debeat: id nemo, nisi Arianus hæreticus, negaverit.

XVI. Repudiamus præterea & damnamus omnes curiosas, sarcasmis tinctas & blasphemas quæstiones, atque hujus generis sermones, qui crasse, carnaliter & Capernaitice de supernaturalibus & cœlestibus Mysteriis Cœnæ Dominicæ proferuntur.

Reliquæ antitheses & rejectæ opiniones, quæ cum pia doctrina pugnant, in superiore declaratione reprehensæ atque repudiatæ sunt: eas (quia brevitati studemus) hoc loco repetere noluimus. Si quæ sunt autem, præter hæc, alia falsa & damnata dogmata, eorum dijudicatio ex præmissa copiosa explicatione peti, & (si opus sit) nominatim reprobari possunt. Nos enim omnia,

Digitized by Google

omnia, quæ ſupra commemoratæ & in verbo Dei bene fundatæ doctrinæ non conſentiunt, ſed repugnant, rejicimus atque damnamus.

IIX.

DE PERSONA CHRISTI.

ORTA eſt etiam controverſia inter Auguſtanæ Confeſſionis Theologos, de perſona Chriſti: quam tamen non ipſi inter ſe moverunt, ſed ei occaſionem Sacramentarii originaliter dederunt. *Aug. C. 10. Apol. 59. Artic. Sm. 309 Epit. 605.*

Cum enim D. Lutherus veram & ſubſtantialem corporis & ſanguinis Chriſti in ſacra Cœna præſentiam contra Sacramentarios, è verbis inſtitutionis Cœnæ firmiſſimis argumentis liquido probaſſet atque confirmaſſet: à Cinglianis illi objectum eſt: Si corpus Chriſti ſimul in cœlo & in terris, in Cœna Domini, præſens ſit: neceſſario conſequi, illud non eſſe verum & humanum corpus: talem enim Majeſtatem ſoli Deo tribuendam, corpus vero Chriſti nequaquam illius capax eſſe.

Hanc objectionem D. Lutherus refutavit, eamq; nihil ponderis habere, luculenter, in didacticis & polemicis ſuis ſcriptis, de Cœna Domini, quæ Sacramentariis oppoſuit, demonſtravit: quæ nos non minus, quam didactica hujus viri ſcripta approbamus: Idque publice teſtatum eſſe volumus. Interim, poſt mortem D. Lutheri, prodierunt quidam Theologi (Auguſtanam Confeſſionem profitentes) qui non quidem aperte & manifeſte ad Sacramentarios, in negotio Cœnæ Dominicæ tranſierunt: ſed tamen eadem fundamenta falſa, de perſona Chriſti, quibus Sacramentarii veram & ſubſtantialem corporis & ſanguinis Chriſti præſentiam è Cœna Domini tollere conati ſunt, in medium

medium attulerunt: asserentes, humanæ naturæ in persona Christi, ea non esse tribuenda, quæ sint supra vel etiam contra humanas illius naturales & essentiales proprietates. Atque super hoc negotio, D. Lutheri piam doctrinam, & una omnes illos, qui eam, utpote verbo Dei conformem, amplexi sunt, omnium propemodum veterum horribilium hæreseon insimularunt atque accusarunt.

Ut autem hæc controversia pie, juxta verbi Dei & fidei nostræ analogiam declaretur, & per gratiam Dei componatur, unanimi consensu doctrinam, fidem & confessionem nostram de hoc articulo recitabimus.

Credimus, docemus, & confitemur: etsi Filius Dei per se integra & distincta divinitatis æternæ persona est: adeoque verus, substantialis, perfectus Deus, cum Patre & Spiritu Sancto, ab æterno fuit: quod tamen (in plenitudine temporis) humanam naturam in unitatem suæ personæ assumserit, non ita, quasi duæ jam in Christo personæ, aut duo Christi facti sint: sed quod Christus JEsus jam in una persona simul verus sit æternus Deus, ab æterno ex Patre genitus: & verus homo, e laudatissima virgine Maria natus, ut scriptum est: Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula.

Rom. 9, 5.

Credimus, docemus, & confitemur: jam in una illa indivisa persona Christi, duas esse distinctas naturas: divinam, videlicet, quæ ab æterno est: & humanam, quæ in tempore assumta est in unitatem personæ Filii Dei. Et hæ duæ naturæ in persona Christi nunquam vel separantur, vel confunduntur, vel altera in alteram mutatur: sed utraque in sua natura & substantia seu essentia (in persona Christi) in omnem æternitatem permanet.

Credimus etiam, docemus, & confitemur: quod, ut natura utraq; in sua natura & essentia inconfusa manet, neque

neque unquam aboletur, ita etiam utraque ſuas naturales eſſentiales proprietates retineat, neque in omnem æternitatem eas deponat: & quod unius naturæ proprietates eſſentiales nunquam alterius naturæ proprietates eſſentiales fiant.

Credimus autem, docemus, & confitemur: quod omnipotentem eſſe, æternum, infinitum, ubique ſimul eſſe, naturaliter, hoc eſt, ſecundum proprietatem naturæ, & naturalis illius eſſentiæ, per ſe ubique præſentem eſſe, omnia noſſe, &c. ſint revera eſſentiales naturæ divinæ proprietates, quæ etiam humanæ naturæ eſſentiales proprietates in æternum nunquam fiant.

At vero: eſſe corpoream creaturam, carnem & ſanguinem, finitum & circumſcriptum eſſe, pati, mori, aſcendere, deſcendere, de loco in locum moveri, eſurire, ſitire, algere, æſtu affligi, & ſi quæ ſunt ſimilia: eſſe proprietates humanæ naturæ ſtatuimus, quæ nunquam proprietates divinæ naturæ fiant.

Credimus, docemus, & confitemur etiam, quod jam poſt factam incarnationem non quælibet natura in Chriſto per ſe ita ſubſiſtat, ut utraque ſit perſona ſeparata, aut quod utraq; perſonam ſingularem conſtituat: ſed ita naturas unitas eſſe ſentimus, ut unicam tantum perſonam conſtituant: in qua ſimul perſonaliter ambæ, divina & humana natura aſſumta, unitæ ſint & ſubſiſtant: ita quidem, ut jam, poſt incarnationem, ad integram Chriſti perſonam non modo divina, ſed etiam aſſumta humana natura pertineat: & quod perſona Filii DEI INCARNATI, ut ſine divinitate ſua, ita etiam ſine humanitate ſua non ſit integra perſona. In Chriſto igitur non ſunt duæ diſtinctæ, ſed unica tantum perſona, non obſtante, quod duæ diſtinctæ naturæ, utraque in ſua eſſentia, & proprietatibus naturalibus, inconfuſæ in ipſo reperiantur.

Credi-

Credimus quoque, docemus, ac confitemur, assumtam humanam naturam in Christo non tantum essentiales & naturales suas proprietates habere & retinere: sed præterea etiam per unionem personalem, qua cum divinitate mirando modo copulata est, & postea per glorificationem, exaltatam esse ad dexteram Majestatis, virtutis, & potentiæ, super omne, quod nominatur non tantum in hoc, sed etiam in futuro seculo. *Eph. 1, 21.*

Quod vero ad hanc Majestatem attinet, ad quam Christus secundum humanitatem suam exaltatus est: non eam tum demum accepit, cum à mortuis resurrexit, & ad cœlos ascendit: sed tum, cum in utero matris conciperetur, & homo fieret: quando videlicet, divina & humana natura personaliter sunt unitæ. De hac autem hypostatica unione non ita sentiendum est, (ut quidam siniſtre eam accipiunt:) quasi duæ illæ naturæ, divina & humana, eo modo unitæ sint, quo duo asseres conglutinantur: ut REALITER, seu reipsa & vere, nullam prorsus communicationem inter se habeant. Hic enim Nestorii & Samosateni error est & hæresis: qui hæretici (ut Suidas, & Theodorus Presbyter Rethenensis testantur) senserunt atque docuerunt: δύο φύσεις διηρημένως ἐχόντας, καὶ ἀκοινωνήτους πρὸς ἑαυτὰς παντάπασιν: h. e. duas naturas separatim seu seorsim se habentes & omni modo ad invicem seu inter se communicabiles esse. Hoc falso dogmate naturæ separantur, & duo Christi finguntur: quorum unus sit Christus: alter vero Deus Logos, qui in Christo habitet.

Sic enim Theodorus Presbyter scribit: Paulus quidam iisdem, quibus Manes, temporibus, Samosatenus quidem ortu, sed Antiochiæ Syriæ antistes, Dominum impie dixit nudum fuisse hominem, in qua Deus verbum, sicut & in singulis Prophetis, habitaverit: ac proinde duas naturas separatas, & citra omnem prorsus inter se communionem, in Christo esse: quasi alius sit Christus, alius Deus Verbum in ipso habitans.

CON-

Digitized by Google

CONTRA hanc damnatam hæresin Catholica Christi Ecclesia semper, omnibusque temporibus simpliciſſime credidit & sensit, humanam & divinam naturam in persona Christi, eo modo unitas esse, ut veram inter se communicationem habeant. Neque tamen ideo naturæ in unam essentiam, sed ut D. Lutherus loquitur, in unam personam conveniunt & commiscentur. Et propter hanc hypostaticam unionem & communicationem veteres orthodoxi Ecclesiæ Doctores, sæpe admodum, non modo ante, verum etiam post Chalcedonense Concilium, vocabulo (Mixtionis) in pia tamen sententia & vero discrimine, usi sunt. Ejus rei confirmandæ gratia multa Patrum testimonia in medium adferri possent: quæ passim in hominum nostrorum scriptis reperire licet. Et quidem erudita antiquitas unionem hypostaticam, & naturarum communicationem, similitudine animæ & corporis: item ferri candentis, aliquo modo declaravit. Anima enim & corpus (quemadmodum etiam ignis & ferrum) non tantum per phrasin aut modum loquendi, aut verbaliter, sed vere & realiter communicationem inter se habent: neque tamen hoc modo confusio aut naturarum exæquatio introducitur: qualis fieri solet, cum ex melle & aqua mulsum conficitur: talis enim potus non amplius aut aqua est mera, aut mel merum, sed mixtus quidam ex utroque potus. Longe certe aliter se res in illa divinæ & humanæ naturæ unione (in persona CHRISTI) habet: longe enim sublimior est, & plane ineffabilis communicatio & unio divinæ & humanæ naturæ, in persona CHRISTI: propter quam unionem & communicationem, DEUS homo est, & homo DEUS. Nec tamen hac unione & communicatione naturarum, vel ipsæ naturæ, vel harum proprietates confunduntur: sed utraque natura essentiam & proprietates suas retinet.

Propter

Propter hanc hypoſtaticam unionem (quæ ſine vera illa communicatione naturarum nec cogitari nec ſubſiſtere poteſt) non nude & ſola humana natura, cujus proprium eſt, pati & mori, pro totius mundi peccatis eſt paſſa: ſed ipſe Filius Dei vere (ſecundum tamen naturam humanam aſſumtam) paſſus, &, ut Symbolum noſtrum Apoſtolicum teſtatur, vere mortuus eſt: etſi divina natura neque pati neque mori poteſt. Hanc rem D. Lutherus in Majore ſua de Cœna Domini confeſſione, copioſe & ſolide declaravit: ubi blaſphemam Cinglii Allœoſin, qui docuit, unam naturam pro altera ſumi & intelligi, tanquam diaboli larvam rejecit, & ad inferni barathrum damnavit.

Et ſane veteres Eccleſiæ Doctores duo hæc vocabula κοινωνίαν & ἕνωσιν, communicationem & unionem, in explicatione hujus myſterii conjunxerunt: & alterum per alterum declararunt, Irenæus lib. 4. cap. 37. Athanaſius in Epiſtola ad Epictetum. Hilarius de Trinitate lib. 9. Baſilius & Nyſſenus in Theodoreto. Damaſcenus lib. 9. cap. 19.

Propter hanc hypoſtaticam unionem & communionem, divinæ & humanæ naturæ in Chriſto, credimus, docemus & confitemur, juxta fidei noſtræ Chriſtianæ analogiam, omnia ea, quæ de Chriſti Majeſtate ſecundum humanam ejus naturam, qua ad dextram omnipotentiæ & virtutis Dei ſedet, & iis, quæ ex ea conſequuntur, dici ſolent, locum non habitura, neque ſtare poſſe: niſi hypoſtatica illa unio & communicatio naturalis in perſona Chriſti REALITER & vere exiſterent.

Hujus hypoſtaticæ unionis ratione & naturarum communione Maria, laudatiſſima illa virgo, non hominem duntaxat, ſed talem hominem, qui vere filius Dei
Luc. 1, 32. altiſſimi eſt, genuit: ut Archangelus Gabriel teſtatur. Is filius Dei etiam in utero matris diviuam ſuam majeſtatem

ſtatem demonſtravit, quod de virgine, inviolata ipſius virginitate, natus eſt. Unde & vere θεοτόκος, Dei genitrix eſt, & tamen virgo manſit.

Illius hypoſtaticæ unionis & communicationis virtute, omnia miracula ſua edidit, & divinam ſuam majeſtatem pro liberrima voluntate, quando & quomodo ipſi viſum fuit, (non tantum poſt reſurrectionem ſuam, & aſcenſum in cœlos, verum etiam in ſtatu exinanitionis) manifeſtavit. Verbi gratia: in nupriis, quæ in Cana Galilææ celebratæ fuerunt: item, cum duodecim annos natus, inter viros eruditos eruditiſſime diſputaret: Præterea in horto, quando unico propemodum verbulo hoſtes ſuos in terram proſterneret: quin imo in ipſa morte. Non enim ut alius quispiam vulgaris homo mortuus eſt: ſed in morte, & quidem per ſuam mortem, ipſam mortem, diabolum, infernum, & æternam damnationem devicit. Hæc certe admiranda opera, humana natura ſola, nequaquam præſtare potuiſſet, niſi cum divina natura perſonaliter unita fuiſſet, & realem cum ea communicationem habuiſſet.

Joh. 2, 11.
Luc. 2, 46.
Joh. 18, 6.

Ex hac unione & naturarum communione humana natura habet illam exaltationem, poſt reſurrectionem a mortuis, ſuper omnes creaturas in cœlo & in terra: quæ revera nihil aliud eſt, quam quod Chriſtus formam ſervi prorſus depoſuit; Humanam vero naturam non depoſuit, ſed in omnem æternitatem retinet, & ad plenam poſſeſſionem & divinæ majeſtatis uſurpationem ſecundum aſſumtam humanam naturam evectus eſt. Eam vero Majeſtatem ſtatim in ſua conceptione, etiam in utero matris habuit: ſed ut Apoſtolus loquitur, ſeipſum exinanivit, eamque, ut D. Lutherus docet, in ſtatu ſuæ humiliationis ſecreto habuit, neque eam ſemper, ſed quoties ipſi viſum fuit, uſurpavit.

Phil. 2, 7.

Jam vero, poſtquam non communi ratione, ut alius

Eph. 4, 10. *Psal. 8, 2.* *Zach. 9.* quispiam sanctus in cœlos ascendit, sed ut Apostolus testatur, super omnes cœlos ascendit, & revera omnia implet, & ubique non tantum ut DEUS, verum etiam ut homo, præsens dominatur & regnat, à mari ad mare, & usque ad terminos terræ, quemadmodum olim Prophetæ de ipso sunt vaticinati: & Apostoli testantur, quod Christus ipsis ubique cooperatus sit, & sermonem ipsorum sequentibus signis confirmaverit. *Marc. 16, 20.* Hæc autem non terreno modo, sed, ut D. Lutherus loqui solet, pro modo & ratione dextræ Dei facta sunt: quæ non est certus aliquis & circumscriptus in cœlo locus: (ut Sacramentarii sine testimonio sacræ scripturæ fingunt:) sed nihil aliud est, nisi omnipotens Dei virtus, quæ cœlum & terram implet: in cujus possessionem Christus, juxta humanitatem suam, sine confusione tamen & exæquatione naturarum, & in essentia, & in essentialibus proprietatibus, realiter seu revera venit. Ex hac communicata sibi divina virtute homo CHRISTUS, juxta verba testamenti sui, corpore & sanguine suo in sacra Cœna, ad quam nos verbo suo ablegat, præsens esse potest, & revera est. Quod alioqui nulli alii homini possibile est: quia nemo hominum cum divina natura hoc modo unitus, & in divinam illam Omnipotentem Majestatem & virtutem (ratione hypostaticæ duarum in Christo naturarum unionis) collocatus est: sicut *Gal. 2, 9.* unus & solus ille Jesus, virginis Mariæ filius. In ipso enim divina & humana natura hypostatice sunt unitæ: ita ut in Christo tota divinitatis plenitudo corporaliter inhabitet, & in illa personali unione tam arcta & ineffabilis est naturarum communio: in *1. Petr. 1, 12.* quam etiam (ut Apostolus Petrus ait) desiderant Angeli cum admiratione & gaudio prospicere. De qua re paulo post suo loco ordine & copiosius dicetur.

Et ex hoc fundamento, cujus jam facta est mentio, & quod

& quod unio personalis docet, quomodo, videlicet, divina & humana natura in persona Christi sint unitæ, ut non modo nomina communia, sed REALITER etiam & reipsa inter se, sine omni confusione & exæquatione essentiarum, communicent; promanat etiam doctrina illa de communicatione idiomatum duarum in Christo naturarum, de qua infra aliquid amplius dicetur.

Cum autem indubitatum & extra controversiam positum sit, quod propria non egrediantur sua subjecta: hoc est, quod quælibet natura suas proprietates essentiales retineat: & illæ non ab una natura separentur, atque in alteram, tanquam aqua de uno vase in aliud, transfundantur: nulla prorsus fieri aut constare posset proprietatum communicatio, nisi illa, de qua diximus, personalis naturarum in Christo esset unio & communicatio. Hoc autem (post articulum sanctæ Trinitatis) summum est Mysterium, quo nullum majus in cœlo & in terra reperitur. Unde Paulus ait: Manifeste magnum est pietatis mysterium, quod DEUS manifestatus est in carne, &c. Cum enim Apostolus Petrus clarissimis verbis testetur, quod nos etiam, in quibus Christus (tantummodo ex gratia) habitat propter tantum mysterium, divinæ naturæ participes fiamus in Christo: quantam existimabimus eam esse communicationem divinæ naturæ, de qua Apostolus loquitur: quod videlicet in Christo tota divinitatis plenitudo inhabitat corporaliter, ita quidem, ut Deus & homo una sint persona. Plurimum autem refert, ut hæc doctrina de communicatione Idiomatum convenienti discrimine & distincte tractetur & explicetur. Propositiones enim & prædicationes, quibus utimur, cum de persona Christi, & de naturis & proprietatibus ejus loquimur, non omnes unius sunt generis aut modi. Et si quando non satis dextre & distincte hoc negotium tractatur, tum doctrina hæc involvitur, & Lector

Qf. 769. 874.

1. Tim. 3, 16.

2. Petr. 1.

Col. 2, 9.

ſimplex facile perturbatur. Quare ea, quam ſubjiciemus, explicatio alta mente reponatur: ea autem, ut res ipſa Lectori planior, & intellectu facilior ſit, tribus præcipuis capitibus comprehendi poteſt.

PRIMO cum in Chriſto duæ ſint diſtinctæ naturæ, quæ eſſentiis & proprietatibus ſuis neqve mutantur, neque confunduntur: utriusque vero naturæ una tantum ſit perſona: ea, quæ unius tantum naturæ propria ſunt, alteri naturæ non ſeorſim, quaſi ſeparatæ, ſed toti perſonæ (quæ ſimul Deus & homo eſt) attribuuntur, ſive Deus, ſive homo nominetur.

Sed in hoc prædicationum genere non ſequitur, quod ea, quæ toti perſonæ tribuuntur, ſimul utriusque naturæ ſint proprietates: ſed diſtincte declarandum eſt, ſecundum quam naturam aliquid perſonæ adſcribatur. Ad hunc modum loquitur Paulus, cum de Chriſto dicit: Chriſtum genitum eſſe ex ſemine Davidis SECUNDUM CARNEM. Et Petrus de Chriſto inquit, quod ſit mortificatus CARNE: & quod paſſus ſit in CARNE.

Rom. 1, 3.
1. Petr. 3, 18.
1. Petr. 4, 1.

Cum autem & occulti & aperri Sacramentarii, ſub hac regula (quando dicitur, quod toti perſonæ tribuatur, quod uni naturæ proprium eſt) pernicioſum ſuum errorem occultent: dum totam quidem perſonam nominant, interim tamen unam, eamque (ut ſic dicamus) nudam tantum naturam intelligunt, alteram autem penitus excludunt: quaſi nuda vel ſola humana natura pro nobis paſſa ſit: placuit D. Lutheri verba hoc loco recenſere, e Majori ipſius de Cœna Domini Confeſſione, in quibus de Cinglii Allœoſi agit: ut Eccleſia Dei quam optime adverſus errorem illum præmuniatur. Verba autem D. Lutheri ſic habent:

Tom. 2. Witteb. fol. 188.
Luc. 24, 26.

Hoc Cinglius vocat Alloeoſin, cum aliquid de divinitate Chriſti dicitur, quod tamen humanitatis proprium eſt: & contra. Verbi gratia, ubi in ſcriptura dicitur: Nonne hæc oportuit pati CHRISTUM, &

ita

ita intrare in gloriam ſuam? ibi nugatur Cinglius, quod vocabulum (Chriſtus) hoc loco pro humana natura ſumatur. Cave tibi, cave, inquam, tibi ab iſta Allœoſi: eſt enim larva quædam Diaboli: quæ tandem talem Chriſtum fingit, ſecundum cujus rationes ego certe nolim eſſe Chriſtianus. Hoc enim illa vult: quod Chriſtus nihil amplius ſit, aut efficiat ſua paſſione & vita, quam alius quispiam ſanctus. Si enim perſuaderi mihi patiar, ut credam, ſolam humanam naturam pro me paſſam eſſe, profecto Chriſtus mihi non magni pretii Salvator erit, ſed ipſe tandem Salvatore eget. In ſumma, verbis explicari non poteſt, quid Diabolus per hanc Allœoſin moliatur. Et paucis interpoſitis: Si forte venefica illa, domina RATIO (cujus neptis eſt ipſa Allœoſis) reclamare voluerit, dicens: Divinitas neque pati neque mori poteſt: Tu reſpondebis: Verum id quidem eſt; nihilominus tamen, quia divinitas & humanitas in Chriſto unam perſonam conſtituunt: ſcriptura, propter hypoſtaticam illam unionem, etiam divinitati omnia illa tribuit, quæ humanitati accidunt: & viciſſim humanitati, quæ divinitatis ſunt. Et ſane revera ita res ſeſe habent. Hoc enim fateri te neceſſe eſt: hæc perſona (monſtrato Chriſto) patitur, moritur, hæc autem perſona eſt verus Deus. Recte igitur dicitur: Filius Dei patitur. Etſi enim una ipſius pars (ut ſic loquar) divinitas videlicet, non patiatur: tamen ea perſona, quæ Deus eſt, patitur in altera ſua parte, nimirum in humanitate: Revera enim filius Dei pro nobis eſt crucifixus, hoc eſt perſona, quæ Deus eſt. Ipſa enim, ipſa (inquam) perſona crucifixa eſt, ſecundum humanitatem. Et rurſus poſt aliqua: Si conſtabit Allœoſis, ut eam Cinglius proponit, in Chriſto duas perſonas eſſe neceſſe erit, divinam, videlicet, & humanam: quandoquidem Cinglius dicta ſcripturæ de paſſione tantum ad humanitatem inflectit, eaque per omnia

a divinitate separat. Ubi enim opera divelluntur & separantur, ibi etiam personam ipsam dividi necesse est: cum omnia opera, omnesque passiones, non naturis, sed personæ tribuantur. Persona enim ipsa est, quæ omnia illa agit & patitur: hoc quidem secundum hanc naturam; illud vero secundum alteram naturam: quæ sane omnia viris eruditis sunt notissima. Quare agnoscimus Dominum nostrum Jesum Christum Deum & hominem in una persona: non confundendo naturas, nec dividendo personam.

In eandem sententiam loquitur D. Lutherus etiam in eo libello, quem de conciliis & Ecclesia scripsit: Sciendum id nobis Christianis est, nisi Deus in altera lance sit, & pondere vincat, nos lance nostra deorsum (ad interitum) ferri. Hoc si accipi volo: nisi hæc vera sint: Deus mortuus est pro nobis: &, si solus homo pro nobis mortuus est, tum profecto prorsus actum fuerit de nobis. At vero: si DEI MORS, &, quod DEUS ipse mortuus est, in altera lance ponitur, tum ille deorsum fertur: nos vero instar vacuæ & levioris lancis sursum tendimus. Sed & ille deinde rursus vel sursum tendere, vel e lance exilire potest. Non autem poterat in lancem descendere & considere, nisi nostri similis, hoc est, homo fieret: ut vere & recte de ipsius passione dici posset: Deus mortuus est, Dei passio, Dei sanguis, Dei mors. Non enim in sua natura Deus mori potest. Postquam autem Deus & homo unitus est in una persona: recte & vere dicitur: Deus mortuus est, quando, videlicet, ille homo moritur, qui cum Deo unum quiddam, seu una persona est. Hactenus Lutherus. Ex his liquet, non carere errore, si quis dixerit, scripseritve, quod commemoratæ propositiones (Deus passus est: Deus mortuus est) sint tantummodo prædicationes verbales, hoc est, nuda verba, sine re. Simplicissima enim Christiana fides nostra docet, quod

g. Tom. Wittenb. fol. 530.

quod filius Dei, qui homo factus est, pro nobis passus ac mortuus sit, nosque sanguine suo redemerit.

DEINDE, quod ad rationes officii Christi attinet, persona non agit & operatur, in, seu cum una, vel per unam naturam tantum, sed potius in, cum, & secundum atque per utramque naturam: seu, ut Concilium Chalcedonense loquitur, una natura agit seu operatur cum communicatione alterius, quod cujusque proprium est. Itaque Christus est noster mediator, redemtor, rex, summus Pontifex, caput & pastor, &c. non secundum unam tantum naturam, sive divinam, sive humanam; sed secundum utramque naturam: de qua realias etiam copiosius dicitur.

TERTIO vero longe adhuc aliud est, quando de eo quæritur, disseritur, vel tractatur, an duæ illæ naturæ in hypostatica unione in Christo nihil amplius, nisi suas naturales essentiales proprietates habeant: quod enim easdem habeant ac retineant, supra docuimus.

Quantum ergo ad divinam in Christo naturam attinet, cum in ipso nulla sit (ut Jacobus testatur) transmutatio: divinæ Christi naturæ per incarnationem nihil (quoad essentiam & proprietates ejus) vel accessit, vel decessit, & per eam in se, vel per se neque diminuta neque aucta est. *Ioh. 1, 17.*

Jam quod ad humanam naturam in persona Christi attinet, non defuerunt quidam, qui contenderent, eam in personali etiam cum divinitate unione nihil amplius habere, quam duntaxat suas naturales essentiales proprietates: quarum ratione fratribus suis per omnia similis est. Unde affirmarunt, humanæ in Christo naturæ nihil eorum tribui vel debere vel posse, quod sit supra vel contra naturales ipsius proprietates, etiamsi scripturæ testimonia humanæ CHRISTI naturæ talia tribuant. Hanc vero ipsorum opinionem falsam esse, verbo DEI adeo perspicue demonstrari potest, ut

ut etiam ipsorum consortes eum ipsum errorem reprehendere & rejicere tandem cœperint. Sacræ enim literæ, & Orthodoxi Patres, scripturæ verbis edocti, præclare testantur, quod humana natura in Christo, eam ob causam, & inde adeo, quod cum divina natura personaliter unita est, (deposito servili statu & humiliatione, jam glorificata & ad dexteram Majestatis & virtutis divinæ exaltata) præter & supra naturales, essentiales, atque in ipsa permanentes humanas proprietates, etiam singulares, excellentissimas, maximas, supernaturales, imperveſtigabiles, ineffabiles, atque cœlestes prærogativas, Majestatis, gloriæ, virtutis ac potentiæ super omne, quod nominatur, non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro, acceperit: ut ita humana in Christo natura (suo modo & ratione) in exequendo officio Christi simul adhibeatur, cooperetur, & suam efficaciam, id est, virtutem & operationem habeat, non tantum ex suis naturalibus proprietatibus, aut secundum essentiales proprietates, aut quousque earum virtus & efficacia progreditur: sed præcipue secundum Majestatem, gloriam, virtutem atque potentiam, quam per unionem hypostaticam, glorificationem, & exaltationem accepit. Et hoc ipsum hodie ne adversarii quidem nostri prorsus negare audent: nisi quod disputant & contendunt, illa tantum esse dona creata, & FINITAS dotes seu qualitates: quibus humanam in Christo naturam donatam & ornatam esse sentiunt; quales sunt etiam in sanctis hominibus. Et argutis cogitationibus ac frivolis argumentationibus atque fictis probationibus metiri, & ad calculum revocare conantur, quorum donorum humana natura in Christo, sine abolitione sua, capax, aut non capax esse queat.

Eph. 1, 21.

Rectissima autem & omnium tutissima via in hujus controversiæ dijudicatione est hæc, videlicet, neminem

neminem melius & certius nosse, quid Christus secundum assumtam humanam naturam (ratione unionis hypostaticæ, & glorificationis seu exaltationis) acceperit; & quarum prærogativarum (præter & supra naturales suas proprietates) sine ejusdem abolitione, capax sit: quam ipsum Dominum nostrum Jesum Christum: Is vero hoc ipsum (quantum quidem nostra, & quidem salutis causa, in hac vita interest) in verbo suo revelavit. De quibus igitur in sacra scriptura, quod ad hanc rem attinet, certa & perspicua testimonia habemus, simpliciter illis fidem adhibeamus: & nequaquam contra disputemus, quasi humana natura in Christo illorum capax esse nequeat.

Vera quidem sunt, quæ de creatis donis humanæ naturæ in Christo datis & communicatis dicuntur: quod humanitas Christi ea per se, & in seipsa habeat. Sed hæc non satis explicant vel assequuntur Majestatem illam, quam scriptura & orthodoxi Patres secundum scripturam, humanæ in CHRISTO naturæ adscribunt.

Vivificare enim, omne judicium, omnemque potestatem in cœlo & in terra, adeoque omnia in manibus suis habere, omnia sub pedibus ipsius subjecta esse, à peccatis mundare, &c. non sunt dona creata, sed divinæ, infinitæ proprietates: quæ tamen) juxta testimonia scripturæ) Christo homini datæ & communicatæ sunt, Joan. 5. & 6. Matth. 28. Daniel. 7. Johan. 3. & 13. Matth. 11. Ephes. 1. Hebr. 2. 1. Corinth. 15. Johan. 1.

Quod autem hæc communicatio non tantum, quasi per phrasin aut modum loquendi dicta, de persona Christi secundum ipsius divinitatem, sed potius secundum assumtam humanam naturam sit intelligenda, id tribus firmissimis, atque adeo invictis argumentis, quæ jam recitabimus, demonstrari potest.

I. Primo, extat regula communissima, maximo totius Ecclesiæ orthodoxæ consensu approbata : videlicet, quæ scriptura Christum in tempore accepisse affirmat, ea non secundum divinitatem accepisse : (secundum quam omnia ab æterno possidet) sed quod persona Christi ratione & respectu humanæ naturæ ea in tempore acceperit.

II. Deinde, scriptura luculenter testatur Joh. 5. & 6. quod virtus vivificandi & potestas exercendi judicii, Christo datæ sint: propterea quia filius hominis est: *Ioh. 5, 27.* quatenus videlicet carnem & sanguinem habet.

III. Postremo, scriptura in hoc negotio non tantum in genere filii hominis mentionem facit, sed quasi digitū in assumtam humanam naturam intendit, cum inquit: *1. Ioh. 1, 8.* SANGUIS Jesu Christi, filii Dei, emundat nos ab omni peccato. Id autem non tantum de merito sanguinis Christi in cruce semel perfecto accipiendum est: sed Johannes eo loco de ea re agit: quod in negotio Justificationis, non tantum divina natura in Christo, verum etiam ipsius sanguis per modum efficaciæ nos ab omni peccato emundet. Ita caro Christi est vivificus cibus. *Ioh. 6, 54.* Et ex hoc Evangelistæ & Apostoli dicto concilium Ephesinum pronunciavit, carnem Christi habere vim vivificandi. Et de hoc articulo multa in nostrorum hominum scriptis clarissima veteris & orthodoxæ Ecclesiæ testimonia collecta passim extant.

Quod igitur Christus virtutem vivificandi secundum humanitatem suam acceperit, & quod illa vis assumtæ humanæ naturæ in Christo data atque communicata sit, id ex analogia verbi Dei crédere tenemur. Sed ut paulo ante monuimus, cum duæ naturæ in Christo, eo modo sint unitæ, ut nulla sit facta confusio, aut naturæ unius in alteram transmutatio, & utraque suas naturales & essentiales proprietates retineat: ita ut unius naturæ proprietates nunquam alterius naturæ pro-

ræ proprietates fiant: hæc doctrina dextre admodum declaranda, & adversus hæresium corruptelas bene munienda est.

In hoc autem negotio nihil novi de ingenio nostro fingimus: sed amplectimur & repetimus declarationem, quam vetus & orthodoxa Ecclesia e sacræ scripturæ fundamentis desumtam, ad nos incorruptam transmisit: videlicet, quod divina illa virtus, vita, potestas, Majestas, & gloria assumtæ HUMANÆ naturæ in Christo data sit. Id vero non eo modo, sicut Pater Filio, secundum divinam naturam, essentiam suam & omnes divinas proprietates ab æterno communicavit: unde & unius cum Patre essentiæ, & ipsi æqualis est. Christus enim tantum secundum divinam naturam Patri æqualis est: secundum humanam vero naturam sub Deo est. Ex his manifestum est, nullam nos confusionem, exæquationem, aut abolitionem naturarum in Christo statuere. Etenim virtus vivificandi non eo modo est in carne Christi, quo est in divina ejus natura: videlicet, ut essentialis proprietas.

Communicatio autem illa non facta est per essentialem aut naturalem effusionem proprietatum divinæ naturæ in humanam naturam: quasi humanitas Christi eas per se & a divina essentia separatas haberet: aut, quasi per illam communicationem humana natura in Christo naturales ac essentiales suas proprietates prorsus deposuerit, & vel in divinam naturam conversa, aut divinæ naturæ communicatis illis suis proprietatibus in seipsa & per se, exæquata sit: aut quod utriusque naturæ eædem, aut certe æquales naturales & essentiales proprietates & operationes sint. Hi enim & similes errores in vetustissimis & approbatis conciliis fundamentis sacræ scripturæ merito sunt rejecti & damnati. Nullo enim modo vel facienda vel admittenda est, aut conversio, aut confusio, aut exæquatio, sive naturarum in Christo, sive essentialium proprietatum.

Et

Et quidem his vocabulis (realis communicatio, realiter communicari) nunquam ullam phyſicam communicationem, vel eſſentialem transfuſionem (qua naturæ in ſuis eſſentiis, aut eſſentialibus proprietatibus confunderentur) docere voluimus: ut quidem vocabula, & phraſes illas aſtute & malitioſe falſa interpretatione contra conſcientiam ſuam, pervertere non dubitarunt: tantum, ut piam doctrinam ſuſpicionibus iniquiſſimis gravarent. Sed vocabula & phraſes illas verbali communicationi oppoſuimus: cum quidam fingerent, communicationem Idiomatum nihil aliud, niſi phraſin & modum quendam loquendi, hoc eſt, mera tantum verba, nomina, & titulos inanes eſſe, & hanc verbalem communicationem adeo urſerunt, ut de nulla alia communicatione audire quicquam vellent. Quapropter ad recte declarandam Majeſtatem Chriſti, vocabula (de reali communicatione) uſurpavimus, ut ſignificaremus, communicationem illam vere & reipſa (ſine omni tamen naturarum & proprietatum eſſentialium confuſione) factam eſſe.

Sentimus itaque & docemus cum veteri orthodoxa Eccleſia, quemadmodum illa hanc doctrinam ex ſcriptura ſacra declaravit: quod humana in Chriſto natura Majeſtatem illam aeceperit, ſecundum rationem hypoſtaticæ unionis, videlicet, quod cum tota divinitatis plenitudo in Chriſto habitet, non quemadmodum in ſanctis hominibus & angelis; ſed corporaliter, ut IN PROPRIO SUO CORPORE, etiam omni ſua Majeſtate, virtute, gloria, operatione, in aſſumta humana natura, liberrime (quando & quomodo Chriſto viſum fuerit) luceat, & in ea, cum ea, & per eam, divinam ſuam virtutem, Majeſtatem & efficaciam exerceat, operetur, & perficiat. Idq; ea, quodammodo, ratione, qua anima in corpore, & ignis in ferro candente agit. Hac enim ſimilitudine (ut ſupra monuimus) tota

Col. 2, 9.

erudita

erudita & pia antiquitas doctrinam hanc declaravit. Hæc autem humanæ naturæ Majestas in statu humiliationis majore ex parte occultata & quasi dissimulata fuit. At nunc, post depositam servi formam (seu exinanitionem) Majestas Christi plene, & efficacissime atq; manifeste coram omnibus sanctis in cœlo & in terris sese exerit. Et nos in altera illa beatissima vita hanc ipsius gloriam a facie ad faciem videbimus: ut Johannes testatur cap. 17. *Joh. 17, 24.*

Hac ratione est permanetque in Christo unica tantum divina omnipotentia, virtus, Majestas & gloria: quæ est solius divinæ naturæ propria. Ea vero lucet, & vim suam plene, liberrime tamen, exerit, in & cum assumta humanitate, & per illam assumtam, exaltatam in Christo humanitatem. Quemadmodum etiam in ferro candente non duplex est vis lucendi & urendi, (quasi ignis peculiarem, & ferrum etiam peculiarem & separatam vim lucendi & urendi haberet) quin potius illa vis lucendi & utendi est proprietas ignis. Sed tamen, quia ignis cum ferro unitus est, ideo vim & virtutem lucendi & urendi, in & cum ferro, & per ferrum illud candens, exerit: ita quidem, ut ferrum ignitum ex hac unione vim habeat, & lucendi, & urendi: & tamen hoc fit sine transmutatione essentiæ aut naturalium proprietatum tam ferri, quam ignis.

Quare testimonia illa sacræ scripturæ, quæ de ea Majestate loquuntur, ad quam humana in Christo natura exaltata est, non in eam sententiam accipimus, quod divina illa Majestas (quæ divinæ naturæ filii Dei propria est) in persona filii hominis tantum secundum divinam naturam, Christo sit adscribenda: aut, quod Majestas illa tantum ea ratione sit in humana Christi natura, ut humana Christi natura nudum tantum titulum & nomen solum divinæ illius Majestatis, per phrasin & modum loquendi, revera autem nullam prorsus cum ea communicationem habeat. Cum enim Deus

Deus ſit ſpiritualis indiviſa eſſentia: quæ ubique & in omnibus creaturis eſt, & ubi eſt, ibi (præſertim in credentibus & ſanctis habitans) ſuam ſecum Majeſtatem habet: tum (ſecundum ſuperiorem falſam hypotheſin) dici poſſet, in omnibus creaturis, in quibus Deus eſt, præcipue vero in electis & ſanctis, qui ſunt templa Dei, totam plenitudinem divinitatis corporaliter inhabitare, in eis omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ abſconditos, illis omnem poteſtatem in cœlo & in terra datam eſſe: cum fateri oporteat, credentibus Spiritum ſanctum datum eſſe, qui & ipſe omnem poteſtatem in cœlo & in terra habet. Ea vero ratione inter Chriſtum, juxta humanam ipſius naturam, & inter alios ſanctos homines nullum diſcrimen relinqueretur: & Chriſtus Majeſtate illa ſua, quam præ omnibus aliis creaturis, ut homo, ſeu ſecundum humanitatem ſuam accepit, exueretur. Nulla autem creatura (ſive homo, ſive Angelus) dicere poteſt aut debet: Mihi data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra: cum tamen Deus univerſa divinitatis ſuæ plenitudine (quam ubique ſecum habet) in electis quidem ſit, veruntamen non corporaliter in illis habitet, nec perſonaliter cum illis unitus ſit, ſicut in Chriſto corporaliter inhabitat. Nam ratione illius hypoſtaticæ unionis Chriſtus dicit, etiam ſecundum humanam ſuam naturam: Mihi data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra. Et alibi: Sciebat Jeſus, quod omnia dediſſet ei Pater in manus. Item: in ipſo inhabitat tota divinitatis plenitudo corporaliter. Et: Gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper omnia opera manuum tuarum: omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus. Dum autem omnia ſubjecit ei, nihil (excepto eo, qui omnia ei ſubjecit) reliquit, quod non ipſi ſubjecerit.

Actor. 17.

Matth. 28, 18.
Johann. 13, 3.
Coloſſ. 2, 9.
Pſal. 8, 6. 7.
Hebr. 2, 8.
1. Cor. 15, 27.

Credimus autem, docemus, & confitemur, non fieri talem Majeſtatis Dei & omnium proprietatum ejus effu-

effusionem in humanam naturam Christi: qua divinæ naturæ aliquid decedat: aut, ut de suo alii ita largiatur aliquid, quod hac ratione sibi ipsa non in se retineat: aut, quod humana natura, in substantia atque essentia sua parem Majestatem acceperit: quæ à natura & essentia divinæ naturæ sit separata & divisa: quasi cum vinum, aqua, aut oleum, de uno vase in aliud transfunditur. Neque enim vel humana in Christo natura, vel ulla alia creatura in cœlo aut in terra, eo modo omnipotentiæ divinæ capax est: ut per se, omnipotens essentia & natura fiat, aut omnipotentes proprietates in se, & per se habeat. Hac enim ratione humana natura in Christo abnegaretur, & in divinitatem prorsus transmutaretur. Quod sane & Christianæ nostræ fidei, & omnium Prophetarum & Apostolorum doctrinæ repugnat.

Credimus autem, docemus, & confitemur, quod Deus Pater Spiritum suum dilecto filio suo CHRISTO, ratione assumtæ humanitatis, eo modo dederit: (unde & Messiæ, hoc est, uncti nomen accepit) ut ille non ad mensuram (quemadmodum alii sancti) illius Spiritus dona acceperit. In Christo enim Domino nostro (cum secundum divinitatem unius sit cum Spiritu Sancto essentiæ) requieverit (ratione humanæ naturæ) Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis. Id vero non eo certe modo fit, quod ille, quatenus homo, aliqua tantum norit & præstare possit: quemadmodum alii sancti virtute Spiritus sancti (qui tantum dona creata in ipsis efficit) quædam norunt & præstare possunt. Cum enim Christus, divinitatis ratione, secunda sit persona in sacrosancta Trinitate, & ab ipso non minus, quam à Patre, Spiritus sanctus procedat (nam & Patris & Filii proprius Spiritus est, manetque in omnem æternitatem: nec à Filio unquam separatur) certe

Esa. 11, 2.

certe Christo, secundum carnem, quæ cum filio DEI personaliter unita est, tota plenitudo spiritus (ut Patres loquuntur) per hypostaticam illam unionem communicata est. Ea vero liberrime in & cum humana Christi natura, & per eam, omnem vim suam exerit: non eo modo, ut Christus secundum humanam suam naturam aliqua tantum norit, aliqua vero ignoret: & quædam præstare possit, quædam vero præstare nequeat: sed jam etiam secundum assumtam humanam naturam omnia novit, & potest. Pater enim super hunc filium absque mensura Spiritum sapientiæ & fortitudinis ita effudit, ut quatenus homo est, per hypostaticam illam unionem, omnem scientiam & omnem potestatem reipsa & vere acceperit. Ea ratione omnes thesauri scientiæ in Christo sunt absconditi: hoc modo omnis ipsi potestas, in cœlo & in terra, data est: & ipse ad dextram Majestatis & virtutis Dei collocatus est. Manifestum est autem ex historiis, quod temporibus Imperatoris Valentis inter Arianos peculiaris quædam secta reperta fuerit eorum, qui Agnoetæ appellabantur: propterea quod fingerent, filium quidem, (utpote, verbum Patris) omnia scire: At assumtam ipsius humanam nuturam multarum rerum ignaram esse. Hanc hæresin etiam Gregorius Magnus refutavit.

Propter unionem autem hypostaticam, & ex ea consequentem comunicationem, (quam divina & humana natura in persona Christi, revera & reipsa inter se habent) Christo secundum carnem id tribuitur, quod ipsius caro (in natura & essentia sua per se considerata) non esse, & extra unionem illam, id non habere potest. Verbi gratia: Carni Christi recte adscribitur, quod sit vere vivificus cibus: & quod sanguis ejus vere sit vivificus potus. Sic enim ducenti Patres Ephesini Concilii pronunciarunt: Carnem Christi esse vivificam seu vivificatricem: unde solus hic homo Jesus Christus (nullus

(nullus autem alius homo vel in cœlo vel in terris) recte & vere dicere potest: ubi sunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Item, Ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi. *Matth. 18, 20.* *Matth. 28, 20.*

Et hæc scripturæ testimonia non ita accipimus, quod tantum de præsentia divinitatis Christi in ipsius Ecclesia loquantur: quasi ea præsentia ad Christum, qua homo ipse est, prorsus non pertineat. Ea enim ratione Petrus, Paulus, & omnes sancti in cœlo nobiscum in terris præsentes essent: cum divinitas, quæ ubique est, in ipsis habitet: id quod tamen de solo Christo, & de nullo alio homine, sacra scriptura testatur. Credimus vero, superioribus scripturæ testimoniis Majestatem hominis Christi declarari, quam Christus secundum suam humanitatem, ad dexteram Majestatis & virtutis Dei accepit; ut videlicet etiam secundum illam suam assumptam naturam, & cum ea, præsens esse possit, & quidem præsens sit, ubicunque velit: præsertim vero sentimus, eum Ecclesiæ suæ in terris, ut mediatorem, Caput, Regem & summum Sacerdotem, præsentem esse. Non autem dimidiatus tantum Christus, aut una duntaxat ipsius pars Ecclesiæ præsto est: sed tota Christi persona. Ad eam autem pertinent ambæ naturæ, divina & humana: quare eum præsentem habemus non tantum secundum divinam, verum etiam secundum assumptam humanam ipsius naturam: juxta quam ipse frater noster est, & nos caro sumus de carne ejus & os de ossibus ejus. Et sane in hujus rei confirmationem sacram suam Cœnam instituit: ut testaretur, se etiam secundum eam naturam, qua carnem & sanguinem habet, nobiscum esse, in nobis habitare, operari, & efficacem esse velle. *Ephes. 5.*

Huic firmissimo fundamento D. Lutherus, sanctæ memoriæ, innixus, doctrinam de Majestate Christi

juxta humanitatem, fideliter & perspicue Ecclesiæ proposuit.

Tom. Wittenberg. 2. Germ. fol. 191.

Is in Majori sua de Cœna Domini Confessione de persona Christi ad hunc modum scripsit: Cum Christus talis homo sit, qui præter naturæ ordinem cum Deo una est persona: & extra hunc hominem nullus Deus reperiatur, necessario conficitur, quod etiam juxta tertium supernaturalem illum modum sit, & esse possit, UBIQUE, UBI DEUS EST: ita ut omnia plena sint Christi, ETIAM JUXTA HUMANITATEM, non quidem secundum primam illam corporalem & comprehensibilem rationem, sed juxta supernaturalem illum modum.

In hoc enim negotio fateri te oportet & dicere: Christus, secundum divinitatem, ubi ubi est, ibi est naturalis divina persona: & revera ibi naturaliter & personaliter est: quod perspicue ipsius incarnatio, in utero materno, testatur. Si enim filius Dei erat, certe eum personaliter esse in utero matris, & ibidem incarnari oportebat. Quod si naturaliter & personaliter est, ubi ubi est, profecto ibidem etiam necessario homo erit. Non enim in Christo sunt duæ separatæ personæ, sed unica tantum est persona. Ubicunque ea est, ibi est unica tantum & indivisa persona. Et ubicunque recte dixeris: hic est Deus; ibi fateri oportet, & dicere: ergo etiam Christus HOMO adest. Et si locum aliquem monstrares, in quo solus DEUS, non autem homo esset, jam statim persona divideretur. Possem enim tum recte dicere: hic est Deus ille, qui non est homo, & qui adhuc nunquam homo factus est.

Absit autem, ut ego talem Deum agnoscam aut colam. Ex his enim consequeretur, quod locus & spatium possent duas naturas separare, & personam Christi dividere: quam tamen neque mors neque omnes Diaboli dividere aut separare potuere. Et quanti tandem,

dem, obsecro, pretii esset talis Christus, qui unico tantum loco simul divina & humana persona esset: in omnibus vero locis, duntaxat & quidem separatus Deus, aut divina persona esset, sine assumta sua humanitate. Nequaquam vero id tibi, quisquis es, concessero: quin potius quocunque locorum Deum collocaveris: eo etiam humanitatem Christi una collocare te oportebit: non enim duæ in Christo naturæ separari aut dividi possunt; Una in Christo facta est persona: & filius Dei assumtam humanitatem à se non segregat.

In libello, de ultimis verbis Davidis D. Lutherus paulo ante mortem suam in hanc sententiam scripsit: Secundum alteram temporalem humanam nativitatem etiam data est illi æterna Dei potestas: sed in tempore, & non ab æterno. Humanitas enim Christi non fuit ab æterno, ut divinitas: sed Jesus Mariæ filius, juxta supputationem veram, hoc anno natus est annos mille, quingentos, quadraginta tres. Interim tamen ab eo momento, in quo divinitas cum humanitate unita est in unam personam, homo ille, qui est filius Mariæ, revera est & vocatur omnipotens æternus Deus, qui æternam habet potestatem: qui omnia creavit & conservat (per communicationem Idiomatum:) propterea quod cum divinitate una sit persona, & verus sit Deus. De ea re loquitur, cum inquit: Omnia mihi tradita sunt à Patre. Et alibi: Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra. Quis est ille, qui dicit, MIHI? Mihi, videlicet, Jesu Nazareno, Mariæ filio, nato homini. Ab æterno quidem habebam eam à Patre, priusquam homo fierem. Cum autem humanam naturam assumerem, accepi eam in tempore, secundum humanitatem: occultavi autem eam, donec à morte resurgerem, & ad cœlos ascenderem: tum ea debebat manifestari & declarari, sicut Paulus dicit, eum declaratum seu demonstratum filium Dei cum potentia: Johannes vocat clarificatum, seu glorificatum.

Tom. 5. Germ. Witteberg. fol. 545.

Matth. 11, 27. cap. 28, 18.

Rom. 1, 4.

Joh. 17, 10.

Plura in hanc ſententiam teſtimonia in D. Lutheri ſcriptis reperire licet, præſertim in eo libro, cui titulum fecit: Quod hæc verba (hoc eſt corpus meum) adhuc firma maneant: præterea in majori ipſius Confeſſione de Cœna Domini multa in hoc genere leguntur. Illa tanti viri pia ſcripta (ut bene fundatas declarationes articuli de Majeſtate CHRISTI, ſedentis ad dexteram Dei, & ipſius Teſtamenti) brevitatis ſtudio (eo modo, quo ſupra diximus) hoc loco, & de perſona Chriſti, & de ſacra Cœna repetita eſſe volumus.

Quare pernicioſum errorem eſſe judicamus, quando Chriſto juxta humanitatem Majeſtas illa derogatur. Chriſtianis enim ea ratione ſumma illa conſolatio eripitur, quam è promiſſionibus paulo ante commemoratis de præſentia & inhabitatione capitis, regis, & ſummi ſui Pontificis, haurire poterant. Is enim promiſit, non modo nudam ſuam divinitatem ipſis præſto futuram, (quæ nobis miſeris peccatoribus eſt, tanquam ignis conſumens aridiſſimas ſtipulas) ſed ille ipſe, homo ille, qui cum diſcipulis locutus eſt, qui omnis generis tribulationes in aſſumta ſua humana natura guſtavit: qui ea de cauſa nobis (ut & hominibus & fratribus ſuis) condolere poteſt: ſe in omnibus anguſtiis noſtris nobiscum futurum promiſit: ſecundum eam etiam naturam, juxta quam ille frater noſter eſt, & nos caro de carne ejus ſumus.

Rejicimus igitur, atque unanimi conſenſu, ore & corde damnamus omnes errores, qui à commemorata pia doctrina diſſentiunt: qui cum Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis, cum receptis & approbatis ſymbolis, & cum pia noſtra Auguſtana Confeſſione pugnant, ut ſunt:

I. Quod humana natura propter perſonalem unionem, cum divinitate ſit confuſa, aut in eam transmutata.

II. Quod humana in Chriſto natura eo modo, quo divinitas, ut infinita aliqua eſſentia, & ex virtute aut proprietate eſſentiali ſuæ naturæ ubique præſens ſit.

Quod

Quod humana natura in Christo divinæ naturæ ſubſtantia ſeu eſſentia ſua, aut in ſuis eſſentialibus proprietatibus exæquata ſit. III.

Quod humanitas Chriſti in omnia loca cœli & terræ localiter extenſa ſit: quod tamen ne quidem divinitati tribui debet. Quod autem Chriſtus per divinam omnipotentiam ſuam, corpore ſuo (quod ad dexteram Majeſtatis & virtutis Dei collocavit) præſens eſſe poſſit, ubicunque voluerit: ibique imprimis, ubi ſuam præſentiam illam, ut in ſacra ſua Cœna, in verbo ſuo promiſit, hoc ipſius Omnipotentia & ſapientia optime efficere poteſt, ſine transmutatione aut abolitione veræ ſuæ humanæ naturæ. IV.

Quod humana natura in Chriſto ſola pro nobis paſſa ſit, nosque redemerit: cum qua filius Dei in paſſione nullam prorſus communicationem habuerit. V.

Quod Chriſtus ſecundum divinitatem ſuam duntaxat nobiſcum in terris, cum verbo Dei prædicato, legitimo Sacramentorum uſu, præſens ſit: & hæc Chriſti præſentia ad humanam ipſius naturam prorſus nihil pertineat. VI.

Quod aſſumta humana natura in Chriſto cum divina virtute, ſapientia, potentia, Majeſtate & gloria, reipſa & vere, nullam habeat communicationem: ſed quod tantum titulo & nomine nudo cum divinitate communicet. VII.

Hos errores & alios omnes, à pia & ſincera doctrina, paulo ante commemorata, diſſentientes, rejicimus atque damnamus: ut qui verbo Dei, Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis, & Chriſtianæ noſtræ fidei & Confeſſioni repugnent, & hortamur omnes pias mentes (quandoquidem Chriſtus in ſacra ſcriptura Myſterium vocatur, ad quod omnes hæretici capitibus ſuis impingunt) ne ſua ratione humana in tantis myſteriis perſcrutandis curioſæ ſint, ſed potius cum Apoſtolis Chriſti ſimpliciter credant, oculos rationis ſuæ claudant,

2. Corinth. 10, 5. dant, & intellectum ſuum in Chriſti obedientiam captivent. Inde autem dulciſſimam & firmiſſimam conſolationem petant, atque ſibi perpetuo gratulentur, quod caro noſtra & ſanguis noſter in Chriſto in tantam ſublimitatem, ad dexteram Majeſtatis, & omnipotentis virtutis Dei ſit collocata. Sic in omnibus adverſis inveniemus, quo nos ſolide conſolemur, & ab omnibus perniciosis erroribus præſervemur.

IX.

DE DESCENSU CHRISTI AD INFEROS.

Epit. 613. CONSTAT, hunc fidei noſtræ articulum, de deſcenſu Chriſti ad inferos, non modo à quibusdam recentioribus, verum etiam olim ab Orthodoxis veteribus Eccleſiæ Doctoribus non prorſus eodem modo explicatum eſſe. Nos igitur tutiſſimum judicamus, ſi ſimplicitatem fidei noſtræ in ſymbolo comprehenſam retineamus: ad quam D. Lutherus pia ſua concione, in arce Torgenſi Anno Domini 1533. de Chriſti ad inferos deſcenſu habita, remiſit. Ubi confitemur, quod credamus in JESUM CHRISTUM Dominum noſtrum, Filium Dei, qui mortuus, ſepultus eſt, & ad inferos deſcendit: in qua Confeſſione videmus, ſepulturam & deſcenſum Chriſti ad inferos, tanquam diverſos articulos diſtingui. Simpliciter igitur credimus, quod tota perſona, Deus & homo, poſt ſepulturam, ad inferos deſcenderit, Satanam devicerit, poteſtatem inferorum everterit, & Diabolo omnem vim & potentiam eripuerit. Quomodo vero Chriſtus id effecerit, non eſt, ut argutis & ſublimibus imaginationibus ſcrutemur. Hic enim articulus non magis ratione humana & ſenſibus comprehendi poteſt, quam prior, quomodo Chriſtus ad dexte-

dexteram omnipotentis virtutis & Majestatis Dei sit collocatus: in his ergo mysteriis fides duntaxat est adhibenda, & verbum Dei firmo assensu retinendum est: sic solidam doctrinam, & veram consolationem (quod videlicet neque Satan neque ipsi inferi nos, omnesque alios in Christum credentes, in potestatem suam redigere aut nobis nocere valeant) ex hoc articulo hauriemus.

X.

DE CEREMONIIS ECCLESIASTICIS, QUÆ VULGO ADIAPHORA SEU RES MEDIÆ ET INDIFFERENTES VOCANTUR.

ORTUM est etiam inter quosdam Augustanæ Confessionis Theologos dissidium de ceremoniis Ecclesiasticis, quæ verbo Dei neque mandatæ, neque prohibitæ sunt: sed bono consilio propter ἐυταξίαν, & ordinem, aut ad conservandam piam disciplinam in Ecclesia usurpantur. Una pars sensit, quod persecutionis tempore (quando confessio fidei edenda est) etiamsi adversarii Evangelii in doctrina nobiscum non consentiant, tamen sana & salva conscientia liceat, quasdam dudum abrogatas ceremonias (quæ per se adiaphoræ, & à Deo neque præceptæ neque prohibitæ sunt) postulantibus id & urgentibus adversariis restituere, & hoc modo cum iis, in rebus illis per se adiaphoris conformem quandam rationem instituere posse. Altera vero pars contendit, quod persecutionis tempore (quando confessio fidei requiritur) adversariis illæsa conscientia, & sine jactura veritatis cœlestis, restitutione rerum adiaphorarum gratificari non possimus: præsertim, quando adversarii hoc agunt, ut aut vi manifesta, aut occul-

August. C. 13. 28. Art. Smalcaldic. 337. Epit. 614.

occultis machinationibus ſinceram doctrinam opprimant, & paulatim falſa dogmata in Eccleſias noſtras reducant.

Ut autem hæc etiam controverſia pie declaretur, & tandem per Dei gratiam componatur, candido Lectori ſimplicem & verbo Dei conformem ſententiam noſtram aperiemus.

Si quando talia ſub titulo & prætextu externarum rerum adiaphorarum proponuntur, quæ (licet alius color illis induatur) revera verbo Dei adverſantur: ea nequaquam pro rebus adiaphoris habenda, ſed tanquam verbo Dei prohibita vitanda ſunt. Et ſane inter res adiaphoras non numerandæ ſunt tales ceremoniæ, quæ ſpeciem quandam præ ſe ferunt, aut quibus (ad effugiendam perſecutionem) ſimulatur, quaſi noſtra Religio à Pontificia non multum diſtaret: aut certe, quaſi ab ea non admodum animus noſter abhorreret: aut: cum ejusmodi ceremoniæ in eum finem reſtaurantur, & earum reſtauratio ita accipitur, quaſi hoc ipſo diſſentientes duæ illæ religiones jam in unam redactæ eſſent, atque in unum corpus coaluiſſent: aut cum periculum eſt, ne videamur ad Papatum rurſus acceſſiſſe, & à ſincera Evangelii doctrina receſſiſſe, vel paulatim receſſuri.

2. Corinth. 6. 14. In hoc enim rerum ſtatu maximum pondus habere debet illud Apoſtoli dictum: Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? aut, quæ ſocietas luci ad tenebras? &c. Propter quod exite de medio eorum & ſeparamini, dicit Dominus.

Sed & hæc non ſunt vera adiaphora, quæ neque ad obſervandum bonum ordinem, neque ad piam diſciplinam conſervandam, neque ad εὐταξίαν in Eccleſia conſtituendam quicquam conferunt: ſed præter inutiles nugas & puerilia ſpectacula nihil habent.

De

De rebus autem illis, quæ revera ſunt adiaphoræ, (quarum ſupra mentionem fecimus) hæc eſt fides, doctrina, & confeſſio noſtra: quod ejusmodi ceremoniæ per ſe non ſint cultus Dei neque etiam pars cultus divini: ſed inter illas & veros Dei cultus diligenter diſcernendum eſſe judicamus. Scriptum eſt enim de humanis traditionibus: Fruſtra colunt me, docentes doctrinas, mandata hominum. *Matth. 15, 9.*

Credimus autem, docemus, & confitemur, quod Eccleſia Dei, quibusvis temporibus & locis pro re nata liberrimam poteſtatem habeat, (in rebus vere adiaphoris) aliquid mutandi, abrogandi, conſtituendi: ſi tamen id absque levitate & ſcandalo, decenter & bono ordine fiat: &, ſi accurate expendatur, quid ſingulis temporibus ad conſervandum bonum ordinem, & ad piam retinendam diſciplinam, atque ad ἐυταξίαν Evangelica profeſſione dignam, & ad Eccleſiæ ædificationem, quamplurimum faciat. Quousque etiam infirmis in fide, in rebus illis externis bona cum conſcientia cedere poſſimus, Apoſtolus Paulus perſpicue non modo verbis, verum etiam ſuo ipſius exemplo docuit. *Rom. 14. Act. 26, 21. 1. Corinth. 9.*

Credimus, docemus, & confitemur, quod eo tempore, quo veritatis cœleſtis confeſſio requiritur, (quando, videlicet, verbi Dei hoſtes doctrinam Evangelii opprimere ſtudent) tota Eccleſia, & ſinguli Chriſtiani, præcipue vero miniſtri verbi Dei (tanquam ii, quos Dominus Eccleſiæ ſuæ regendæ præfecit) teneantur, piam doctrinam juxta verbum Dei, & quicquid omnino ad ſinceram religionem pertinet, palam & libere non modo verbis, verum etiam factis profiteri. Et ſentimus, tali tempore etiam in rebus vere & per ſe adiaphoris, non eſſe adverſariis cedendum: neque permittendum, ut adverſarii nobis talia adiaphora (ad detrimentum veri cultus divini, & ad plantandam & ſtabiliendam Idololatriam) obſer-

vanda imponant & obtrudant; ſive id manifeſta vi ſi-
Galat. 5, 1. ve dolis efficere conentur. Scriptum eſt enim: in libertate igitur, qua Chriſtus vos liberavit, ſtate, & ne rurſus jugo ſervitutis implicemini. Et in eadem Epi-
Galat. 2, 4. ſtola: Propter ſubintroductos falſos fratres, qui ſub-
Galat. 3. introierant, explorare libertatem noſtram, quam habemus in Chriſto Jeſu, ut nos in ſervitutem redigerent: iis neque ad horam ceſſimus ſubjectione, ut veritas Evangelii permaneat apud vos. Manifeſtum eſt autem, Paulum ibi agere de circumciſione: quæ illis temporibus jam res adiaphora facta erat: & quam
1. Corinth. 7. Paulus alias (in libertate tamen Chriſtiana & ſpiritua-
Actor. 16. li) obſervare aliquoties ſolebat. Cum autem Pſeudoapoſtoli circumciſionem ad ſtabiliendum falſum ſuum dogma (quod opera legis ad juſtitiam & ſalutem neceſſaria eſſent) urgerent, eaque ad confirmandum ſuum errorem in animis hominum, abuterentur: ingenue affirmat Paulus, quod ne ad horam quidem ipſis ceſſerit: ut veritas Evangelii ſarta tectaque permaneret.

Rom. 14. Sic Paulus infirmis in fide cedit, obſervatione diſcriminis ciborum, & temporum ſeu dierum: Pſeudoapoſtolis autem, qui hæc, TANQUAM NECESSARIA, conſcientiis imponere volebant, etiam in rebus per ſe adiaphoris cedere recuſat. Et alibi inquit: Nemo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei
Galat. 2, 16. feſti, &c. Et cum Petrus & Barnabas ea in re Judæis
Galat. 2, 11. plus, quam oportebat, ceſſiſſent, in faciem eis reſtitit: eo quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii.

In eo enim rerum ſtatu non jam de externis adiaphoris agitur, quæ natura ſua per ſe libera ſunt, permanentque: unde neque mandanda ſunt, neque prohibenda, ut vel obſerventur, vel intermittantur. Sed agitur præcipuus religionis noſtræ Chriſtianæ articulus:
Galat. 2, 5. ut nimirum VERITAS EVANGELII conſtet: ſicut

Apo-

Apoſtolus teſtatur. Veritas enim Evangelii obſcuratur & labefactatur : cum adiaphora cum mandato & coactione conſcientiis obſervanda imponuntur. Quia ad confirmationem ſuperſtitionum, falſæ doctrinæ, & Idololatriæ, & ad opprimendam ſinceram doctrinam & libertatem Chriſtianam, vel palam ab adverſariis requiruntur, vel certe ita ab ipſis recipiuntur, & in hunc abuſum & pravum finem reſtituta creduntur.

Præterea in hoc negotio agitur etiam articulus de libertate Chriſtiana : quem diligentiſſime conſervandum Spiritus Sanctus per os Apoſtoli Pauli Eccleſiæ Chriſti, ut modo dictum eſt, ſeveriſſime præcepit. Quamprimum enim articulus ille labefactatur, & humanæ traditiones per modum coactionis Eccleſiæ Dei, tanquam obſervatu neceſſariæ, obtruduntur, quaſi ſine peccato negligi non poſſent, tum jam Idololatriæ magna feneſtra eſt patefacta : ut deinceps humanæ traditiones cumulentur, & pro cultu divino habeantur : neque modo Dei præceptis exæquentur, verum etiam illis longe præponantur.

Quin etiam ejusmodi intempeſtiva ceſſione in externis illis rebus adiaphoris (ubi nondum de doctrina ipſa pius conſenſus eſt factus.) Idololatræ in ſua Idolomania confirmantur. Contra vero piæ mentes, & vere in Chriſtum credentes, contriſtantur, perturbantur, offenduntur, & ipſarum fides, quaſi arieto quodam, graviter concutitur & quodammodo labefactatur : huic malo ne occaſionem præbeamus, ſummo ſtudio (ſi modo æterna ſalus nobis cordi eſt) cavere debemus. Sic enim Chriſtus dicit : Væ mundo à ſcandalis! Et ibidem : Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expediret ei, ut ſuſpenderetur mola aſinaria in collo ejus, & demergeretur in profundum maris. *Matth. 18, 6. 7.*

Im-

Matth. 10, 32. Imprimis vero hoc Christi dictum alta mente est reponendum: Qui me confessus fuerit coram hominibus, eum etiam ego confitebor coram Patre meo cœlesti.

Et sane, quod hæc semper fuerit clarissimorum Augustanæ Confessionis Theologorum fides & confessio de rebus Adiaphoris, (quam & nos ipsorum vestigiis insistentes profitemur, & in ea constanter, per Dei gratiam, permanere cupimus:) id liquidissime testimonia, quæ recitabimus, demonstrabunt: ea in Smalcaldicis articulis Anno 1537. consignata, & à præcipuis Theologis subscriptione confirmata sunt.

Testimonia è Smalcaldicis articulis Anno Domini 1537. conscriptis deprompta.

De Ecclesia. Articuli Smalcaldici de hoc negotio sic loquuntur: Nequaquam hoc Episcopis (Pontificiis) concedimus, quod ipsi sint Ecclesia (quia non sunt Ecclesia.) Neque ea audiemus, quæ illi nobis sub Ecclesiæ nomine vel mandaverint, vel prohibuerint. Nam (Dei beneficio) puer septennis jam novit, quæ sit vera Ecclesia: sancti, videlicet, credentes, & oviculæ, quæ pastoris sui vocem audiunt. Et paulo ante: Si Episcopi recte officio Episcopali fungi, & Ecclesiæ regendæ atque Evangelii propagandi curam serio suscipere vellent, hoc illis, ratione charitatis & propter bonum pacis (non tamen ex quadam necessitate) concedi posset, ut nos & Ecclesiæ nostræ Ministros ordinarent, atque in functione Ecclesiastica confirmarent: remotis tamen omnibus larvatis, ineptis & impiis nugis, atque magicis pompis. Cum autem neque veri sint, aut esse velint Episcopi, sed potius hujus mundi Principes ac Domini: qui neque concionantur, neque docent, neque

De ordinatione & vocatione.

que baptizant, neque Cœnam Domini administrant, neque ullum oppus Ecclesiasticum facere, aut munus tale obire velint, quin potius eos, qui ad ministerium Evangelii vocati sunt in exilium ejiciunt, persequuntur, atque anathemate feriunt: profecto Ecclesia Dei in ipsorum gratiam connivere non potest, ut interea idoneis ministris destituatur.

In articulo, de primatu Papæ, articuli Smalcaldici in hanc sententiam loquuntur: Quare, ut non possumus ipsum Diabolum ceu Dominum & Deum adorare: ita non possumus ipsius Apostolum, Pontificem Romanum, seu Antichristum, in suo illo imperio, pro capite aut Domino agnoscere. Mentiri enim, innocentem sanguinem fundere, corpora & animas in æternum exitium præcipitare, hæc sunt Pontificii regni propria.

Et in scripto, de potestate & jurisdictione Papæ, quod Smalcaldicis articulis annexum, & à Theologis, qui tum Smalcaldiæ erant, subscriptione confirmatum est, hæc leguntur: Nemo Ecclesiam Dei gravet propriis aliquibus traditionibus: In hoc enim negotio fixum & firmum esse debet: quod nullius hominis potestas vel autoritas verbo DEI sit præferenda.

Est post aliqua: Quæ cum ita se habeant, omnes Christiani quam diligentissime sibi caveant, ne impiæ illius (Pontificiæ) doctrinæ, blasphemiarum, tyrannidis crudelissimæ participes sese faciant. Pontificem autem, membra & squamas ejus, ut regnum ipsissimi Antichristi, aversentur atque execrentur. Christus enim id præcipit, dicens: Cavete à Pseudoprophetis. *Matth. 7, 15.* Et Paulus præcipit, ut falsos doctores vitemus, *2. Cor. 6, 14.* & veluti abominationem quandam execremur. Nolite (inquit) jugum ducere cum infidelibus, quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut, quæ societas luci ad tenebras? &c.

Grave

Grave id quidem videri poteſt, ſeſe à tot regnis & populis ſejungere & ſeparare, & peculiarem quandam doctrinam profiteri. Sed clarum eſt Dei mandatum, quod præcipit nobis, ut omnes caveamus à conſenſu, cum iis, qui vel falſa docent, vel falſam doctrinam immani crudelitate tueri conantur.

Tom. 3. Ien. f. 523. Sed & D. Lutherus in alio quodam ſcripto (in quo ad quæſtionem de Ceremoniis in genere, de adiaphoris vero etiam in ſpecie quid ſentiendum ſit, docuit) *Tom 5. Ien. Germ.* Eccleſiam Dei de hoc negotio pie & luculenter erudivit. Et extant quædam ab ipſo, anno Domini 1530. exarata, quæ magno cum fructu legi poſſunt.

Ex his omnibus perſpicue intelligi poteſt, quid unamquamque Eccleſiam, quid ſingulos Chriſtianos, præſertim temporibus illis, quando Confeſſio fidei edenda eſt, inprimis Eccleſiæ miniſtros, in rebus adiaphoris, bona & illæſa conſcientia, facere vel omittere deceat: ne Deus ad juſtam indignationem provocetur, charitas violetur, hoſtes verbi Dei animoſiores reddantur, & infirmi in fide offendantur.

I. Rejicimus igitur, & damnamus hos errores: Quando humanæ traditiones per ſe pro Dei cultu, aut pro illius aliqua parte habentur.

II. Quando humanæ traditiones per modum coactionis, tanquam neceſſariæ, Eccleſiæ Dei obſervandæ obtruduntur.

III. Repudiamus & damnamus etiam eorum opinionem, qui ſentiunt, quod perſecutionis tempore hoſtibus Evangelii (cum jactura certe veritatis divinæ) in adiaphoris reſtituendis gratificari, & cum ipſis, ea in parte, conſentire liceat.

IV. Illud etiam crimine non vacare judicamus, quando perſecutionis tempore, vel in adiaphoris, vel in doctrina, vel in aliis rebus ad religionem pertinentibus, propter Evangelii hoſtes, ipſo facto aliquid committitur, quod piæ Confeſſioni repugnet.

Reji-

Digitized by Google

Rejicimus & damnamus etiam eorum intemperiem, qui adiaphora ea opinione abrogant, quasi Ecclesiæ Dei non esset liberum, (quovis loco aut tempore) pro re nata, & Ecclesiæ utilitate, unum vel plura adiaphora recipere, & pro ratione libertatis Christianæ usurpare.

Juxta hanc de adiaphoris doctrinam, nulla Ecclesia propter ceremoniarum dissimilitudinem (quarum aliæ pro ratione libertatis Christianæ pauciores, aliæ plures observant) alteram condemnabit: si modo in doctrina, & in omnibus illius partibus, atque in legitimo Sacramentorum usu concordes fuerint. Vetus enim & memorabile dictum est: Dissonantia jejunii non dissolvit consonantiam fidei.

XI.

DE ÆTERNA PRÆDESTINATIONE ET ELECTIONE DEI.

DE æterna electione filiorum Dei inter Augustanæ confessionis Theologos nulla hactenus aperta & cum scandalo conjuncta lateque sparsa controversia exorta est. Quia vero apud exteros de eo articulo vehementer disceptatum est: & inter nostros etiam homines aliquid glisscere cœpit: & Theologi non semper similes de hoc negotio sermones usurpant: studebimus per gratiam DEI in eo elaborare, ut, quantum quidem in nobis erit, omnes dissensiones & schismata apud posteritatem nostram præcaveantur. Itaque illius articuli declarationem huic scripto inserere placuit: ut omnibus manifestum fiat, quæ etiam de hoc articulo nostra fides, doctrina & confessio sit. Neque enim *Epit. 617.*

sentien-

ſentiendum eſt, doctrinam de hoc articulo (ſi tamen juxta præſcriptum & analogiam verbi Dei & fidei proponatur) vel inutilem, vel non neceſſariam eſſe: multo autem minus exiſtimandum eſt, quod offenſionis plena ſit, & detrimentum aliquod piis mentibus adferat. Scriptura enim ſacra hujus articuli non ſemel tantum obiter mentionem facit: ſed multis locis eundem ſatis copioſe tractat & explicat. Neque vero propter abuſum aut ſiniſtras aliquorum opiniones, doctrina verbi cœleſtis negligenda eſt aut rejicienda, quin potius eam ipſam ob cauſam, ut abuſus & pravæ opiniones tollantur, vera de hoc negotio ſententia ex ſacrarum literarum fundamentis proferenda atque proponenda eſt. Summa autem doctrinæ cœleſtis de hoc articulo, his capitibus, quæ recenſebimus, comprehenditur.

Initio diſcrimen inter æternam præſcientiam, & inter electionem æternam filiorum Dei ad æternam ſalutem accurate obſervandum eſt. Præſcientia enim vel prævisio Dei, qua ille omnia, antequam fiant, prævidet, & præſcit, ad omnes creaturas, tam malas, quam bonas extenditur. Hac enim vel prævisione vel præſcientia Dominus ante novit videtque, quicquid eſt, vel aliquando futurum eſt, quicquid jam ſit, vel quod aliquando continget: ſive id bonum ſit, ſive malum: quia Deum neque præterita neque futura latent: ſed omnia ipſi ſunt manifeſta & præſentia. Sic enim ſcriptum eſt: Nonne duo paſſeres aſſe veneunt? & unus ex illis non cadet ſuper terram, ſine Patre veſtro. Et Pſaltes canit: Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcripti erant dies, qui futuri erant, antequam eſſent. Et Eſaias ait: Habitationem tuam, & egreſſum tuum, & introitum tuum cognovi, & inſaniam tuam contra me.

Matth. 10, 29.

Pſal. 139, 16.

Eſa. 37, 28.

Æterna vero electio ſeu prædeſtinatio Dei ad ſalutem

tem, non ſimul ad bonos & ad malos pertinet, ſed tantum ad filios Dei, qui ad æternam vitam conſequendam electi & ordinati ſunt, priusquam mundi fundamenta jacerentur: ut Apoſtolus teſtatur, inquiens: Prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum, per Jeſum Chriſtum in ipſum. *Epheſ. 1, 5.*

Præſcientia Dei prævidet & novit etiam mala, antequam fiant: ſed non ea ratione, quaſi Dei voluntas propitia illa ſit, ut fiant. Sed ea, quæ perverſa Diaboli & hominum voluntas molitur & efficere conatur, atque etiam effectura eſt, hæc Deus omnia longe ante prævidet & novit. Et ipſius præſcientia etiam in malis rebus & operibus ordinem ſuum ita ſervat, ut à Domino rebus malis (quas Deus nec vult nec approbat) certæ metæ ponantur atque circumſcribantur, quas egredi nequeant, & iisdem præſcribitur, quamdiu durare debeant: & quando & quomodo ea mala impediri rurſus & puniri debeant. Et hæc omnia Dominus ita gubernat, ut ad nominis ſui divini gloriam, & ad electorum ſuorum ſalutem cedant: impii vero confundantur & pudefiant.

Principium autem & cauſa mali non eſt ipſa Dei præſcientia: (Deus enim non creat, procurat, efficit aut operatur malum: ſed neque illud juvat aut promovet:) at Diaboli & hominum prava & perverſa voluntas, cauſa eſt mali. Sic enim ſcriptum eſt: Perditio TUA ex te eſt, Iſrael: tantummodo in me SALUS tibi. Et David inquit: Non Deus volens iniquitatem tu es. *Oſ. 13, 9.* *Pſalm. 5, 5.*

Æterna vero electio Dei non tantum prævidet & præſcit electorum ſalutem, ſed ex clementiſſima Dei voluntate & beneplacito in Chriſto Jeſu cauſa eſt, quæ noſtram ſalutem, & quæ ad eam pertinent, procurat, efficit, juvat, promovet. Et quidem in ea divina prædeſtinatione æterna noſtra ſalus ita fundata eſt, ut etiam inferorum portæ adverſus ea prævalere nequeant. *Matth. 16, 18.*

Joh. 10, 28. Scriptum eſt enim: Oves meas nemo rapiet de manu
Actor. 13, 48. mea. Et alibi: Crediderunt, quotquot ad vitam æternam erant ordinati.

Et hæc ſane æterna electio ſeu ordinatio Dei ad vitam æternam, non nude, in arcano illo cœleſti & imperſcrutabili Dei conſilio conſideranda eſt: quaſi ea nihil præterea complectatur, aut ad eam requiratur, aut in ea meditanda expendendum ſit, niſi hoc: quod Deus præviderit, quinam & quot homines ſalutem ſint conſecuturi: & qui, atque quam multi in æternum ſint perituri: aut, quaſi Dominus militarem quendam delectum inſtituerit, atque dixerit aut ſtatuerit: hic ſalvandus eſt, ille vero damnandus: hic ad finem usque in fide conſtans perſeverabit, ille vero non perſeveraturus eſt.

Ex opinione enim hac multi abſurdas, periculoſas & pernicioſas cogitationes hauriunt: quæ aut ſecuritatem & impœnitentiam, aut anguſtias & deſperationem in mentibus hominum gignunt & confir-
Epheſ. 1, 4. mant. Sic enim quidam periculoſe ſecum cogitant, quin etiam interdum in hanc ſententiam loquuntur:
Eſa. 14. Deus (inquiunt) electos ſuos ad vitam æternam præ-
Rom. 9. deſtinavit, antequam mundi fundamenta jacerentur. Electio autem Dei errare non poteſt: neque eam quisquam impedire aut mutare valet. Ergo ſi ad vitam æternam ſum electus, nihil ſaluti meæ decedet, etiamſi absque omni pœnitentia omnis generis ſcelera atque flagitia deſignavero, verbum & Sacramenta contemſero, neque unquam de pœnitentia, fide, precibus aut pietate cogitavero. Neceſſario enim ſalvabor: quia electionem Dei fieri neceſſario oportet. Sin vero prædeſtinatus non fuero, nihil prorſus mihi profuerit, etiamſi verbum Dei meditatus fuero, pœnitentiam egero, in Chriſtum credidero, &c. quia prædeſtinationem Dei neque impedire neque mutare queo.

Neque

Neque vero tantum homines impii, verum etiam pii quandoque in has cogitationes veniunt & incidunt: ut si maxime per Dei gratiam pœnitentiam agant, in Christum credant, & pie vivendi laudabile institutum habeant, nihilominus ita secum rem reputent: Quid? si non ab æterno ad salutem electus seu prædestinatus es, omnis tuus conatus, totusque labor tuus irritus erit. Et hæc tum præcipue homini pio in mentem veniunt, cum suas infirmitates considerat: & in eorum exempla animi oculos defixos habet, qui non in fide ad finem usque perseverunt, sed à vera pietate in impietatem rursus prolapsi, & apostatæ facti sunt.

Contra hanc falsam opinionem & periculosas cogitationes huic solidissimo fundamento, quod expectationem nostram fallere non potest, sed longe firmissimum est, inniti oportet, nempe: Certum est, *2. Tim. 3. 16.* omnem scripturam divinitus inspiratam, non ad alendam securitatem aut impœnitentiam, sed ad arguendum, ad erudiendum in justitia, & ad vitæ emendationem propositam esse: Certum est etiam, quod omnia, quæ in scriptura sacra nobis proponuntur, non ideo revelata sint, ut ad desperationem adigamur: sed ut per patientiam, & consolationem scripturæ spem ha- *Rom. 15, 4.* beamus. Quare hæc nequaquam erit vera & sana sententia, aut legitimus usus doctrinæ de æterna prædestinatione Dei, quibus vel impœnitentia, vel desperatio in hominum mentibus excitatur aut confirmatur. Neque vero nobis scriptura hanc doctrinam ali- *Ephes. 1.* ter, quam hoc modo proponit, ut nos ad verbum Dei *1. Corinth. 1.* revelatum, fide amplectendum ableget: ad pœniten- *2. Timoth. 3.* tiam agendam hortetur: & de salute nostra quam cer- *Johann. 15.* tissimos reddat. *Johann. 3. 10.* *2. Thess. 2.*

Quare cum de æterna electione seu prædestinatione & ordinatione filiorum Dei ad vitam æternam, recte & cum fructu cogitare aut loqui volemus, adsue-

faciamus nos, nec nudam, occultam, nulli homini exploratam & cognitam Dei præscientiam, ratione nostra perscrutari conemur. Sed ad eum modum divinam electionem meditemur, quemadmodum Dei consilium, propositum & ordinatio in Christo Jesu (qui est verus ille liber vitæ) per verbum nobis revelatur. Totam igitur doctrinam de proposito, consilio, voluntate & ordinatione Dei (omnia videlicet, quæ ad nostram redemtionem, vocationem, justificationem, & salutem pertinent) simul mente complectamur. Sic enim D. Paulus hunc articulum in scriptis suis tractavit & explicuit; idem fecit Christus in parabola illa, de nuptiis regiis: quod videlicet Deus in suo consilio & proposito decreverit hæc:

Rom. 8. Ephes. 1. Matth. 22.

I. Ut humanum genus vere redimeretur, atque cum Deo per CHRISTUM reconciliaretur: qui nobis innocentia atque perfectissima obedientia, passione ac morte acerbissima justitiam, quæ coram ipso valet, & vitam æternam promeruit.

II. Ut Christi meritum ejusque beneficia per verbum & Sacramenta nobis offerrentur, exhiberentur, & distribuerentur.

III. Decrevit etiam, se Spiritu sancto suo per verbum annunciatum, auditione perceptum, & memoriæ commendatum, velle in nobis efficacem esse, & corda ad veram pœnitentiam agendam inflectere, & in vera fide conservare.

IV. Illius æternum propositum est, quod omnes, qui pœnitentiam vere agunt, & Christum vera fide amplectuntur, justificare, in gratiam recipere, & in filios & hæredes vitæ æternæ adoptare velit.

V. Et quod fide justificatos, in vera charitate sanctificare velit: ut Apostolus testatur, Ephes. 1.

Ephes. 1, 4.

VI. Idem in æterno suo consilio proposuit: se justificatos etiam in multiplici & varia ipsorum infirmitate,

Digitized by Google

te, adverſus Diabolum, mundum, & carnem, defenſurum, & in viis ſuis deducturum atque gubernaturum: &, ſi lapſi fuerint, manum ſuppoſiturum, ut in cruce atque tentationibus ſolidam conſolationem percipiant, atque ad vitam conſerventur.

VII. Illius æternum decretum eſt, quod opus illud bonum, à ſe in illis inceptum promovere, atque confirmare, & ad finem usque conſervare velit: ſi modo verbo ipſius, tanquam ſcipioni conſtanter innitantur, ipſius opem ardentibus precibus implorent, in gratia Dei perſeverent, & dona accepta fideliter & bene collocent.

VIII. Ille item in æterno conſilio ſuo decrevit, quod eos, quos elegit, vocavit, juſtificavit, in altera æterna illa vita ſalvos facere & æterna gloria ornare velit.

Et quidem Deus illo ſuo conſilio, propoſito & ordinatione non tantum in genere ſalutem ſuorum procuravit: verum etiam omnes & ſingulas perſonas electorum (qui per Chriſtum ſalvandi ſunt) clementer præſcivit, ad ſalutem elegit, & decrevit, quod eo modo (quem jam recitavimus) ipſos, per ſuam gratiam, dona, atque efficaciam, ſalutis æternæ participes facere, juvare, eorum ſalutem promovere, ipſos confirmare, & conſervare velit.

Hæc omnia ſecundum ſcripturam in articulo prædeſtinationis & æternæ electionis divinæ ad adoptionem in filios, & ad æternam ſalutem, comprehenduntur: Univerſa illa, de quibus diximus, ſub hoc articulo complecti debemus: nec quicquam horum excludendum aut omittendum eſt, quando de propoſito Dei, prædeſtinatione, electione & ordinatione ad vitam æternam agitur. Et cum ſecundum ſcripturam de hoc negotio cogitatur, per gratiam Dei hic articulus & perſpicue & dextre intelligi, & ſalubriter tractari poteſt.

Sed & hoc ad pleniorem hujus negotii declara-

rionem & ſalutarem uſum doctrinæ de divina prædeſtinatione electorum ad ſalutem, cognitu eſt neceſſarium. Cum, videlicet, ſoli electi ſalventur, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ: quomodo & unde agnoſci poſſit, quinam ſint electi, & quibus hæc doctrina ſolatio eſſe poſſit & debeat.

De hac autem quæſtione non judicandum eſt ex rationis noſtræ ſententia: ſed neque ex lege: neque ex ulla aliqua externa ſpecie. Et cavendum eſt, ne abſconditam & occultiſſimam abyſſum divinæ prædeſtinationis perveſtigare conemur. Quin potius in revelatam Dei voluntatem intueri nos oportet. Etenim certos nos reddidit de myſterio ſuæ voluntatis: idque ex arcano illo conſilio ſuo per Chriſtum in lucem produci curavit: ut publice prædicaretur.

Eph. 1, 11.
2. Tim. 1, 10.

Ad hunc modum autem nobis illud arcanum conſilium Dei revelatur. Quos prædeſtinavit, elegit, & præordinavit, (inquit Paulus Roman. 8.) hos & VOCAVIT. Dominus autem non ſolet homines immediate vocare: ſed per verbum: unde & præcepit, in ſuo nomine prædicari pœnitentiam & remiſſionem peccatorum. Idem teſtatur Paulus, 2. Corinth. 5. dicens: Pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo exhortante PER NOS. Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini DEO. Et parabola Evangelica docet, convivas, quos rex ad filii ſui nuptias convenire volebat, per emiſſos ipſius miniſtros, invitatos & vocatos eſſe. Et ſane Dominus in vineam ſuam vocat, alios quidem hora prima, alios tertia, ſexta, nona, vel etiam undecima hora, Matth. 20.

Rom. 8, 30.
Luc. 24, 47.
2. Cor. 5, 20.
Matth. 22, 3.
Matth. 20.

Si igitur æternam electionem ad ſalutem utiliter conſiderare voluerimus, firmiſſime & conſtanter illud retinendū eſt: quod non tantum prædicatio pœnitentiæ, verum etiam promiſſio Evangelii ſit univerſalis: hoc eſt, ad omnes homines pertineat. Eam ob cauſam Chri-

Chriſtus juſſit prædicari in nomine ſuo pœnitentiam & remiſſionem peccatorum, IN OMNES GENTES. Deus enim MUNDUM dilexit, eique filium ſuum unigenitum donavit: Chriſtus peccata MUNDI ſuſtulit. Idem carnem ſuam tradidit pro MUNDI VITA: Ipſius ſanguis propitiatio eſt pro TOTIUS mundi peccatis. Chriſtus dicit: Venite AD ME OMNES, qui laboratis & onerati eſtis: & ego reficiam vos: Deus omnia in incredulitate concluſit, UT OMNIUM MISEREATUR. Non vult Dominus aliquos perire, ſed OMNES ad pœnitentiam reverti. Idem Dominus OMNIUM, dives in OMNES, qui invocant illum. Juſtitia Dei per fidem JESU Chriſti venit in OMNES, & ſuper OMNES, qui credunt in eum. Et hæc eſt voluntas Patris, ut OMNES, qui in Chriſtum credunt, vitam æternam habeant. Et vult Chriſtus, ut in genere omnibus, quibus pœnitentia agenda prædicatur, etiam hæç promiſſio Evangelii proponatur.

Luc. 24, 47.
Joh. 3, 16.
Joh. 1, 29.
Joh. 6, 51.
1. Joh. 2, 2.
Matth. 11, 28.
Rom. 11, 32.
2. Petr. 3, 9.
Rom. 10.
Rom. 3.
Joh. 6, 40.
Luc. 24, 47.
Marc. 16, 15.

Et hanc vocationem Dei, quæ per verbum Evangelii nobis offertur, non exiſtimemus eſſe ſimulatam & fucatam; ſed certo ſtatuamus, Deum nobis per eam vocationem voluntatem ſuam revelare: quod, videlicet, in iis, quos ad eum modum vocat, per verbum efficax eſſe velit, ut illuminentur, convertantur, & ſalventur. Verbum enim illud, quo vocamur, miniſterium Spiritus eſt: quod Spiritum ſanctum adfert; ſeu, per quod Spiritus ſanctus hominibus confertur: & eſt virtus Dei ad ſalutem omni credenti. Cum igitur Spiritus ſanctus per verbum efficax eſſe, nos corroborare, & vires ſubminiſtrare velit: profecto vult Dominus, ut verbum Evangelii recipiamus, ei credamus atque pareamus.

2. Corinth. 4.
Rom. 1, 16.

Qua de cauſa electi his notis, in ſacris literis ab aliis diſcernendi, deſcribuntur. Oves meæ vocem meam AUDIUNT, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me, *Joh. 10, 27.*

& ego illis do vitam æternam. Et qui ſecundum propoſitum ordinati ſunt ad capiendam hæreditatem: audiunt Evangelion, credunt in CHRISTUM: invocant Deum, eique gratias agunt: ſanctificantur in charitate, perſeverant in ſpe, patientia & conſolatione ſub cruce. Et quamvis hæc bona omnia in ipſis adhuc tenuia atque infirma ſint: tamen eſuriunt & ſitiunt juſtitiam.

Epheſ. 1, 13.
Rom. 8.
Matth. 5.
Rom. 8, 16.
1. Cor. 1.
Philipp. 1.

Sic ſcilicet Spiritus Dei teſtimonium electis perhibet, quod ſint filii Dei: & cum quid petendum ſit, neſciunt, ſicut oportet, ipſe Spiritus pro eis intercedit gemitibus inenarrabilibus.

2. Petr. 3.
Hebr. 3
Philipp. 1, 6.

Præterea ſcriptura teſtatur, Deum, qui nos vocavit, adeo fidelem eſſe, ut cum bonum opus in nobis inceperit, illud conſervare, & continuare, atque ad finem usque perducere & perficere velit: ſi modo non ipſi nos ab eo avertamus, ſed initium ſubſtantiæ usque ad finem firmum retineamus: ad quam conſtantiam, ſuam nobis gratiam promiſit.

Hanc revelatam Dei voluntatem inquiramus, meditemur, atque ut eidem pareamus, ſedulo elaboremus: quandoquidem Spiritus ſanctus per verbum (quo nos vocat) gratiam, vires & facultatem largiri vult: arcanæ autem & occultæ prædeſtinationis divinæ abyſſum perſcrutari ne conemur. In hanc ſententiam Chriſtus cuidam curioſe interroganti, an pauci ſalvarentur, reſpondit: Contendite, ut intretis per anguſtam portam. Et D. Lutherus inquit: Eodem ordine, quem Paulus in Epiſt. ad Romanos obſervavit, procede. Prima tua cura ſit, de Chriſto, ejusque Evangelio: ut & tua peccata, & ipſius gratiam atque clementiam agnoſcas. Deinde, luctare cum peccato, ſicut docet Paulus à primo capite, usque ad octavum. Poſtea ubi (in octavo capite) ſub cruce, tentationibus, & afflictionibus exercitatus fueris, nonum, decimum, & undecimum caput recte te docebunt, quanta in prædeſtinatione divina conſolatio repoſita ſit.

Luc. 13, 14.

In præfatione ſuper Epiſtolam ad Romanos.

Quod

Quod autem multi vocati ſunt, pauci vero electi, ejus rei cauſa non eſt vocatio divina, quæ per verbum fit, quaſi Dei hæc ſit ſententia: ego quidem vos, quibus verbum meum propono, externe, per id verbum omnes voco ad regni mei cœleſtis participationem, at in corde meo non de omnibus ſerio ad ſalutem vocandis, ſed de paucis tantum, cogito. Voluntas enim mea hæc eſt, ut major eorum, quos per verbum voco, pars neque illuminetur, neque convertatur, ſed condemnetur atque in æterna morte maneat: etſi per verbum meum, quo vocantur, aliter meam illis mentem declaro, &c. Hoc enim eſſet Deo contradictorias voluntates affingere: quaſi is, qui æterna veritas eſt, ſecum ipſe diſſentiret: aut aliud loqueretur, aliud vero corde premeret. Hanc levitatem, hanc improbitatem (cum aliud verbis proponitur, aliud in corde fovetur) Deus ipſe etiam in hominibus arguit & punit: ut David aliquoties teſtatur. *Pſalm. 5, 11.* Et hac ratione fundamentum fidei noſtræ maxime neceſſarium & conſolationis veræ pleniſſimum prorſus everteretur: ex quo nobis quotidie admonitiones hæ afferuntur & inculcantur, quod ex ſolo Dei verbo (per quod nobiscum agit, nosque vocat) dicere atque ſtatuere debeamus, quæ ſit ipſius erga nos voluntas: & quod omnia illa, quæ nobis in verbo Domini promittuntur, firma fide amplecti, neque de iis ulla ratione dubitare debeamus.

Et quidem eam ipſam ob cauſam (ne de revelata Dei erga nos voluntate dubitemus) promiſſionem Evangelii Chriſtus non tantum generaliter proponi curat: ſed etiam Sacramenta promiſſioni annectere voluit, quibus tanquam ſigillis ad promiſſionem appenſis, unicuique credenti promiſſionis Evangelicæ certitudinem confirmat.

Ea de cauſa retinemus etiam privatam abſolutionem (ut Auguſtana Confeſſio articulo undecimo lo-

quitur:) docentes, Dei mandatum esse, ut absolutioni fidem habeamus, ac certo statuamus, tam vere (quando verbis absolutionis fidem habemus) Deo reconciliatos nos esse, ac si vocem cœlitus delapsam ea de re audivissemus: quam sententiam etiam Apologia confirmat. Hæc vero consolatio eximia prorsus nobis eriperetur: si non ex vocatione, quæ fit per verbum & Sacramenta, de voluntate Dei erga nos statuendum esset.

Quin etiam illud fundamentum religionis nostræ everteretur: quod credimus, Spiritum sanctum cum verbo prædicato, audito & diligenter considerato, præsentem atque efficacem esse & operari velle. Quare nequaquam sentiendum est, ut paulo ante monuimus, eos etiam in electorum numero habendos, qui verbum Dei contemnunt, repellunt, execrantur, atque persequuntur: qui audito verbo corda sua contra illud obfirmant: qui Spiritui Sancto resistunt: qui in peccatis absque pœnitentia perseverant: neque in Christum vere credunt: externa tantum specie pietatem præ se ferunt: aut extra Christum alias justitiæ & salutis rationes quærunt. Ut enim Deus in æterno suo consilio ordinavit, ut Spiritus Sanctus electos per verbum vocet, illuminet, atque convertat, atque omnes illos, qui Christum vera fide amplectuntur, justificet, atque in eos æternam salutem conferat: ita in eodem suo consilio decrevit, quod eos, qui per verbum vocati, illud repudiant, & Spiritui Sancto (qui in ipsis per verbum efficaciter operari & efficax esse vult) resistunt, & obstinati in ea contumacia perseverant, indurare, reprobare, & æternæ damnationi devovere velit. Et secundum has rationes intelligendum est, quod scriptura dicit: Multos vocatos, paucos vero electos esse.

Matth. 22.
Act. 15.
Hebr. 4.
Actor. 7.
Luc. 14.
Marc. 16.
Matth. 7, 22.
Rom. 9.

Matth. 22, 14. Pauci enim verbum Dei serio recipiunt, eique sincere obtemperant: major pars contemnit verbum: neque in regiis

regiis illis nuptiis vult comparere. Hujus contemtus verbi non est in causa, vel præscientia vel prædestinatio Dei, sed perversa hominis voluntas, quæ medium illud & instrumentum Spiritus Sancti, quod Deus homini per vocationem offert, rejicit, aut depravat: & Spiritui Sancto, qui per verbum efficaciter operari cupit, repugnat, sicut Christus dicit: Quoties volui congregare te, & NOLUISTI? *Matth. 23, 37. Luc. 7. 13.*

Multi quidem verbum Dei initio magno gaudio recipiunt: sed postea rursus deficiunt. Ejus autem rei causa non hæc est, quasi Deus illis, in quibus bonum illud opus jam incepit, gratiam suam ad perseverandum dare nolit: Hoc enim cum Pauli verbis pugnat; Sed vera causa defectionis ipsorum est, quod sese a sancto Dei præcepto rursus, & quidem petulanter avertunt: quod Spiritum Sanctum contristant, & exasperant: quod coinquinationibus hujus mundi rursus sese implicant, & Satanæ hospitium cordis sui adornant. Horum hominum posteriora deteriora fiunt prioribus. *Phil. 1, 6. 2. Petr. 2, 10. Eph. 4, 30. Hebr. 10. 2. Petr. 2. Luc. 11, 25.*

Hucusque sacra scriptura in revelando divinæ prædestinationis mysterio progreditur. Quod si intra has metas nos continuerimus, & verbo Dei revelato innixi fuerimus, profecto doctrina illa amplissimam consolationis veræ materiam nobis suppeditabit. Egregie enim prædestinationis doctrina articulum justificationis confirmat: quod, videlicet, gratuito, sine omnibus operibus & meritis nostris, ex mera gratia propter solum Christum justificemur atque salvemur. Ante secula enim hujus mundi, priusquam in rerum natura essemus, imo antequam mundi fundamenta jacerentur: cum quidem nihil boni agere adhuc poteramus: secundum propositum Dei, in Christo ad æternam salutem electi sumus: Hac etiam doctrina omnes falsæ opiniones, & errores de viribus naturalis nostri arbitrii, evertuntur: quia manifestum est, quod Deus in suo consilio *Rom. 9. 2. Tim. 1,*

ante

ante mundi ſecula decreverit atque ordinarit, quod omnia, quæ ad converſionem noſtram pertinent, ipſe virtute Spiritus ſui ſancti (per verbum) in nobis efficere & operari velit.

Quin etiam hæc doctrina præclaram nobis conſolationem monſtrat. Quantum enim eſt hoc beneficium Dei, quod is de uniuscujusque Chriſtiani converſione, juſtitia & ſalute, adeo ſolicitus fuit, atque tam fideliter procuravit, ut ante jacta fundamenta mundi deliberaverit, atque in illo arcano ſuo propoſito jam tum ordinaverit, quomodo me ad ſalutem vocare, adducere, & in illa conſervare velit? Quid? quod meam ſalutem, adeo firmis præſidiis munire voluit, ut eam in æternum ſuum propoſitum (quod falli aut everti nunquam poteſt) tanquam in arcem munitiſſimam collocaret, atque adeo in omnipotenti manu Domini noſtri Jeſu Chriſti (unde nemo rapere nos poteſt) conſervandam poneret. Si enim nobis tutela & defenſio noſtræ ſalutis committeretur, Deus bone, quam levi momento eam, propter infirmitatem, pravitatem & corruptionem carnis noſtræ amitteremus? quam facile ea nobis per inſidias & vim diaboli atque mundi machinas è noſtris manibus extorqueretur atque eriperetur? Ideo Paulus certitudinem beatitudinis noſtræ ſuper fundamentum propoſiti divini extruit, cum ex eo, quod ſecundum PROPOSITUM Dei vocati ſumus, colligit, neminem nos poſſe ſeparare à dilectione Dei, quæ eſt in Chriſto JESU Domino noſtro.

Joh. 10, 28.

Rom. 8, 39.

In afflictionibus vero & gravibus tentationibus dulciſſimam ex hoc articulo conſolationem petere licet. Docemur enim, Deum in conſilio ſuo, ante ſecula mundi decreviſſe: quod in omnibus calamitatibus, miſeriis, & anguſtiis nobis adeſſe; tolerantiam ſub cruce largiri, conſolari nos, ſpem Chriſtianam exſuſcitare, alere, & nutantem erigere, talemque tandem eventum

dare

dare velit, ut omnia mala ad ſalutem noſtram cedant, eamque promoveant. Unde &D.Paulus egregiam conſolationem ex hoc articulo depromit, cum docet: Deum in ſuo propoſito ante tempora mundi ordinaſſe, quasnam tribulationes, & quod crucis genus Dominus ſingulis Chriſtianis imponere velit, ut omnes conformes fiant imagini filii ſui,& oſtendit,quod unicuique pio ſua crux in bonum cedat ſeu cooperetur: propterea quod pii omnes ſecundum PROPOSITUM Dei ſint vocati. Ac tandem univerſa complectitur: quod neque tribulatio, neque anguſtia, neque vita, neque mors, &c. poſſit nos ſeparare à dilectione Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu. *Rom. 8, 28. ſq.*

Præterea hic articulus luculenter teſtatur,quod Eccleſia Dei adverſus omnes inferorum portas & impetus ſit manſura. Et docet, quæ ſit vera Dei Eccleſia: ne magna illa falſæ Eccleſiæ autoritate & auguſta illius ſpecie offendamur. *Rom. 9.*

Et ex hoc articulo multæ graviſſimæ admonitiones & exhortationes depromuntur, ut, Luc. 7. Contemnunt Dei conſilium adverſus ſemetipſos. Et Luc.14. Dico vobis, quod nemo virorum illorum guſtaturus ſit cœnam meam. Et alibi: Multi vocati ſunt, pauci vero electi. Et rurſus: Qui aures habet audiendi, audiat. Et: Videte, quomodo audiatis. Atque ita doctrina de hoc articulo ſalutaris eſt, plena conſolationis, & ad uſum noſtrum multis modis transferri poteſt. *Luc. 7. v. 30. c. 14. v. 24. Matth. 22, 14. Luc. 8, 8.*

Accurate autem diſcrimen obſervandum & retinendum eſt, inter id, quod de hoc negotio expreſſe in ſacris literis revelatum eſt: & inter ea, quæ non ſunt revelata.Præter illa enim,de quibus hactenus dictum eſt, & quæ in Chriſto manifeſte revelata ſunt, multa adhuc Dominus de hoc myſterio reticuit & occultavit: eaque ſoli ſuæ ſapientiæ & ſcientiæ reſervavit. Talia inveſtigare, cogitationibus noſtris indulgere, aliquid de iis

de iis ſtatuere, aut ſcrutari nobis non licet, ſed toti à verbo Dei revelato, quod ipſe nobis proponit, pendere debemus. Hæc admonitio in hoc myſterio apprime neceſſaria eſt.

Ea enim eſt corruptæ naturæ noſtræ curioſitas, ut magis iis, quæ abſtruſa & arcana ſunt, indagandis, quam iis, quæ de hoc negotio Deus in verbo ſuo nobis revelavit, cognoſcendis, delectemur: præſertim cum quædam in hoc myſterio tam intricata & perplexa occurrant, quæ nos in mentibus noſtris acumine ingenii noſtri conciliare non poſſumus, ſed neque id nobis à Deo demandatum eſt.

Dubium quidem non eſt, quin Deus exactiſſime & certiſſime ante tempora mundi præviderit, & hodie etiam norit, quinam ex eorum numero, qui vocati ſunt, in Chriſtum crediturí, aut non crediturí ſint: qui ex converſis in fide perſeveraturi ſint, qui non: & qui in peccata gravia prolapſi, reverſuri ſint, & qui in ſceleribus perituri. Et haud dubie etiam numerus eorum, qui ſalvabuntur, & damnandorum, Deo probe notus eſt. Quia vero Dominus talia arcana ſoli ſuæ ſapientiæ reſervavit: neque ea de re quicquam in verbo ſuo revelavit: multo vero minus hæc myſteria cogitationibus noſtris indagare nos juſſit; quin potius, ne id conaremur, prohibuit: non decet nos cogitationibus noſtris indulgere, ſtatuere aliquid, ratiocinari, aut illa occultiſſima inveſtigare velle: ſed in verbo ipſius revelato (ad quod ille nos ablegavit) acquieſcere nos oportet.

Roman. 11.

Novit enim Dominus procul dubio tempus & horam, eamque apud ſe conſtituit, quando, videlicet, unumquemque vocare, convertere, & lapſum rurſus erigere velit. Quia vero id nobis non eſt revelatum: intelligimus hoc nobis injungi ſerio, ut ſemper prædicando & tractando Dei verbo inſtemus, tempus vero, & horam converſionis Deo permittamus.

Aſſer. 1, 7.

Ad

Ad eundem modum cum videmus, quod Deus verbum ſuum alicui regno aut ditioni dõnat, idem vero alii genti non largitur: item, quod id ipſum ab uno populo aufert; alii vero diutius concedit: quod hic induratur, excœcatur, & in reprobum ſenſum datur, ille vero, qui in eadem culpa hæret, ad Deum convertitur, &c. cavendum eſt diligenter, ne in his rebus expendendis cogitationibus noſtris nimium indulgeamus. Paulus autem certas metas nobis poſuit, quousque progredi liceat. Jubet enim nos in illis, qui pereunt, conſiderare juſtum Dei JUDICIUM & pœnas peccatorum: Sunt enim hæc digna peccatis ſupplicia, ſi Deus totam aliquam provinciam aut gentem (propter verbi divini contemtum) ita punit, ut hoc ingens malum etiam in ipſorum poſteritatem redundet: ut eſt videre in obſtinatis & perditiſſimis hominibus, Judæis. Et hoc modo Dominus quarundam provinciarum & perſonarum pœnis ſeveritatem ſuam oſtendit, ut demonſtret, quibus nos omnes malis digni eſſemus, qui Deo pro revelato verbo ingrati ſumus, & indigne Evangelio vivimus, Spiritum Sanctum ſæpe graviter contriſtamus. Et vult Dominus, ut illorum exemplis moniti, in timore Dei vivamus: &, ut ipſius bonitatem (quæ præter meritum nobis contingit) in nobis, quos verbo ſuo dignatur, neque nos indurat, aut rejicit, agnoſcamus, & grata mente celebremus. *Rom. 11, 22.*

Cum enim natura noſtra peccato corrupta, & idcirco iræ divinæ & æternæ damnationis rea ſit: Deus nobis prorſus nihil debet: neque ullo jure tenetur, ut nobis verbum ſuum & Spiritum ſanctum largiatur, atque gratia & favore nos proſequatur. Quid? quod ſæpe etiam ea dona, quæ ipſe nobis ex gratia largiatur, repudiamus, nosque æterna vita indignos reddimus. Juſtum igitur ſuum judicium, quod hominum impietas meretur, conſpiciendum in quibusdam regnis, populis, perſonis propo- *Actor. 13.*

proponit, ut nos cum illis collati, & quam ſimillimi illis deprehenſi, tanto accuratius DEI immenſam miſericordiam (quæ nulli merito noſtro debetur) in vaſis miſericordiæ agnoſcere & celebrare diſcamus.

Illi enim nulla afficiuntur injuria, qui pœnas ſuæ impietatis luunt, & ſcelerum ſuorum ſtipendia accipiunt. At in his, quos Deus luce verbi ſui donat, eamque apud ipſos conſervat, qua miſeri mortales illuminantur, convertuntur, ſalvantur, Dominus immenſam ſuam gratiam & miſericordiam ſine ipſorum meritis commendat.

Cum eo usque in hujus articuli meditatione progredimur, tum in tuta & regia via ambulamus. Scriptum eſt enim de hoc myſterio: Perditio TUA ex te eſt, Iſrael: TANTUMMODO in me AUXILIUM TUUM.

Oſe. 13, 9.

Quæcunque autem cogitationes & quicunque ſermones extra hos limites in hac diſputatione evagari volent, eos ſtatim cohibeamus, & cum D. Paulo labellum digito compeſcamus, memores dicti: O homo, tu quis es, qui reſponſes Deo?

Rom. 9, 20.

Et ſane, quod in hoc articulo non omnia perſcrutari & perveſtigare poſſimus aut debeamus, docet D. Paulus ſuo ipſius exemplo. Cum enim de hoc articulo multis è verbo Dei revelato diſputaſſet: tandem cum eo ventum eſſet, ut diceretur, quænam Deus arcanæ ſuæ ſapientiæ de hoc myſterio reſervaſſet: ſilentio ea tegit, diſputationem abrumpit, & his verbis concludit: O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus: Quis enim cognovit ſenſum Domini, &c. ſcilicet, extra & ſupra id, quod ipſe in verbo ſuo nobis revelavit.

Rom. 11, 33.

Æterna igitur Dei prædeſtinatio in Chriſto, & nequaquam extra mediatorem Chriſtum conſideranda eſt. In Chriſto enim (inquit Paulus) elegit nos Deus, antequam mundi fundamenta jacerentur. Et ſcriptum eſt:

Eph. 1, 4.

Digitized by Google

est: quod Dominus dilexerit nos in DILECTO. Hæc autem electio de cœlo nobis revelatur, per verbi Dei prædicationem, cum Pater cœlestis inquit: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est: HUNC AUDITE. Et Christus dicit: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis: & ego reficiam vos. De Spiritu Sancto vero Christus inquit: Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis, &c. Itaque tota sacratissima Trinitas, PATER, FILIUS ET SPIRITUS SANCTUS, ablegat omnes homines ad Christum, tanquam ad librum vitæ, ut in eo æternam Patris prædestinationem investigent & cognoscant. Hoc enim jam ab æterno decretum est à Patre, quod eos, quos salvare vult, per Christum salvos facere velit: ut Christus ipse inquit: Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Et alibi: Ego sum ostium: Si quis per me introierit, salvabitur.

Eph. 1, 6. *Matth. 17, 15.* *Matth. 11, 28.* *Ioh. 16, 14.* *Ioh. 14, 6.* *Ioh. 10, 9.*

CHRISTUS autem, unigenitus Dei filius, qui est in sinu Patris, nobis voluntatem Patris cœlestis, atque hac ratione etiam electionem nostram ad vitam æternam annunciavit: idque his verbis: Pœnitentiam agite, & credite Evangelio: appropinquavit enim regnum cœlorum. Et alio loco ait: Hæc est VOLUNTAS EJUS, QUI MISIT ME, ut qui Filium videt, & credit in eum, habeat vitam æternam. Et alibi: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui in eum crediderit, non pereat, sed habeat vitam æternam, &c.

Ioh. 1, 18. *Marc. 1, 15.* *Ioh. 6, 40.* *Ioh. 3, 16.*

Hanc dulcissimam concionem vult Deus Pater, ut omnes homines audiant: vult, ut ad Christum veniant. Qui vero venerint, eos Christus non à se repellit. Sic enim scriptum est: Quod venerit ad me, non ejiciam foras.

Ioh. 6, 37.

Ut autem ad Christum venire possimus, Spiritus sanctus per auditionem verbi Dei veram in nobis fidem

operatur. Sic enim Apoſtolus ait: Fides eſt ex auditu verbi Dei: quando, videlicet, illud ſincere & pure annunciatur. *Rom. 10, 17.*

Qui igitur æternæ ſalutis vero deſiderio tenentur, non macerent atque excrucient ſeſe cogitationibus & imaginationibus de arcano Dei conſilio: an ad vitam æternam ſint prædeſtinati, & ordinati: quibus curis Satanas pias mentes quandoque affligere atque excruciare ſolet. Chriſtum potius audiant, & in eum, ut in librum vitæ, intueantur: in quo perſcripta eſt omnium filiorum Dei electio ad vitam æternam. Hic vero omnibus hominibus, absque ullo diſcrimine teſtis locupletiſſimus eſt: Hanc eſſe Dei voluntatem, ut omnes homines ad Chriſtum veniant, qui peccatis gravati & onerati ſunt: ut ab ipſo recreentur & ſalvi fiant.

Hac doctrina Chriſti percepta, vitam emendemus, & vere pœnitentiam agamus, & promiſſioni ejus credamus, totamque noſtram in ipſum fiduciam collocemus. Quia vero hæc noſtris viribus & ex nobis ipſis præſtare non poſſumus, Spiritus ſanctus ipſe per verbum & Sacramenta in nobis pœnitentiam & fidem vult operari. Ut autem in bono iſto propoſito usq; ad beatum finem propredi, perſeverare, atque in vera pietate conſtantes manere valeamus, invocandus eſt Deus ardentibus votis, ut gratiam nobis ſuam benigne largiatur, quam nobis in ſacro Baptiſmate pollicitus eſt: nec dubitemus, quin eam ſit, juxta promiſſionem ſuam, nobis donaturus. Hoc enim Chriſtus nobis ipſe ſancte promiſit, dicens: Quis autem ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? aut piſcem, nunquid pro piſce ſerpentem dabit illi? autſi petierit ovum, nunquid porriget illi ſcorpionem? ſi ergo vos, cum ſitis mali, noſtis bona dona dare filiis veſtris, quanto magis Pater veſter cœleſtis dabit Spiritum bonum petentibus ſe? *Luc. 13, 11.*

Et quia Spiritus S. in electis, qui jam in Chriſtum credunt, *1. Cor. 3, 16.*

credunt, habitat, ut in templo ſuo: & in ipſis non eſt ocioſus, ſed impellit filios Dei ad obedientiam mandatis Dei præſtandam: ipſos etiam credentes non otioſos eſſe, multo vero minus agenti & operanti Spiritui ſancto reſiſtere decet. Exerceant igitur ſeſe in omnibus virtutibus, homine Chriſtiano dignis: in omni, videlicet, pietate, modeſtia, temperantia, patientia, & charitate fraterna: magnamque diligentiam adhibeant, ut vocationem & electionem ſuam firmam faciant: ut tanto minus de ea dubitent, quanto efficacius Spiritus ſancti virtutem & robur in ſe ſentiunt. Spiritus Dei enim teſtimonium perhibet electis, quod ſint filii Dei. Quod ſi etiam aliquando in tam graves tentationes inciderint, ut prorſus nullam amplius inhabitantis Spiritus Dei virtutem in ſe animadvertere & ſentire poſſint, ut cum Davide queribunda voce dicant: ego dixi in exceſſu mentis meæ, projectus ſum a facie oculorum tuorum: tamen rurſum ſe erigant, & illud, cum Davide, adjiciant: (utcunque aliud in ſe ſentiant) ideo exaudiſti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te.

Rom. 8, 16.

Pſalm. 31, 23.

Cum etiam electio noſtra ad vitam æternam non virtutibus aut juſtitia noſtra, ſed ſolo Chriſti merito, & benigna cœleſtis patris voluntate nitatur, qui ſeipſum negare non poteſt: (cum in voluntate & eſſentia ſua ſit immutabilis) eam ob cauſam, quando filii ipſius obedientiam non præſtant, ſed in peccata labuntur, per verbum eos ad pœnitentiam revocat: & Spiritus ſanctus per verbum vult in illis efficax eſſe, ut in viam redeant, & vitam emendent. Quando igitur vera pœnitentia & fide rurſus ad ipſum ſeſe convertunt: pater cœleſtis animum ſuum paternum conſtanter omnibus ſuis oſtendere vult, qui ad verbum ejus tremunt, & ſerio reſipiſcunt. Sic enim ſcriptum eſt: ſi dimiſerit vir uxorē ſuā, & recedens ab eo, viro alteri nupſerit, nunquid revertetur ad eū ultra? nunquid non ipſa

Eſa. 66.
Jerem. 3, 1.

tera sic contaminaretur? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: TAMEN REVERTERE AD ME, dicit Dominus.

Ioh. 6, 44. Quod vero in sacris literis asseritur: neminem ad Christum venire posse, nisi Pater eum trahat; id pie & recte dicitur. Pater autem neminem trahere vult, absque mediis, sed utitur tanquam ordinariis mediis & instrumentis, verbo suo & Sacramentis. Et neque Patris neque Filii voluntas est, ut quisquam prædicationem verbi negligat aut contemnat, & interim expectet, donec a Patre, absque Verbo & Sacramento trahatur. Pater enim trahit quidem hominem, virtute Spiritus sui sancti: trahit tamen eum juxta ordinem a se decretum & institutum, videlicet, per auditionem verbi sui divini, tanquam reti aut sagena, qua electi e faucibus Satanæ eripiuntur. Ad conciones itaque sacras miseri peccatores conveniant, verbum Dei accurata diligentia audiant: neque dubitent, quin Pater eos ad filium suum Christum sit pertracturus. Spiritus enim Sanctus virtute sua ministerio adesse, & per illud ad hominum salutem vult operari. Et hic est tractus ille Patris, de quo sacræ literæ loquuntur.

Quod autem non omnes, qui verbum Dei audiunt, credunt: Ideoque ad graviora supplicia in æternum damnantur: non existimandum est, Deum illis salutem invidere. Ipsi suæ perditionis causa sunt, & culpam sustinent: propterea, quod verbum non ea intentione, aut eo proposito audierint, ut illud serio & cum desiderio discerent: sed ut auditum verbum spernerent, blasphemarent, convitiis proscinderent, & Spiritui sancto, qui per verbum in ipsis operari volebat, resisterent. Tales olim erant Christi temporibus Pharisæi, eorumq; assecłæ. Unde accurate Apostolus distinguit inter opus Dei, qui solus facit vasa honoris: & inter opus Diaboli, & hominis, qui ex instinctu & impulsu

pulsu Diaboli (nequaquam autem impellente DEO) seipsum vas contumeliæ fecit. Sic enim scriptum est: *Rom. 9, v. 22. 23.* Deus sustinuit in multa patientia, vasa iræ, aptata in interitum: ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.

His verbis Paulus diserte dicit: Deum vasa iræ multa patientia sustinuisse; non autem dicit: Deum FECISSE vasa iræ. Si enim hæc ipsius fuisset voluntas, non multum certe opus erat divina patientia. Quod autem aptata sunt ad interitum, in culpa sunt Diabolus & homines: nullo autem modo Deus.

Omnis enim præparatio seu aptatio ad interitum a Diabolo est, & ab homine per peccatum: nequaquam autem a Deo. Deus enim non vult, ut homo ullus damnetur: quomodo igitur hominem ad damnationem ipse præpararet seu aptaret? Ut enim Deus non est causa peccati: ita etiam non est pœnæ, hoc est, damnatio- *Rom. 6, 23.* nis: sed unica causa damnationis est peccatum. Stipendium enim peccati mors est. Et, ut Deus non vult peccatum, nec peccato delectatur: ita etiam non vult mortem peccatoris, neque ipsius damnatione delectatur. Non enim vult Deus quenquam perire, sed potius, ut omnes pœnitentiam agant. Sic enim scriptum *Ezech. 33.* est in Ezechiele: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mor- *2. Petr. 3, 9.* tem peccatoris: sed ut convertatur & vivat. Et Pau- *Ezech. 18, 33.* lus disertis verbis testatur, quod ex vasis ignominiæ, *v. 11. 23.* vasa in honorem (per virtutem & operationem Dei) fieri possint. Sic enim scribit: Si quis emundaverit se ab istis, erit vas in honorem, sanctificatum & utile Domino, ad omne opus bonum paratum. Qui autem se *2. Tim. 2, 21.* emundare debet, eum necesse est prius fuisse immundum, impurum, & per consequens vas ignominiæ. De vasis autem misericordiæ Apostolus clare dicit, quod Dominus ipse præparaverit ea ad gloriam: id quod nequaquam affirmat de damnatis: qui ipsi (non autem Deus) sese vasa damnationis fecerunt.

Sed & hoc magna cura considerandum est: quando Dominus peccata peccatis punit, hoc est, cum eos, qui aliquando conversi fuerant, propter subsequentem securitatem carnalem, impœnitentiam, contumaciam in sceleribus, & propter voluntaria flagitia punit excœcatione, & induratione: id non ita accipiendum esse, quasi Deus nunquam serio voluisset, ut tales ad agnitionem veritatis pervenirent, & salutem consequerentur. Ut enim hæc voluntas Dei revelata

I. est: Quod Deus omnes resipiscentes & in Christum credentes in gratiam recipere velit; ita & hæc est Dei

II. revelata voluntas: Quod eos, qui sponte sese à sancto Dei mandato avertunt, in coinquinationes

1. Petr. 3. Luc. 11. mundi se denuo implicant, & Satanæ cor adornant, Spiritumque gratiæ contumelia afficiunt, severissime punire velit: & quod tales, si in impietate perseveraverint, indurandi, excœcandi & in æternum damnandi sint.

Exod. 9, 16. Rom. 9, 17. Itaque Pharao (de quo scriptum est: In hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam: & ut annuncietur nomen meum in universa terra) non ideo periit, quod DEUS illi salutem invideret: aut quasi Deus ipsius damnatione & interitu delectaretur. Deus enim non vult quenquam perire, neque morte peccatoris delectatur; sed vult, ut convertatur

Ezech. 33, 11. & vivat, Ezech. 33.

Quod autem Dominus cor Pharaonis indurat, ut Pharao subinde peccando pergat, & quò gravius admonetur, eo magis ipse induretur: id pœna est antecedentium ipsius peccatorum, & immanissimæ & multiplicis tyrannidis, quam in filios Israel (contra conscientiæ suæ stimulos) exercuerat. Et cum Dominus ipsi verbum ac voluntatem suam annunciari curaret; Pharao vero nihilominus ex proposito & destinata malitia simpliciter, adversus omnes exhortationes & admonitiones contumaciter insurgeret: Dominus manum

num ab eo ſuam retraxit, eum deſeruit: atque ita cor ipſius induratum eſt, & Dominus juſtum judicium ſuum adverſus eum executus eſt. Omnino enim Pharao æterno gehennæ incendio dignus erat. Et ſane D. Paulus exemplum Pharaonis non alio fine adfert, quam ut eo ipſo Dei juſtitiam declararet, quam in impœnitentibus hominibus, & verbi divini contemtoribus puniendis, demonſtrat. Nequaquam autem Pauli mens eſt, quod Dominus Pharaoni aut ulli alii homini ſalutem invideat: aut quod in arcano ſuo conſilio quenquam ad damnationem prædeſtinaverit, ut ille nullo modo ſalutem conſequi poſſit.

Hac pia doctrina & declaratione articuli de æterna & ſalvifica electorum filiorum Dei prædeſtinatione Deo gloria ſua omnis ſolide tribuitur: quod, videlicet, mera & gratuita miſericordia in Chriſto (absque omnibus noſtris meritis aut bonis operibus) ſalvos nos faciat, ſecundum voluntatis ſuæ propoſitum. Sic enim ſcriptum eſt: Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum, per Jeſum Chriſtum, in ipſum, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua acceptos nos fecit, in dilecto. *Eph. 1, 5.* Falſum igitur eſt, & cum verbo Dei pugnat, cum docetur, quod non ſola Dei miſericordia, & unicum ſanctiſſimum Chriſti meritum, verum etiam ALIQUID IN NOBIS, cauſa ſit electionis divinæ: propter quod nos DEUS ad vitam æternam prædeſtinaverit. Non enim tantum, antequam aliquid boni faceremus, verum etiam, priusquam naſceremur, imo ante jacta fundamenta mundi elegit nos Deus in Chriſto. Ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret: non ex operibus, ſed ex vocante, dictum eſt ei: Major ſerviet minori; ſicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi, Eſau autem odio habui, Rom. 9. Geneſ. 25. Malach. 1. *Rom. 9. 11. Gen. 25, 23. Mal. 1, 2.*

Sed & hæc pia doctrina nulli vel ad animi anguſtias, vel ad vitam diſſolutam & impiam, ullam occaſionem

præbet: quando, videlicet homines docentur, quod æternam electionem in Christo, qui liber vitæ est, & sancto ejus Evangelio quærere debeant. Evangelion enim nullum resipiscentem peccatorem à salute excludit: sed ad pœnitentiam, ad agnitionem peccatorum suorum, & ad fidem in Christum omnes peccato gravatos & sensu iræ Dei perturbatos peccatores vocat & invitat: & Spiritum Sanctum ad emundationem & sanctificationem promittit. Etenim hic articulus recte & dextre explicatus, veram & omnium firmissimam consolationem perturbatis mentibus præbet, quia inde certi fiunt, quod salus æterna non in manu ipsorum sit posita: (quam alias multo facilius, quam Adam & Eva in paradiso, imo singulis horis & momentis amitterent:) sed norunt, eam in clementi divina prædestinatione fundatam esse: quam nobis revelavit in Christo, ex cujus manu nemo nos rapiet, Johan. 10. 2. Tim. 2.

Joh. 10, 28.

Quare si quis doctrinam de æterna Dei prædestinatione eo modo proponat, ut vel perturbatæ mentes ex ea consolationem nullam haurire possint, sed potius ad desperationem illis ansa præbeatur: vel impœnitentes in sua securitate, improbitate & malitia confirmentur: tum nihil certius est, quam quod articulus de electione non ad normam & juxta voluntatem Dei, sed secundum humanæ rationis cœcum judicium, & ex impulsu atque instinctu Diaboli male & perverse doceatur.

Rom. 15, 4.

Quicquid enim scriptum est, (ut Apostolus testatur) in doctrinam nostram scriptum est, ut per patientiam & consolationem scripturæ spem habeamus. Quod si nobis per scripturam consolatio illa vel enervatur, vel eripitur: certo certius est, scripturam contra sententiam & mentem Spiritus Sancti explicari & intelligi.

In

In hac ſimplici, perſpicua & ſalutari declaratione, quæ in voluntate Dei revelata ſolidiſſimum habet fundamentum, acquieſcimus. Et omnes argutas, curioſas, & ad ædificationem inutiles quæſtiones atque diſputationes fugimus atque averſamur. Et ſi quæ huic ſimplici, ſinceræ atque ſalutari explicationi repugnant, ea rejicimus atque damnamus.

Et hæc de controverſis articulis (de quibus inter Theologos Auguſtanæ Confeſſionis multos jam annos diſputatum eſt, cum quidam in illis erraſſent: unde difficiles controverſiæ, & certamina religionis eruperunt) dixiſſe ſufficiat.

SPERAMUS autem, omnes, tam adverſarios, quam amicos noſtros, ex hac declaratione deprehenſuros, noſtrum propoſitum haudquaquam fuiſſe propter temporariam pacem, tranquillitatem, aut concordiam aliquid (cum jactura aut detrimento æterno immotæ atque immutabilis veritatis cœleſtis) cuiquam largiri: id quod etiam non in noſtra eſt poteſtate. Neque vero talis pax & concordia, quæ veritati adverſaretur, & ejusdem oppreſſionem moliretur, diu durare poſſet. Sed & ne in animum quidem noſtrum unquam induximus, purioris doctrinæ corruptelas, vel etiam manifeſtos damnatosque errores fuco quodam commendare diſſimulare aut occultare. Hanc vero concordiam ex animo diligimus, & toto pectore amplectimur, eamque pro virili (quantum quidem in nobis erit) promovere ſummo ſtudio cupimus, qua Deo honor ſuus illibatus ſervetur, veritati Evangelicæ nihil decedat: nulli etiam falſo dogmati locus concedatur: peccatores ad ſeriam pœnitentiam invitentur! perturbatæ mentes fide erigantur: in obedientia nova confirmentur: atque adeo per unicum Chriſti meritum, juſtitiam veram, & ſalutem æternam conſequantur.

XII.

DE ALIIS HÆRETICIS ET SECTARIIS, QUI AUGUSTANAM CONFESSIONEM NUNQUAM SUNT AMPLEXI.

IRREPSERUNT etiam hinc inde alii quidam hæretici & Sectarii, qui Auguſtanam Confeſſionem non amplectuntur aut profitentur: quorum in hac declaratione nominatim nullam mentionem fecimus, ut ſunt Anabaptiſtæ, Schvvenckfeldiani, novi Ariani, & Anti-Trinitarii. Horum errores unanimi conſenſu ab omnibus Eccleſiis Auguſtanam Confeſſionem profitentibus damnati ſunt. Noluimus autem de illis erroribus in hoc ſcripto, niſi incidenter, agere, propterea, quod hoc tempore ſcopum illum præfixum habuerimus, ut potiſſimum adverſariorum Pontificiorum calumnias refutaremus.

Illi enim ſine fronte in toto Chriſtiano orbe Eccleſias noſtras, earumque ſinceros doctores hactenus traduxerunt, atque jactarunt: non reperiri duos ſaltem Evangelicos concionatores, qui de omnibus & ſingulis articulis Auguſtanæ Confeſſionis conſentiant: ſed tantas inter eos omnes eſſe diſſenſiones, ut ne quidem amplius norint, quæ ſit vera Auguſtana Confeſſio, & ipſius genuina & germana ſententia. Non igitur nudis & paucis verbis, aut nominum noſtrorum ſubſcriptionibus tantummodo de noſtro conſenſu teſtari voluimus: ſed de omnibus articulis, de quibus ab Auguſtanæ Confeſſionis Theologis diſceptatum fuit, perſpicuam, diſertam, ſinceram declarationem conſcribere voluimus. Idque eo conſilio fecimus, ut omnes intelligant,

gant, nos illas controverſias & falſas opiniones neque malitioſe diſſimulare, neque occultare voluiſſe. Et deprehendent boni & intelligentes viri, non hoc nos egiſſe, ut fucatam & ſimulatam concordiam faceremus, nec ut malis iſtis medicinam aliquam ſuperficiariam, ſed ut remedia ſolida & vera adhiberemus. Itaque ſententiam noſtram liquidiſſime propoſuimus, ut adverſarios etiam noſtros fateri oporteat, quod in tota hac controverſiarum tractatione & explicatione veram, ſimplicem, ſinceram, genuinam atque propriiſſimam Auguſtanæ Confeſſionis ſententiam retinere voluerimus. Et ſane in ea pia ſententia, per gratiam Dei, conſtanter ad ultimum usque ſpiritum perſeverare cupimus. Et quantum quidem proficiſci à cura noſtra, rationibusque miniſterii noſtri poteſt, non connivebimus, aut ſilentio noſtro committemus, ut aliquid, quod cum genuina & pia Auguſtanæ Confeſſionis ſententia pugnet, in Eccleſias aut Scholas noſtras invehatur: in quibus nos Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti doctores & paſtores eſſe voluit.

Ne quis autem tacitis nos cogitationibus accuſet, quaſi errores damnatos earum hæreſium & ſectarum (quarum ſupra paucis mentionem fecimus) ulla ex parte approbemus: facere non potuimus, quin publice coram tota Eccleſia in hoc ſcripto proteſtaremur, nos illis erroribus omnibus, qualescunque & quotcunque tandem illi ſint) nulla ex parte ſubſcribere, aut eos approbare; ſed potius penitus rejicere atque damnare, propterea, quod eos impios & fanaticos eſſe, & cum Prophetica & Apoſtolica doctrina, atque cum pia noſtra Auguſtana Confeſſione in verbo DEI probe fundata, pugnare judicemus. Atque illi ſane errores maxime in iis locis, & tum temporis potiſſimum irrepſerunt, (ut eſt ingenium fanaticorum ſpirituum) ubi ſincero Chriſti Evangelio locus non erat: &

unde

unde omnes ſinceri Doctores & Confeſſores Evangelii fuere repulſi aut ejecti. Ubi enim craſſiſſimæ & plus quam Cimmeriæ, ut dici ſolet, Papatus tenebræ regnabant, ibi miſeri homines, qui Pontificiam manifeſtiſſimam Idololatriam & falſam doctrinam tantum non manibus palpabant, ex mera ſimplicitate amplexi ſunt, quicquid à Papatu diſcrepabat, & ſub Evangelii nomine ipſis obtrudebatur. Quorum malorum Pontificia tyrannis, quæ ſinceram doctrinam perſequitur, vel præcipua cauſa eſt.

ERRORES ANABAPTISTARUM.

REjicimus & damnamus falſa Anabaptiſtarum dogmata, quæ neque in Eccleſia Dei, neque in Politia, neque in Oeconomia tolerari poſſunt.

I. Quod juſtitia noſtra coram Deo, non tantum in ſola obedientia & unico merito Chriſti, verum etiam in noſtra renovatione & propria juſtitia (in qua coram Deo ambulemus) conſiſtat. Et eam probitatem ſeu juſtitiam Anabapiſtæ ut plurimum in peculiaribus obſervationibus & ſua quadam electitia ſanctimonia, quaſi in quodam novo Monachatu, collocant.

II. Quod infantes non-baptizati coram Deo non ſint peccatores, ſed juſti, & prorſus innocentes, & quod in ſua illa innocentia ſine Baptiſmo (quo non indigeant) ſalventur. Et hac ratione negant atque rejiciunt Anabaptiſtæ totam de originali peccato doctrinam, & quicquid ad eam pertinet.

III. Quod docent, infantes non eſſe baptizandos, donec uſum rationis habeant, & fidem ſuam ipſi confiteri poſſint.

IV. Infantes Chriſtianorum ob eam cauſam (etiam ſine Baptiſmo, & ante ſuſceptum Baptiſmū) ſanctos, & filios Dei eſſe: quod parentibus Chriſtianis prognati ſint.

Unde

Unde & Baptiſmum infantum non magni faciunt, neque admodum urgent. Id quod pugnat cum expreſſis verbis promiſſionis: quæ ad eos tantum pertinent, qui fœdus Dei obſervant, neque illud contemnunt.

Non eſſe eam veram & Chriſtianam Eccleſiam, in qua peccatores reperiantur. V.

Non eſſe conciones ſacras audiendas in iis templis, in quibus aliquando Miſſæ Pontificiæ ſunt celebratæ. VI.

Non habendum quicquam commercii cum Eccleſiæ miniſtris, qui & ſanctum Chriſti Evangelion juxta piam Auguſtanæ Confeſſionis ſententiam docent, & Anabaptiſtarum errores refutant: neque illis operam locandam, quin potius, ut verbi Dei corruptores fugiendos atque vitandos eſſe. VII.

Magiſtratus officium non eſſe (in novo Teſtamento) genus vitæ, homine & pio Chriſtiano dignum. VIII.

Hominem pium ſalva conſcientia officio magiſtratus fungi non poſſe. IX.

Hominem Chriſtianum illæſa conſcientia officium magiſtratus, re ita poſtulante, adverſus facinoroſos facere, & exequi non poſſe, nec quenquam ſubditorum implorare opem magiſtratus debere. X.

Chriſtianos ſana conſcientia in foro civili juramentum præſtare, aut principi ac magiſtratui ſuo fidem ſub religione jurisjurandi aſtringere non poſſe. XI.

Quod Magiſtratus ſontes & morte dignos ſupplicio capitis afficere, ſine vulnere & labe conſcientiæ nequeat. XII.

Hominem Chriſtianum ſalva ſua conſcientia proprium tenere ac poſſidere non poſſe, ſed oportere, quicquid id eſt, in communem fiſcum conferre. XIII.

Hominem pium ſana conſcientia non poſſe cauponariam aut mercaturam exercere, aut arma conficere. XIV.

Conjugibus propter religionis diverſitatem, divortium facere, & matrimonium cum alia perſona, qua cum in religione conveniat, contrahere, licitum eſſe.

Chriſtum

XVI. Christum carnem & sanguinem suum non e Maria virgine assumsisse, sed de cœlo attulisse.

XVII. Christum non esse verum & essentialem Deum: sed duntaxat alios homines multitudine & excellentia donorum & gloriæ superare.

Hos atque similes falsos articulos Anabaptistæ profitentur. Et quidem in multas sectas sunt divisi: & alii plures, alii pauciores religionis errores amplectuntur. Tota vero ipsorum secta nil nisi novus quidam est Manicheismus.

ERRORES SCHVVENCKFELDIANORUM.

REjicimus atque damnamus etiam Schvvenckfeldianorum errores, quibus docent:

I. Quod omnes illi non habeant cœlestis regis Christi jam regnantis veram agnitionem, qui sentiunt, Christum secundum carnem seu Christi humanam naturam, esse creaturam. Quod caro Christi per exaltationem omnes divinas proprietates ita acceperit, ut jam Christus humanitatis suæ ratione, potentia, virtute, Majestate, gloria, Patri, & æterno Verbo, prorsus gradu, loco, & essentia sit æqualis: ita, ut sit eadem omnino utriusque naturæ in Christo ESSENTIA, eædem proprietates, una eademque voluntas, una gloria. Quod denique caro Christi ad ESSENTIAM sacrosanctæ TRINITATIS pertineat.

II. Quod ministerium Ecclesiasticum, hoc est, verbum Dei prædicatum & auditum, non sit medium seu instrumentum, quo Deus Spiritus sanctus homines doceat, & per quod ipsis donet veram Christi agnitionem, pœnitentiam & fidem, & quo in ipsis novam obedientiam operetur.

III. Quod aqua baptismi non sit medium aut instrumentum, quo Dominus adoptionem filiorum Dei obsignet, & homines regeneret.

Quod

Quod panis & vinum in ſacra Cœna non ſint media ſeu inſtrumenta, cum quibus Chriſtus corpus & ſanguinem ſuum diſtribuat. IV.

Quod homo Chriſtianus vere per Spiritum Dei renatus legem Dei in hac vita perfecte implere poſſit. V.

Quod non ſit ea vera & Chriſtiana Eccleſia, in qua non externa excommunicatio vigeat, aut in qua non externus ordinarius excommunicationis modus, delectus, & proceſſus obſervetur. VI.

Quod is Eccleſiæ miniſter non poſſit alios ſalubriter docere, aut Sacramenta rite adminiſtrare, qui non ipſe ſit vere renovatus, juſtus & pius. VII.

ERRORES NOVORUM ARIANORUM.

REjicimus & damnamus etiam novorum Arianorum impium & blasphemum dogma: quod affirmant, Chriſtum non eſſe verum, eſſentialem, naturalem Deum, ejusdem æternæ atque divinæ eſſentiæ cum Deo Patre: ſed fingunt, eundem tantummodo divina Majeſtate, cum Patre, ornatum, ita ut revera ſit inferior Deo Patre.

ERRORES NOVORUM ANTI-TRINITARIORUM.

QUod Anti-Trinitarii aliqui vetera, & in Eccleſia Chriſti approbata ſymbola, Nicenum & Athanaſianum, tum quoad verba, tum quoad ſententiam, repudiant atque condemnant. Quod iidem hæretici aſſerunt, non eſſe unicam tantum æternam divinam eſſentiam, Patris, Filii, & Spiritus ſancti: ſed ut tres ſunt diſtinctæ Trinitatis perſonæ, (videlicet, Deus Pater, Filius, & Spiritus ſanctus) ita etiam unamquamque perſonam habere diſtinctam, & ab aliis perſonis ſeparatã eſſentiam. Et alii fingunt, tres illas ſeparatas eſſentias I.

(ut

(ut alias tres distinctos & in essentiis suis separatos homines) ejusdem esse potentiæ, sapientiæ, majestatis & gloriæ: alii vero sentiunt, tres illas personas, ratione essentiæ & proprietatum, non esse æquales.

Quod solus Pater sit verus Deus.

II. Hos OMNES ARTICULOS, simul, & si quid cum illis cohæret, aut ex iis consequitur, rejicimus atque damnamus, ut falsos, impios, hæreticos, verbo DEI, tribus approbatis Symbolis, Augustanæ Confessioni, ejusdemque Apologiæ, Smalcaldicis articulis, & Catechismis Lutheri repugnantes. Et hortamur omnes pias mentes, ut hos errores fugiant, & detestentur, si modo ipsis animæ salus est cordi.

IN CONSPECTU IGITUR DEI omnipotentis, & coram tota Ecclesia Christi, quæ nunc est, & quæ aliquando in posteritate erit, clara voce & diserte testamur: quod declaratio illa nostra de omnibus commemoratis controversis articulis, & nulla prorsus alia, revera sit nostra doctrina, fides, & confessio. In ea per gratiam Dei intrepido animo coram tribunali JESU CHRISTI comparebimus: de ea justo judici rationem reddituri. Contra hanc declarationem etiam nihil vel occulte vel aperte loquemur aut scribemus: sed in ea, Domino nos bene juvante, usque ad vitæ finem constantes perseverabimus. In ejus rei fidem matura cum deliberatione, in timore Dei, & nominis ipsius invocatione, propriis manibus huic declarationi subscripsimus.

(O)

CATA-

CATALOGUS TESTIMONIORUM CUM SCRIPTURÆ, TUM purioris antiquitatis.

OSTENDENTIUM, QUID UTRAQUE NON MODO DE PERSONA DEQUE DIVINA Majeſtate humanæ naturæ Domini noſtri JESU CHRISTI, evectæ ad dextram omnipotentiæ DEI, tradiderit, ſed etiam quibus loquendi formulis uſa ſit.

Digitized by Google

AD CHRISTIANUM LECTOREM.

CUm librum Concordiæ, præsertim articulum de persona Christi, hac calumnia deformare non vereantur nonnulli, quod a phrasibus & modis loquendi veteri ac puriori Ecclesiæ atque Patribus orthodoxis receptis & approbatis recedendo, novas, peregrinas, proprio arbitrio excogitatas, inusitatas & inauditas loquendi formulas in Ecclesiam invehat, testimonia vero antiquissimæ Ecclesiæ, & Patrum, ad quæ in hoc ipso libro provocatur, eidem inseri nimis longe futurum sit, quæ postea illustrissimis aliquot Electoribus & Principibus exhibita sunt singulari diligentia excerpta & consignata.

Ideo recte & solide informandi Christiani lectoris causa, mediocris eorum cumulus certis capitibus distinctus, ad calcem libri adjectus est, unde illi cognoscere facile erit, in modo nominato libro neque quod ad res, neque quod ad phrases attinet, id est, neque in doctrina, neque in sermonis genere quicquam innovatum, sed cum sacræ scripturæ, tum veteris atque purioris Ecclesiæ, de hoc mysterio tam doctrinam quam loquendi formam retentam atque usurpatam esse.

SIC

I.

SIC PRIMO, quod liber Concordiæ in articulo de unitate perſonæ & diſcrimine duarum naturarum in Chriſto, earumque eſſentialibus proprietatibus, veteris ac purioris Eccleſiæ, Patrum ejusdem & Conciliorum doctrinam & ſermonem imitetur, aſſerendo nimirum, non duas perſonas Chriſti, ſed unum Chriſtum, & hanc perſonam in duabus diſtinctis naturis ſubſiſtentem, divina ſcilicet & humana, non divulſis neque confuſis, aut una in alteram converſa, ſed ita, ut utraque natura ſubſtantiales proprietates ſuas retineat, neque in omnem æternitatem eas-dem deponat, & unius naturæ proprietates eſſentiales, quæ toti perſonæ recte & vere adſcribuntur, nunquam fiant alterius naturæ idiomata, id oſtendunt ſequentia veterum puriorum Conciliorum teſtimonia.

In Epheſino Concilio, Canone 4. Si quis voces ſcripturæ de Chriſto in duabus perſonis vel ſubſiſtentiis dividit, & aliquas quidem velut homini, qui præter DEI VERBUM ſpecialiter intelligatur, aptaverit, aliquas vero tanquam dignas DEO, ſoli DEI patris Verbo deputaverit, anathema ſit. *Tom. Concil. 1. p. 606.*

Canone 5. Si quis audeat dicere hominem CHRISTUM theophoron, ac non potius DEUM eſſe, tanquam filium per naturam veraciter dixerit: ſecundum quod verbum caro

factum est, & communicarit similiter, ut nos, carni & sanguini, anathema sit.

Canone 6. Si quis non confitetur: eundem CHRISTUM DEUM simul & hominem, propterea quod Verbum caro factum est, secundum scripturas, anathema sit.

Canone 12. Si quis non confitetur, DEI verbum passum carne, & crucifixum carne, & mortem carne gustasse, factumque primogenitum ex mortuis, secundum quod Vita & Vivificator est, ut DEUS, anathema sit.

Et decretum Chalcedonensis Concilii citante Evagrio lib. 2. cap. 4. sic habet: ἑπόμενοι τοίνυν τοῖς ἁγίοις πατράσιν, ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν ὁμολογῆμεν υἱὸν, τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, καὶ ὁμοφώνως, ἅπαντες ἐκδιδάσκομεν, τέλειον τὸν αὐτὸν ἐν θεότητι, καὶ τέλειον τὸν αὐτὸν ἐν ἀνθρωπότητι. Θεὸν ἀληθῶς καὶ ἄνθρωπον ἀληθῶς τὸν αὐτὸν ἐκ ψυχῆς λογικῆς καὶ σώματος, ὁμοούσιον τῷ πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, καὶ ὁμοούσιον ἡμῖν κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα, κατὰ πάντα ὅμοιον ἡμῖν χωρὶς ἁμαρτίας, πρὸ αἰώνων μὲν ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα κατὰ τὴν θεότητα, ἐσχάτων δὲ τῶν ἡμερῶν τὸν αὐτὸν δι' ἡμᾶς, καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν ἐκ Μαρίας τῆς παρθένου καὶ θεοτόκου, κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα, ἕνα καὶ αὐτὸν Ἰησοῦν Χριστὸν υἱὸν, κύριον μονογενῆ, ἐν δύο φύσεσιν ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως γνωριζόμενον, οὐδαμοῦ τῆς τῶν φύσεων διαφορᾶς ἀνηρημένης διὰ τὴν ἕνωσιν, σωζομένης δὲ μᾶλλον τῆς ἰδιότητος ἑκατέρας φύσεως, καὶ εἰς ἓν πρόσωπον καὶ μίαν ὑπόστασιν συντρεχούσης, οὐκ ὡς εἰς δύο πρόσωπα μεριζόμενον ἢ διαιρούμενον, ἀλλ' ἕνα

ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν υἱὸν μονογενῆ θεὸν λόγον, καὶ κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, καθάπερ ἀνωθεν οἱ προφῆται καὶ αὐτὸς περὶ αὐτοῦ ὁ Χριστὸς ἐξεπαίδευσε, καὶ τὸ τῶν πατέρων ἡμῖν παραδέδωκε σύμβολον.

Sequentes igitur Sanctos Patres:

CONfitemur unum & eundem filium Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, & una voce omnes deprædicamus, eundem perfectum in Divinitate, & perfectum eundem in humanitate, vere Deum, & vere hominem, eundem ex anima rationali & corpore, conſubſtantialem Patri ſecundum divinitatem, & conſubſtantialem nobis ſecundum humanitatem, per omnia nobis ſimilem abſque peccato, ante ſecula quidem ex Patre genitum ſecundum divinitatem; In extremis autem diebus ipſum eundem propter nos & propter noſtram ſalutem ex Maria virgine Dei genitrice ſecundum humanitatem genitum, unum & eundem JESUM CHRISTUM filium & Dominum unigenitum, in duabus naturis inconfuſe, inconvertibiliter, indiviſe, inſegregabiliter cognitum, nequaquam differentia naturarum ſublata propter unionem, ſed ſervata potius proprietate utriusque naturæ & utraque in unam perſonam concurrente, non velut in

Tom. 1. Concil. pag. 154.

Digitized by Google

duas perſonas diſpertitum aut diviſum, ſed unum & eundem filium unigenitum Deum, Verbum & Dominum JESUM CHRISTUM, quemadmodum olim Prophetæ & de ſeipſo Chriſtus ipſe nos docuit, & patrum nobis tradidit Symbolum.

Ad Flavianum cap. 3. fol. 92.

Ita etiam decima Epiſtola Leonis Synodica loquitur: Salva proprietate utriusque naturæ, & in unam coëunte perſonam, ſuſcepta eſt à Majeſtate humilitas, a virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, & ad reſolvendum conditionis noſtræ debitum natura inviolabilis naturæ eſt unita paſſibili, ut unus & idem mediator noſter & mori poſſet ex uno, & mori non poſſet ex altero.

Abſtractum pro concreto.

Cap. 4. fol. 93.

Item: Qui verus eſt Deus, idem verus eſt homo, dum invicem ſunt & humilitas hominis, & altitudo Deitatis. Sicut enim Deus non mutatur miſeratione, ita homo non conſumitur dignitate, agit enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium eſt, verbo ſcilicet operante, quod verbi eſt, & carne exequente, quod carnis eſt. Unum horum coruſcat miraculis, alterum ſuccumbit injuriis. DEUS eſt per id, quod in principio erat Verbum, & DEUS erat Verbum, per quod omnia facta ſunt. Homo per id, quod Verbum caro factum eſt, quodque factus eſt ex muliere. Item, propter hanc unitatem perſonæ in utraque natura intelligendam,

Digitized by Google

dam, & filius hominis legitur deſcendiſſe de cœlo, cum filius Dei ex Maria virgine carnem aſſumſerit.

Et rurſus: Filius Dei crucifixus dicitur & ſepultus, cum hæc non in ipſa divinitate, qua conſubſtantialis eſt Patri, ſed in naturæ humanæ ſit infirmitate perpeſſus, &c. *Cap. 5. fol. 91.*

Hucusque verba utriusque Concilii Epheſini & Chalcedonenſis, quibuscum reliqui ſancti Patres omnes conſentiunt.

Et hoc ipſum hactenus eruditi in ſcholis noſtris, verbis abſtracti & concreti indicare & declarare voluerunt, ad quæ hic liber etiam paucis verbis reſpexit; quæ verba, quemadmodum hæc omnia optime norunt eruditi, in vero & genuino ſenſu, neceſſario in ſcholis retineantur oportet.

Concreta enim ejusmodi vocabula ſunt, quæ integram CHRISTI perſonam deſignant, ut Deus, homo. Abſtracta vero ſunt nomina, quibus naturæ in perſona CHRISTI exprimuntur, ut divinitas, humanitas. *In libro Concord.*

Secundum quam diſtinctionem recte dicitur in concreto, DEUS eſt homo, homo eſt DEUS. Contra perperam dicitur in abſtracto, divinitas eſt humanitas, humanitas eſt divinitas.

Eadem eſt ratio eſſentialium idiomatum, ita ut unius naturæ idiomata de altera natura in abſtracto quaſi alterius naturæ idiomata ſint,

prædicari nequeant. Quamobrem falsæ & erroneæ locutiones fuerint, si quis dixerit: Humana natura est omnipotentia, est ab æterno, sicut neque ipsa Idiomata de se mutuo prædicari possunt, ut si quis dicere vellet: mortalitas est immortalitas & contra, propterea quod his loquendi formulis discrimen naturarum & proprietatum tollatur, eædem confundantur, una in alteram convertatur, atque ita earum fiat exæquatio.

Cum autem non tantum scire & firmiter credere oporteat, assumptam humanam naturam Christi, in persona ejusdem & substantiam & naturales atque substantiales proprietates suas in omnem æternitatem retinere, sed etiam plurimum momenti habeat, ac summa consolatio Christianis in eo proposita sit, ut secundum revelationem sacræ scripturæ agnoscamus, & indubitata fide amplectamur summam Majestatem, ad quam natura illa humana in & per unionem hypostaticam vere & re ipsa evecta, & cujus personaliter particeps facta est, quæ in libro Concordiæ copiose declaratur: Ideo & ut similiter quisque videat, etiam hac in parte libri nominati non nova, peregrina, ab hominibus excogitata & inaudita dogmata & phrases in Ecclesiam DEI invehi, sequens Catalogus testimoniorum cum scripturæ, tum veterum purioris

Ec-

Ecclesiæ doctorum, præcipue vero eorum, qui quatuor Oecumenicorum Conciliorum antesignani & directores fuerunt: quomodo illi hac de re locuti sint, dilucide ostendet.

Suntque testimonia illa, quo facilius ea invenire & rectius intelligere lector posset, in certa capita distributa, quæ sequuntur.

I.

Primum, sacras literas, perinde atque patres, loquentes de Majestate, quam humana natura Christi per unionem personalem accepit, uti verbis: Communicationis, communionis, participationis, donationis, traditionis, subjectionis, exaltationis, dari &c.

Dan. 7. Ecce in nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, &c. & DEDIT ei potestatem, honorem & regnum, potestas ejus potestas æterna. *Dan. 7, 13.*

Johan. 13. Sciens quia omnia DEDIT ei Pater in manus. *Joh. 13, 3.*

Matth. 11. Omnia mihi TRADITA sunt a Patre meo. *Matth. 11. v. 27.*

Matth. 28. Data est mihi omnis POTESTAS in cœlo & in terra. *Matth. 28. v. 18.*

Philip. 2. DONAVIT ei nomen super OMNE nomen, &c. *Phil. 2, 9.*

Eph. 1, 22. Ephes. 1. Omnia SUBJECIT sub pedibus ejus.

Psal. 8, 7. Psal. 8. 1. Cor. 15. Hebr. 2. Phil. 2. Propter quod DEUS EXALTAVIT ipsum.

Eusebius ἀποδειξ. βιβλ. δ. κεφ. ιγ.

Ἀλλὰ τὰ μὲν ἐξ αὐτοῦ μεταδιδὰς (ὁ λόγος) τῷ ἀνθρώπῳ, τὰ δ' ἐκ τοῦ θνητοῦ μὴ ἀντιλαμβάνων. Καὶ τῆς μὲν ἐκ Θεοῦ δυνάμεως τῷ θνητῷ χορηγῶν, τῆς δ' ἐν τῷ θνητῷ μετουσίας οὐκ ἀντεπαγόμενος.

Sed illa quidem à seipso communicans (ὁ λόγος) homini, hæc vero a mortali ipse non recipiens. Item, mortali quidem potentiæ divinæ subministrans, a mortali vero ipse non contra in partem aut communitatem adductus.

Idem ibid. Τοῦτον αὐτὸν (τὸν ἄνθρωπον) ἐκεῖ τῆς δὲ παρ' αὐτῷ ζωῆς ἀϊδίου, καὶ τῆς ἐν θεότητι καὶ μακαριότητι κοινωνίας ἀξιῶν.

Hunc ipsum interim ad illius vitæ æternæ, quam penes se habet, atque ad dignitatis in divinitate ac beatitudine communitatem assumens.

Athanas. in Epist. ad Epictetum, referente etiam Epiphan. contra Dimeritas: Οὐ διὰ προσθήκην θεότητος γέγονε σὰρξ ὁ λόγος, ἀλλ' ἵνα ἡ σὰρξ ἀναστῇ, οὐδ' ἵνα βελτιωθῇ ὁ λόγος, προῆλθεν ἐκ Μαρίας, &c. μᾶλλον γὰρ αὐτῷ ἀνθρωπίνῳ προσθήκη μεγάλη γέγονεν ἐκ τῆς τοῦ λόγου πρὸς αὐτὸ κοινωνίας τε καὶ ἑνώσεως.

Non

Non enim verbum caro factum est, ut deitati aliqua accessio fieret, neque ut Verbum in meliorem statum reduceretur. Magis vero ipsi humanæ naturæ accessio magna facta est ex communione & unione Verbi ad humanam naturam.

Epiphan. hæresi 69. p. 344. Δῆλον ὅτι ἡ σὰρξ ἡ ἀπὸ Μαρίας ὅσα καὶ ἐκ τῶ ἡμετέρω γένους τυγχάνουσα καὶ μετεμορφῶτο εἰς δόξαν, δόξαν ἐπικτωμένη τῆς θεότητος, τὴν τιμήν τε καὶ τελειότητα καὶ δόξαν τὴν ἐπουρανίου, ἣν μὴ εἶχεν ἡ σὰρξ ἀπ' ἀρχῆς, ἐνταῦθα δὲ λαβοῦσα ἐν τῇ συνενώσει τῶ Θεῶ λόγω. Contra Arriomanitas.

Caro, quæ ex Maria & ex nostro genere erat, transformabatur in gloriam (in transfiguratione) insuper acquirens gloriam Deitatis, honorem, perfectionem & gloriam cœlestem, quam caro ab initio non habebat, sed ibi eam in counitione scilicet Dei verbi accepit.

Cyrillus lib. 5. Dialog. Quomodo ergo vivificat caro Christi? Et respondet: Secundum unionem cum vivente Verbo, quod & suæ naturæ bona proprio corpori COMMUNIA solet facere.

Theodoretus Ephes. 1. Quod vero assumpta ex nobis natura ejusdem honoris cum eo, qui assumsit, SIT PARTICEPS, ut nulla videatur adorationis differentia, sed per naturam, quæ cernitur, adoretur, quæ non

Tom. 2. pag. 114.

non cernitur, divinitas, hoc vero omne miraculum ſuperat.

Damaſcenus lib. 3. Περὶ ὀρθοδόξ. πίσ. cap. 7. & 15. Καὶ αὕτη μέν (ἡ θεία φύσις) τῶν οἰκείων ἀυχημάτων τῇ σαρκὶ μεταδίδωσι, μένουσα αὐτὴ ἀπαθὴς, καὶ τῶν τῆς σαρκὸς παθῶν ἀμέτοχος. pag. 194. Divina natura proprias ſuas excellentias ſeu glorificationes carni COMMUNICAT ſeu impertit, ipſa vero in ſe paſſionum carnis manet expers.

Idem cap. 19. Ἡ δὲ σὰρξ τῇ θεότητι τοῦ λόγου ἐνεργούσῃ (κοινωνεῖ) διά τε ὡς δι' ὀργάνου τοῦ σώματος τὰς θείας ἐκτελεῖσθαι ἐνεργείας, καὶ διὰ τὸ ἕνα εἶναι τὸν ἐνεργοῦντα, θεικῶς τε ἅμα καὶ ἀνθρωπίνως. Εἰδέναι γὰρ χρὴ, ὡς ὁ ἅγιος αὐτοῦ νοῦς καὶ τὰς φυσικὰς αὐτοῦ ἐνεργεῖ ἐνεργείας, &c. κοινωνεῖ τῶν ἐνεργούσῃ τοῦ λόγου θεότητι καὶ διεπούσῃ καὶ κυβερνώσῃ τὸ πᾶν νοῶν καὶ γινώσκων, καὶ διεπὼν κ' ὡς ψιλὸς ἀνθρώπου νοῦς, ἀλλ' ὡς Θεῷ καθ' ὑπόστασιν ἡνωμένος καὶ Θεοῦ νοῦς χρηματίσας.

Caro operanti Deitati verbi COMMUNICAT, cum, quod divinæ operationes per corpus tanquam per organum perficiantur, tum quod unus & idem ſit, qui divina & humana operetur. Noſſe enim oportet, quod ſicuti ſancta ejus mens etiam naturales ſuas operationes operatur, &c. Et ſimul communicat etiam Deitati verbi operanti & gubernanti ipſa etiam intelligens, cognoſcens & diſponens totum

tum universum, non ut nuda hominis mens, sed ut DEO secundum hypostasin counita, & DEI mens constituta.

II.

Christum Majestatem illam in tempore, neque secundum divinitatem seu divinam naturam, sed secundum assumptam naturam, vel secundum carnem, ut hominem vel ut filium hominis, humanitus, ratione corporis seu humanitatis propter carnem, quia homo, aut filius hominis est, accepisse.

Hebr. 1. Facta purgatione peccatorum PER SEIPSUM, sedet ad dextram Majestatis in excelsis. *Hebr. 1, 3.*

Hebr. 2. Videmus JESUM propter PASSIONEM mortis, gloria & honore coronatum, & constitutum super omnia opera manuum Dei, & omnia ei subjecta sub pedibus ejus. *Hebr. 2, 9.*

Luc. 22. Ex hoc erit filius hominis sedens à dextris virtutis Dei. *Luc. 22, 69.*

Lucæ 1. Et dabit EI Dominus Deus sedem David patris, & regnabit in æternum, & regni ejus non erit finis. *Luc. 1, 32.*

Athanas. citante Theodor. Dialog. 2. p. 330. Ὅσα ἂν λέγει ἡ γραφὴ, ὅτι ἔλαβεν ὁ υἱὸς καὶ ἐδοξάθη, διὰ τὴν ἀνθρωπότητα αὐτῷ λέγει, ἃ τὴν θεότητα. Quæcunque scriptura dicit Christum

ſtum in tempore accepiſſe, PROPTER HUMANITATEM dicit, non propter divinitatem.

Joh. 5. 22. Johan. 5. Dedit Filio habere vitam in ſe ipſo, & poteſtatem dedit ei etiam judicium facere, quia FILIUS HOMINIS EST.

Athanaſius Oratione contra Arianos 2. & 4. Scriptura non intelligit ſubſtantiam Verbi exaltatam, ſed ad HUMANITATEM ejus hoc ſpectat, & propter CARNEM exaltari dicitur. Cum enim ipſius ſit corpus, merito ipſe ut HOMO, RATIONE CORPORIS HUMANITUS exaltari & accipere memoratur, eo quod corpus illa recipiat, quæ Verbum ſemper poſſidebat, ſecundum ſuam ex Patre Deitatem & perfectionem. Dicit igitur ſe poteſtatem ACCEPISSE UT HOMINEM, quam ſemper habet ut DEUS. Dicitque (glorifica me) qui alios glorificat, ut oſtendat, carnem ſe habere iſtarum rerum indigam. Ac proinde CARNE SUÆ HUMANITATIS hanc glorificationem accipiente, ita loquitur, quaſi ipſe eam accepiſſet. Pag. 52. Illud enim ubique animadvertendum: Nihil eorum, quæ dicit ſe accepiſſe, in tempore ſcilicet, ita ſe accepiſſe, quaſi non habuiſſet: habebat enim illa utpote ſemper ut DEUS & verbum. Nunc autem dicit, HUMANITUS

ſe

ſe accepiſſe, ut CARNE EJUS IN IPSO ACCIPIENTE, in poſterum ea ex carne illius in nos firmiter poſſidenda traderentur. conf. p. 837. lin. 8. p. 840. ad p. 841. Pag. 540.

Idem de ſuſcepta humanitate contra Apollinarium: Cum Petrus dicit, JESUM factum Dominum & CHRISTUM à DEO, non de divinitate ejus loquitur, ſed de HUMANITATE, verbum ejus ſemper erat Dominus, neque poſt crucem primum factus eſt Dominus, ſed HUMANITATEM ejus divinitas FECIT DOMINUM & CHRISTUM.

Item: Quæcunque ſcriptura dicit Filium ACCEPISSE, RATIONE CORPORIS accepta intelligit, corpusque illud eſſe primitias Eccleſiæ. Primum igitur DOMINUS SUUM CORPUS excitavit & exaltavit. Poſthac autem membra ſui corporis. Quibus verbis Athanaſius explicavit, quod paulo poſt ad univerſam Eccleſiam etiam ſuo modo accommodavit. Pag. 451.

Baſilius Magnus contra Eunomium lib. 4. Quod Dominus celebratur & accepit nomen ſuper omne nomen. Item: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra, ego vivo propter Patrem, glorifica me ea gloria, quam ante mundum habui apud te, &c. Εἰς τὴν ἐνανθρώπησιν καὶ οὐκ εἰς τὴν θεότητα ταῦτα νοεῖν δεῖ. Hoc eſt: Illa intelligere oportet de INCARNATIONE, & non Deitate.

Ambro-

Tom. 2. pag. 109. Ambroſius lib. 5. de Fide cap. 6. Didiciſti, quod omina ſibi ipſi ſubjicere poſſit ſecundum operationem utique Deitatis: Diſce nunc, quod SECUNDUM CARNEM omnia ſubjecta accipiat, ſicut ſcriptum eſt, Epheſ. 1. Secundum carnem igitur omnia ipſi ſubjecta traduntur.

Pag. 99. Idem lib. 5. cap. 2. Non enim DEUS ſuæ ſedis Apoſtolis dat conſortium, CHRISTO vero SECUNDUM HUMANITATEM datur conſortium divinæ ſedis.

Pag. 108. Et cap. 6. In CHRISTO communis SECUNDUM CARNEM natura prærogativam ſedis cœleſtis meruit.

Tom. 4. Homil. 3. pag. 1493. Chryſoſtomus Ebr. 1. Serm. 3. p. 117. Τὸ κατὰ σάρκα λέγων, καὶ προσκυνάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι Θεοῦ. Secundum CARNEM dicens: Et adorarent ipſum omnes Angeli DEI.

Pag. 235. Theophylactus Joh. 3. Καὶ πάντα δέδωκεν ἐν τῇ χειρὶ τοῦ υἱοῦ κατὰ τὸ ἀνθρώπινον. Pater omnia dedit in manum Filii JUXTA HUMANITATEM.

Oecumen. ex Chryſoſt. Ebr. 1. Ὡς γὰρ Θεὸς ὁ υἱὸς ἀϊδιον ἔχει τὸν θρόνον. Ὁ θρόνος σου ὁ Θεὸς, φησὶν, εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶνος. Οὐ γὰρ μετὰ τὸν σταυρὸν καὶ τὸ πάθος. Ταύτης ὡς Θεὸς τῆς τιμῆς ἠξιώθη, ἀπ' ἔλαβεν ὡς ἄνθρωπος, ὅπερ εἶχεν ὡς Θεός. Et paulo poſt: Ὡς ἄνθρωπος τοίνυν ἀκούει, κάθου ἐκ δεξιῶν μου. Ὡς γὰρ Θεὸς ἀϊδιον ἔχει τὸ κράτος. Quatenus Deus eſt Filius, æternum habet thronum, thronus tuus, inquit DEUS, in ſeculum ſeculi. Non enim poſt crucem & paſſionem hoc

hoc honore ut DEUS dignus habitus fuit, ſed accepit ut HOMO, quod habebat ut DEUS. Et paulo poſt. Ut homo igitur audit: Sede a dextris meis. Ut enim DEUS æternum habet imperium.

Cyrillus lib. 9. Theſauri cap. 3. In poteſtatem dominandi UT HOMO aſcendit. *Tom. 2. pag. 11.*

Idem lib. 11. cap. 17. Gloriam ſuam, quam ſemper habuit ut DEUS, ut HOMO petiit, nec, quia gloriæ propriæ unquam expers fuit, hæc ab eo dicuntur, ſed quia in gloriam, quæ ſibi ſemper adeſt ut DEO, PROPRIUM TEMPLUM ſubducere volebat.

Idem lib. 2. ad Reginas: Accepiſſe gloriam, poteſtatem & regnum ſuper omnia, referendum eſt ad conditiones HUMANITATIS.

Theodoretus in Pſal. 2. Chriſtus cum natura Dominus ſit ut DEUS, etiam ut HOMO univerſum imperium accipit. *Tom. 1. pag. 242.*

In Pſal. 110. Sede a dextris meis, HUMANITUS hoc dictum eſt; ut enim DEUS ſempiternum habet imperium, ſic ut homo accepit, quod ut Deus habebat, ut homo igitur audit: Sede a dextris meis, nam ut DEUS ſempiternum habet imperium. *Tom. 1. pag. 242.*

Idem Ebr. 1. Chriſtus ſemper accepit ab Angelis cultum & adorationem, erat enim ſemper DEUS, jam autem adorant ipſum etiam ut HOMINEM. *Tom. 2. pag. 154.*

Fol. 99. * Sacramentarii.

Leo Epiſt. 23. tractans locum Epheſ. 1. inquit: Dicant* adverſarii veritatis, quando omnipotens Pater, vel ſecundum quam NATURAM, FILIUM ſuum ſuper OMNIA evexerit, vel cui ſubſtantiæ cuncta ſubjecerit? Deitati enim, ut creatori, ſemper ſubjecta fuerunt. Huic ſi addita poteſtas, ſi exaltata ſublimitas, minor erat provehente, nec habebat divitias ejus naturæ, cujus indiguit largitate, ſed talia ſentientem in ſocietatem ſuam Arrius rapit.

Fol. 134.

Idem Epiſt. 38. Licet Deitatis & humanitatis in Chriſto una prorſus eademque Perſona, exaltationem tamen & nomen ſuper omne nomen ad eam intelligimus pertinere formam, quæ didanda erat tantæ glorificationis augmento. Non enim per incarnationem aliquid deceſſerat Verbo, quod ei Patris munere redderetur. FORMA autem SERVI humana eſt humilitas, quæ in gloriam divinæ poteſtatis ERECTA eſt, ut nec ſine homine divina, nec ſine Deo agerentur humana.

Ibidem: Quicquid in tempore accepit Chriſtus, ſecundum hominem accepit, cui, quæ non habuit, conferuntur. Nam ſecundum potentiam verbi indifferenter omnia, quæ habet Pater, etiam Filius habet.

Vigi-

Vigilius lib. 5. contra Eutychen: Divina natura non indiget honoribus ſublimari, dignitatis profectibus augeri, poteſtatem cœli & terræ obedientiæ merito accipere. Secundum CARNIS NATURAM igitur illa ADEPTUS EST, qui ſecundum naturam VERBI nihil eguit aliquando, nunquid enim poteſtatem & dominium creaturæ ſuæ conditor non habebat, ut noviſſimis temporibus muneris gratia his potiretur?

Nicephorus lib. 1. cap. 36. Chriſtus a diſcipulis in Galilææ monte conſpicitur, & ibi à Patre ſummam poteſtatem cœli & terræ ſibi, juxta HUMANITATEM ſcilicet, traditam eſſe confirmat. *Fol. 16.*

III.

Cum ſacram ſcripturam, tum ſanctos veteris & purioris Eccleſiæ Patres de hoc myſterio etiam loqui

per vocabula abſtracta, hoc eſt, per ejusmodi nomina, quæ expreſſe naturam humanam in Chriſto deſignant, & ad illam in unione perſonali reſpiciunt, quod videlicet natura humana talem Majeſtatem realiter & revera acceperit, eaque utatur.

Johan. 6. CARO MEA eſt vere cibus, & SANGUIS MEUS vere eſt potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam. *Johan. 6. v. 54. 55.*

1. Joh. 1, 7. 1. Joh. 1. SANGUIS JESU Chriſti, filii Dei, emundat nos ab omni peccato.

Ebr. 9, 14. Ebr. 9. SANGUIS CHRISTI, qui per Spiritum ſanctum ſeipſum obtulit immaculatum Deo, emundat conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſerviendum Deo viventi.

Matth. 26. v. 26. Matth. 26. Accipite, manducate, hoc eſt CORPUS meum. Bibite ex hoc omnes, hic eſt SANGUIS meus novi Teſtamenti.

Pag. 40. Euſtachius citante Theodoreto dialog. 2. *Ἐντεῦθεν τοίνυν ἐπὶ θρόνου περιγράφει αὐτὸν ἁγίου καθέζεσθαι, δηλῶν, ὅτι σύνθρονον ἀποδέδεικται τῷ θεοτάτῳ πνεύματι, διὰ τὸν οἰκοῦντα Θεὸν ἐν αὐτῷ διηνεκῶς.*

Huic igitur prædixit fore, ut ſederet (Chriſtus homo) in throno ſancto, ſignificans ſeſſurum eum in eodem throno cum diviniſſimo Spiritu, propter Deum inhabitantem in ipſo in ſeparabiliter.

Idem apud Gelaſium: HOMO CHRISTUS, qui profecit ſapientia, ætate & gratia, rerum univerſarum imperium accepit.

Idem ibidem: Chriſtus ipſo corpore ad proprios venit Apoſtolos, dicens: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra, quam poteſtatem accepit EXTRINSECUS TEMPLUM & non Deus, qui templum illud præcipua pulchritudine ædificavit.

Athanasius de Ariana & Catholica Confessione: Deus non est mutatus in humanam carnem vel substantiam, sed in seipso, quam assumsit, glorificabat naturam, ut humana, infirma & mortalis caro atque natura divinam profecerit in GLORIAM, ita ut omnem potestatem in cœlo & in terra habeat, quam, antequam a verbo assumeretur, non habebat.

Idem de suscepta humanitate contra Apollinarium: Paulus Phil. 2. de TEMPLO loquitur, quod est corpus suum: Non enim qui altissimus est, sed caro exaltatur: & CARNI suæ dedit nomen, quod est super omne nomen, ut scilicet in nomine JESU flectatur omne genu, & omnis lingua confiteatur, quod JESUS CHRISTUS sit Dominus in gloria Patris. Et addit regulam generalem: Quando scriptura loquitur de glorificatione Christi, de carne loquitur, quæ percepit gloriam. Et quæcunque scriptura dicit accepisse Filium, RATIONE HUMANITATIS illius, non divinitatis loquitur, ut cum dicit Apostolus, quod in Christo habitet omnis plenitudo Deitatis corporaliter, plenitudinem illam IN CARNE Christi habitare intelligendum est. Pag. 330.

Idem citante Theodoreto dial. 2. Κάθου ἐκ δεξιῶν μου ἕως τὸ κυριακὸν σῶμα λέλεκται. Item: τὸ σῶμα τοίνυν ἐστὶν, ᾧ λέγει· κάθου ἐκ δεξιῶν μου. Tom. 3. pag. 286.

Corpus eſt, cui dicit Dominus: ſede a dextris meis.

Athanaſius de Incarnatione, ſicut citatur apud Cyrillum in defenſione Anathematiſmi 8. Et in libro de recta fide ad Reginas: Si quis dicat, inadorabilem Domini noſtri carnem ut hominis, & non adorandam ut DOMINI & DEI CARNEM, hunc anathematiſat ſancta & catholica Eccleſia.

Item: Quæcunque ſcriptura dicit, Filium accepiſſe, RATIONE CORPORIS accepta intelligit, corpusque illud eſſe primitias Eccleſiæ. Primum igitur Dominus ſuum corpus excitavit & exaltavit, poſthac autem & membra ſui corporis.

Pag. 137. Concretum pro Abſtracto.

Hilarius lib. 9. Ut ita homo JESUS maneret in gloria Dei Patris, ſi in Verbi gloriam CARO ESSET UNITA, & gloriam Verbi caro aſſumta teneret.

Feria 6. Paſchatos in Homiliis ſ. Patrum. pag. 097.

Euſebius Emiſſenus, in Homilia feria ſecta poſt Paſcha: Qui ſecundum divinitatem ſemper ſimul cum Patre & Spiritu Sancto, omnium rerum poteſtatem habuit, nunc etiam ſecundum humanitatem omnium rerum POTESTATEM accepit, ut HOMO ille, qui nuper paſſus eſt, cœlo & terræ dominetur, quin hic & ibi facit, quicquid vult.

Gregorius Nyſſenus citante Gelaſio, & Theodoreto

doreto Dial. 2. Τῇ δεξιᾷ οὖν τοῦ θεοῦ ὑψωθείς, τίς οὖν ὑψώθη, ὁ ταπεινὸς ἢ ὁ ὕψιστος, τί δὲ τὸ ταπεινὸν εἰ μὴ τὸ ἀνθρώπινον, τί δὲ ἄλλο παρὰ τὸ θεῖόν ἐστιν ὁ ὕψιστος, ἀλλὰ μὲν ὁ Θεὸς ὑψωθῆναι οὐ δεῖται ὕψιστος ὤν, τὸ ἀνθρώπινον ἄρα ὁ ἀπόστολος ὑψωθῆναι λέγει, ὑψωθῆναι δὲ διὰ τοῦ κύριος καὶ Χριστὸς γενέσθαι, οὐκ ὢν τὴν προαιώνιον ὕπαρξιν τοῦ κυρίου διὰ τοῦ ἐποίησε ῥήματος, παρίστησιν ὁ ἀπόστολος, ἀλλὰ τὴν τοῦ ταπεινοῦ πρὸς τὸ ὑψηλὸν μεταποίησιν τὴν ἐκ δεξιῶν τοῦ Θεοῦ γεγενημένην. Et paulo poſt: ὅτι ἡ δεξιὰ τοῦ Θεοῦ ἡ ποιητικὴ τῶν ὄντων τῶν πάντων, ἥτις ἐστὶν ὁ κύριος, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, καὶ ἧς χωρὶς ὑπέστη τῶν γεγονότων οὐδέν, αὕτη τὸν ἐνωθέντα πρὸς αὐτὴν ἄνθρωπον εἰς τὸ ἴδιον ἀνήγαγεν, ὑψοῖ διὰ τῆς ἑνώσεως.

Hoc eſt: Dextera igitur Dei exaltatus (Act. 2.) Quis igitur exaltatus eſt? humilisne an altiſſimus? quid autem eſt humile, niſi humanum? Quid vero aliud præter divinitatem appellatione altiſſimi ſignificatur? At Deus exaltatione non indiget, cum ſit altiſſimus. Humanam igitur naturam exaltatam eſſe dicit Apoſtolus, exaltatam vero quia Dominus & Chriſtus factus eſt (homo.) Non igitur æternam eſſentiam Domini verbo, fecit, exprimit Apoſtolus, ſed humilis naturæ evectionem, ad ſummam celſitudinem, videlicet ad dexteram Dei. Et paulo poſt: Quia dextera Dei, fabricatrix omnium rerum, quæ eſt ille Dominus, per quem omnia facta ſunt, & ſine quo nihil eorum, quæ facta ſunt, ſubſiſtit,

Apud Theodoretum Tom. 2. pag. 333.

hæc ipsa unitum sibi hominem ad propriam extulit celsitudinem per unionem.

Basilius Magnus contra Eunomium lib. 2. pag. 661. Κύριον καὶ Χριστὸν ὁ Θεὸς ἐποίησε τοῦτον τὸν Ἰησοῦν, ὃν ὑμεῖς ἐσταυρώσατε, τῇ δεικτικῇ φωνῇ, μόνον οὐχὶ πρὸς τὸ ἀνθρώπινον αὐτοῦ καὶ ὁρώμενον πᾶσι προδήλως ἐπερειδόμενος. Et paulo post: ὅτε ὁ αὐτὸν κύριον αὐτὸν καὶ Χριστὸν ὁ Θεὸς ἐποίησε, τὴν κατὰ πάντων ἀρχὴν καὶ δεσποτείαν λέγει τὴν παρὰ τοῦ πατρὸς ἐπιτραπεῖσαν αὐτῷ, &c. Act. 2, 22. 23.

Petrus Actor. 2. inquit: Dominum & Christum fecit Deus hunc JEsum, quem vos crucifixistis, demonstrativa voce humanæ & omnibus visibili ipsius naturæ palam propemodum incumbens seu innitens. Et paulo post: Quamobrem inquiens, quod Deus Dominum & Christum ipsum fecerit, principatum & dominium super omnia à Patre ipsi commissum dicit.

Pag. 327. Epiphanius contra Ariomanitas: Τοῦτον τὸν Ἰησοῦν, ὃν ἐσταυρώσατε, ἵνα μὴ παραλειφθῇ ἡ ἁγία ἔνσαρκος οἰκονομία ἀπὸ τοῦ ἀπαθοῦς καὶ ἀκτίστου λόγου, ἀλλὰ συνεναφθῇ ἄνω τῷ ἀκτίστῳ λόγῳ, διὰ τοῦτο καὶ κύριον καὶ Χριστὸν ὁ Θεὸς ἐποίησε, τὸ ἐκ Μαρίας συλληφθέν, τὸ ἐν θεότητι συνεναφθέν.

Hoc est: Hunc igitur Jesum, quem crucifixistis, ut ne relinqueretur sancta in carne dispensatio a passionis experte & increato Verbo, sed conniretur superne increato Verbo, quapropter & Dominum & Christum Deus fecit id, quod ex Maria conceptum & Deitati unitum est.

Am-

Ambroſius lib. 3. cap. 12. de Spiritu Sancto: Angeli adorant non ſolum divinitatem Chriſti, ſed & SCABELLUM PEDUM ejus. Et poſtea: illam terram Propheta dicit adorandam, quam Dominus JEſus in carnis aſſumtione ſuſcepit. Itaque per ſcabellum terra intelligitur, PER TERRAM autem CARO Chriſti, quam hodie quoque in myſteriis adoramus, & quam Apoſtoli in Domino JESU, ut ſupra diximus, adorarunt. *Tom. 2. p. 157.*

Auguſtinus de verbis Domini Sermone 58. Si Chriſtus non eſt natura DEUS, ſed creatura, nec colendus eſt, nec ut DEUS adorandus: Sed illi ad hæc replicabunt & dicent: Quid igitur eſt, quod CARNEM ejus, quam creaturam eſſe non negas, ſimul cum DIVINITATE adoras, & ei non minus quam Deitati deſervis? *Tom. 10. p. 217.*

Idem in Pſal. 98. Adorate ſcabellum pedum ejus. Scabellum eſt terra, & Chriſtus ſuſcepit terram de terra, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipſa carne hic ambulavit, & ipſam carnem manducandam nobis ad ſalutem dedit. Nemo autem CARNEM illam manducat, niſi prius ADORAVERIT. Inventum ergo eſt, quomodo adoretur tale ſcabellum pedum Domini, ut non ſolum non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando. *Tom. 9. Pag. 1105.*

Chryſoſtomus ad Hebr. 2. Καὶ γὰρ ὄντως μέ-

γα καὶ θαυμαστὸν, καὶ ἐκπλήξεως γέμον τὴν ἐξ ἡμῶν σάρκα ἄνω καθῆσθαι καὶ προσκυνεῖσθαι ὑπ' ἀγγέλων καὶ ἀρχαγγέλων καὶ τῶν σεραφὶμ καὶ τῶν χερουβὶμ, τοῦτο πολλάκις εἰς νοῦν ἐγὼ λαβὼν, ἐξίσταμαι. Magnum, admirabile & ſtupore plenum eſt, CARNEM noſtram ſurſum ſedere & adorari ab Angelis & Archangelis. Hoc ſæpe mente verſans ecſtaſin patior &c. Id. 1. Cor. 10. Τοῦτο τὸ σῶμα καὶ ἐπὶ φάτνης κείμενον ἠδέσθησαν μάγοι, &c. καὶ ὁδὸν ἐξείλαντο μακρὰν, καὶ ἐλθόντες μετὰ φόβου καὶ τρόμου πολλῆ προσεκύνησαν, 1. Cor. 10. Hoc CORPUS Chriſti in præſepi jacens, Magi venerati ſunt &c. & a longe venientes cum timore & tremore multo adoraverunt. Idem apud Leonem Epiſt. 95. Cognoſcamus, quæ natura ſit, cui Pater dixit: Eſto meæ particeps ſedis, Illa natura eſt, cui dictum eſt: Terra es, & in terram ibis.

Theophylact. ex Chryſoſt. in caput Matth. 28. ἐπεὶ ἡ ἀνθρωπίνη φύσις ἡ πρώην κατάκριτος, συνημμένη τῷ Θεῷ λόγῳ καθ' ὑπόστασιν, ἐν οὐρανῷ κάθηται, ὑπ' ἀγγέλων προσκυνουμένη, εἰκότως φησὶν, ὅτι ἐδόθη μοὶ πᾶσα ἐξουσία ἐν οὐρανῷ. Καὶ γὰρ ἡ ἀνθρωπίνη ἡ πρώην δουλεύουσα, νῦν ἐν Χριστῷ ἄρχει πάντων.

Quia HUMANA NATURA prius condemnata, nunc vero juncta Deo Verbo perſonaliter, ſedet in cœlo, & ab Angelis adoratur, merito dicit: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Etenim humana natura prius ſerviebat, nunc in Chriſto omnibus imperat.

Idem

Idem in 3. Cap. Johan. καὶ πάντα δέδωκεν ἐν τῇ χειρὶ τοῦ υἱοῦ κατὰ τὸ ἀνθρώπινον. Pater omnia dedit in manum Filii juxta HUMANITATEM.

Cyrillus de incarnatione cap. II. Verbum in id, quod non erat, se immisit, ut & HOMINIS NATURA id, quod non erat, fieret, divinæ Majestatis dignitatibus per adunitionem fulgens, quæ sublevata magis est ultra naturam, quam dejecit infra naturam invertibilem DEUM. *Tom. 4. p. 241.*

Ephesinum Concilium Canone II. Si quis non confitetur, CARNEM Domini esse vivificam, propterea quod propria facta est Verbi, quod omnia vivificat, Anathema sit. *Cyrill. Tom. 4. p. 140.*

Et Cyrillus in Explicatione illius Anathematismi dicit: Nestorium noluisse vivificationem tribuere CARNI Christi, sed sententias Joh. 6. exposuisse de sola Divinitate. *Ibid. pag. 140.*

Theodoretus dialogo 2. καὶ τῆς ἐκ δεξιῶν ἀξιώθη καθέδρας (τὸ σῶμα τοῦ κυρίου) καὶ παρὰ πάσης προσκυνεῖται τῆς κτίσεως, ἅτε δὴ σῶμα χρηματίζων τοῦ δεσπότου τῆς φύσεως.

Hoc est: illud corpus & sessione ad dexteram Dei dignum habitum est, & ab omni creatura adoratur, quia corpus appellatur natura Domini.

Idem Psal. 8. Hujusmodi honorem a Deo, universitatis, scilicet, imperium humana in Christo natura accepit.

Leo

Fol. 94. Leo Epiſtola 11. Aſſumti non aſſumentis provectio eſt, quod Deus illum exaltavit, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine JESU omne genu flectatur, & omnis lingua confiteatur, quod Dominus ſit JESUS CHRISTUS in gloria Dei Patris.

Damaſcenus lib. 3. cap. 18. Ἡ θεία αὐτοῦ (Χριστοῦ) θέλησις ἄναρχός τε καὶ παντοργὸς ἦν, &c. Ἡ δὲ ἀνθρωπίνη αὐτοῦ θέλησις ἀπὸ χρόνου τε ἤρξατο, καὶ αὐτὴ τὰ φυσικὰ καὶ ἀδιάβλητα πάθη ὑπέμενε, καὶ φυσικῶς μὲν οὐ παντοδύναμος ἦν, ὡς δὲ τοῦ Θεοῦ λόγου, ἀληθῶς καὶ κατὰ φύσιν γενομένη, καὶ παντοδύναμος.

Divina Chriſti voluntas erat æterna & omnipotens, &c. HUMANA vero ejus voluntas à tempore cœpit, & naturales ac innoxias affectiones ſuſtinuit; Et naturaliter quidem non erat omnipotens, ut autem vere & *ſecundum naturam DEI Verbi voluntas eſt facta, & omnipotens eſt:* Hoc eſt, ſicut commentator explicat: Divina voluntas ſuapte natura habet potentiam omnia efficiendi, quæ velit: *Humana vero Chriſti voluntas non ſua natura habet omnifficacem virtutem, ſed ut Deo Verbo unita.*

Idem cap. 19. Ἡ δὲ σὰρξ τῇ θεότητι τοῦ λόγου ἐνεργούσῃ (κοινωνεῖ) διά τε ὡς δι' ὀργάνου τοῦ σώματος τὰς θείας ἐκτελεῖσθαι ἐνεργείας, καὶ διὰ τὸ ἅμα εἶναι τὸν ἐνεργοῦντα θεϊκῶς τε ἅμα καὶ ἀνθρωπίνως. Ἐθέλει γὰρ χρὴ, ὡς ὁ ἅγιος αὐτοῦ νῦς. καὶ τὰς φυσικὰς αὐτοῦ ἐνεργεῖ ἐνεργείας, &c. κοινωνεῖ τῶν ἐνεργούσῃ

γούσῃ τῇ τοῦ λόγου θεότητι καὶ διεπούσῃ καὶ κυβερνώσῃ τὸ πᾶν νοῶν καὶ γινώσκων καὶ διεπὼν οὐχ ὡς ψιλὸς ἀνθρώπου νοῦς, ἀλλ' ὡς Θεῷ καθ' ὑπόστασιν ἡνωμένος καὶ Θεοῦ χρηματίσας.

CARO operanti Deitati VERBI COMMUNICAT, ideo quod divinæ operationes per organum corporis perficiebantur: ita SANCTA EJUS MENS etiam naturales suas operationes operatur. Communicat autem & Deitati verbi operanti ac gubernanti, IPSA ETIAM INTELLIGENS, COGNOSCENS ET DISPONENS TOTUM UNIVERSUM, non ut hominis mens, sed ut Deo secundum hypostasin counita & Dei mens constituta.

Idem libro eodem c. 21. Ἡ μὲν ἀνθρωπίνη φύσις οὐσιωδῶς οὐ κέκτηται τῶν μελλόντων τὴν γνῶσιν. Ἡ δὲ τοῦ κυρίου ψυχὴ διὰ τὴν πρὸς αὐτὸν τὸν λόγον ἕνωσιν καὶ τὴν ὑποστατικὴν ταυτότητα, κατεπλούτησε μετὰ τῶν λοιπῶν θεοσημιῶν καὶ τὴν τῶν μελλόντων γνῶσιν. Et in fine capitis:

Ἡμεῖς δὲ δεσπότην αὐτὸν φάμεν καὶ κύριον πάσης τῆς κτίσεως τὸν ἕνα Χριστὸν, τὸν αὐτὸν ὁμοῦ Θεόν τε καὶ ἄνθρωπον καὶ πάντα εἰδέναι. Ἐν αὐτῷ γὰρ εἰσὶ πάντες οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας καὶ τῆς γνώσεως εἰ ἀπόκρυφοι.

Humana natura in Christo essentialiter non possidet seu obtinet futurorum cognitionem, sed ut DOMINI ANIMA, propter unionem ad ipsum Deum Verbum, locupletata est cum reliquis divinis prædictionibus etiam futurorum cognitione. Et in fine capitis:

pitis: Nos ergo dicimus, UNUM CHRISTUM eundemque SIMUL DEUM & HOMINEM omnia ſcire: in ipſo enim omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi ſunt.

Nicephorus lib. 18. cap. 36. Chriſtus a diſcipulis in Galilææ monte conſpicitur, & ibi à Patre ſummam poteſtatem cœli & terræ juxta HUMANAM NATURAM ſcilicet, traditam eſſe confirmat.

IV.

Scripturam & ſanctos

Patres, Majeſtatem illam, quam Chriſtus in tempore accepit, non tantum de donis creatis & qualitatibus finitis intellexiſſe, ſed de ea gloria & Majeſtate divinitatis, quæ Dei propria eſt, ad quam aſſumpta illius natura humana in perſona filii Dei exaltata eſt, ita ut efficaciam & operationem divinæ naturæ, quæ Dei propria eſt, acceperit.

Joh. 17. v. 5. Johan. 17. Et nunc glorifica me tu Pater apud temetipſum ea gloria, quam habui apud te, priusquam mundus fieret.

Col. 2. v. 9. Coloſſ. 2. In ipſo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter.

Pag. 11. Hilarius de Trinitate lib. 3. Verbum caro factum orabat, ut ID, QUOD DE TEMPORE ERAT, gloriam ejus claritatis, quæ ſine tempore eſt, acciperet.

Gregorius Nyſſenus, citante Gelaſio & Theodoreto dialogo 2. de dicto illo Petri Actor.

ctor. 2. Dextera DEI exaltatus, &c. αὕτη (ἡ δεξιὰ τοῦ Θεοῦ) τὸν ἑνωθέντα πρὸς αὐτὴν ἄνθρωπον εἰς τὸ ἴδιον ἀνήγαγεν ὕψος διὰ τῆς ἑνώσεως. Ipsa dextera UNITUM SIBI HOMINEM in propriam suam evexit celsitudinem seu sublimitatem per unionem.

Idem de Anima: DEUS VERBUM à communione illa, quæ sibi est ad CORPUS & ANIMAM, nunquam alteratur, neque particeps est imperfectionis illarum, sed TRADENS EIS SUÆ DIVINITATIS VIRTUTEM, manet idem, quod erat & ante unionem. Tom. 2. p. 330.

Basilius: εἰς τὴν ἁγίαν τοῦ Χριστοῦ γένησιν· τίνα τρόπον ἐν σαρκὶ ἡ θεότης; ὡς τὸ πῦρ ἐν σιδήρῳ οὐ μεταβατικῶς, ἀλλὰ μεταδοτικῶς. Οὐ γὰρ ἐκτείχει τὸ πῦρ πρὸς τὸ σίδηρον, μένον δὲ κατὰ χώραν μεταδίδωσιν αὐτῷ τῆς οἰκείας δυνάμεως, ὅπερ ἔστε ἐλαττοῦται τῇ μεταδόσει, καὶ ὅλον πληροῖ ἑαυτοῦ τὸ μετέσχον. Pag. 231.

Quomodo Deitas est in carne? sicut ignis in ferro, non transitive, sed communicative. Non enim excurrit ignis ad ferrum, sed manens in suo loco communicat seu impertit ferro ignito propriam suam facultatem (vim seu potentiam) nec communicatione illa minor fit, sed seipso totum ferrum replet, quod (illa scilicet unione) particeps est ignis.

Epiphan. in Ancorato: συνδυναμῶσας σῶμα γήϊνον τῇ θεότητι, εἰς μίαν δύναμιν ἤγαγεν, εἰς μίαν Fol. 504.

μίαν θεότητα συνήγαγεν, εἰς ὢν κύριος, εἷς Χριστός, οὐ δύο Χριστοὶ, οὐδὲ δύο θεοὶ, &c.

(Idem Deus, idem Homo) CORPUS TERRENUM una cum Deitate potens efficiens, IN UNAM POTENTIAM UNIVIT, in unitatem reduxit, unus exiſtens Dominus, unus Chriſtus, non duo, &c.

Cyrillus in Johannem lib. 4. cap. 23. Non imperite omnino vivificam carnem eſſe negatis. Nam ſi ſola intelligatur, nihil prorſus vivificare poteſt, quippe quæ vivificante indigeat. Cum vero incarnationis myſterium laudabile ſcrutati fueritis, & vitam habitantem in carne cognoveritis, quamvis NIHIL PENITUS CARO PER SEIPSAM POSSIT, VIVICAM TAMEN factam eſſe credetis. Nam quoniam cum vivificante Verbo conjuncta eſt, tota effecta eſt vivifica. Non enim ad corruptibilem ſuam naturam junctum DEI VERBUM detraxit, ſed ipſa ad melioris virtutem elevata eſt. Quamvis ergo natura Carnis, ut Caro eſt, vivificare nequeat, facit tamen hoc, quia TOTAM VERBI OPERATIONEM SUSCEPIT. Non enim Pauli aut Petri aut cæterorum, ſed ipſius vitæ corpus, in quo Deitatis plenitudo corporaliter habitat, facere hoc poteſt. Quas ob res caro cæterorum omnium nihil prodeſt: CHRISTI autem CARO, quia in ipſa unigenitus Dei Filius habitat, ſola vivificare poteſt.

Augu-

Digitized by Google

Auguſtinus contra Felicianum Arianum cap. 11. Injuria ſui corporis affectam non fateor Deitatem, ſicut Majeſtate Deitatis glorificatam novimus carnem.

Theodoretus cap. de Antichriſto: Verbum homo factum non particularem gratiam contulit aſſumtæ naturæ, ſed totam plenitudinem Deitatis complacuit in ipſa habitare. *Tom. 2. pag. 411.*

Idem in Pſalmum 21. Si natura aſſumta cum divinitate aſſumente eſt copulata, etiam ejusdem gloriæ & honoris particeps & conſors facta eſt. *Tom. 1. pag. 110.*

Idem Ebr. 1. Ipſa humanitas poſt reſurrectionem, divinam gloriam eſt conſecuta.

Damaſcenus lib. 3. cap. 7. & 15. καὶ αὕτη μὲν (ἡ θεία Φύσις) τῶν οἰκείων ἀυχημάτων τῇ σαρκὶ μεταδίδωσι, μένουσα αὐτὴ ἀπαθὴς, καὶ τῶν τῆς σαρκὸς παθῶν ἀμέτοχος.

Divina natura proprias ſuas excellentias ſeu glorificationes carni communicat ſeu impertit, ipſa vero in ſe paſſionum carnis manet expers. *Pag. 194.*

V.

Chriſtum, unam eandemque Majeſtatem divinam, aliter ut Deum, nimirum eſſentialiter & ut eſſentialem proprietatem, aliter ut hominem, videlicet non eſſentialiter, neque in & ſecundum ſeſe, ſed pro ratione & modo unionis perſonalis habere.

Joh. 14. 6. Johan. 14. Ego ſum vita.

Joh. 5. 17. Johan. 5. Dedit ei vitam habere in ſeipſo, quia FILIUS HOMINIS EST.

Cyrillus lib. 12. Theſauri cap. 15. Conditio & proprietas alia creaturæ, alia creatori ineſt, ſed NATURA NOSTRA a Filio Dei aſſumta menſuram ſuam exceſſit & in conditionem aſſumentis eam per gratiam translata eſt.

Tom. 1. p. 134. Idem in Johannem lib. 2. cap. 144. Chriſtus cauſam ſubjecit, quare vitam & poteſtatem judicii ſibi a Patre data dixerit, dicens (quia Filius Hominis eſt) ut intelligamus, omnia ſibi data eſſe ut HOMINI. Unigenitus vero filius non vitæ particeps, ſed vita naturaliter eſt.

Tom. 1. p. 181. Idem lib. 3. cap. 37. Vivificat CORPUS CHRISTI, quia ipſius vitæ corpus eſt, virtutem Verbi incarnati retinens, & plenum poteſtate illius, quo univerſa ſunt & vivunt.

Pag. 201. Idem lib. 4. cap. 14. Quoniam Salvatoris CARO conjuncta eſt verbo DEI, quod naturaliter eſt, effecta eſt vivifica.

Pag. 204. Et cap. 18. CORPUS MEUM vita replevi, mortalem carnem aſſumſi, ſed quia naturaliter vita exiſtens habito in ipſa, *totam ad vitam meam reformavi.*

Pag. 210. Cap. 24. NATURA CARNIS ipſa per ſe vivificare non poteſt, nec ſola eſſe in Chriſto intelligitur, ſed habet filium Dei ſibi conjunctum,

ctum, qui ſubſtantialiter vita eſt. Quando igitur vivificam Chriſtus carnem ſuam appellat, non ita illi, ut ſibi ſive proprio ſpiritui vim vivificandi attribuit. Nam per ſeipſum Spiritus vivificat, ad cujus virtutem Caro per conjunctionem conſcendit. QVOMODO autem id fiat, nec mente intelligere nec lingva dicere poſſumus, ſed ſilentio ac firma fide id ſuſcipimus.

Idem lib. 10. cap. 13. Caro vitæ facta unigeniti caro *ad virtutem vitæ reducta eſt.* Pag. 501.

Idem lib. 11. cap. 12. Ipſa CARO CHRISTI non a ſe ſancta fuit, ſed conjunctione Verbi ad Verbi virtutem quodammodo reformata; ſalutis atque ſanctificationis cauſa eſt participantibus: Non ergo carni, ut caro eſt, operationis divinæ virtutem, ſed naturæ Verbi attribuimus. Pag. 552. conf. p. 608. l. b. p. 879. a. p. 845 med.

Lib. 6. Dialog. Glorificatur a Patre, non quia DEUS, ſed quoniam erat HOMO, quaſi propriæ naturæ fructum non habens, potentiam operandi efficaciter, divine accepit quodammodo illam, per unionem & ineffabilem concurſum, qui intelligitur Dei eſſe Verbi cum humanitate.

Idem de recta fide ad Theodoſium: immiſit aſſumto corpori ſuam vitam, ipſa per unionem diſpenſatione.

Ibidem: Vivificat Verbum propter ineffabilem nativitatem ex Vivente Patre; Atta- Pag. 571.

men est videre, ubi tribuatur etiam *propriæ carni divinæ efficacia gloriæ.* Item : Otiosam
Pag. 279. confitebimur terrenam carnem ad hoc, ut possit vivificare, quatenus pertinet ad propriam ejus naturam.

Epiphanius contra Ariomanitas pag. 337. Ἡ γὰρ αὐτῷ ἐνανθρώπησις, οὐ κατ' ἰδίαν τὶς ἦσα, οὐ γὰρ ἀπὸ κεχωρισμένης τῆς θεότητος, καὶ χωρὶς ἦσης τῆς ἐνανθρωπήσεως ἔλεγεν ὡς ἄλλο καὶ ἄλλο, ἀλλὰ συνωμένης τῆς ἐνανθρωπήσεως τῇ θεότητι, μιᾶς ἦσης ἁγιασίας, καὶ ἤδη ἐν αὐτῇ τὰ τελειότητα ἐπισαμένης, οἷα δὴ ἐν Θεῷ συννωμένη καὶ εἰς μίαν θεότητα συνημμένη.

Humanitas enim illius non seorsim per se subsistit, non enim separata Deitate & seorsim existente natura humana dicebat, velut alius & alius, sed counita humanitate cum Deitate, una existente sanctificatione, & jam in ipsa, quæ perfectissima sunt, sciente nimirum in Deo & in unam Deitatem coaptata.

Tom. 10. p. 217. Augustinus de verbis Domini Sermone 58. Ego vero DOMINICAM CARNEM, imo perfectam in Christo humanitatem ideo adoro, quod a Divinitate suscepta & Deitati unita est, & non alium & alium, sed unum eundemque Deum & hominem filium Dei esse confiteor. Denique si hominem separaveris a Deo, illi nunquam credo nec servio.

Item

Item: Humanitatem NON NUDAM vel ſolam; ſed divinitati unitam, ſcilicet unum DEI filium, DEUM verum & Hominem verum, ſi quis adorare contemſerit, æternaliter morietur.

Auguſtinus de civitate libro 10. cap. 24. Non ergo caro Chriſti PER SEIPSAM mundat credentes, ſed per verbum, a quo ſuſcepta eſt.

Epheſinum Concilium Canone 11. Si quis non confitetur, carnem Domini eſſe vivificam, propterea, *quod propria facta eſt verbi*, quod omnia vivificat, anathema ſit.

Theophylactus Joh. 3. καὶ πάντα δέδωκεν ἐν τῇ χειρὶ τοῦ υἱοῦ κατὰ τὸ ἀνθρώπινον. Εἰ δὲ κατὰ τὸ θεϊκὸν, τί τοῦτο, δέδωκεν ὁ πατὴρ τὰ πάντα τῷ υἱῷ λόγῳ φύσεως, ἀλλ' ὐ χάριτ☉.

Omnia dedit in manum Filii *juxta humanitatem:* ſi autem & ſecundum divinitatem intelligatur, dedit Pater omnia Filio *ratione Naturæ, non gratiæ.*

Idem Matth. 28. Εἰ μὲν ὡς ἀπὸ τοῦ Θεοῦ λόγου λεγόμενον ἐκλάβοις, ὅτι ἐδόθη μοι ἡ πᾶσα ἐξουσία, καθὸ καὶ ἀκόντες καὶ ἑκόντες νῦν ἐπιγινώσκουσί με Θεόν, οἱ πρώην κατὰ τὸν τῆς ἀκουσίου ὑποδαγῆς τρόπον δουλεύοντές μοι. Εἰ δὲ ὡς ἀπὸ τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως λεγόμενον, ὅτω νόει, ὅτι ἐγὼ ἡ πρωὴν κατάκριτ☉ φύσις, κατὰ δὲ τὴν πρὸς τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ ἀσύγχυτον ἕνωσιν, Θεὸς ὢν ἔλαβον τὴν ἐξουσίαν κατὰ πάντων.

Si de divinitate Deo verbo intelligas (data est mihi omnis potestas) sensus erit, & nolentes & volentes nunc me Deum agnoscunt, qui prius mihi serviebant involuntariæ obedientiæ modo. Si autem de humana natura dicitur, sic intellige; *Ego prius condemnata* natura, existens autem DEUS *secundum unionem ad Filium Dei*, absque naturarum confusione accepi potestatem omnem.

Damascenus lib. 3. cap. 17. *ὐ γὰρ κατ' οἰκείαν ἐνέργειαν, ἀλλὰ διὰ τὸν ἡνωμένον αὐτῇ λόγον τὰ θεῖα ἐνήργει, τῷ λόγῳ δι' αὐτῆς τὴν οἰκείαν ἐνδεικνυμένῳ ἐνέργειαν, καίει μὲν γὰρ ὁ πεπυρακτωμένος σίδηρος, ὐ φυσικῷ λόγῳ τὴν καυστικὴν κεκτημένος ἐνέργειαν, ἀλλ' ἐκ τῆς πρὸς τὸ πῦρ ἑνώσεως τοῦτο κεκτημένος. Ἡ αὐτὴ τοιγαροῦν θνητή τε ἦν δι' ἑαυτὴν, καὶ ζωοποιὸς διὰ τὴν πρὸς τὸν λόγον καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν.*

Non secundum propriam operationem, sed propter unitum sibi verbum divina operabatur (*Caro Domini*) Verbo per eam, propriam suam operationem manifestante. Nam & ferrum ignitum urit, non naturali ratione possidens ustricem operationem, sed obtinens eam ex unione ignis & ferri. Ipsa igitur CARO DOMINI mortalis erat propter seipsam, ET VIVIFICA propter hypostaticam ad verbum unionem.

Idem cap. 18. *ἡ θεία αὐτοῦ (Χριστοῦ) θέλησις ἄναρχός τε καὶ παντουργὸς ἦν*, &c. *ἡ δὲ ἀνθρωπίνη*

πίνη αὐτῦ θέλησις ἀπὸ χρόνυ τε ἤρξαλο, καὶ αὐτὴ τὰ φυσικὰ καὶ ἀδιάβλητα πάθη ὑπέμεινε, καὶ φυσικῶς μὲν ὐ παντοδύναμος ἦν, ὡς δὲ τῦ θεῦ λόγυ, ἀληθῶς καὶ καλὰ φύσιν γενομένη καὶ παντοδύναμος.

Divina Chriſti voluntas erat æterna & omnipotens, HUMANA vero ejus voluntas *a tempore* cœpit, & naturales ac innoxias affectiones ſuſtinuit. *Et naturaliter* quidem non erat omnipotens, *ut autem vere & ſecundum naturam Dei verbi voluntas eſt facta, & omnipotens eſt.* Hoc eſt, ſicut commentator explicat: *Divina voluntas ſuapte natura* habet potentiam omnia efficiendi, quæ velit: Humana vero Chriſti voluntas *non ſua natura:* habet omnieſficacem virtutem, ſed ut DEO verbo unita.

In libro eodem cap. 21. Ἡ μὲν ἀνθρωπίνη φύσις ὐσιωδῶς ὐ κέκτηται τῶν μελλόντων τὴν γνῶσιν, ἡ δὲ τῦ κυρίυ ψυχὴ διὰ τὴν πρὸς αὐτὸν τὸν λόγον ἕνωσιν καὶ τὴν ὑποσαλικὴν ταυτότηλα, κατεπλάτησε μελὰ τῶν λοιπῶν θεοσημιῶν καὶ τὴν τῶν μελλόντων γνῶσιν. Et in fine capitis: ἡμεῖς δὲ δεσπότην αὐτὸν φαμὲν καὶ κύριον πάσης τῆς κτίσεως τὸν ἕνα Χριςὸν, τὸν αὐτὸν ὁμῦ θεόν τε καὶ ἄνθρωπον καὶ πάντα εἰδέναι. Ἐν αὐτῷ γὰρ εἰσὶ πάντες οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας καὶ τῆς γνώσεως οἱ ἀπόκρυφοι.

Humana natura in Chriſto eſſentialiter non poſſidet ſeu obtinet futurorum cognitionem, ſed ut *Domini Anima*, propter unionem &

ipsum DEUM Verbum, locupletata est cum reliquis divinis prædictionibus etiam futurorum cognitione. Et in fine capitis: Nos ergo dicimus, unum Christum, eundemque simul *Deum & hominem, omnia scire:* In ipso enim omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi sunt.

Idem lib. 2. c. 22. Εἰ γὰρ καὶ τῆς ἀγνοούσης τὰ μέλλοντα φύσεως ἦν (ἡ τοῦ κυρίου ψυχὴ) ἀλλ' ὅμως καθ' ὑπόστασιν ἑνωθεῖσα τῷ Θεῷ λόγῳ, πάντων τὴν γνῶσιν εἶχεν οὐ χάριτι ἀλλὰ διὰ τὴν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν. Et paulo post: ἐπὶ δὲ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἐπειδὴ μὲν διάφοροι αἱ Φύσεις, διάφοροι καὶ αἱ θελήσεις Φυσικαὶ, ἤγουν θελητικαὶ δυνάμεις.

Domini anima, etsi secundum se erat naturæ futura ignorantis, attamen secundum hypostasin unita Deo Verbo, *omnium cognitionem habebat*, non ex gratia (seu participative) sed propter hypostaticam unionem. Et paulo post: Et quia in Domino nostro Jesu Christo naturæ differunt, etiam naturales scientiæ & voluntates Divinitatis & humanitatis, &c.

VI.

Deitatem nunc Majestatem, potentiam & efficaciam suam (quæ Deitatis propria est & manet) efficaciter exerere, in, cum & per humanitatem personaliter sibi unitam, quæ Majestatem illam inde consecuta est, quod tota plenitudo Deitatis in assumta carne & sangvine Christi habitet personaliter.

Rom.

Rom. 5. Proposuit Christum propitiatorium per fidem in SANGVINE ejus. *Rom. 5, 25.*

Rom. 5. Justificamur in sangvine ejus. *Rom. 5, 9.*

Colos. 1. in ipso pacificantur omnia per sangvinem crucis ejus, &c. *Col. 1, 20.*

Athanasius oratione 5. contra Arianos: Quomodo CORPUS DOMINI non esset adorabile; cum Verbum manum suam corporalem extendens sanarit febricitantem, *vocem humanam* edens suscitaverit Lazarum, *manibus suis in cruce protensis* principem aeris prostraverit.

Idem dialogo 5. de Trinitate: ὁ Θεὸς λόγ῾ ἑνωθεὶς ἀνθρώπῳ τελεῖ τὰ τεράτια ὁ κεχωρισμέν῾ τῆς ἀνθρωπότητ῾, δι' αὐτῆς, καὶ ἐν αὐτῇ, καὶ μετ' αὐτῆς εὐδοκήσας τὴν ἑαυτοῦ θείαν δύναμιν ἐνεργεῖν. Et paulo post: καὶ ὑπὲρ τὴν φύσιν τὴν ἰδίαν ἀποτελεῖ τὸ ζῶον εὐδοκίᾳ τῇ ἑαυτοῦ, καὶ τὸ ζῶον εἶναι λογικὸν οὐκ ἐκώλυσεν. *Concretum pro Abstracto.*

DEUS λόγ῾ unitus homini edit miracula, & operatur non seorsim aut separatim a natura humana assumta, sed pro sua bonitate placuit ipsi, *per assumtam humanitatem, in ea & cum ea, propriam divinam suam potentiam operando exercere.* Et paulo post: Et humanitatem illam suam ultra & supra propriam ipsius naturam, pro suo beneplacito perfectam reddidit, non tamen prohibet, quo minus sit animal rationale seu vera humana natura.

Cyrillus de recta fide ad Theodosium:

Anima unionem ſortita ad Verbum deſcendit in infernum, *Divina autem virtute & efficacia utens* dixit compeditis: Egredimini.

Idem lib. 1. ad Reginas: Chriſtus ut DEUS vivificat per propriam carnem.

VII.

Et hanc communicationem Majeſtatis divinæ ſine permixtione, abolitione vel abnegatione humanæ naturæ, etiam in gloria, fieri.

Matth. 16, 27. Matth. 16. Filius hominis venturus eſt in gloria Patris.

Actor. 1, 11. Et Actor. 1. Sic veniet, quemadmodum vidiſtis euntem in cœlum.

Athanaſius dialogo 5. de Trinitate: καὶ ὑπὲρ τὴν φύσιν τὴν ἰδίαν ἀποτελεῖ τὸ ζῶον εὐδοκείᾳ τῇ ἑαυτοῦ, καὶ τὸ ζῶον εἶναι λογικὸν οὐκ ἐκώλυσεν.

Humanitatem illam ſuam ſupra & ultra propriam ipſius naturam, pro ſuo beneplacito perfectam reddidit, non tamen prohibet, quo minus ſit animal rationale ſeu vera humana natura.

Theophylactus ex Chryſoſtomo in caput Matth. 28. ἐγὼ ἡ πρώην κατάκριτος φύσις, κατὰ δὲ τὴν πρὸς τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ ἀσύγχυτον ἕνωσιν Θεὸς ὤν, ἔλαβον τὴν ἐξουσίαν κατὰ πάντων.

Ego prius damnata natura, nunc Deus exiſtens ſecundum unionem ad filium Dei absque naturarum confuſione accepi poteſtatem omnium. Cyril-

Digitized by Google

Cyrillus lib. 4. cap. 24. Totum corpus ſuum vivifica Spiritus virtute plenum eſſe oſtendit, *non quod naturam carnis amiſerit, & in ſpiritum mutata ſit*, ſed quia cum Spiritu conjuncta, totam vivificandi vim hauſit.

Idem de incarnatione cap. 8. In carbone tanquam in imagine licet conſpicere, adunatum quidem humanitati DEUM Verbum, *transformaſſe aſſumtam naturam in ſuam gloriam & operationem*, ſicut ignis ligno affixus, ita adunitus eſt inæſtimabiliter humanitati DEUS conferens ei etiam naturæ ſuæ operationem.

Theodor. Dialog. 2. καὶ τὸ δεσποτικὸν τοιγαροῦν σῶμα ἄφθαρτον μὲν ἀνέστη καὶ ἀπαθὲς καὶ ἀθάνατον, καὶ τῇ θείᾳ δόξῃ δεδοξασμένον καὶ παρὰ τῶν ἐπουρανίων προσκυνεῖται δυνάμεων. Σῶμα δὲ ὅμως ἔστι τὴν προτέραν ἔχον περιγραφήν.

Corpus Dominicum ſurrexit a mortuis *incorruptibile, impaſſibile, immortale, divina glorificatum gloria*, & a cœleſtibus adoratur poteſtatibus, Corpus tamen eſt, & habet, quam prius habuit, circumſcriptionem.

Idem Dialogo 3. probat hanc Apollinarii ſententiam : Si mixtio ignis cum ferro, quæ ferrum oſtendit igneum, ita ut etiam ea faciat, quæ ſunt ignis, non mutat naturam ferri : Neque igitur DEI cum corpore unio eſt mutatio corporis, licet corpori divinas operationes præbeat.

Dama-

Damaſcenus lib. 3. cap. 17. Ἡ τοῦ κυρίου σὰρξ τοὺς θείας ἐνεργείας ἐπλήτησε, διὰ τὴν πρὸς τὸν λόγον ἀκραιφνεστάτην ἕνωσιν ἤτοι τὴν καθ' ὑπόστασιν, ἀδαμῶς τῶν κατὰ φύσιν ἰδίων ὑποστάσαι ἔκπτωσιν.

Caro Domini locupletata eſt divinis operationibus, propter hypoſtaticam ejus ad verbum unionem, non paſſa excidentiam eorum, quæ ſecundum naturam ipſi propria ſunt.

Idem lib. 2. c. 22. Εἰ γὰρ καὶ τῆς ἀγνοούσης τὰ μέλλοντα φύσεως ἦν (ἡ τοῦ κυρίου ψυχὴ) ἀλλ' ὅμως καθ' ὑπόστασιν ἑνωθεῖσα τῷ Θεῷ λόγῳ, πάντων τὴν γνῶσιν εἶχεν ὐ χάριτι, ἀλλὰ διὰ τὴν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν. Et paulo poſt: ἐπὶ δὲ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἐπειδὴ μὲν διάφοροι αἱ φύσεις, διάφοροι καὶ αἱ θελήσεις φυσικαὶ, ἤγουν θελητικαὶ δυνάμεις.

Domini anima, etſi ſecundum ſe erat naturæ ignorantis futura: attamen ſecundum hypoſtaſin unita *DEO verbo, omnium cognitionem habuit*, non ex gratia ſeu participative, ſed propter hypoſtaticam unionem. Et paulo poſt: In Domino noſtro JEſu Chriſto, quia naturæ differunt, differunt etiam naturales ſcientiæ & voluntates Divinitatis & Humanitatis.

VIII.

Humanam naturam divinæ Majeſtatis, quæ Dei propria eſt, participem & capacem eſſe propter unionem & pro modo unionis hypoſtaticæ.

Coloſſ.

Coloſſ. 2. In ipſo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter. In ipſo abſconditi ſunt omnes theſauri ſapientiæ & cognitionis. Col. 2, 9. 3.

Juſtinus in expoſitione fidei pag. 182. καὶ οὐχ ὅτως αὐτὸν ἐν τῷ πατρὶ λέγομεν, ὡς ἐν τοῖς λοιποῖς, ὁ διὰ τὸ τὴν οὐσίαν ἐν τοῖς ἄλλοις γιγνομένην συγκέλεσθαι, ἀλλὰ διὰ τὸ τῶν δεχομένων μέτρον ἀτονούντων τὴν εἰσδοχὴν τὴν θεῖαν. Nec ita ipſum in Patre, ut in reliquis eſſe dicimus, non eo quidem, quod ſubſtantia in aliis exiſtens contrahatur, ſed propter eorum, qui illam capiunt, modum, per imbecillitatem ſuam divinam præſentiam non admittentium. Item: ὁ γὰρ δέχεται σῶμα ῥυπῶν ἀκτῖνας θεότητος. Nam corpus pollutum radios divinitatis non capit. Et paulo poſt: ὅτω μοι νόει τὸν τῆς δικαιοσύνης ἥλιον πᾶσι μὲν ἐπίσης κατ' οὐσίαν, ἅτε δὴ θεὸν ὄντα, παρεῖναι, ἡμᾶς δὲ πάντας οἷον ἀσθενεῖς καὶ λημῶντας τῷ ῥύπῳ τῶν ἁμαρτιῶν τὰς ὀφθαλμὰς τὴν εἰσδοχὴν τοῦ φωτὸς ἀτονοῦντας, τὸν δὲ οἰκεῖον ναὸν ὀφθαλμὸν καθαρώτατον καὶ χωροῦντα τοῦ φωτὸς ὅλον τὴν αὐγήν, ἅτε πλασθέντα μὲν ἐκ πνεύματος ἁγίου, ἁμαρτίας δὲ καθάπαξ κεχωρισμένον. Eodem modo mihi conſidera juſtitiæ ſolem univerſis quidem ex æquo ſubſtantia, ut, qui Deus ſit, præſentem eſſe, nos vero omnes utpote infirmos & peccatorum ſordibus lippientes oculis noſtris, propter langvorem, lucis præſentiam ſuſtinere non poſſe, proprium vero illius templum, oculum puris-

puriſſimum & ſplendoris univerſæ lucis capacem eſſe, utpote a Spiritu ſancto formatum, & a peccato ex parte ſegregatum.

Origenes de principiis lib. 2. cap. 6. Anima Chriſti tota, totum λόγον recipit, atque in ejus lucem ſplendoremque cedit.

Et lib. 4. Anima Chriſti cum Verbo DEI conjuncta, filii DEI plene capax fuit.

Auguſtinus Epiſt. 57. DEUS licet omnibus creaturis totus ſit præſens, ac præcipue in credentibus habitet; non tamen ex toto illum capiunt, ſed pro ſuæ capacitatis diverſitate alii amplius, alii minus ipſum habent & capiunt. De capite vero noſtro, Chriſto, Apoſtolus ait: In ipſo inhabitat *tota plenitudo Deitatis corporaliter.*

IX.

Etſi in confeſſo eſt neque negari poteſt, Divinitatem una cum ſua Majeſtate divina nequaquam carnis circumſcriptione tanquam vaſe aliquo contineri, quemadmodum Athanaſius, Origenes, Nyſſenus & alii recte ſcripſerunt, & in libro Concordiæ tanquam erroneum rejicitur dogma, de humanitate Chriſti in omnibus locis expanſa ſive de humana natura in Chriſto per unionem perſonalem in infinitam eſſentiam converſa: Quia tamen divina & humana natura perſonaliter & indiſſolubiliter in Chriſto unitæ ſunt: ideo cum ſacra ſcriptura, tum ſancti patres teſtantur: ubicunque Chriſtus eſt, ibi non dimidiatum, aut dimidiam illius

illius perſonam, aut partem tantum perſonæ illius, ut divinitatem ſolam, ſeorſim & nude, citra & extra aſſumptam & perſonaliter ſibi unitam humanitatem, vel ab ea ſeparatam & extra perſonalem cum humanitate unionem, ſed totam illius perſonam, nempe, ut Deum & hominem pro modo perſonalis cum humanitate unionis, quæ imperſcrutabile myſterium eſt, ubique præſentem, ea ratione & modo, qui ſoli Deo notus eſt.

Epheſ. 4. Aſcendit ſuper omnes cœlos, ut impleret omnia. Quod Oecumenius ita interpretatur: Καὶ γὰρ καὶ γυμνῇ τῇ θεότητι πάλαι τὰ πάντα ἐπλήρου. Καὶ σαρκωθεὶς, ἵνα τὰ πάντα μετὰ σαρκὸς πληρώσῃ, καθέδη καὶ ἀνέβη. Etenim nuda quoque divinitate olim omnia implebat. Et incarnatus, ut *omnia cum carne impleret*, deſcendit & aſcendit. *Eph. 4. v. 10.*

Et Theophylactus ibidem: ut omnia impleat dominatione operationeque, idque in carne, quandoquidem divinitate jam antea cuncta compleret. Hæc autem adverſus Paulum Samoſatenum & Neſtorium ſunt.

Leo Epiſtola 10. Catholica Eccleſia hac fide vivit ac proficit, ut in Chriſto Jeſu, nec ſine vera divinitate humanitas, nec ſine vera credatur humanitate divinitas.

Idem ſermone 3. de paſſione: Hoc Catholica fides tradit, hoc exigit, ut in Redemtore noſtro duas noverimus conveniſſe naturas,

& manentibus proprietatibus ſuis, tantam factam unitatem utriusque ſubſtantiæ, ut ab illo tempore, quo in beatæ virginis utero Verbum caro factum eſt, nec DEUM illum ſine hoc, quod eſt homo, nec hominem ſine hoc liceat cogitare, quod DEUS.

Ibidem: Exprimit quidem ſub diſtinctis operationibus veritatem ſuam utraque natura, ſed neutra ſe ab alterius connexione disjungit, nihil ibi ab *invicem vacat*, ſed ſuſcepit totum hominem DEUS, & ita ſe illi atque illum ſibi conſeruit, ut utraque alteri naturæ ineſſet, & neutra in alteram a ſua proprietate tranſiret.

X.

Cum autem hujus articuli doctrina eo, ut, ubi tota perſona Mediatoris τῦ Θεανθρώπȣ quæri debeat & apprehendi poſſit, ſciatur, præcipue directa ſit, ideo liber Concordiæ, perinde atque omnes alii S. Patres, nos non ad ligna aut lapides aut aliud quid, ſed eo, quo nos Chriſtus in & cum Verbo ſuo, remittit & deducit.

Cyrillus lib. 12. in Johannem cap. 32. In quatuor partes veſtimenta Chriſti diviſa ſunt, & tunica ſola indiviſa manſit, quod myſticæ cujusdam rei ſignum eſſe dixerim. Nam quatuor orbis partes ad ſalutem reductæ, indumentum Verbi, id eſt, carnem ejus impartibiliter inter ſe partitæ ſunt. In ſingulis enim par-

partibiliter transiens unigenitus & animam & corpus eorum per carnem suam sanctificans impartibiliter atque integre in omnibus est, cum unus ubique sit nullo modo divisus.

Theophylactus in caput 19. Johannis:

Τὸ τοίνυν ἅγιον σῶμα τοῦ Χριστοῦ ἀμέριστόν ἐστι τοῖς τέσσαρσι τοῦ κόσμου μέρεσι μεριζόμενον, καὶ διαδιδόμενον, κατακερματιζόμενον γὰρ ἐν τοῖς καθ' ἕνα καὶ τὴν ἑκάστου ψυχὴν ἁγιάζων μετὰ τοῦ σώματος, ὁμογενὴς διὰ τῆς ἰδίας σαρκὸς ὁλοκλήρου καὶ ἀμερίστου ἐν ὅλοις ἐστὶν, ὑπάρχων πανταχοῦ, οὐδαμοῦ γὰρ μεμέρισται, κατὰ καὶ ὁ Παῦλος βοᾷ.

Igitur sanctum Christi corpus INDIVISIBILE EST, & dividitur & communicatur in quatuor partes orbis, distributus enim singulis & uniuscujusque animam sanctificans cum corpore, PER CARNEM SUAM, unigenitus & integer & indivisus in omnibus est, EXISTENS UBIQUE, nunquam enim divisus est, sicut & Paulus clamat.

Chrysost. Hom. 17. ad Ebr. p. 16. (& Ambr. c. 10. ad Hebræos) ἐπειδὴ πολλαχοῦ προσφέρεται, πολλοὶ Χριστοὶ; μηδαμῶς. Ἀλλ' εἷς πανταχοῦ ὁ Χριστὸς κἀκεῖ πλήρης ὢν κἀκεῖ πλήρης, ἓν σῶμα. Ὥσπερ οὖν πολλαχοῦ προσφερόμενος ἓν σῶμά ἐστι, κἂν πολλὰ σώματα, οὕτω κὰν μία θυσία. Ὁ ἀρχιερεὺς ἡμῶν ἐκεῖνός ἐστιν, ὁ τὴν θυσίαν τὴν καθαίρουσαν ἡμᾶς προσενέγκων. Ἐκείνην προσφέρομεν καὶ νῦν, τὴν τότε προσενεχθεῖσαν τὴν

ἀνάλωτον: Τῦτο εἰς ἀνάμνησιν γίνεται τῦ τότε γενομένυ. Τῦτο γάρ ποιεῖτε, φησὶν, εἰς ἐμὴν ἀνάμνησιν. ὐκ ἄλλην θυσίαν, καθάπερ ὁ ἀρχιερεὺς, ἀλλὰ τὴν αὐτὴν ἀεὶ ποιῦμεν. Μᾶλλον δὲ ἀνάμνησιν ἐργαζόμεθα θυσίας.

Nunquid, quia in multis locis offertur, ideo multi Chriſti ſunt? Nequaquam, ſed unus ubique eſt Chriſtus, & hic plenus exiſtens & illic plenus unum corpus. Quemadmodum enim, qui in multis locis offertur, unum corpus eſt, & non multa corpora: ita etiam & unum ſacrificium. Pontifex autem noſter ille eſt, qui hoſtiam mundantem nos obtulit, ipſam offerimus & nunc, quæ tunc oblata quidem, conſumi non poteſt. Hoc in memoriam ejus fit, quod tunc factum eſt: Hoc enim facite, inquit, in mei recordationem. Non igitur aliud ſacrificium quemadmodum ſummus ſacerdos, ſed idem ſemper facimus. Magis autem recordationem ſacrificii operamur.

EPILOGUS.

HÆc teſtimonia priſcorum Eccleſiæ doctorum, lector Chriſtianæ religionis amans, non eo conſilio huc appoſita ſunt, quod fides noſtra autoritate hominum velut fundamento nitatur, (cum veram & ſalviſicam fidem nullius neque veteris, neque recen-

recentioris Eccleſiæ Doctoris teſtimonio, ſed ſolius & unius DEI verbo in ſcriptis Prophetarum & Apoſtolorum, teſtium veritatis cœleſtis max. ἀξιοπίςων, comprehenſo, velut fundamento immoto inniti oporteat) ſed quod fanatici ſpiritus aſtu Diabolico hoc agant, ut homines à ſcripto verbo, quod Dei beneficio etiam ab idiotis utiliter nunc legi poteſt, abductos, ad ſanctorum Patrum, & antiquorum Eccleſiæ Doctorum ſcripta, velut in ampliſſimum pelagus deducant, ut qui iſta non legerit, ſitne ea pia vetuſtatis & monumentorum ejusdem ſententia, in quam novi illi Doctores verba eorum allegant, certo ſcire nequeat, atque hoc pacto in gravi & periculoſa dubitatione relinquatur. Quare neceſſitas nobis impoſita fuit, hoc catalogo planum faciendi & oculis quaſi omnium ſpectandum exhibendi, quod hæc nova falſa doctrina, non minus ſacræ ſcripturæ fundamento, quam purioris antiquitatis teſtimonio deſtituatur, imo utrique ex diametro repugnet, antiquitatis ſcilicet dictis in alienam ſententiam, pugnantem cum ejusdem mente & intentione detortis, perinde atque plana & dilucida

verba Teſtamenti Chriſti & perſpicua teſtimonia ſcripturæ ab iisdem data opera, nefaria quadam petulantia depravantur. Qua porro de cauſa Liber concordiæ unumquemque ad ſcripturam ſacram & ad ſimplicitatem catecheticam deducit, quod qui illam ſimplici fidei aſſenſione amplectatur, animæ & conſcientiæ ſuæ quam opt. conſulat, ut quæ ſuper firma & immota petra extructa ſit, ut dicitur Matth. 7. 17. Gal. 1. & Pſal. 119.

Matth. 7. 24. c. 16. v. 18. Gal. 1, 4. 11. 4, 12. Pſal. 119. v. 59. 69. 95. 104. 105. 160. 165.

IN-

INDEX.

LIBRO CHRISTIANÆ CONCORDIÆ COMPREHENDUNTUR

scripta sequentia:

1. Symbolum Apostolicum fol. 1.
2. Symbolum Nicenum ibid.
3. Symbolum Athanasii fol. 2.
4. Augustana Confessio fol. 5.
5. Apologia Confessionis fol. 47.
6. Articuli Smalcaldici fol. 298.
7. Catechismus Lutheri Minor f. 359.
8. Catechismus Major fol. 390.
9. Epitome articulorum controversorum &c. fol. 570.
10. Solida & uberior repetitio & declaratio eorundem fol. 628
11. Catalogus testimoniorum scripturæ & purioris antiquitatis, de majestate carnis Christi fol. 831.

Digitized by Google

INDEX MATERIARUM SECUNDUM LOCOS DOCTRINÆ.

I. DE NORMA DOCTRINÆ.

Scriptura ſacra eſt unica norma judicandorum dogmatum fol. 570. 572. 632.
De Patrum & aliorum doctorum ſcriptis quid ſentiendum 570. 571
Quæ ſymbola & ſcripta ſymbolica noſtræ Eccleſiæ amplectantur 571. 572. 632. 633
Catechiſmus eſt Laicorum Biblia 571. 634.

II. DE DEO.

Habet hunc articulum *Auguſtana Confeſſio, artic. 1. fol. 9.*
Apologia, fol. 50.
Articuli Smalcald. 303.

DEUS unus in eſſentia & trinus in Perſonis, fol. 1. 2. 3. 9. 50. 303
DEUS quid ſit 503
Perſona quid ſignificet 9
DEUM habere quid ſit 403
DEUS ipſe in credentibus habitat, non tantum ipſius dona 698
Dii alieni in Papatu 405
Dii alieni apud Gentiles 407

III. DE CHRISTO, EJUS perſona & officio.

Auguſtana Confeſſio, art. 3. fol. 10.
Apologia, fol. 59.
Articuli Smalcald. fol. 303.
Epitome, fol. 605.
Solida declaratio, 761.

Digitized by Google

Duæ ſunt in Chriſto naturæ perſonaliter unitæ, fol. 1. 4. 10. 59. 303. 583. 606. 762. 763. 833.
Utraque natura retinet ſuas proprietates 606. 763. 833. & ſeqq.
Naturarum ſumma eſt communio 607. 765
Myſterium iſtius unionis & communicationis maximum 769
DEUS eſt homo, & homo DEUS 607
Maria Mater Dei 607. 766
Vere filius Dei pro nobis paſſus eſt, ſed ſecundum carnem 608. 771. 772
Non nudus homo paſſus eſt, nec ſola humanitas 607. 611. 766.
Gradus communicationis idiomatum 770
Primus gradus 770
Secundus gradus 773
Tertius gradus 773. & ſeqq.
Chriſtus ſecundum carnem vere exaltatus 608. 764. 474
Status exinanitionis & exaltationis 608
Chriſtus etiam ut homo omnia novit, 608. 781. omnia poteſt, 608. omnibus creaturis præſens eſt, 606. 768. 783
Caro Chriſti vivifica 782
Tria firmiſſima argumenta, quod iſta majeſtas Carni Chriſti acceſſerit 776
Quando Caro Chriſti majeſtatem illam acceperit 764
Communicatio majeſtatis quomodo ſit ſacra 777. 778. 779
Cur vocetur realis communicatio 778
Corpus Chriſti tribus modis alicubi eſſe poteſt 752. & ſeqq.
Lutherus de omnipræſentia carnis Chriſti 784. 785
Errores & falſa dogmata de perſona Chriſti, & naturarum ac idiomatum communicatione 605. 609. 610. & ſeq. 786. 787

Allœosis Cingliana. 770
Dicti Matth. 18. Data est mihi omnis potestas, &c. Ariana depravatio 612
Depravatio loci Act. 3. Oportet Christum cœlum accipere 759
Origo controversiæ de persona Christi 761
De beneficiis filii Dei 10. 493
Christus unicus Mediator 19
Christus justitia nostra secundum utramque naturam 584. 612. 696
Christus non tantum pro originali, sed & pro actualibus peccatis satisfecit 10. 25.

De Majestate Carnis Christi, in Appendice habentur capita sequentia.

1. Quod sacræ literæ & Patres in hac doctrina utantur verbis : communicationis, donationis, exaltationis, &c. 839
2. Christum Majestatem illam in tempore, non secundum divinitatem, sed secundum carnem accepisse. 843
3. Et Scripturam & Patres loqui per vocabula abstracta, de ipsa humanitate, quæ omnia acceperit 849
4. Quod scriptura & Patres non tantum dona creata & finita, sed majestatem, quæ Dei propria est, carni Christi tribuant. 860
5. Quod Christus unam eandemque majestatem divinam aliter ut Deus, aliter ut homo habeat 863
6. Quod Deitas nunc majestatem, potentiam & efficaciam suam exerat, in, cum & per humanitatem, &c. 870
7. Quod communicatio majestatis divinæ, sine permixtione, abolitione vel abnegatione humanæ naturæ, etiam in gloria, fiat 872

8. Quod

Digitized by Google

8. Quod humana natura particeps sit divinæ Majestatis propter unionem, & pro modo unionis hypostaticæ 874
9. Quod totus Christus, DEUS & homo, ubique præsens sit 876
10. Quod Christus quærendus ibi sit, quo nos in & cum verbo suo remittit & deducit 878

De Descensu Christi ad inferos.

Epitome, fol. 613.
Solida declaratio, 788.

Tota persona ad inferos descendit 688
Quid Christus suo descensu ad inferos effecerit 613
De hoc articulo non disputandum 613

IV. DE PECCATO.

De causa peccati, *August. Conf. artic. 19. fol. 15. Apologia, fol. 219. 220.*

DEUS non est peccati causa, sed Diabolus & voluntas hominis 15. 220. 639.

De Peccato Originis.

Augustana Confessio, artic. 2. fol. 9. 10.
Apologia, fol. 50.
Articuli Smalcald. fol. 317.
Epitome, fol. 572.
Declaratio, fol. 639.

Doctrina de peccato Originis necessaria 56. 59.
Omnes homines in peccatis nasci 9. 317
Quid sit peccatum Originis 9. 10. 50. 51. 52. 574. 575. 639. 640
Vetus definitio 53
Definitio Augustini 54
Definitio Thomæ, Bonaventuræ, Hugonis 55

Digitized by Google

Peccatum originis admodum horribile peccatum 640
Justitia originalis seu imago Dei in homine quid fuerit 53. 54
An peccatum originis maneat post baptismum 56
Concupiscentia sitne pœna an peccatum 57. 58
Concupiscentia non est quiddam ἀδιάφορον 57
Pœnæ peccati originis 58. 641
Fructus peccati originis 317
Falsa dogmata ex ignorantia peccati originis enata 51. 52. 318. 575. 642
Peccatum originis non est quiddam per se subsistens 643
Non est ipsa hominis substantia, &c. 573. & seq. 645
Cur necessario retineatur discrimen inter substantiam hominis, & inter peccatum originis 573. 574. 646. 647. & seqq.
Cur a Luthero vocetur peccatum naturæ 576. 639. 651
Æquivocatio vocabuli Naturæ 577. 650
Peccatum originis esse accidens, & quale sit 578. 651. 652. 653

V. DE LIBERO ARBITRIO.

Augustana Confessio, artic. 18. fol. 14.
Apologia, fol. 217.
Articuli Smalcaldici, 318.
Epitome, fol. 578.
Solida declaratio, 654.

Quadruplex status hominis 578. 674.
Homo post lapsum habet aliquod liberum arbitrium in rebus rationi subjectis 14. 217. 318. 661. 664. 671
In spiritualibus nullum 15. 18. 219. 318. 579. 656. & seq.
Fundamenta hujus sententiæ 657. & seq. 661

Con-

Digitized by Google

Coverſio hominis merum opus Spiritus ſancti 579. 580. 663. & ſeqq.
Medium converſionis, verbum prædicatum 579. 670
Quomodo deceat ſe gerere erga media converſionis 669
Duæ efficientes cauſæ converſionis 583
Hominis voluntas quomodo pure paſſive ſe habeat, 582. 680
Quomodo homo ſit lapis aut truncus 672
De dicto, DEUS trahit, ſed volentem 582. 680
Hominis renati voluntas non eſt otioſa 582. 673. 674
Perpetua lucta carnis & Spiritus in renatis 675. 679. 722

VI. DE LEGE.

Apolog. Confeſſ. de impletione Legis, fol. 83.
Articuli Smalcald. de Lege, fol. 318.
Epitome, de diſcrimine Legis & Evangelii, fol. 591. de tertio uſu Legis, fol. 594.
Solida declaratio, fol. 709. & 717.

Univerſa ſcriptura in Legem & promiſſiones diſtribuenda 60. 94
Lex & Evangelium ſemper docenda 712. 716
Lex quid ſit proprie 792. 713
Cur ſit a DEO data 318. 594. 717
Ejus proprium officium 319. 713
Legem in nobis inchoari oportet 83. 85
Lex etiam apud renatos urgenda 595. 718. & ſeqq.
Non poteſt fieri ſine fide 84
Obedientia noſtra imperfecta eſt 90. 91. 591
Quomodo Deo placeat 85. 89. 90. 723
Quo ſenſu Paulus dicat, Juſto non eſt lex poſita 718. 719
Quomodo Lex per fidem ſtabiliatur 92
Diſcrimen operum Legis & fructuum Spiritus 596. 721
Phariſaicæ opiniones de Lege 61
Expoſitio Decalogi. 366. 399

Enarratio primi præcepti in Catechiſmo majori, fol. 403. Secundi, 415. Tertii, 423. Quarti, 429. Quinti, 448. Sexti, 453. Septimi, 458. Octavi, 466. Noni & decimi, 475.
Epilogus Decalogi 410. 481. 483.

VII. DE EVANGELIO.

Articuli Smalcald. 329.
Epitome, fol. 591.
Solida declaratio, 709.

Evangelium à Lege diſcernendum 592. 709
Vox Evangelii dupliciter uſurpatur 592. 710
Quid proprie ſit Evangelium 329. 592. 593. 714
Evangelium declarat, & illuſtrat Legem 593. 712. 714

VIII. DE JUSTIFICATIONE.

Auguſt. Conf. artic. 4. fol. 10. art. 6. fol. 11. & art. 10. fol. 16.
Apologia, fol. 60. 71.
Articuli Smalcald. 304. 335.
Epitome, fol. 583.
Solida declaratio, fol. 682.

Juſtificare in hac doctrina quid ſignificet 73. 125. 585. 685
Duo modi juſtificationis a Pontificiis traditi 119. 120
Verus modus juſtificationis 121. 584
Juſtificatio eſt ex fide propter Chriſtum 10. 11. 16. 67. 71. 122.

Digitized by Google

71. 122. 123. 172. & seqq. 221. 304. 335. 583. 684. 690
Quod sola fides justificet 73. & seqq. 584. 684.
Quomodo fides dicatur justificare 684. 693
Necessitas hujus doctrinæ 17. 72. 89. 683
Fides in hac doctrina quid significet 18. 68. 69. 81. 125. 585. 701
Quomodo fides contingat 71
De particula SOLA, & de exclusivis 73. 585. 691
Omnis nostra justitia extra nos quærenda 695
Tria objecta fidei justificantis 69
Non per aliud salvamur quam justificamur 694
Ad justificationem non pertinent omnia, quæ ad conversionem 687
Tria ad justificationem requiruntur 687
Fides est cultus DEI 126
Fides & spes quomodo differant 126
Salvamur per misericordiam 133
Justitia rationis est præstanda 64
Justitia rationis seu legis non justificat 65
Discrimen fidei & justitiæ Legis 69
Pontificii docent tantum justitiam legis 61. 63
Dilectio fidem necessario sequitur 81. 83. 86. 586. 688
Dilectio non justificat 87
Justitia inchota non justificat 90. 91. 92. 688
Christus est nostra justitia secundum utramque naturam 584. 682
De vocabulo regenerationis & vivificationis 585. 685. 686
De gratia non dubitandum 585
De dicto Christi: Cum feceritis omnia, &c. 134
Varii errores pugnantes cum articulo de justitia fidei 586. 587. 694. & seqq.

Doctri-

Doctrina Pontificiorum quam pernicioſa 61. 62.
Commentum de merito congrui & condigni 61. 126. 127
De actu elicito dilectionis 66. 175
Commentum de fide formata 81
Reſponſio ad argumenta Pontificiorum 94

Ad dicta ſcripturæ.

Luc. 7. Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum 87. 88.
1. Cor. 13. Si omnem fidem habeam, &c. 100
Ibid. Major harum charitas 102
Col. 3. Charitas vinculum perfectionis 104
1. Pet. 4. Delicta operit charitas 105
Jacob. 2. Ex operibus juſtificatur homo 107. 693
Luc. 6. Remittite, &c. Eſa. 58. Frange eſurienti, &c. Matth. 5. Beati miſericordes, &c. 110. 111
Dan. 4. Redime peccata tua eleemoſynis, 112
Tob. 4. Eleemoſyna a peccato liberat 117
Luc. 11. Date eleemoſynam, &c. 117
Vita æterna vocatur merces 135
Rom. 2. Reddet unicuique ſecundum opera 138
Rom. 10. Ore fit confeſſio ad ſalutem 140
2. Petr. 1. Firmam facite vocationem veſtram 222.

IX. DE BONIS OPERIBUS.

Auguſtana Confeſſio, artic. 6. fol. 11. & art. 20. fol. 15. 16. & ſeqq.
Apologia, fol. 83.
Articuli Smalcald. 335.
Epitome, fol. 588.
Solida declaratio, fol. 698.

Bom

Bona opera ſunt facienda 11. 15. 16. 18. 64. 85. 95. 97. 700
Quæ ſint bona opera 198. 700
Cur ſint neceſſaria 11. 18. 133. 703.
Quomodo fiant bona opera 700
Quomodo Deo placeant 700
Bona opera ſequuntur fidem 18. 19. 81. 83. 84. 86. 336. 586. 589. 688. 701.
Bona opera ſunt meritoria corporalium præmiorum 96. 135. 137.
Cur hæc præmia ſæpe differantur 97
Cur eis ſit annexa promiſſio 116
De operibus non renatorum 700
Bona opera non juſtificant, nec in actum juſtificationis ingrediuntur 11. 16. 87. 90. 91. 92. 220. 589. 694
Encomia bonorum operum in ſcriptura quomodo ſint intelligenda 110. 114. 115
Opinio de juſtitia operum quam ſit pernicioſa 89. 100. 119. 124. 127. 128. 220. 221
Semper hæſit in mundo 98. 142
Bona opera à renatis fiunt ex debito, non tamen coacte 589. 590. 702. 703.
Non eſt dicendum: Bona opera ſunt neceſſaria ad ſalutem 590. 704
Non eſt dicendum: Bona opera ſunt noxia ad ſalutem 591. 708
Fides & ſalus non conſervatur per bona opera, ſed per Spiritum ſanctum 590. 705. 707
Mala opera & peccata contra conſcientiam, fidem & Spiritum ſanctum excutiunt 328. 591. 698. 705

X. DE ECCLESIA.

Auguſtana Confeſſio, artic. 7. & 8. fol. 11.

Apo-

Apologia fol. 144.
Articuli Smalcald. 335.

Una ſancta Eccleſia ſemper manſura 11
Eccleſia quid ſit 11. 144. 335. 498
Notæ veræ Eccleſiæ 148
Ad unitatem Eccleſiæ quæ requirantur 11. 151
Vera membra Eccleſiæ ſunt ſancti 145. 335
Eccleſiæ ſanctitas in quibus conſiſtat 235
Quid ſit ſanctorum communio 145
Quid ſit Eccleſia Catholica 146
Eccleſiæ admixti mali 11. 144. 155
Eccleſia non eſt monarchia externa 149
Pontificii non ſunt Eccleſia 335
Papa non eſt caput Eccleſiæ 312
Diſciplina Eccleſiæ apud nos honeſtior eſt quam apud Pontificios 212. 213.

XI. DE MINISTERIO EVANGELII.

Auguſtana Confeſſio, art. 5. fol. 10. 11.

Miniſterium ad fidem conſequendam eſt neceſſarium 11
Spiritus ſanctus per miniſterium efficax 11. 201. 496
Deus non largitur Spiritum & Gratiam, niſi per verbum 331. 332. 333
Miniſterium Evangelii non eſt Sacerdotium ſimile Levitico 201
Officium concionatorum & Parochorum 360. 385
Miniſtris verbi qui honos debeatur 386. 443. 444
Etiam Mali poſſunt adminiſtrare Sacramenta 11. 12 144. 145. 732.

De

De ordine Eccleſiaſtico.

Auguſtana Confeſſio, artic. 14. fol. 13.
Apologia, fol. 204.
Articuli Smalcaldici, 334.

Miniſtro verbi neceſſaria eſt vocatio 13. 204
Ordinatio an a Pontificiis petenda 334

De poteſtate Eccleſiaſtica.

Auguſtana Confeſſio, fol. 37.
Apologia, fol. 292.
Articuli Smalcald: fol. 351.

Poteſtas Eccleſiaſtica quid complectatur 38
Duplex poteſtas, ordinis & Jurisdictionis 294
Eſt communis omnibus qui præſunt Eccleſiis 351
Epiſcopi & presbyteri olim iidem 351
Epiſcopis attributa ordinatio 352
Jus vocandi, eligendi & ordinandi Miniſtros habet Eccleſia 353
Etiam Laicus in caſu neceſſitatis poteſt abſolvere 353
Jurisdictio excommunicandi eſt omnium Paſtorum 354
Abuſus Jurisdictionis Officialium Ibid.
Cauſæ matrimoniales quorſum pertineant 354. 355.

Potestas Ecclesiastica non versatur circa res politicas 38. 346
Confusio potestatis Ecclesiasticæ & gladii in Papatu 37. 293
Potestati Ecclesiasticæ quatenus debeatur obedientia 39
An liceat Episcopis instituere ceremonias, & traditiones condere 40. 293
Ordinationes pastoribus facere licet, & quatenus 42. 295
De ordinatione Sabbathi, die Dominico & feriis 43
Cur Apostoli jusserint abstinere a sanguine 43
De dicto: Qui vos audit, me audit, quomodo accipiendum 295
De dicto: Obedite præpositis vestris, &c. 296

De Papatu.

Articuli Smalcaldici, fol. 312. & 340.

Papa quantum sibi arroget 340
Papa non est caput Christianitatis 312
Non est jure divino supra alios Episcopos 341. & seq.
Non est ei tradita potestas gladii 346
Papæ acta mere diabolica 313
Papa defendit impiam doctrinam & impios cultus 347
Papa verus Antichristus, & execrandus 314. 315. 348. 351. 795
De dicto: Tu es Petrus, &c. 344
De dicto: Pasce oves meas 340
Abominationes in Papatu 349. 350

Digitized by Google

XII. De Sacramentis.

August. Confessio, artic. 13. fol. 13.
Apologia, fol. 200. 267.
Articuli Smalcald. fol. 329.

Doctrina de Sacramentis necessaria Ecclesiæ 534
Pertinet ad tertium articulum 500
Sacramenta quid sint 200. 253. 267
Quæ requirantur ad Sacramentum 276
De numero Sacramentorum 200. 201. 202
Cur sint instituta 13. 267
Idem effectus Sacramentorum & verbi 201
Sacramenta requirunt fidem 13. 203. 267
Non conferunt gratiam ex opere operato 13. 203 252. 265
Sacramentum a sacrificio ut differat 253

De Sacrificiis.

Sacrificium quid 253
Species Sacrificii 253
Sacrificia propitiatoria in Lege 254
Sacrificium propitiatorium revera unicum 254
Christus factus pro nobis אָשָׁם 255
Sacrificia εὐχαριστικὰ in lege 254
Sacrificia εὐχαριστικὰ Christianorum 255. 256 258. 259
Opinio de meritis sacrificiorum damnatur in scriptura 256. 257
Significatio jugis sacrificii Levitici 260
Juge sacrificium apud nos manet 262
Juge sacrificium in N. T. quodnam sit 259. 260

Digitized by Google

Quid Patres de ſacrificio ſenſerint 266
In uſu Sacramenti Chriſtianorum, ſemper accidit ſacrificium 268

XIII. DE BAPTISMO.

Auguſtana Confeſſio, artic. 9. fol. 12.
Apologia, fol. 156.
Articuli Smalcald. fol. 329.
Catechiſmus Minor, fol. 376.
Catechiſmus Major, 401. 534.

Baptiſmus quid ſit 329. 376. 537
Baptiſmus eſt neceſſarius ad ſalutem 12. 156
Effectus Baptiſmi 376. 539
Ejus ſignificatio 377. 548
Quibus profit baptiſmus 541
Baptiſmi uſus in omni vita 543. 551
Infantes eſſe baptizandos 12. 156. 157. 329. 544
Baptiſmi profanatio in Papatu 337
Sanctitas infantum ante baptiſmum rejicitur 623. 826

XIV. DE POENITENTIA.

Auguſtana Confeſſio, artic. 12. fol. 12.
Apologia, fol. 161.
Articuli Smalcald. fol. 319.
Epitome, in loco de Lege & Evangelio. 591.
Solida declaratio, fol. 709.

Digitized by Google

Pœnitentiæ vocabulum duobus modis accipitur 711
Partes pœnitentiæ duæ 12. 161. 320
Demonſtratio iſtarum partium 168. & ſeqq.
Contritio quid ſit & quomodo fiat 165. 320
Fides quod ſit neceſſaria pars pœnitentiæ 166. 127 & ſeqq. 320
Pœnitentia omnes indigent 326
Lapſi poſt baptiſmum recipiendi ſunt 12
Pœnitentia debet eſſe quotidiana 327
Quam abundanter nos Deus de remiſſione peccatorum certos reddat 329
Pœnitentia incipit a concione Legis 320
An Evangelium ſit concio pœnitentiæ 591. 709
Pœnitentia debet bonos fructus parere 198
Pœnitentiæ deſcriptiones inſufficientes 179
Falſa & pernicioſa doctrina Pontificiorum de pœnitentia 162. & ſeqq. 321. & ſeqq.
Origo anni Jubilæi 324

De Confeſſione & Abſolutione.

Auguſtana Confeſſio, artic. 11. fol. 12. & fol. 27.
Apologia, fol. 158. 181.
Articuli Smalcald. 330, 331.
Catechiſmus Minor, fol. 378.

Confeſſio & abſolutio privata retinendæ ſunt 12. 27. 158. 181. 331. 807

Confessio coram Deo, Proximo, & Ministro 182
Confessio coram Ministro duo comprehendit 378
Formæ Confessionis 379
Enumeratio omnium delictorum non est necessaria, neque possibilis 12. 27. 159. 160. 181. 183. 331
Potestate clavium etiam abscondita peccata remittuntur 181. 330
Quid sit solvere & ligare 199
Forma absolutionis 380
Absolutio maximi facienda 27. 159. 331. 808
Absolutioni firmiter assentiendum 172
Absolutio Sacramentum pœnitentiæ 167. 200

De Satisfactione.

Satisfactionis nomen ex ritu publicæ pœnitentiæ reliquum est 183. 197
Quomodo Patres eo utantur 197
Satisfactiones Canonicæ non sunt necessariæ jure divino 184
Commenta Pontificia de satisfactionibus 184. 185
Dicta Scripturæ pro satisfactionibus allegata 185
Confutatio impudentiæ Pontificiæ 186. & seqq.
Objectio, quod pœna ad pœnitentiam sit necessaria 192
Responsio ad objectionem istam 191. 193
Quomodo Deus in sanctis peccata puniat 193
Afflictionum plures fines 195
De dicto Pauli: Si judicaremus nos ipsos, &c. 196.

De Excommunicatione.

Articuli Smalcald. fol. 333.

Excom-

Digitized by Google

Excommunicatio duplex, major & minor 333
Major eſt pœna civilis, non pertinens ad miniſtros Ecclesiæ ibid.
Minor excommunicatio quid ſit ibid.

XV. DE COENA DOMINI.

Auguſtana Confeſſio, artic. 10. fol. 12.
Apologia, fol. 157.
Articuli Smalcald. 330.
Catechiſmus Minor, 380.
Catechiſmus major, 402. 551.
Epitome, fol. 597.
Solida declaratio, fol. 724.

Cœna Domini quid ſit 380. 555
De vera præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in Cœna 12. 157. 330. 554. 599. 728. & ſeq.
Præſentia Chriſti in Cœna ſit ſecundum proprietatem dextræ Dei 609
Manducatio carnis Chriſti duplex 743
De orali manducatione 600
Manducatio in Cœna eſt ſupernaturalis 604
Etiam indignos manducare corpus Chriſti 350. 600. 601. 743. 751
De vocabulo: ſpiritualiter 755
Cœna Domini utendum ſæpius 363. 364. 559. 564
Cur ſit inſtituta, & quid ſit meminiſſe Chriſti 25. 268
De ſalutari uſu Cœnæ 381. 555
De præparatione & digna ſumtione 382. 558
Dignitas convivarum Cœnæ Domini, qua in re conſiſtat 601. 746
Qui vocentur indigni 566. 745
Unum tantum genus indignorum 601. 760

Contemtus Sacramenti 363. 561
A communione qui sint arcendi 563
De utraque specie 21. 233. 330. 602
Quomodo mutilationem cœnæ conentur defendere Pontificii 234. 235
Rejicitur transsubstantiatio 602. 756
Processio cur apud nos omittatur 21
Adoratio panis & vini in sacramento damnatur 604. 760
Damnatur Capernaitica manducatio 604
Status controversiæ inter nos & Sacramentarios 597 725
Sacramentariorum errores de Cœna Domini 12. 598 602. 603, 726, 757
Sacramentarii duplices 598
Fundamenta quibus Ecclesia contra Sacramentarios nititur 599. 600. 752
Unicum fundamentum veræ de cœna Domini sententiæ, verba institutionis 737. & seq.
Lutheri constans sententia 733. 734
Formula Concordiæ, Wittebergæ anno 36. conscripta 729
De particulis IN, CUM, SUB, 735
De dicto Pauli: Panis, quem frangimus, &c. 742
De regula: Nihil habet rationem Sacramenti extra usum &c quomodo eam Sacramentarii depravent 750
De Consecratione 599. 747
Recitatio verborum Cœnæ cur non sit intermittenda 749

De Missa.

Augustana Confessio, fol. 23.

Apolo-

Digitized by Google

Apologia, fol. 250. 269.
Articuli Smalcald. fol. 305.

Missa apud nos retinetur 23. 26. 250
Quibus ceremoniis administretur 23. 24. 250
Missæ privatæ abrogatæ, & cur 24. 250. 251. 305
Missas in Papatu quid auxerit 25
De vocabulo Missæ 269
λειτουργία quid significet 270
Missam unde derivent Pontificii 271
Quantum Missis tribuerint Pontificii 265. 266. 305
Missa non est sacrificium 253. 602
Locus Malachiæ ad Missam male detortus 258. 259.
Locus ex Ebr. 5. 263. 264
Missa non potest applicari defunctis 272. 273. & seq. 757
Missa Pontificia peperit: 1. Pugatorium 307. 308
2. Apparitiones animarum 308
3. Peregrinationes 309
4. Fraternitates 309
5. Reliquias sanctorum 310
6. Indulgentias 319

XVI. DE PRÆDESTINATIONE.

Epitome, fol. 617.
Solida declaratio, 797.

Doctrina de prædestinatione utilis & necessaria 798
Discrimen inter præscientiam & prædestinationem 617. 798

Præscientia DEI non est causa mali, nec causa peccati 617. 799
Prædestinatio est causa salutis electorum 618. 799
Tantum ad bonos & dilectos filios Dei pertinet 618. 799
Tantum in verbo Dei quærenda 618. 802
Doctrina de prædestinatione complectitur octo capita 802
Quomodo reveletur nobis electio Dei 815
Liber vitæ Christus 618. 802
Christus omnes ad se vocat 618
Electionis causa non est in nobis 621
Quomodo & unde agnosci possit, qui sint electi 804. & seq.
Quæ revelata non sunt, ne scrutemur 812. & seq.
Falsa & erronea dogmata de prædestinatione 621
Pernicioſæ cogitationes de prædestinatione 648. 800
Salutaris usus doctrinæ de prædestinatione 809. & seq. 812
Quæ sit causa damnationis multorum 818
Deus non fecit vasa iræ 819
Quomodo Deus dicatur indurare 820
De dicto Johann. 6. Nemo venit ad me, nisi pater traxerit eum 818

XVII. DE INVOCATIONE.

Invocatio quotidiana cur non intermittenda 421
Quæ requirantur & exuscitent ad orationem 505. & seq.
Invocationis efficacia 512
Oratio Dominica 400
Ejus expositio 372. 504
Enarratio petitionum, in Catechismo majori. Primæ 513.

Digitized by Google

513. Secundæ, 516. Tertiæ, 518. Quartæ, 522. Quintæ, Sextæ, 529. Septimæ, 532.

De cultu Sanctorum.

Augustana Confessio, art. 21. fol. 19.
Apologia, fol. 223.
Articuli Smalcald. fol. 310.

Memoria sanctorum cur proponenda 19
Triplex honor sanctorum probatur 223
Sancti non invocandi 19. 284. 310
Pro invocatione sanctorum argumenta Pontificia 223
Sancti an orent pro Ecclesia 225
Pontificii ex sanctis etiam propitiatores faciunt 225. 227
In propitiatore quæ requirantur 226
Quomodo singulis sanctis in Papatu singulas procurationes assignarint 229. 405
Cultus Imaginum 229

XIIX.

De adiaphoris, ritibus humanis & traditionibus.

August. Confessio, art. 15. fol. 13. & fol. 28.
Apologia, 205.
Articuli Smalcald. 337.
Epitome, fol. 614.
Solida declaratio, 789.

Ritus Ecclesiastici non sunt cultus divinus; nec pars cultus 615. 791

Digitized by Google

Ritus qui & quomodo ſervandi 13. 31. 205. 212
Ceremoniis cur ſit opus 23. lin. ult. 207. 209.
Quæ ſint vera adiaphora, quæ non ſint 790
Traditiones non faciunt ad juſtitiam coram Deo 13. 30. 205. 337
Autores traditionum quomodo peccent 41
Eccleſiæ licet mutare ceremonias 615. 791
Tempore perſecutionis hoſtibus Evangelii in adiaphoris non eſt cedendum 615. 791
Similitudo rituum humanorum non eſt neceſſaria ad unitatem Eccleſiæ 11. 30. 151. 152
Species ſapientiæ in humanis ritibus fallit homines 209. 210
Perſuaſio de traditionibus quæ incommoda pepererit. 28. 210. 214
Quatenus liceat Epiſcopis traditiones condere 295
De die Dominico & feſtis 42. 43. 154
De diſſimilitudine in celebratione Paſchatis 32. 154

De diſcrimine ciborum.

Auguſtana Confeſſio, fol. 28.

Traditio de diſcrimine ciborum verbo Dei contraria 30
Vera mortificatio carnis in quibus conſiſtat 31. 213

XIX. DE MAGISTRATU ET REBUS POLITICIS.

Auguſtana Confeſſio, artic. 16. fol. 14.
Apologia, fol. 214.
Catechiſmus Major in enarratione Decalogi, in quarta petitione, &c.

Magi-

Magiſtratum gerere licet 14. 214. 215
Magiſtratus officium 386
Diſcrimen regni Chriſti & regnorum civilium 215
Evangelium non abolet Politias 215. 216
Obedientia Magiſtratui debita 14. 441. 386
Quando non ſit parendum 14
Pro Magiſtratibus orandum & quare 523
An liceat Chriſtianis tenere proprium 14. 216. 458
An liceat jurare 14. 419
De vindicta privata & publica 216
Anabaptiſtarum deliria. 614. 827

XX. DE CONJUGIO SACERDOTUM.

Auguſtana Confeſſio, fol. 21.
Apologia, fol. 236.
Smalcaldici articuli, fol. 334.

Conjugium habet mandatum DEI 33. 34
Eſt honorandum 455
Non eſt immundicies 241
Etiam Sacerdotibus conceſſum 22. 237
Sex rationes, cur lex de perpetuo cœlibatu Sacerdotum ſit improbanda 237. 238. & ſeqq.
Pericula & ſcandala ex lege de cœlibatu orta 245. 335
Dictum Pauli: Mulier ſalvatur per filiorum generationem 242
Virginitas cur in ſcriptura laudetur 243
Argumenta Pontificiorum & eorum refutatio 241 247. & ſeqq.

XXI. DE FINE MUNDI ET EXTREMO JUDICIO.

Augu-

Digitized by Google

Augustana Confessio, artic. 17. fol. 14.
Apologia, fol. 217.

Christus rediturus ad judicium 14. 217
Salvabit pios, & impios condemnabit ibid.
Impiis pœnarum finis non futurus ibid.

XXII. DE VOTIS MONACHORUM.

Augustana Confessio, fol. 32.
Apologia, 276.
Articuli Smalcald. 311. 336.

Votorum Monasticorum origo 32
Quantum votis suis tribuerint Monachi 33. 35. 36. 336.
Vota Monastica esse impia & irrita 34. 35. 278. & seq. 289. 336. 457
Monasteria quid olim fuerint 33. 311
Quomodo degenerarint 277
Impudens jactatio de perfectione status Monastici 33. 283
Quæ sit vera perfectio Christianorum 36
De dicto: Qui reliquerit domum, &c. 285
De loco Matth. 19. Si vis perfectus esse, &c. 287
De Votis Nazaræorum, an cum iis congruant vota Monastica 289
De Rechabitis 290
De viduis, 1. Tim. 5. 290
De Cœnobiis & Collegiis 311

SE-

Digitized by Google

SECTARII, HÆRETICI, ET ALII FANATICI, QUORUM IN Libro Concordiæ nominatim fit mentio, eorumque errores recitantur & damnantur.

Anabaptiſtæ, fol. 11. 12. 13. 14. 72. 156. 540. 547. Errores Anabaptiſtarum in ſpecie recitati 623. & ſeqq. 826. & ſeqq.
Anti-Trinitarii novi 626. 829
Ariani 9. 610. 612
Ariani novi 626. 829
Cingliani 597
Donatiſtæ 12. 156
Encratitæ 244
Enthuſiaſtæ 331. 332. 581. 655. 668. 678
Eunomiani 9
Eutyches 609. 610
Franciſcanii 329
Judæi 14
Mahometiſtæ 9
Manichæi 9. 217. 576. 580. 643. 644. 649. 677
Marcion 610
Minoritæ 329
Monetarius 331

Ne-

Neſtorius	609. 610. 764.
Novatiani	13
Pelagiani	10. 15. 217. 222. 575. 580. 642. 677.
Sacramentarii	12. 554. 556. 598. 602. 605. 725. & ſeqq.
Samoſateni	9. 764
Scotus	329
Semipelagiani	581
Svvenckfeldiani	625. 828
Synergiſtæ	581. 677
Valentiniani	9
Vigleviſtæ	150. 217.

Duo

Digitized by Google

DUO INDICES
Super
FORMULAM CONCORDIÆ,
quorum alter
Ad
LOCA SCRIPTURÆ,
Ubi vel obiter, vel prolixe exponuntur, vindicantur &c.
Alter
ad
MATERIAS PRÆCIPUAS
juxta
Ordinem Alphabeticum
Lectorem remittit.
Uterque autem ita adornatus est, ut omnibus Lipsiæ in octavo, ultra 50. annos, excusis Exemplaribus adhiberi possit.
Opera & Studio
M. J. S.

Digitized by Google

INDEX
Dictorum vel locorum S. Scripturæ.

Libri	*Cap.*	*Verſ.*	*Pag.*
Gen.	1	27	54
		28	22. 237
	2	18	34
	3	15	58. 715
	4	28	648
	8	21	579. 660
	22	18	716
	25	23	821
Exod.	9	16	820
	20	5	369
		6	115
		7	25
		12	137
		15	287
Lev.	19	18	120
Deu-	4	24	130
ter.	6	5	84. 120
			181
	16	17	271
	23	11	533
	39	4	663
2.Sam.	12	13	171
1.Reg.	2	3	234
Hiob	9	30	130
	10	8	574. 646
	19	26	575
Pſal.	2	10	350
	5	5	798
		12	807
	6	1	193
		3	165

Libri	*Cap.*	*Verſ.*	*Pag.*
Pſal.	7	9	129
	8	6. 7	780. 840
	18	16	193
	19	13	13. 28
	31	23	817
	32	1	80. 90. 91
		5	182
		6	91
	37	1	97
	38	5	165
	40	7	257
	41	12	117
	50	8	98
		13	257
		15	114
	51	12	661. 673
		13	257
	54	8	703
	68	19	85
	72	11	226
	95	8	580
	109	13	438
	110	3	674. 703
	111	4	268
	116	11	56. 282.
		17	257
	119	32	723
		105	570
	130	3	130
		7	311
		13	640
	19	15	798

Digitized by Google

Libri	*Cap.*	*Verſ.*	*Pag.*
Pſal.	143	2	91
		3	129. 176
			723
Prov.	10	12	106
	17	15	585
	19	17	466
	20	9	130
	27	23	181
Eccleſ.	12	7	646
Eſai.	1	17	196
	5	23	685
	11	2	781
	26	16	193
	28	21	195
	37	28	198
	38	13	166
	45	53. 64	573
	52	11	248
	53	4	304
		6	220
		11	79. 264
	55	11	201
	58	7	110. 111
	59	20. 21	137
Jerem.	3	1	817
	7	22	98. 256
	9	23	580
	10	24	193
	15	19	114. 636
	17	9	28
	23	29	320
	31	33	83. 101
	33	16	583
Ezech.	7	27	236
	11	19	660
Ezech.	18	21	112
	20	18	207
	33	11	180. 670
			820
Dan.	4	24	112. 197
	7	13	838
	9	19	131
	11	37	241
		38. 39	208
Hoſ.	13	9	814
		14	190
Habac.	2	4	79. 169
			680. 697
Zach.	1	3	114
		12	224
	2	13	130
	3	2	316
Mal.	1	2	821
		11	258. 259
	3	3	259
Tob.	4	6	117
		11	ibid.
		20	ibid.
Matth.	3	2	326
	4	17	188
	5	7	110. 111
		10	97
		22	448
		39	216
		46	452
	6	14	115. 528
		35	518
	7	15	40. 438
			795
		18	665. 700

Digitized by Google

Libri	Cap.	Verſ.	Pag.
Matth.	9	2	175
		12	566. 746
	11	27	663. 785
	13	11	663
		14	657
		17	144
	15	9	31. 36. 191
			206. 281
			291
		11	31. 293
		13	42
		14	42
	16	19	143. 344
	17	5	126. 670
			737
		21	32
	18	13	190
		15	472
		18	344
		19	345
		20	672. 329
			353. 393
	19	6	241. 242
		11	22
	19	12	240
		17	83. 115
		29	285
	22	14	619. 808
			811
		21	336
	23	2	12
		3	296
	24	24. 25 seq.	336
	25	35	138
Matth.	25	42	451
	26	26	740
		27	21
		28	167
	28	18	668. 611
			612
		19	156. 376
			401. 535
		20	783
Marc.	1	1	710
		15	168. 320
			711. 815
	6	20	479
	14	22	740
		23	600
	16	15	38. 710
		16	253. 332
			377. 535
		20	768
Luc.	1	32	843
	2	32	766
		46	767
	3	8	113. 188
		38 & seq.	171
	4	18	711
	6	35	139
		37	528
		38	110. 111
	7	30	811
		46	88
		29	88
	8	10	656
		13	809
	10	10	167. 295

Digitized by Google

INDEX LOCORUM

Libri	Cap.	Vers.	Pag.
Luc.	11	11	816
		25	809
		41	117
	12	14	39
	13	3	711
		24	806
	15	19	711
	17	10	12. 131
	21	19	267
		33	737
		34	31. 213
	22	19	267
		20	203
	22	25	341
		69	843
	24	26	770
		47	320. 804
			805
Joh.	1	12	78
		18	815
		30	304
	2	11	767
		5	65
		16	746. 815
		18	601
	4	23	256. 265
	5	10	138
		23	226
		27	776. 844
			864
	6	29	663
		35	269
		39	126
		40	815

Libri	Cap.	Vers.	Pag.
Joh.	6.	44	663. 668
			818
		54	776. 849
	7	19.20	327
		seq.	
	8	36	65. 123
		44	16
	9	3	195
	10	9	815
		12	636
		28	800. 810
			822
	13	3	608. 780
		34	679
		35	145
	14	6	17. 815. 864
		13	131
	15	5	19. 113. 114
			127. 178
	16	8	320
		12	40
		14	815
	17	5	860
		10	785
		17.20	670
		24	779
	18	6	767
		36	39. 346
	20	21.22	38. 346
		23	ibid.
		22	341
	21	16	346
		17	344
Actor.	1	11	872

Digitized by Google

Libri	Cap.	Verſ.	Pag.
Actor.	2	22.23	814
	3	21	759
	4	11	78
		12	220
	5	29	45.296
			347
		31	663
	10	43	75.116
			220
		44	174
	13	38	78
	15	9	79.110
			211
		10	31.244
			293
	16	14	580.663
	17	28	648
		30	326
	20	21	592.710
		28	608
	28	25	333
Rom.	1	3	770
		4	785
		7	711
		13	657
		16	39.580
			715
		17	201.697
		18	319.593
		20	715
		6	138
		13	109
	3	4	74.77
		7	714

Libri	Cap.	Verſ.	Pag.
Rom.	3	11	657
		12	119.326
	8	18	29
		21	67
		24	65
		32	221.304
		25	20.26.75
			173
		26	26.76.304
		28	304.585
			683.684
			689
		31	83.84.92
			223
	4	3	11.121.125
			690
		5	77.584
			684
		6	589.687
			704
		9	78
		10	203
		11	267
		13	25.119.190
			715
	4	14	67
		15	66.115.178
			319
		16	69.172.177
			221
		18	128
		20	79.126
		24	304

Digitized by Google

INDEX LOCORUM

Libri	Cap.	Vers.	Pag.
Rom.	5	1	18. 78.
			100. 115
			125. 128.
			252
		2	74. 123
			127. 167
			173
		9	871
		12	311. 639
		18	584
		19	684. 696
		21	319
	6	19	188. 703
	7	5	55
		7	57. 282
		8	590
		19	91
		21	679
		22	674. 703
		23	321. 327
			331. 595
			679
		25	596. 674
			680
		26	91
	9	1	86. 590
		3	255
		7	65. 579
			658
		12	86
		14	703
		15	590
		16	806. 817
		17	137. 819

Libri	Cap.	Vers.	Pag.
Rom.	8.	20	814
		28	811
		30	96. 136
			802
		33	685
		37	90
		39	810
	9	5	762
		20	814
		22	719
	10	10	78. 140
		17	167. 100
			580. 670
			816
	11	36	67
		17	31
		20	707
		22	813
		23	66
		32	619
		33	814
	12	1	188. 213. 256
		2	720
		20	216
	13	1. seq.	386
		2 & 5.	216. 702
		10	389
	14	1	746
		13	615
		17	153. 293
		22	700
		23	179. 207
			281

Digitized by Google

Libri	Cap.	Verſ.	Pag.
Rom.	15	1	272
		4	621. 801
			822
1.Cor.	1	17	24
		21	657. 678
		29	580
		30	715. 583
		31	336
	2	7	341
		8	608
		13.14	341
		14	15. 55 579.
			656. 676
	3	8	137. 228
	4	1	270
		4	90
		6.7.8.	342
	5	6	683
	7	2	22. 248
		5	244
		9	22. 288
		14	242
		31	243
	8	9	615
	9	26	703
		27	32. 213
			720
	10	16	157. 599
			600, 728
			741. 742
			749
		17	158
1. Cor.	11	5	43
		19	159. 601
		23	233
		26	99. 260
		27	25. 273
			743
		28	131. 330
		31	114. 196
		33	27
	12	9	195
	13	2	100. 101
		3	83
		13	102
	14	16	21
		40	8
	15	10	675
		27	780
		56	194
		57	192
2.Cor.	1	9	193
	3	5	579
		7	715
		15	84
		16	84
		18	282
	5	20	270
			804
		21	125. 583
			715
	6	1	674. 675
		14	790. 795
		16	675
	9	6	137

Digitized by Google

Libri	Cap.	Verſ.	Pag.
2. Cor.	9	12	746
	10	4	39
		5	788
	13	8. 10.	40
Gal.	1	8	40. 296.
			347. 354
			570
		9	155
	2	4	792
		5	615. 792
		11	792
		16	78
		17	127. 207
		19	166
	3	5	720
		12	76
		13	93
		15	83. 207
		22	177
		27	675
	4	6	671
	5	1	43. 211
			295. 615
			792
		4	36. 56
			206. 279
		8. 9	683
		11	590
		17	91. 128
			720
		19	566
		21	706
	6	15	81. 633
Epheſ.	1	4	800. 802
		5	799
		7	116
		11	802
		21	764. 774
		22	600. 840
	2	1	673
		5	579
		6	589
		8	78. 175. 206
			663
		10	663. 666
			700. 720
	4	5	12
		10	608. 768
			877
		22	678
		28	197
		30	809
	5	5	706
		9	54
		22	387
		25. 26	145. 329
	6	1	437
		2. 3	96
		5	388
Phil.	1	6	806
		10	708
		29	663
	2	7	707
		9	838
		13	659. 663
			666
		14	43
	3	9	685

Digitized by Google

Libri	Cap.	Verſ.	Pag.
Phil.	3	20	39
Col.	1	20	871
		23	707
	2	3	612. 875
		9	611. 735
			768. 769
			778. 780
			860
		10	93
		11	168
		12	109
		14	169
		16	14. 31. 152.
		seq.	211. 792
		18	245
		20	31. 152
		21	152
		seq.	
		23	200
	3	4	753
		10	54
		14	104
		19	387
		22	388
1. Theſſ.	2	4	315
	4	4	244. 248
2. Theſſ.	2	4	144. 348
		16. 17	226
1. Tim.	1	5	108
		9	718. 719
		1. 2	389
		5	17. 20
		15	242
	3	2	23
1. Tim.	3	16	609. 769
	4	1	24. 31. 153
			248
		2. 3	335
		5	242
		8	281
	5	8	291
		15	290
	6	15	753
2. Tim.	1	10	804
	2	21	819
	3	16	66. 801
	4	8	136
Tit.	1	5. 7.	352
		9	636
		14	42
		25	242. 248
	2	14	185. 337
	3	1	387
		5	77. 377
			540
		6	663
1. Pet.	1	2	260
		5	141. 707
		21	338
	2	6	173
		5	256
		13	387
	3	1, 6 & 7	387
	4	1	770
		8	105
		17	193
	5	3	45

Digitized by Google

INDEX LOCORUM S. SCRIPTURÆ.

Libri	*Cap.*	*Verſ.*	*Pag.*
1. Petr.	5	5	256
		6. 7.	388
2. Petr.	1	10	222. 620
			706
	2	3	237
1. Joh.	1	7	697. 850
		8	130. 776
		10	328
	2	1	20
		2	74. 619
		12	116
	3	8	85. 639
		9	328
		10	688
	4	10	86
	5	10. 11	123. 172
		12	178
Ebr.	1	3	843
		11	20
	2	8	780
Ebr.		9	843
		17	648
	3	6	705
	4	14. 15	75
	5	1	263. 264
	9	14	850
		26. 28	26
	11	1	126
		4	97
		6	114. 138
			219
		7	665
		8	690
	12	8	720
	13	15	256
		17	296
Jac.	1	17	663. 773
	2	22	109
		24	107. 693
	5	16	182

IN-

Digitized by Google

INDEX MATERIARUM
juxta ordinem Alphab.

A.

ABſolutio & Confeſſio privata retinendæ ſunt 12. 27. 158. 181. 331. 807
eſt Sacramentum pœnitentiæ 22. 167. 200
eſt maximi facienda 27. 159. 331. 808
Abſolutionis forma 380
Abſolutioni eſt firmiter aſſentiendum 172
Abſolvere poteſt etiam laicus in caſu neceſſitatis 353
de Actu elicito dilectionis 66. 175
de Adiaphoris 13. 28. 205. 337. 614. 789
Adiaphora vera quænam ſint 790
Allœoſis Cinglii 770

B.

BAptismus quid ſit 329. 376. 537
eſt neceſſarius ad ſalutem 12. 156
quid proſit 541
Baptismi effectus 376. 539
proſanatio in Papatu 337
Significatio 377. 548
Uſus in omni vita 543. 551
poſt Baptismum manet peccatum originis 56
Bona opera cur ſint neceſſaria 11. 18. 133. 703
Fiunt a renatis ex debito, non tamen coacte 589. 590. 702. 703
Non juſtificant 11. 16. 87. 90. 91. 92. 220. 589. 694
Promerentur præmia corporalia 96. 135. 137
Bona opera quæ ſint 189. 700
Quomodo Deo placeant 700

Digitized by Google

Sequuntur fidem 18. 19. 81. 83. 84. 86. 336. 586. 589. 688. 700

Bonorum operum encomia in Scriptura quomodo sint intelligenda 110. 114. 115

Non est dicendum: Bona opera sunt necessaria ad salutem 590. 704

Nec ita: Sunt noxia ad salutem 591. 708

Non per bona opera, sed per Spiritum S. conservatur salus & fides 590. 705. 707

C.

CAro Christi est vivifica 782

Carni Christi majestas divina accessit 776

Quando caro Christi majestatem illam acceperit 764

Non secundum divinitatem, sed secundum carnem, hanc majestatem Christus accepit 843

Carni Christi data non dona creata, sed majestas soli DEO propria 860

Carnis Christi manducatio duplex 743

Carnis mortificatio 32. 213

Carnis & spiritus perpetua lucta in renatis 582

Catechismus est Laicorum Biblia 571. 634

Catholica Ecclesia quid sit 146

Causa peccati non est Deus, sed diabolus & homo 15. 222. 639

Christus etiam ut homo omnia novit 608. 781

omnia potest 608

omnibus creaturis præsens est 608. 768. 783

est unicus mediator 19

Christus est liber vitæ 618. 802

secundum carnem vere exaltatus 608. 764. 774

Unam eandemque majestatem divinam aliter ut Deus, aliter ut homo habet 863

Justi-

Digitized by Google

Justitia nostra secundum utramq; naturam est 584. 612. 696
Non tantum pro originali, sed & actualibus peccatis satisfecit 10. 25
Secundum totam personam descendit ad infernum 788
Pro nobis facta est hostia 254. 255
Redibit ad judicium 14. 217
In Christo duæ sunt naturæ personaliter unitæ 1. 4. 10. 69. 303. 583. 606. 762. 763. 833
Utraq; Natura suas retinet proprietates 606. 763. 833
Christi corpus tribus modis alicubi potest esse 752. *seq.*
de Christi omnipræsentia testimonia Lutheri 784. 785
Christi corporis & sanguinis vera præsentia in S. cœna 12. 157. 330. 554. 599. 609. 728
Christi meminisse quid sit 25. 268
Ceremoniis cur opus sit 23. 207. 209
Ceremoniæ possunt mutari ab Ecclesia 615. 791
de Ciborum discrimine traditio verbo Dei est contraria 31
Cingliana Allœosis 770
Cœlibatus sacerdotum improbatur 237. 238
multa parit incommoda 245. 335
de Cœnobiis & Collegiis 315
Cœna Domini quid sit 380. 553
cur sit instituta 25. 268
est sæpius utenda 363. *seq.* 559. 564
De ejus salutari usu 381. 555
De utraque specie 21. 233. 330. 602
Ejꝰ mutilationẽ quomodo Pontificii defendant 234. 235
Cœnæ convivarum dignitas qua in re consistat 601. 846
ab ejus communione quinam sint arcendi 563
Concilium liberum Christianum &c. optandum 300
Concionatorum & Parochorum officium 360. 585

Com-

Digitized by Google

Communicationis & unionis personalis maximũ mysteriũ 769
Communicationis idiomatum gradus 770. 773. *seq.*
Communicatio majestatis quomodo sit facta 777
Fit sine permixtione, abolitione humanæ naturæ 872
Cur vocetur realis 778
Falsa de Communicatione idiom. dogmata 605. 609. *seq.* 786. 687
Communio sanctorum quid sit 148
Concupiscentia an sit pœna, an peccatum 57. 58
Confessio & absolutio privata sunt retinendæ 12. 27. 158. 818 331. 897
Confessio coram Deo, proximo & Ministro 182
Confessio coram Ministro duo comprehendit 378
Confessionis formæ 379
de Congrui & condigni merito 63. 120. 127
Conjugium habet mandatum DEI 33. 34
est honorandum 455
non est immundicies 241
etiam Sacerdotibus concessum 22. 237
Contritio quid sit 165
quomodo fiat 320
Conversio hominis est opus Spiritus Sancti 579. 580. 663
Ejus medium est verbum prædicatum 579. 630
Conversionis duæ causæ efficientes 583
Corpus Christi tribus modis alicubi præsens est 752. *seq.*
in Credentibus habitat ipse Deus, non tantum ipsius dona 698

D.

Decalogi Epilogus 410. 481. 483
Expositio 366. 399
Descensus Christi ad inferos quid nobis effecerit 613
In tota Christi persona est factus 788
De illo non est disputandum 653
Deus unus est in essentia & trinus in personis 1. 2. 3. 9. 50. 303
Deus quid sit 301

Non

Non est causa peccati 15. 220. 639.
Deus est homo, & homo Deus 607
Deum habere, quid sit 403
Deus (s. Christus) exerit nunc majestatem suam, in, cum & per assumtam humanitatem 870
Dii alieni in Papatu 405
apud gentiles 407
Dilectio necessario sequitur fidem 41. 83. 86. 586. 687
Non justificat 87
Ejus actus elicitus 66. 175
Disciplina ecclesiastica apud nos honestior est, quam apud Pontificios 212. 213

E.

Ecclesia quid sit 11. 144. 335. 498
Una, sancta, semper mansura 11
Ecclesia Catholica quid sit 146
Ejus veræ notæ 148
Ecclesiæ membra sunt sancti 144. 335
Sanctitas in quibus consistat 335
Caput non est Papa 312
In ea sunt bonis admixti mali 11. 144. 155
Ecclesia non est monarchia externa 149
Habet jus vocandi, eligendi & ordinandi ministros 353
Ei licet mutare ceremonias 615. 791
Ad ejus unitatem quæ requirantur 11. 151
Ecclesiastica potestas (vid. Potest. Eccl.
Ecclesiastica disciplina honestior est apud nos, quam Pontificios 212. 213
Ecclesiastici ritus non sunt cultus divinus 625. 791
Electio Dei quomodo nobis reveletur 815
Ejus causa non est in nobis 621

Digitized by Google

Episcopi & presbyteri olim iidem 352
His attributa ordinatio 352
Num liceat ipsis instituere ceremonias 40. 293
Evangelium quid proprie sit 329. 592. 593. 714
Evangelium & lex semper docenda 712. 716
Declarat & illustrat Legem 593. 712. *seq.*
An sit concio pœnitentiæ 591. 709.
Non abolet politias 215. 216
Evangelii vox dupliciter sumitur 592. 510
Evangelii & Legis discrimen 591. 592. 709
Eucharistica sacrificia 254. 255. *seq.*
Exaltationis & exinanitionis status 608
Extremum judicium 14. 217

F.

Fides sola justificat 73. *seq.* 584. 684
Quomodo dicatur justificare 684. 693
Quid significet in doctrina de justificatione 18. 68. 69. 81. 125. 585. 701
Quomodo contingat 71
Est cultus Dei 126
Est necessaria pars pœnitentiæ 166. 172. *seq.* 320
Fides & spes quomodo differant 126
Fidei justificantis tria objecta 69
Fidei & justitiæ Legis discrimen 69
Hanc necessario sequitur dilectio 81. 83. 86. 586. 687
Fides formata quid 81. 94
Fides & salus non per bona opera, sed per Spiritum S. conservantur 590. 705. 707
Ad fidem consequendam necessarium est ministerium Evangelii 11
per Fidem stabilitur Lex 92

Genti-

G.

GEntiles colunt Deos alienos 407
Gradus communicationis idiomatum 770
de Gratia non est dubitandum 585

H.

HOminis status quadruplex 578. 674
Ejus conversio est merum opus Spiritus S. 579. 580. 663
Hominis renati voluntas in conversione non est otiosa 582. 673.
Hominis voluntas quomodo se habeat pure passive 582. 680
Homo post lapsum habet aliquod liberum arbitrium in rebus rationi subjectis 14. 217. 318. 578. 656. seq.
in Spiritualibus nullum 15. 219. 318. 579. 656. seq.
Homines omnes nascuntur in peccatis 9. 317
Homo nudus (sive Humanitas sola) pro nobis non est passus 607. 611. 766
in, cum & per Humanitatem exerit nunc Deitas Christi suam majestatem 870

I.

IDiomatum communicationis gradus 770
Falsa de illa dogmata 605. 609. 610. 786
Imago Dei in homine quid fuerit 53. 54
Imaginum cultus 219
Indigni etiam manducant corpus Christi 330. 600. 601. 741. 751
Indigni quinam vocentur 566. 745
Illorum unum tantum genus 601. 760
de induratione Dei 820
Invocatio quotidiana non est intermittenda 421
Jubilæi anni origo 324
Judicium extremum 14. 217
Jurare an liceat 14. 19
Justificare quid significet 73. 125. 585. 685
Justificationis verus modus 121. 584
Duo modi a Pontificiis traditi 119. 120
Est ex fide propter Christum 10. 16. 67. 71. 122. 171. 221. 304. 335. 583. 690
Tria ad hanc requiruntur 687
Non pertinent ad hanc omnia, quæ ad conversionem 687
Doctrina de hac est necessaria 17. 7. 89. 683

Digitized by Google

Justitia nostra est Christus secundum utramque naturam 584. 682
Justitia inchoata non justificat 90. 91. 92. 687
Est enim non quarenda 699
Justitiæ legis & fidei discrimen 69
Pontificii tantum docent justitiam Legis 62. 63
Justitia rationis est præstanda 64
Hæc non justificat 65
Justo non est Lex posita 718. 719

L.

Laicus in casu necessitatis potest etiam absolvere 353
Λειτυργία quid significet 270
Lex & Evangelium semper docenda 712. 716
Lex cur a Deo data sit 318. 594. 717
etiam apud renatos urgenda 595. 718
non potest fieri sine fide 84
per fidem stabilitur 92
Legis definitio 713. 792
Usus 594
Officium proprium 319. 717
Hujus & Evangelii discrimen 591
de hac opiniones Pharisaicæ 61
Legis operum, & fructuum Spiritus discrimen 596. 721
Legem in nobis inchoare oportet 83. 85
Liberum arbitrium 14. 217. 318. 518. 654
Liber vitæ est Christus 618. 802
Ligare & solvere quid sit 199

M.

Magistratum licet gerere 14. 214. 215
Ejus officium 386
Majestatem divinam caro Christi accepit 776
Hanc Deitas in Christo nunc exerit in, cum & per humanitatem 870
Carni Christi data est 880
Ejus particeps est humana natura propter unionem 874
Ejus communicatio quomodo sit facta 777
Fit sine permixtione & abolitione humanæ naturæ 872
Manducatio corporis Christi est duplex 743

Digitized by Google

Oralis 600
Supernaturalis 604
Mediator unicus est Christus 19
Meritum congrui & condigni 63. 120. 127
Ministerium Evangelii non est sacerdotium, simile Levitico 201
Per hoc Spiritus S. efficax est 11. 201. 469
Ad fidem consequendam est necessarium 11
Ministrorum verbi honos 386. 443. *seq.*
His necessaria est vocatio 13. 204
per Misericordiam salvamur 233
Missa apud nos retinetur 23. 26. 251
de Monasticis votis 32. 276. 311. 336
Monasteria quid olim fuerint 33. 311
Quid jam facta 277

N.

Naturarum in Christo summa est communio 607. 765
de Naturarum in Christo communicatione errores 605. 609. 610. 786
Vocabuli Naturæ æquivocatio 577. 650
Nazaræorum vota 289

O.

Obedientia nostra imperfecta est 90. 591
Quomodo Deo placeat 85. 89. 90. 723
Omnes homines nascuntur in peccatis 9. 317
Opera bona. Vide Bona opera.
Opera mala, & peccata contra conscientiam, excutiunt fidem & Spiritum S. 328. 591. 698. 705.
Oralis manducatio 600
Orationis efficacia 512
ad Orationem quæ requirantur 508. *seq.*
de Ordine Ecclesiastico 13. 204. 334
Ordinatio an a Pontificiis petenda 334
Ordinationes licet facere Pastoribus 42. 295
Originalis peccati doctrina necessaria est 56. 59

P.

Papa quantum sibi arroget 340
Non est caput Ecclesiæ 312
Est ipse Anti-Christus 314. 348. 351. 795

Digitized by Google

Defendit impiam doctrinam 347
Non est jure divino super alios Episcopos 341. *seq.*
Nec ei tradita est potestas gladii 346
Ejus acta mere diabolica 313
in Papatu profanatur Baptismus 337
Coluntur Dii alieni 405
de Patrum & aliorum Doctorum scriptis quid sentiendum 570. *seq.*
Peccati originis definitio 9. 10. 50. 51. 57. 574. *seq.* 639. *seq.*
Vetus definitio 53
Definitio Augustini 54
Thomæ, Bonaventuræ, Hugonis 555
Peccati pœnæ 58. 641
Fructus 317
Est peccatum admodum horribile 640
An maneat post baptismum 56
Non est quiddam per se subsistens 643
Nec ipsa hominis substantia 573. 645
Sed accidens 578. 651. *seq.*
Peccatorum omnium enumeratio non est necessaria 12. 27. 159. 160. 181. 337
Peccata etiam abscondita remittuntur 181. 330
Peccata contra conscientiam excutiunt fidem & Spiritum S. 328. 591. 698. *seq.*
Peccati causa non est Deus 15. 220. 639
in Peccatis nascuntur omnes homines 9. 317
Persona quid significet 9
de Persona Christi falsa dogmata 605. 609. *seq.* 786. *seq.*
Pœnitentiæ vocabulum duobus modis accipitur 711
Ejus partes sunt duæ 12. 161. 320
Ejus descriptiones insufficientes 179
Hæ omnes indigent 326
Debet esse quotidiana 327
Incipit a concione Legis 320
Debet bonos fructus parere 198
Pontificii non sunt vera Ecclesia 355
Potestas ecclesiastica quid complectatur 38
Est duplex, Ordinis & Jurisdictionis 294
Est communis omnibus Ecclesiæ ministris 352

Non

Non versatur circa res politicas 38. 346
Hujus & gladii confusio in Papatu 37. 293
Potestati Ecclesiasticæ huic quatenus debeatur obedientia 39
Præceptorum decalogi Enumeratio 403. *seq.*
Prædestinationis doctrina utilis & necessaria 798
Hujus & præscientiæ discrimen 617. 798
Non est causa mali 617. 790
Sed causa salutis electorum 617. 799
Tantum ad bonos pertinet 618. 799
Et in verbo Dei quærenda 618. 802
Propitiatoris requisita 226

R.

Rechabitarum ad monachos applicatio 290
Regenerationis vocabulum 585. 685. *seq.*
Renati voluntas in conversione sua non est otiosa 582. 673
Renatis perpetua luctæ carnis & Spiritus 675
de non Renatorum operibus 700
Ritus qui & quomodo servandi 13. 31. 205. 212
Non sunt cultus divinus 615. 791

S.

Sacramentorum definitio 220. 253. 267
Requisita 176
Numerus 200. 201. *seq.*
Horum & sacrificiorum differentia 253
Horum & verbi idem effectus 201
Illorum doctrina est necessaria 534
Pertinet ad tertium Articulum 500
Sacramenta cur sint instituta 13. 267
Etiam a malis Ministris administrari possunt 11. 144. 155. 732
Requirunt fidem 13. 203. 267
Non conferunt gratiam ex opere operato 13. 203. 255. 265
In usu Sacramenti Christianorum semper accedit sacrificium 268
Sacrificium quid sit 253
Ejus species duæ 253. *seq.*
Propitiatorium revera unicum 254
Eucharisticum quid sit 254. *seq.*

Sancti

Sancti sunt membra Ecclesiæ 145. 335
Sanctorum communio quid sit 145
Sancti non sunt invocandi 19. 284. 310
Num orent pro Ecclesia 225
Illorum cultus 19. 223. 319
Honos triplex 223
Memoria illorum cur proponenda 19
Satisfactionis vocabulo quomodo Patres utantur 197
Nomen hoc ex ritu publicæ pœnitentiæ reliquum est 183. 197
Satisfactiones Canonicæ non sunt necessariæ jure divino 184
Scriptura distribuitur in Legem & Evangelium 60. 94
Est unica norma judicandorum dogmatum 570 572. 632
de partic. Sola 73. 585. 691.
Solvere & ligare quid sit 109
Spes & fides quomodo differant 126
de vocab. Spiritualiter 755
Spiritus & carnis perpetua in renatis lucta 675. 679. 732
Symbola & scripta symbolica Ecclesiæ nostræ 571. sq. 632. sq.

T.

Traditiones non faciunt ad justitiam coram Deo p. 13. 30. 205. 337
Vana de his persuasio multa mala peperit 28. 210. 214
Harum autores quomodo peccent 41
Transsubstantiatio Pontificia rejicitur 602. 756

V.

Verbum prædicatum est medium conversionis hominis 579. 670
Per hoc donatur nobis Spiritus & gratia 331. seq.
Vindicta privata & publica 216
Virginitatis in Scriptura laus 243
Vita æterna vocatur merces 135
Vivificationis vocab. 585. 685. seq.
Vocatio necessaria est verbi ministro 13. 204.
Voluntas hominis quomodo se habeat pure possive in conversione 582. 680
de Votis monasticis 32. 276. 311. 336
Horum origo 32
Sunt impia & irrita 34. 35. 278. 289. 336. 475

FINIS.

Digitized by Google

APPENDIX TRIPARTITA ISAGOGICA,

AD

LIBROS ECCLESIÆ LUTHERANÆ SYMBOLICOS,

IN

GRATIAM STUDIOSÆ JUVENTUTIS ADORNATA

A

D. ADAMO RECHENBERG,

EDITIO QUINTA AUCTIOR

CUM

INDICE HÆRESIUM, CONCILIORUM, COLLOQUIORUM THEOLOGICORUM ETC.

LIPSIÆ,

Apud HÆREDES JOHANNIS GROSSII.

M DCC XIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO
AD
BENEVOLUM LECTOREM.

Si omnibus constaret de causis, quæ me ad conscribendam hanc *Appendicem* impulerunt, forte nulla, *Lector Benevole*, opus foret præfatione ad excusandam scriptionis hujus operam. Sed cum privata & quæ inter paucos

cos geruntur multorum notitiam fugiant; paucis exponendum duxi, cur ego potiſſimum, qui aliis jam diſtinebar ſtudiis, operam meam qualemcunque in hoc labore inſumſerim. Nempe ſemel iterumque a *Viris Ampliſſimis*, qui ſumtus in LIBROS ECCLESIÆ LUTHERANÆ SYMBOLICOS typis novis denuo exſcriptos fecerant, monebar: ut in gratiam Studioſorum Theologiæ, quos LIBROS modo laudatos legere maxime

me oporteat, *Appendicem* componerem, quæ non quidem nova dogmata Eccleſiæ Lutheranæ, ſed *Hiſtoriam* illorum & *Notitiam Controverſiarum*, nec non *Hæreticorum* in *Conciliis* & *Colloquiis* publicis *Damnatorum* complecteretur: deprehendiſſe enim Theologos in examinibus Candidatorum Miniſterii, ubi ex LIBRIS SYMBOLICIS reſpondendum ſit, in multis erubeſcendam ejusmodi rerum ignorantiam. Ego vero primum male-

Digitized by Google

bam deprecari laborem, partim ab aliis jam occupatum, partim ſi nova addenda, prolixiorem paulo futurum, quam ut jam typis excuſa *Concordia*, ille intra breve adeo temporis ſpatium, & quidem a me abſolvi poſſet. Veruntamen perſvaderi mihi tandem patiebar, ut ſpecimen ejus *Magno Theologo* exhiberem; qui probato inſtituto meo, me cohortabatur ipſe, ut cœpto jam labore defungerer. Itaque judicio hoc fretus, ex bo-

na

næ fidei ſcriptoribus a me allegatis, primum *Hiſtoriam Librorum Symbolicorum*, quam fieri potuit breviſſime, excerpſi, excerptam in Locos quaſi Communes συνόπτας congeſſi: & cum Syncretiſtæ hodie paſſim *Symbolum Apoſtolicum*, pro ſumma & norma fidei Chriſtianæ habeant; illius quoque diverſum ſenſum abs heterodoxis fictum ex *Tabulis* celeberrimorum Theologorum inſerui. Deinde *Syllabum Controverſiarum ex libris*

bris Symbolicis, non ſine labore *ſecundum locos Theologicos* digeſtarum, ſervato ſcilicet ordine a *B. Hulſemanno in Breviario ſuo* oſtenſo, collegii; ut Studioſi diligentiores in compendio noſcerent, quæ hodie orthodoxiæ noſtræ a multis heterodoxis ſchiſmaticis & hæreticis opponuntur. Cæteras controverſias, quæ directe libris Symbolicis non repugnant, omiſi: quia forte ſcitu cuivis Studioſo non adeo neceſſariæ ſunt. Tandem

dem *Catalogum* partim *Hæreticoram* partim *Schiſmaticorum Antiquiorum & Juniorum* per ſecula a Chriſto nato ad noſtra usque tempora contexui, ſimulque *Hiſtoriam Conciliorum & colloquiorum de Religione Chriſtiana* habitorum recenſui, indicatis autoribus, qui illa omnia copioſius executi ſunt. Mihi enim tum ob inſtantes nundinas, tum ob alias rationes heic non allegandas prolixo eſſe non licuit. Quapropter etiam veniam ab *æ-*

quo

quo Lectore mihi datum iri ſpero petoque; ſi, quod prævideo, ipſius expectationi minus ſatis fecerim. Studioſis tamen, quibus copia multos libros ſibi comparandi, aut eosdem evolvendi deeſt, non inutilem operam me navaſſe credo; cum quæ ab aliis vel prolixe, vel ſparſim deſcripta proſtant, in hanc epitomen redegerim, quæ (ſi dicere licet,) multa paucis complectitur. Qui explicationem libr. Symbolicorum deſiderat, is *B. D. Carp-*

Carpzovii Iſagogen & alios non in celebres Theologos conſulat. Ego tantum hiſtoriam rerum ad Religionem Chriſtianam pertinentium & notitiam controverſiarum ſcribere juſſus fueram, & quidem in gratiam Studioſorum, quibus librorum in hoc genere utilium copia non ad manus eſt. In quo labore feſtinato, ſi alicubi erratum fuit, rogo, *Lector* B. humanæ imbecillitatis memor ignoſcas non ſponte erranti. Imo ſi quid ſacris lite-

literis, si quid Ecclesiæ orthodoxæ, aut pietati, vel ulli veritati dissentaneum a me scriptum est, id nec scriptum esto.

Lipsiæ Cal. Octobr.
A. CHRISTI
MDCLXXVII.

A. J.

APPENDICIS TRIPARTITÆ

PARS I.

DE

LIBR. SYMBOLICIS ET SYMBOLIS

CAP. I.

De

LIBR. SYMBOL. IN GENERE.

SUMMA:

LIbri noſtri Symbolici ſunt ſcripta publica Eccleſiæ Lutheranæ, quæ Statuum Proteſtantium autoritate, ex verbo DEI, per pios atque doctos Theologos fuerunt adornata; partim ut ipſi religionis ſuæ rationem Cæſari & orbi Chriſtiano redderent; partim ut formulam credendi, docendi, confitendi & agendi ſuis Doctoribus & auditoribus præſcribe-

rent; ac adeo demonſtrarent publice, quantum ab hæreticorum & ſchiſmaticorum placitis vera ſua antiqua ac Apoſtolico-Catholica diſtaret Religio.

§. 1.

Libri Symbolici dicuntur à *Symbolo*, h. e. teſſera vel ſigno, cujus in miliţia, & nonnunquam in contractu olim uſus erat. Ab Eccleſiaſticis vero Scriptoribus, poſt Concilium Nicænum iſthæc vox adhibita legitur, de *Confeſſione Doctrinæ publicæ Chriſtianorum*, qua in Eccleſia militante ab hoſtibus veritatis, ceu ipſis propria teſſera Chriſtiani orthodoxi diſcernebantur. Atque hæc ratio eſt, cur libri confeſſionum hodienum appellantur *Symbolici*.

§. 2. *Publica Scripta* dicuntur, quia *publicæ* Eccleſiæ Lutheranæ, aut, (ſi mavis) Evangelicæ *autoritate* ac adprobatione fuerunt compoſita, ut *publice* tanquam *confeſſiones* ederentur ac docerentur. Id, quod probat Principum ac Statuum Evangelicorum in hoc *ſacro*, quo vivimus, *imperio* ſubſcriptio, à III. Electoribus, XXI. Principibus, XXII. Comitibus, IV. Baronibus, XXXV. Civitatibus & 8000. Miniſtris Eccleſiæ facta. vid. *Præf. Form. Conc.* Longe igitur major eſt illorum autoritas, quam ſcriptorum, quæ privato auſu à nonnullis edita fuerunt Theologis.

§. 3. *Fons & Principium*, ex quo hi libri fuerunt conſcripti, *eſt verbum Dei revelatum*, quod in

in S. codice ad informationem nostram exaratum fuit, cui tamen illi à nostra Ecclesia non æquiparantur. Nam scriptura sacra *ratione communicationis immediatæ* θεόπνευστος est 2 *Timoth.* III, 16. *hi vero libri* tantum divina scripta *ratione objecti dici* queunt, quia continent dogmata in sacris litteris à Spiritu S. revelata. vid. *Præfation in Form. Conc. & præf. A. Conf. ad Carolum V. p. 6.*

§. 4. *Causæ*, ob quas hi *libri* publice confecti sunt potissimum fuerunt *tres*. Et, quod *A. Conf.* ejusdemque *Apologiam* ac *Articulos Smalcaldicos* attinet, *prima* erat ut Cæsari (tum temporis Carolo V.) rationem religionis suæ, quam Sacrificuli passim ceu impiam traduxerant, sic publice redderent. vid. *præfat. A. C. ad Carolum V. p. 9. Altera causa* (respectu inprimis *Formulæ Conc.* fuit, ut ad morem Ecclesiæ antiquæ purioris Christianæ, tum docentes tum audientes ad *certam formulam credendi* & *confitendi* adstringerentur, nec (respicientes ad ὑποτήπωσιν τῶν ὑγιαινόντων λόγων ab Apostolo commendatam 2. *Tim.* I, 13.) quicquam in Religione pura hac, in posterum temere innovarent, sed *Concordiam* in una fide colorent. Vid. *præf. Form. Conc. Tertia* causa fuit, ut Religionis Lutheranæ discrimen, quo à perversis aliorum hæresibus & Schismatis differt, omnibus inquirentibus veritatem, pateret.

CAP. II.

DE

LIBR. V. SYMBOL. IN SPECIE: PRIMO DE AUG. CONFESSIONE.

§. 1.

Libri Symbolici ſunt quinque numero: (1) Auguſtana confeſſio eaque invariata: (2) Ejusdem Apologia: (3) Articuli Smalcaldici: (4) Uterque Catechiſmus B. Lutheri, Minor ſcil. & Major: (5) Formula Concordiæ ſtrictius ſic dicta. Hi libri conjunctim ſumti paulo latius accepto vocabulo, uno nomine dicuntur in titulo ſyſtematis hujus, CONCORDIA: it. FORMULA CONCORDIÆ.

§. 2. De his libris ſeorſim nunc paucis agendum eſt. Ac *primo* quidem *hiſtoriam Aug. Conf.* in compendio recitabimus. Quod ut melius fiat, lubet ejusdem deſcriptionem præmittere.

§. 3. AUGUSTANA CONFESSIO eſt liber Symbolicus Eccleſiæ Lutheranæ, quem ad mandatum Cæſaris, Status Proteſtantes per Theologos ſuos ex verbo DEI conſcriptum, in Comitiis Auguſtanis, anno Chriſti 1530. d. 25. Jun. Carolo V. Imperatori exhibuerunt,

Digitized by Google

runt, ut de præcipuis religionis ſuæ capitibus eidem rationem redderent, ſimulque aduerſariorum calumnias amolirentur.

§. 4. Liber hicce *Confeſſio* dicitur à *forma & ſcopo*, qui erat *publice confiteri* doctrinam hactenus creditam & populo traditam. Ita enim fidem ſuam confiteri *Hieropſaltes Pſal. CV, 1 & Apoſtolus 1. Timoth. VI, 12.* praeceperant: *Auguſtana* vero ab urbe imperiali *Auguſta* ſcil. *Vindelicorum*, ubi fuit exhibita, nominatur: perinde ut *Symbolum Nicænum* ab urbe Bithyniæ *Nicæâ*, nomen olim ſuum indeptum eſt.

§. 5. *Eccleſiæ* autem *Lutheranæ liber Symbolicus* proprie audit. Quia illa ſic juſſa hanc publice exhibuit, hodieque tuetur. Nam Religio Chriſtiana cum hactenus tot tantisque erroribus ac ſuperſtitionibus per Pontificiorum malitiam & ignorantiam ſenſim contaminata fuiſſet; poſt multos alios teſtes veritatis à Papa Romano oppreſſos, *D. Lutherus* inſtinctu diuino *anno* 1517. occaſionem à publica indulgentiarum nundinatione *Tetzelii* nactus, religionem repurgare cœpit. Quæ cœpta Deus ita ſecundauit, ut Evangelii lux miniſterio hujus viri ſic reſtituta, mox longe lateque ſpargeretur, & fraudes ac errores Papæ paſſim animadverterentur. Hoc dum ægerrime ferrent Papæ complices, Lutheranos apud Cæſarem Carolum V. cumprimis traduxerunt, inde ipſe mox *confeſſionem* doctrinæ Lutheranorum publicam poſtula-

ſtulavit. Quam læti lubentesque Proteſtantes exhibuerunt. *vide Sleidani Comment. de ſtatu Relig. & Reip.* Perperam vero eundem librum *Syntagmati Confeſſionum ſuarum* inſerunt *Calviniani* ſeu *Reformati*, cum non ſolum in *Articulo II. de Chriſto & X. de S. cœna* ab hac diſſideant, ſed & in aliis dogmatibus in illa contentis, longe in diverſum abeant. Quod per ſingulos fere Articulos *B. D. Menzerus in Exegeſ. A. C.* oſtendit conf. *librum* hucusque inconcuſſum, quem *Theologi Haſſo-Darmſtatini* ſub titulo gründliche Ausführung wider die Caſſeliſchen Wechſel-Schrifften, An. 1656. ediderunt.

§. 6. *Mandatum Cæſaris*, in præfatnione A. C. Germanice exprimitur his verbis: Sie (Status Proteſtantes,) ſolten ihre Meynung in Schrifften ſtellen. Nam ut *Sleidanus l.* VII. *Comment.* memorat, Pontificii non ſemel apud Cæſarem de Lutheranorum nova & improba doctrina conqueſti fuerant. Igitur ut hujus rei veritas pateſceret, Carolus V Statibus dictis injunxit, ut confeſſionem litteris exaratam publice exhiberent.

§. 7. *Status Proteſtantes*, promti morem Cæſari geſſerunt exhibendo confeſſionem Latine & Germanice conſcriptam. Carolus V. Imperator accepta jam Confeſſione, per Fridericum Palatinum Proteſtantes monet, ut decreto Spirenſi anno præcedente menſe Martii facto obtemperarent, h. e. religionem veram & à ſuperſtitione Papæa repurgatam miſſam facerent, ſubmittendo ſe-

ſe

ſe Eccleſiæ Romanæ, h. e. Pontifici t.t. Clementi VII. verum ut iam ante, contra iniquum illud decretum Elector Saxo *Johannes*, *Georgius* Brandeburgicus, *Erneſtus* & *Franciſcus* Luneburgici, Landgravius Haſſiæ *Philippus*, *Wolffgang* Anhaltinus *proteſtati* erant; (unde & nomen *Proteſtantium* acceperunt: (ita à religione in Confeſſione publica nunc propoſita diſcedere, neque promiſſis neque minis Cæſar Proteſtantibus perſvadere potuit. Digna eſt hiſtoria, quæ legatur apud *Sleidanum* l. VI. *circa finem* & l. VII. *Theologi*, qui hanc confeſſionem autoritate publica conſcripſerunt, cum Principibus ad comitia Auguſtana convenerant. Nam ut *Sleidanus l.* VII. memorat, in Comitatu Electoris Saxoniæ *Philippus Melanchthon*, *Joannes Islebius Agricola*, *Juſtus Jonas*, *Georgius Spalatinus* fuerunt. His acceſſerunt Svevici Theologi *Joh. Brentius* & *Erhardus Schnepfius*, qui juncta opera, *Melanchthone* ſtylum moderante, articulos fidei Chriſtianæ XVII. à *Luthero* Torgaviæ ad mandatum Electoris Saxoniæ *Johannis* compoſitos, in ordinem hunc digeſſerunt, & deinde *D. Luthero* tum Coburgi hærenti ad revidendum transmiſerunt: qui datis ad ipſos Principes literis, teſtatus eſt, ſe hanc *Confeſſionem* perlegiſſe & adprobare. Ita refert *Melanchthon in præf. opp. Tom. I.* Vid. *D. Georg. Cœleſtini Hiſt. Comit. Anno 1530. f. m. 40. 41. ſequ.* Fallit ergo *Dan. Chamier. Panſtrat. Tom. IV. l. 1. c. 1.* qui Aug. Confeſſ. Au-

torem nominat *Melanchthonem*, *Lutherum* vero approbatorem.

§. 8 *Purum DEI verbum* revelatum & in S. Scriptura contentum principium et norma Aug. Conf. ſolum eſt. Quapropter in *præfat. ad Carolum V.* & in *Epilogo* diſerte affirmant Proteſtantes., Doctrinam hanc ex Scripturis ſanctis & puro verbo DEI deſumptam eſſe, nec quicquam contra Scripturam aut Eccleſiam Catholicam (puram ſc. ac antiquam ,)in illa contineri. Vid. *D. Hülſemanni Man. Aug. Confeſſ.* in quo hanc Proteſtantium ſententiam contra nænias Lojolitae *Balth. Hageri* accurate vindicat.

§. 9. *Comitia Auguſtana a Carolo V.* 1530. indicta erant ob duplicem cauſam, *una* attinebat Religionem, *altera* bellum Turcicum. Hinc facta a Cæſare per *Fridericum* Palatinum propoſitione, ipſi Principes habita deliberatione, primo de *Religione* agendum eſſe cenſebant; deinde de altero deliberationis capite. Vid. *Sleidan.* l. c. Inde d. 25. Junii hæc *Confeſſio* publice recitata & per *D. Chriſtianum Beierum* Electoris Sax. Cancellarium Cæſareæ Majeſtati oblata fuit. Et quanquam Cæſar illam clementer acciperet; inſtinctu tamen Pontificiorum illam per omnia approbare noluit. Interim in linguam Hiſpanicam & Italicam eandem conuertere, Secretariis ſuis *Valdeſio* & *Schweigio* mandavit. Quo facto, & aliorum Regum exterorum ac Principum legati in ſuæ gentis idioma transtulerunt. Vid. *D. Cæleſtini*

leſtini Hiſt. cit. Tom. II. f. 19. ſeqq. Fallit ergo *Bellarminus*, & quæ ipſius eſt formula, illuſtre mendacium committit, cum *Aug. Confeſſionem Tom. IV. Controverſ.* in *jud. de Form. Conc. f. m.* 1537 ſaltem in *angulo Germaniæ* percrebuiſſe ſcribit. Sui quippe oblitus Cardinalis, cum antea in *orat. Tom. IV præfixa* conqueſtus eſſet, *Religionem* Lutheranorum longe lateque per orbem ſparſam fuiſſe, nunc in angulo illam abſconditam fingit. Niſi omnis hiſtoriæ rudis videri velit, neſcire non poterat in ampliſſimis regnis, praeſertim ſeptentrionalibus, illam ſolenniter receptam fuiſſe & conſtanter etiamnum retineri. *Confer Loccenii Antiqu. Sveo-Goth. l. 1. c. 3 Martinus Cruſius in Turco-Græcia l. VII. f. m. 423. ſeq. it. f.* 496. memorat, quod A. Confeſſio in linguam Græcam converſa Patriarchæ Conſtantinopolitano fuerit transmiſſa.

§. 10. In *Confeſſione hac, præcipua religionis capita* ſolum contineri, nec omnes errores ac abuſus Pontificiorum propoſitos fuiſſe, ipſi Confeſſores in *Epilogo* fatentur; dum alios nominant, quos ab Epiſcopis correctum iri ante concilium Tridentinum ſpes erat. Deinde brevitati ſtudentes ſumma doctrinæ fidei capita, more modoque in Symbolis recepto proponebant, ut veritas Religionis noſtræ in compendio exhiberetur. confer. *B. Carpzovii Iſagog. p. 117. ſeqq.*

§. 11. *Cauſæ*, quæ *Proteſtantes* impulerunt ad Confeſſionem hanc ce edendam in Hiſtoria *duæ* nomi-

nantur. *Una* fuit parere Cæſari poſcenti confeſſionem publicam; *altera* amoliri Sycophantias & calumnias, queis Proteſtantes paſſim à Papæis onerabantur. Nam *Alphonſus* Cæſaris legatus Hiſpanicus *Melanchthoni* in comitiis dixerat, famam in Hiſpania tuliſſe, Proteſtantes ſacra omnia & myſteria contemnere, ac inſtar beſtiarum vitam degere. vid. *Lutheri Tom. V. Jenenſ. fol. 27. edit. Altenb.* Inde ipſe Lutherus in *præfat. Articul. Smalcald.* refert, ſibi doctorem quendam ex Galliis miſſum Wittebergæ aſſeveraſſe, idem de Lutheranis perſuaſum eſſe Regi Galliarum. Igitur Lutherani ut calumnias haſce retunderent, *confeſſionem* religionis ſuæ ediderunt. Mos enim apud Pontificios receptiſſimus eſt, D. Lutherum variis calumniis proſcindere, ut exoſa reddita perſona Lutheri, ipſa viri doctrina fiat ſuſpecta. Vid. B. *D. Müller Defenſum Lutherum*, & hujus *Defenſionem contra Lojolitam Carolum à Creutz*, *Hamburgi* anno 1659. editam.

§. 12. *Exemplar* hujus *Confeſſionis* in Archivo imperiali cuſtoditur. Cum quo, quantum ſenſus reſpicitur, convenit editio exemplaris in quarto facta Wittebergae An. 1531. Quapropter huic editioni Anno 1561. in conventu Numburgenſi Proteſtantes denuo ſubſcripſerunt ac Ferdinando I. Imperatori illam exhibuerunt. Sed *Philippus Melanchthon* in cauſa religionis juſto mitior, ut nonnullis falſis gratificaretur fratribus, inſcio Luthero,

thero, & invitis Statibus Proteſtantibus, privato ſtudio & autorirate, anno 1540. Wittebergæ novam Confeſſionis Auguſt. editionem adornauerat, quæ ſenſum in aliquot articulis corruptum exhibet; inprimis vero *articulus X.* in gratiam Zwinglianorum truncatus fuit. Atquo hac de cauſa editio hæc àLutheranis ceu ſpuria rejicitur; à Reformatis vero inter libros Symbolicos recenſetur. Vid. *corpus & Syntagma Confeſſionum Fidei Reformat. Genevæ anno 1654. denuo editum.* Quæ vero circa ipſam mutationem A. C. & ejusdem circumſtantias tum à Pontificiis, tum à Calvinianis objici vulgo ſolent, ea fuſius & ſolide à Theologis Saxonicis tradita & confutata legas, in der Hauptvertheidigung des Aug: Apffels h. e. *Aug. Confeſſionis c. 20. ſeqq.* ad *c.* 33. *usque.* Mutatæ ſic confeſſioni Augſt. Calviniani ſubſcribere non detrectant. Ipſe *Calvinus*, *Zanchius* & *P. Martyr* eidem ſubſcripſeruut, ſenſu Zwingliano; ſeu, ut ipſe *Zanchius* limitavit, modo *orthodoxe* h. e. ex ſententia Calvinianorum) intelligatur. Vid. *Hornbeckii Summ. controv. l.* IX. *de Luther. p. m. 633 ſeqq.* Verum hoc modo quibusvis heterodoxorum confeſſionibus ſubſcribere licebit orthodoxe; cum nulla earum tam abſurda ſit, ut nihil ex vero contineat. Hoc autem contra ſcopum eiusmodi confeſſionum eſſe, omnes cordati Theologi pariter ac Politici fatentur.

§. 13. In *Hiſtoria A. Confeſſionis exhibita* Theologi

logi *variæ divinæ providentiæ documenta* obſervant. Nam comitia indicta fuerant, ut Religio Evangelica a ſuperſtitione Pontificia repurgata denuo opprimeretur; & ipſa tamen, quod mirandum eſt, contra tot tantosque hoſtes veritatis emerſit ac latius propagata fuit. vid. *B. Lutheri Tom. V. Jenenſ. f. 26. ſeq. & f. 157. ſeq. B. D. Dorſchei diſſert. de provid. circa A. Confeſſ. & D. Varenii Exegeſ. A. Conf. p. 4. 5.* Biennio poſt oblatam confeſſionem, a Cæſare Carolo V. Proteſtantibus pax indulta fuit. Quæ cum minus fida eſſet, tandem poſt *tranſactionem Paſſavienſem*, quam exhibet *Goldaſtus Tom. II.* Reichs-Satz. *f. 257.* Pax religioſa communi Procerum Imperialium conſenſu Anno 1555. in comitiis Auguſtanis facta eſt, qua A. confeſſioni addictis libertas religionis confirmatur, confer. *Limnæi J. Publ. lib. I. cap. 13. §. 17.* Hanc pacem cum hoc noſtro ævo Lojolitæ ſive Jeſuitæ convellere omnibus modis niterentur, (vid. cit. Vertheidigung des Aug-Apffels) denuo per gratiam diuinam in *Inſtrumento Pacis Osnabrugenſis Art. V. publice* repetita & confirmata fuit; ringente licet Papa *Innocentio X*, qui edita bulla, pacem deſideratiſſimam, addita proteſtatione per Fabium Chiſium, abrogare nitebatur. Vid. *Herm. Conringii* de *Pace civili inter Imperii Ordines religione diſſidentes perpetuo conſervanda libr. & Hornbeckii Exam. Bullæ cit.*

§. 14. Præter *Auguſtanam Confeſſ.* Proteſtantium

aliæ

Digitized by Google

alia etiam *quatuor civitatum*, puta *Argentorati*, *Conſtantiæ*, *Memmingæ* & *Lindaviæ*, autore *Bucero* & *Capitone* Imperatori in iisdem comitiis per *Caſparum Hedionem* Eccleſiaſten Argentinenſem exhibita quidem, ſed nec accepta nec prælecta fuit. Vid. *Chytræus in Hiſt. A. C. f.* 678. In Artic. de S. cœna (ut *Sleidanus l. 7. comment. f. m. 78.* refert,) non idem cum Saxonicis dicti confeſſores ſentiebant. Omnia Confeſſionis hujus capita *D. Cæleſtinus Tom. IV. Hiſt. cit. f. 94. ſeq.* recitat. Atque hoc modo primum cauſa ſchiſmatis publice data eſt. *Ulricus Zwinglius* etiam, (qui æmulandi ſtudio ſe Reformatorem Helvetiæ tulerat,) ſuæ ſententiæ ſingularem confeſſionem in iisdem comitiis obtulit, quæ utpote privati hominis itidem rejecta legitur.

CAP. III.

DE

APOLOGIA AUG. CONFESSIONIS.

§. 1.

APOLOGIA A. C. eſt liber Symbolicus a Philippo Melanchthone primum in comitiis Auguſtanis ſvaſu & autoritate publica ſcriptus, ut confutationem A. Confeſſionis à Pontificiis Theologis conſarcinatam refelleret, & doctrinam

nam ſemel traditam adſereret publice; deinde auctus publica Statuum Evangelicorum adprobatione ſcriptis Symbolicis inſertus eſt.

§. 2. *Autor* hujus *Apologiæ* fuit *Philippus Melanchthon*, iuſſus à Statibus Proteſtantibus confutationem A. Confeſſionis Pontificiam refutare. Nam *Sleidanus l.* VII. *cit.* refert, quod Imperator iteratis vicibus perſvadere Proteſtantibus anniſus ſit, ut deſerta confeſſione ſua, aſſentirentur refutationi à Monachis & Sacrificulis Papæis, in quibus facile primi erant *Joannes Faber* & *Eccius*, compoſitæ. Verum confeſſores de conſtantia ſua nihil remittentes, Confeſſionem ſemel editam tuentur, & *confutationem Papæam*, quantum inter prælegendum ex eadem percipi & annotari potuerat, *Philippum* viciſſim confutare jubent; Nam etſi exemplar confutationis hujus peterent, impetrare non licuit, conf. *D. Cœleſt. præfat. Tom. III. Hiſt cit. f.* 17.18. Poſtea Apologiam Cæſari Proteſtantes exhibuerunt, ſed is dedignatus ulteriorem circa religionem diſceptationem, illam accipere renuit. Vid. *Cœleſt. Hiſt. cit. Tom. IV. fol. 85. ſeqv.*

§. 3. *Summa* confutationis Pontificiæ prout *Sleidanus l.* VII. cit. recitat, hæc fuit. Pontificii Theologi, confeſſionem Proteſtantium in duas partes diviſerant: PRIOR habet XXI. *doctrinæ capita*: ex iis alia receperant, alia rejecerant. Quædam partim fuerunt admiſſa, partim repudiata multis

tis Patrum & Conciliorum adductus teſtimoniis. In rejectis hæc erant : *opera bona nihil mereri : juſtificationem tribui ſoli fidei ; non etiam operibus ; Eccleſiam eſſe congregationem piorum : non poſſe ſatisfieri pro peccatis : Divos non intercedere pro nobis* ; alia receperant cum modo, de *ceremoniis* nimirum ; item, *verum corpus atque Sanguinem Chriſti eſſe in Sacramento* ; ſic, ut *ſub qualibet ſpecie ſit Chriſtus*, & *vinum atque panis omnino mutentur.* Illud de *confeſſione* ſic admittebant ; *ſi populus adſtringeretur, ut quotannis ad paſcha confiteantur*, & *delicta omnia diligenter enumerent & Cœnam Domini percipiant*, & *ſeptem eſſe credant Eccleſiæ ſacramenta :* cavebant etiam, ne quis erudiendo populo præficiatur, *niſi de voluntate & permiſſu Epiſcoporum :* ad hæc, *ut leges omnes & Eccleſiæ præcepta ſervarentur*, *&*, *quibus in locis abrogata ſint, reſtituantur.* Altera Pars *quinque præcipue complectitur :* Communio cœnæ Domini *ſub utraque ſpecie*, quod ajunt, rejicitur ; & petebat Cæſar, ut in eo totius orbis Chriſtiani conſenſum atque morem ſequantur : De *conjugio Sacerdotum* mirari ſe dicebat, hoc ab ipſis peti, cnm inde ab Apoſtolorum ætate non fuerit in uſu : *Miſſa* recipitur ipſorum, *modo cum ritu Eccleſiæ Romanæ conveniat* ; ſi *vero mutata ſit*, rejicitur, ac ſimul affirmatur ; *miſſam eſſe Sacrificium pro vivis & mortuis*, neque debere *miſſam privatam* abrogari : Danielem

multò

multò ante prænunciaſſe, fore, cum Antichriſtus venerit, ut ſacrificium aboleatur: hoc quidem nondum accidiſſe; veruntamen iis in locis, ubi miſſa jacet, altaria deſtruuntur, exuruntur ſtatuæ, quibus in templis nihil cantatur, nihil legitur, nulla lucent amplius luminaria, ibi nimirum illud jam repræſentari Prophetæ vaticinium: itaque cavendum eſſe diligenter omnibus, ne cauſam præbeant adventus Antichriſti: *vota Monaſtica* niti tam Novi, quam Veteris Teſtamenti autoritate: plectendos igitur, qui ſuæ profeſſionis obliti, deſeruiſſe ordinem: *Epiſcopos habere poteſtatem* non docendi tantum, ſed & *adminiſtrandi remp.* nec in ſuo jure impediendos eſſe, quod libertate majorum ſint conſecuti: non abſtinere a carnibus tempore prohibito, non jejunare per quadrageſimæ tempus, non confiteri peccata, proterviam eſſe, non libertatem Chriſtianam. Hæc *Sleidanus*.

§. 4. Hos in *confutatione memorata jam contentos errores*, diſtincte *Melanchthon in Apologia* dicta diluit; oſtendendo inania eſſe illa, nec ullum in ſacris literis fundamentum habere, quæ oggerebant Papæi. Primum quidem laudatus modo *Philippus* cum nondum haberet exemplar confutationis Papææ, brevior fuit in refutando; mox vero tale exemplar in Comitiis nactus, *Apologiam* inſigniter auxit, cum aliquot doctrinas *A. Confeſſionis*, inprimis de *juſtificatione*, *impletione Legis*

gis satisfactione, pœnitentia & Sacrificio Missatico egregie dilucidaret.

§. 5. *Imperator* interea utrinque deligi jusserat Theologos, qui de Religionis controversiis conferendo, concordiæ rationes inirent. Ex Pontificiorum parte præcipuus erat *Eccius*; ex Protestantium, *Philippus*. Sed cum Pontificii omni sibi concedi vellent, frustra fuerunt institutæ disputationes. Cæsar cum Protestantium cerneret constantiam plane invictam, decretum fieri curavit, quo Pontificia Religio omnibus Imperii Statibus & subditis denuò imperabatur. Sed Principes Protestantes respondent, se illud decretum bona conscientia non posse recipere, hinc discedunt. *v. D. Cœlestin. Hist. cit. Tom. IV. f. 85 seq. & Sleid. comment. l. VII. Melanchthon* ob Cæsaris & Pontificiorum fremitum atque comminationes animo erat solicito & anxio; non quidem sui, sed ipsius exitus & posteritatis causa, seque mœrori, suspiriis atque lacrymis totum dabat. *Lutherus* autem tum Coburgi hærens, ubi id cognovit, crebris litteris ipsum erigit & consolatur. vid. *Sleid.* l. *cit. f. m. 84.* De *decreto Augustano* judicium Lutheri idem *Cœlestinus f. 87. seq.* exhibet simul cum *admonitione* ejusdem ad Germanos, in quâ *fol. 109.* memoratu dignum est dictum Caroli: *Si Sacerdotes* (Pontificii) *facerent suum officium, nihil opus esset Luthero Magistro.* Dicta hæc Apologiâ per *Justam Jonam*, Germanice reddita *Tom. V.*

Jenenſ. cit. à B. Luthero exhibetur, & libris Symbolicis communi Statuum Proteſtantium conſenſu poſtea inſerta legitur.

CAP. IV.
DE
ART. SMALCALDICIS.

§. 1.

ARTICULI SMALCALDICI ſunt Scriptum Symbolicum Eccleſiæ Lutheranæ, quod D. Lutherus in conventu Statuum Proteſtantium Smalcaldienſi anno 1537. compoſuit, ut, ſi liberum concilium, toties expetitum, aliquando haberetur, capita ſumma doctrinæ controverſæ exhiberi poſſent.

§. 2. *Hi Articuli* cognomen ab *oppido*, in comitatu Hennebergico noto, *Smalcaldia* ſortiti ſunt. Scil. ut olim quibusdam *Symbolis* à locis, ubi facti leguntur, nomina impoſita; ita & libri tres *Symbolici* à locis cognominati fuerunt: ut mirum ſit, *Ludovicum Jacobum à S. Carolo in Bibliotheca Pontificia lib. II. fol. 455.* ita hiſtoriæ religionis fuiſſe ignarum, ut putarit, *Articulos Smalcaldicos*, eſſe Lutheranum Germanum; *Articulus Smalcalditus*, inquit, *Lutheranus edidit de primatu & proteſtate Papæ librum.*

§. 3. *Symbolicum librum* eſſe publica Eccleſiæ Lu-

Lutheranæ adprobatio & receptio probat. Nam etsi *Lutherus* hosce Articulos conscripserat; tamen ut ipse in præfatione fatetur, sibi publica autoritate injunctus fuerat is labor. Quapropter etiam hosce repetitâ *August. Confessionis* & ejusdem Apologiæ doctrina, multi graves Doctores & Concionatores subscriptione adprobarunt. vid. pag. 338. & 356. seqv.

XI.

§. 4. *Conventus* hicce *Protestantium Smalcaldiæ* Anno 1537. d. 15. Febr. habitus est, in quo, ut *Sleidanus comment. l. XI. fol. m.* 132. memorat, fuerunt Elector Saxo *Johannes Fridericus*, *Ernestus* & *Franciscus* Luneburgici Fratres, *Ulricus* Wurtenbergicus, Landgravius *Philippus*, Pomeraniæ Princeps, *Anhaldi tres* & *Albertus* Mansfeldicus; Deinde civitatum nomine Legati quam plurimi cum amplissimis mandatis. Atque hic conventus diversus est ab eo, qui An. 1531. d. 29. Martii ibidem propter fœdus defensivum adversus Pontificios, ob suspectas illorum molitiones pangendum, celebratus fuit. vid. *Sleidan. l. VII. sub finem & l. VIII. initium it. l. IX. sub fin.* Acta illius conventus & fœderis *duobus Voluminibus* exhibet *D. Hortlederus*, von Ursachen des Teutschen Krieges. Locus hicce Carolo V. Imper. propter fœdus dictum ita exosus fuit, ut victo postea *Johanne Friderico*, illum exscindere decreverit nisi *Mauritius* Elector novus intercessisset. Vid. *Cyr. Spangenberg. Chron. Hemeberg. l. V. c. 53.* Ad *Cal. Mar-*

tii Anno 1540. Principium & civitatum Proteſtantium legati denuo Smalcaldiam veniunt. Una quoque venerunt Theologi *Jonas Pomeranus*, *Melanchthon*, *Cruciger*, *Bucerus*; quibus injunctum fuit, ut formulam conſcriberent, qua putarent eum adverſariis Pontificiis agendum eſſe de conciliatione doctrinæ. Sed iſta formula libris Symbolicis annumerari haut meretur. vid. *Sleid. l. XX. ſub fin.*

§. 5. *Cauſa impulſiva* horum articulorum fuit *liberum concilium*, cujus ſpem Proteſtantibus id non ſemel petentibus Imperator ſæpius fecerat, vid. *Sleid. l. IIX. ſub fin.* Itaque illi ut in promptu juxta cum *Aug. Confeſſione* haberent, ſummam præcipuarum controverſiarum, quam in concilio exhiberent, hoſce articulos conſcribi mature curarunt. Verum cum *Paulus III.* Papa mox concilium *Mantuæ*, Pontificiis loco commodo indiceret, ſpe ſua Proteſtantes exciderunt. Quapropter denuo ſententiam ſuam de iſtoc concilio indicto publicam, ſimulque ob varias, easque prægnantes rationes, aliud concilium *liberum* ſcil. *Chriſtianum in Germania à Cæſare, more olim in Eccleſia recepto cogendum petunt*, in quo errores doctrinæ & vitia Eccleſiæ manifeſta emendarentur, nec rei (h. e. Pontificii) Judices & actores ſimul forent. Vid. *Sleid. l. XI. & XII. ſub fin.* & die Haupt-Vertheidigung des Aug-Apffels *c. 84. edit. nov. p. 870.*

§. 6. Hi

§. 6. Hin *Articuli Smalcaldici* nullum dogma, quod contra A. Confeſſ. ſit, continent; ſed ut lectio eorum probat, errores Pontificiorum publicos paulo fuſius, ac in Confeſſione factum fuerat, declarant atque refutant. *Diſpeſcuntur in tres partes*, quibus ſubjungitur *appendix de poteſtate & primatu Papæ*, ut & *Jurisdictione Epiſcoporum*, qui ann. 1538. à Luthero retundendas adverſariorum calumnias, queis paſſim Proteſtantium doctrinam proſcindebant, in lucem publicam emiſſi & poſtea libris Symbolicis additi fuerunt.

§. 7. Papa, *Paulus III.* qui primum *Mantuæ* mox *Vicentiæ*, demum *Anno* 1546. *ad idus Martii Tridenti*, in alpibus ad Atheſin flumen, oppido in finibus Italiæ ſito id indixit. Verum Proteſtantes neque concilium hocce Pontificis, neque locum, neque quod in decreto ſit ejus facta mentio, adprobant. vid. *Sleid. l. XIV. f. m.* 156. Nam illi concilium liberum in Germania à Cæſare cogendum petierant, in quo Papa utpote reus, non judicis partes ageret. Quapropter contra illud proteſtati ſunt, vid. *Adverſus Synodi Trident. inſtitutionem ſ. continuationem à Pio IV. Pontifice inditam, Gravamina, quæ è Germanico in Latinum converſa ſunt, a D. Laurentio Tuppio J Cto Argentoratenſi, & Argentorati anno* 1565. *edita.* Hoc igitur *concilium* aut verius *conciliabulum* poſtquam aliquoties fuiſſet interruptum, tandem Anno 1563. d. 24. Decemb. finitum legitur. Proteſtantes, qui

neque admiſſi neque auditi fuerant, contra morem in Eccleſia Chriſtiano olim receptum, damnantur. vid. *Sleid. lib. XXII. & XIII.* Iniquum hujus Synodi proceſſum deſcripſit *Petrus Svavis*, ſeu, ut vero nomine citatur, *Paulus Sarpius Venetus*, Servitarum ordinis. Ex quo multa in gratiam ſtudioſorum excerpſit *B. Hülſemannus Man. Aug. Conf. diſp. XIX. ad quæſt. VIII.* de *Cauſis recuſati à Catholicis (Lutheranis) Concilii Tridentini. Jacob. Aug. Thuanus*, Gallus quidem, ſed cordatus vir, ejusdem acta Hiſtoriæ ſuæ inſeruerat. Verum, quæ eſt Jeſuitarum fraus & aſtutia, illa in prima *Thuani* editione, aliisque ſequentibus nonnullis omiſſa fuerunt. *Joh. Heinr. Heideggerus* vero ex MSC. & editione Aurelianenſi eruta, non ita pridem *Anatomæ ſuæ Concilii Tridentini* ſubjunxit. Ex quibus adparet, ut multi Pontificii decretis Papæ contradixerint. Quæ tamen poſtea ceu oracula divina omnibus Chriſtianis credenda obtrudere Papa *Pius IV.* Bulla ſuper confirmatione hujus concilii edita, mirum quantum laboravit.

CAP. V.

DE CATECHISMO B. LUTHERI.

§. I.

CATECHISMUS B. LUTHERI eſt libellus Symbolicus Eccleſiæ Lutheranæ, continens ſumma religionis veræ capita, quem in

Digitized by Google

in gratiam parochorum & auditorum, inprimis ſimplicium, B. vir ſingulari ſtudio ex Scriptura S. conſcripſit.

§. 2. *Catechiſmus* vox origine *Græca*, ſed uſu *Latina* facta eſt. Nam κατηχισμὸς & κατήχησις à κατηχίζειν, quod ſtylo Patrum Eccleſiæ ſignificat, *inſtituere aliquem facta interrogatione* & (quaſi κατὰ τὸ ἠχεῖν) *reſponſione*. Hoc ſenſu etiam κατηχεῖν *Luc.* I, 4. *Act.* XVIII, 24. *Gal.* VI, 6. videtur uſurpatum fuiſſe. Inde κατηχητὴς eſt, quod doctorem Catechiſmi notat, & κατηχημένος ſeu κατηχόμενος, quod olim vel candidatum Baptismi, vel tyronem, in religione Chriſtianâ adhuc prima elementa diſcentem, ſignificabat. Hinc *Rom.* II, 18. κατηχόμενος ἐκ τοῦ νόμου legitur quod videtur eſſe dictum à voce, qua olim myſteria tradebantur, quæ nefas erat libris committere. vid. *Budæum in Epiſt. ad Eraſmum*, quæ incipit: *Dici non poteſt*. Quod οἱ κατηχόμενοι & οἱ ἀκροώμενοι, id eſt, *auditores* ſint diviſi, apparet ex *Can.* XIV. *Conc. Nic.* & *Can.* XIII. *Conc. Neocæſarienſis*, confer *Caſauboni Exercit. Anti-Baron.* XVI. *n.* 43. *p. m.* 487. Modus autem hicce informandi in antiqua Eccleſia fuit uſitatiſſimus. vid. *Euſeb. Hiſt. l.* VI. *c.* 2. *Socrat. H. E. l.* 1. *c.* 5. *Ruffin. H. E. l.* 1. *c.* 6. Hinc *Patrum*, (ut *Cyrilli Hieroſolymitani*, *Auguſtini* & *Chryſoſtomi*,) *Catecheſes* in hiſtoria Eccleſiaſtica non ignotæ ſunt.

§. 3. *Libellum* Symbolicum appellavimus, quia

Status Proteſtantes in *Epit. Form. Conc. p.* 571, & in ejusdem *Declatione*, *p.* 634. utrumque *Catechiſmum B. Lutheri Minorem* & *Majorem*, ut in tomis Lutheri inſertus eſt, pro Symbolicis agnoſcunt.

§. 4. *Lutheranæ autem Eccleſiæ proprius* dicitur ob ſectas diverſas, quæ ſuos Catechiſmos habent & jactant, ut *Pontificii Concilii Trident. Catechiſmum Romanum*, *Caniſii & alios*; Calviniani *Catechiſmum Heidelbergenſem*, qui in Synodo Dordracena *Seſſ.* CXLVIII. pro libro Symbolico in Belgio fœderato receptus fuit: licet contineat quædam, quæ quemplurimis Eccleſiæ Reformatæ Doctoribus repugnent. Vid. *Epiſt. Eccleſiaſt. Armin.* & inter hos *Arnoldi Pælenburgii fol. m.* 225. Quantum autem *Catechiſmus Reformatorum* è Lutheranorum diſtet, non ita pridem docuit breviter *D. Johan. Durrius* in der gründlichen und nothwendigen Antwort auf die Zirickſeiſche Betrachtung des kleinen Catechiſmi D. Lutheri und des kurtzen Begriffs.

§. 5. *Summa religionis veræ capita*, Catechiſmum D. Lutheri complecti omnes, admittunt, qui eum *Cyrillo Hieroſolymitano Catechesi IV. eorum, qui illuminantur*, ſtatuunt, Religionem *duobus* iſtis conſtare, *dogmatum piorum accurata notitia*, & *bonis operibus*, h. e. *vero* de DEO *ſenſu*, & recto eiusdem cultu; vel, ut Theologi alias efferre brevius amant, in *credendis* & *faciendis*, quorum *illa* propoſitionibus theoreticis; *hæc* practicis efferuntur. Utrumque præſtitit vir beatus: in *Decalogo*

çalogo, *Oratione Dominica*, & ex parte, in doctrina *de Sacramentis*, & de *officiis Christianorum in quavis societate* facienda seu, quæ ad cultum pertinent, continentur: in *Symbolo Apostolico* & ejusdem subjuncta *explicatione*, nec non in *doctrina de Sacramentis*, CREDENDA s. præcipui articuli fidei proponuntur. Hinc in *F. C. Epitome* p. 571. Status Evangelici merito censent, *Catechismum Lutheri* utrumque, esse quasi *Biblia Laicorum* in quibus omnia illa breviter comprehenduntur, quæ in S. Scriptura fusius tractantur, & quorum cognitio homini Christiano laico ad salutem æternam est necessaria.

§. 6. *Causa*, quæ *impulit* Lutherum, ut Catechismum primum componeret, fuit *partim* Parochorum ac Concionatorum supina negligentia; *partim* populi & auditorum ruditas, quam in visitatione Ecclesiarum non sine commiseratione deprehenderat. Causam utramque allegat *vir beatus* in *præf. tum Catechismi Minoris* p. 356. *tum Majoris* p. 390. seqv.

§. 7. Huic ergo Ecclesiæ morbo, ut medicinam adferret *Theander*, An. 1529. mense Januarii *Minorem*, insequenti mense Octobr. Majorem conscripsit. Qui etiam mox in Ecclesia receptus & publice inculcatus fuit. Vid. *Apolog. A. C. art. XV. p.* 312. & *D. Lutheri Tom. IV. Jenens.* Vom Unterricht der *Visitation* an die Pfarrherren im Churfürstenthum zu Sachsen, *fol.* 391. *seq. edit. Altenburg.*

burg. Hac de cauſa in *Ordin. Eccleſ. Sereniſſ. Elect. Sax. Auguſti cit. General, Articul. num.* IV. & V. *f. m.* 301. *ſeq.* omnibus Eccleſiaſtis & Diaconis præcipitur, ut Catechiſmum hunc auditoribus ſuis diligenter inculcent, ac ſtatis temporibus EXAMINA CATECHETICA obeant. Quæ quantum uſum habeant, quisque Chriſtianorum paulo prudentior intelligit. Et ſane Arminianorum licentiam docendi & credendi noxiam ſapit, quod contra Catecheſus diſſerit *D. Heinr. Scalkius in Epiſt. ad Conrad. Vorſtium fol. m.* 391. At ſi Paulus ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων, h. e. ut *Theodorus* ad h. l. monet, accuratiſſimum exemplar & archetypum fidei propoſuit, ad cujus intuitum, omnes doctrinæ ſuæ duceret lineas, (vocat στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τοῦ θεοῦ.) Si *Clem. Alexandrinus* ὑποτυπώσεις, *Origenes* ἀρχάς, *Dionyſius Alexand.* στοιχειώσεις θεολογικὰς, *Euſebius* ἐπιτομὴν στοιχειωτικὴν, *Jo. Damaſcenus* ἔκθεσιν τῆς ὀρθοδόξου πίστεως Eccleſiæ bono ediderunt; an nefas fuerit morem hunc imitari, & juventutem incautam illi alligare? non puto. DEus ſervet nobis B. Lutheri Catechiſmum, compendium doctrinæ Chriſtianæ laudatiſſimum!

§. 8. *Studium*, quod *Lutherus* in concinnando Catechiſmo hocce inſumſit, & ordo tractandi perſpicuus, ac articulis fidei in compendium redactis accommodatus probat, & virorum celebrium elogia, quibus libellum commendant, ſatis etiam con-

confirmant, ut *Justi Jonæ D. Pomerani, D. Joach. Mærlini, D. Polyc. Lyseri (in dedicat. Tom. I. Loc. Theol. D. Chemnitii,) D. Zach. Schülteri* & aliorum, quos *M. Nic. Rebhan in Concionat. suo c. 2. p. 114.* seqq. allegat.

§. 9. *Principium, ex quo* hanc Christianismi Epitomen deduxit Lutherus, est S. Scriptura. Inde nulla sententia adferri potest, quæ non cum S. literis congruat. Quod prolixius *D. Ditericus* in *Instit. Catechetica, & D. Dannhauerus* in *Lacte catechetico* demonstrant. *Papæus* vero *Catechismus à Canisio editus*, in frontispicio statim fatetur, normam fidei traditæ non tam scripturam S. quam Ecclesiam Romano-Catholicam, h. e. *Papam* esse. Nam humanæ doctrinæ par erat, ut humanum principium & norma assignaretur.

CAP. VI.

DE

FORMULA CONCORDIÆ.

§. 1.

FORMULA CONC. est liber Symbolicus Ecclesiæ Lutheranæ, publica autoritate, per sex deputatos Theologos Torgæ Anno 1576. conscriptus, & in cœnobio Bergensi pio consilio & studio Anno 1577. revisus, tandemque Dresdæ 1580. publicatus, qui religionis controversias, quæ post

B. Lu-

B. Lutheri reformationem in Eccleſia ortæ fuerant, continet & reſolvit; ut adpareat veræ religionis in noſtra Eccleſia concordia ad poſteros propaganda.

§. 2. *Quintus* hic *liber Symbolicus* ſtrictius accepto titulo, dicitur *Formula Concordiæ* ad morem antiquioris Eccleſiæ; quæ ſimiles concordiæ *Formulas* aut ἑνωτικὰ conſcripſit. Quanquam hic etiam fraus aliquando latuerit; ut de *Henotico Zenonis*, quod inſtinctu *Acatii* Epiſcopi Conſtantinopol. in gratiam Entychianorum, ex ſtudio Syncretiſtico componi Cæſar curaverat. Vid. *Evagrii lib. III. c.* 14. *f. m.* 550. *ſeqv* & *Niceph. l. XVI. c.* 11. & 12. *De Irenico Conſtantini M.* quod *Euſebius in vita ejus l. IIæ.* 62. *ſeqq.* memorat; nec non de *Encyclicis Baſiliſci* ab *Evagrio l. III. c.* 4. deſcriptis, nihil addo. *Unio* in fide ſincera, quæ veritatem divinam in S. literis manifeſtatam pro fundamento habet, hic denotatur. Vid. *F. C. pag.* 606. Multum vero differt a *Formula Concordiæ Wittebergenſis*, quæ anno 1536. inter Saxonicos & quosdam alios ſuperiores Germaniæ Theologos (ut *Wolffgangum Capitonem*, *Martinum Bucerum*, aliosque qui Lutheri lingua utentes, mentem Zwinglii, tegebant,) ſuper articulo de *S. cœna* tantum ſancita fuerat hypothetice; *ſi ſcilicet adverſariorum explicatio S. cœnæ cum Aug. Confeſſione congrueret.* Quod, cum poſt reditum

Buce-

Buceri ad Helveticos, aliter eveniſſe, intelligerent Wittenbergenſes, *Concordia* ſic dicta exſpiravit. Vid. *Oſiandr. Epit. Hiſt. Eccleſ. centur. XVI. l. II. c. 35. p. 246. ſeq.* Alii tamen hac in parte Bucerum excuſant.

§. 3. Præteteà aliis *duobus titulis* inſignitur! UNUS eſt, Epitome *Articulorum p. 570.* ALTER *Solida, plana ac perſpicua* Repetitio & Declaratio *quorundam articulorum* Aug. *Confeſſ. &c. p. 628.* Uterque argumentum & ſcopum libri exprimit. Nam quæ in *priori* ſcripto breviter notata fuerant, in *altero* uberius, adductis controverſiarum fundamentis declarantur & deciduntur.

§. 4. *Lutheranæ autem Eccleſiæ Symbolum* quando appellatur, id intelligendum eſt de *ea*, quæ Auguſtanæ *Confeſſioni invaritatæ* addicta eſt. Et licet quoque in hac membra illuſtria ſint, quæ eidem ſubſcribere detrectaverunt; tamen illa in doctrinam ejusdem libri conſenſiſſe *D. Hutterus in Concord. cone. c. XXIV. fol. 102.* docet. Ubi idem, contra *Hoſpinianum c. XI. f. 92.* pernegat, librum hunc debuiſſe omnium Eccleſiarum Chriſtianorum eſſe Symbolum; cum ſcopus ſuſcepti operis repugnet, & ejusdem præfatio etiam proteſtetur. Cæterum, cur aliqui inter Evangelicos eidem ſubſcribere, aut eam recipere noluerint, cauſas enarrat *Hutterus l. c. c. XXXV.*

§. 5. *Publicâ autoritate* ſcriptum eſſe hunc librum, non prolixa eget probatione. Nam *Auguſtus*

guſtus Elector Sax. vere Auguſtus, anno 1576. menſe Majo, conventum Theologorum numero XVIII. Torgæ non tantum indixerat, ut hujus *Formulæ* capita cum cura & pietate examinarent ac digererent(vid. *D. Hutteri Concord. conc. cit. c. XI.*)ſed & inſequenti anno in cœnobio Bergenſi Formulam hanc reviſam & emendatam (vid. *D. Hutterus l. c. XIII.*) communicavit cum aliis Statibus Proteſtantibus, ut cenſuras ſuas exponerent, quas memorat jam laudatus *Hutterus lib. cit. c. XII.* & *c. XV.* inde & publica ſubſcriptione tandem confirmatus, & anno 1580. typis publicis(ringentibus licet Reformatis,) exſcriptus fuit. vid. *D. Hutteri l. c. cap. XXXVI. f. 251.* ſeqv.

§. 6. *Miniſtri Scriptionis* præcipui fuerunt *ſex Theologi* tum temporis celebres, & quorum vitas (excepto Muſculo) *Melchior Adami* enarravit; nempe *Jacobus Andreæ, David Chytræus, Martinus Chemnitius, Andreas Muſculus Chriſtophorus Cornerus, Nicolaus Selneccerus*, qui peculiaribus ſinguli litteris ab Electore Saxoniæ & Brandenburgico, ut & Principe Megalopolitano ad hoc opus delecti & legitime vocati fuerant. vid. *D. Hutteri Concord. cit. c. XIII.* Horum quos nominavimus Doctorum ſententiam poſtea adprobarunt Principes, Conſiliarii & alii Theologi vid. *D. Hutteri l. c. cap. XII.* Anſa autem meditandi hancce concordiam, quæ data fuerat Electori Saxon. Auguſto,

ſto, à *D. Luca Oſiandro in Epitome Hiſt. Eccl. l. 4. c. 2. p. 865. deſcribitur.*

§. 7. *In cœnobio Bergenſi* prope Magdeburgum ſito ultima manus huic libro admota eſt. Ante vero in variis conventibus ut *Wittebergenſi*, Anno 1570. *Dreſdenſi*, Anno 71. *Torgenſi*, An. 74. *Lichtenbergenſi* Anno 76. menſ. Febr. de iisdem controverſis capitibus diſputatum fuerat non ſemel, ſed *Torgæ* poſtea anno 1576. iisdem certo ordine digeſtis, in *conventu Bergenſi* anno 1577. ſingulari ſtudio, omnes illi articuli reviſi & tandem anno 1580. publicati fuerunt. Publicationem libri exceperunt variæ eæque ſatis iniquæ adverſariorum cenſuræ. vid. *D. Hutteri Præf. Apoleget. conc. concord.* & C. XXXVII. & XLI. it. *præf.* Sudes quippe in oculis Zvvinglianis hæc concordia erat. Quare anno ſeptimo hujus ævi, *Rudolphus Hoſpinianus*, *Tigurinus*, integrum volumen conſarcinavit, in quo ſub titulo, *Concordiæ diſcors*, noſtræ Concordiæ errores & abſurda graviſſima affinxit. Verum vanitatem hujus *Autoris* detexit oppoſita refutatione ex actis publicis deſumta *D. Leonh. Hutterus Acad. Wittebergenſis Profeſſor celeberrimus*, cujus titulus, *Concordia Concors*. Ex qua levi opera dilui quoque poſſunt σγκλήματα, quæ non ita pridem *D. Hoornbeck* in *Summa controverſ. lib. IX.* contra eandem ſparſit.

§. 8. *Controverſiæ*, quas *poſt Reformationem B. Lutheri motas* in hoc libro ex verbo DEI diximus

mus fuisse *definitas*, ad *undecim articulos* referuntur. Nam in *XII. Sect.* de Sectariis & hæreticis agitur, qui Augustanam Confessionem nunquam amplexi fuerant, hæ autem ab iis, qui se A. Confessioni addictos profitebantur, agitari cœperant. Nempe *Matthias Flacius Illyricus*, vir doctior, quam moderatior, *peccatum originis Substantiam* esse, ex fervore disputandi cum *Victorino Strigelio* tradere cœperat: *Victorinus Strigelius*, *Philippo Melanchthone* Præceptore usus, vires hominis in conversione sua non esse nullas cum aliis (qui ἀπὸ τῆς συνεργείας *seu cooperatione* virium hominis in conversione tradita, nomen *Synergistarum* indepti fuerunt) defendit: *Andr. Osiander*, qui propter librum Interimisticum, Norinbergà in Porussiam concesserat, doctrinam de *justificatione* impugnaverat, asserens, *hominem justum esse justitiâ DEI essentiali*: *Franciscus Stancarus Mantuanus*, Regiomorti in Poiussia, ex Lombardo Magistro sententiarum proposuerat, *Christum esse mediatorem tantum secundum humanam naturam*. *Georgius Major* novam propositionem Wittebergæ defendendam susceperat: *Bona opera esse necessaria ad salutem*; hinc Majoristæ: Ei contrarius fuit *Nicolaus Ambsdorffius*, scribens, *bona opera esse noxia & damnosa ad salutem*: *Johannes Agricola Islebiensis* docuerat *Legem Mosis ex Ecclesia in curiam esse amandandam*: *Zwinglius*, *Oecolampadius*, *Calvinus*, ipse *Philippus* post obi-

obitum Lutheri, in partes Zvvinglii pronior, ſuos paſſim habebant aſſeclas, qui *corporis & ſangvinis Chriſti, in, cum, & ſub Symbolis, in S. cœna præſentiam veram ac realem*, nec non *communicationem idiomatum, ad omnipræſentiam Chriſti ſecundum humanam naturam* negabant: Præterea etiam *deſcenſum Chriſti ad inferos* non proprié, ſed *metaphoricè* aut *figuratè* exponendum eſſe contendebant. *Flacius* ſupra citatus, in *rebus adiaphoris cenſebat, interimiſtis nullo modo indulgendum eſſe*: *Philippiſtæ* (h. e. Melanchthonis aſſeclæ, ut *Eberus*, *Pfeffingerus*, *Menius Major* & alii,) ob timiditatem juſtô hic mitiores erant. Inde *bellum adiaphoriſticum* ſatis turbidum. De *Electione* aut *prædeſtinatione* ad *vitam æternam* aliqui ex noſtris non ſatis caute locuti erant, & *Calvinus* jam horrendum abſolutum prædeſtinationis decretum ſparſerat. *Anabaptiſtarum*, *Schvvenckfeldii* & *Anti-Trinitariorum furores* ac *errores* poſt reformationem motos, nondum oppreſſerat Eccleſia. Omnes igitur hæ controverſiæ, ut ſopirentur, *Formula Concordiæ* ex verbo DEI conſcripta fuit, quæ illas perſpicuè reſolvit, erroresque moderatè, omiſſis etiam adverſariorum nominibus, confutat, & concordiam ac unitatem fidei Chriſtianæ ad poſteros transplantandæ oſtendit. *Summa articulorum* ſequentibus verſiculis propter memoriam continetur.

Peccatum, arbitrium, juſtus, bona facta, ſequeſtra
Uſus, edas, Chriſtus, infera, ritus, amor.

Horum ſenſum exponunt alii verſus:

Scripturam fidei normam concordia ſancit,
Peccata, arbitrium, juſtitiamque docet
Poſt *bonum opus*, *Legem Legisque didactica cœnam*,
Chriſtum, deſcenſum ad tartara, res medias,
Tandem declarans *aterna electio* quid ſit,
Subjicit *hæreſcen dogmata falſa* ſimul.

§. 9. *Finis* ergo hujus *Symboli* fuit *concordia in religione & fide*, quæ hactenus per novos loquendi modos & contentiones varias mirum lacerata fuerat: nequaquam vero *nova fidei confeſſio*, ut adverſarii criminabantur. Nam contra hanc ſycophantiam *autores Form. Concord. p. 629.* diſertè proteſtantur, ſcopumque ſuum hunc laudabilem p. 631. 637. luculenter ſatis exponunt. conf. die Haupt-Vertheidigung des Aug-Apffels c. 38. Et hac de cauſa Eccleſiæ & Scholarum miniſtri omnes Aug. Confeſſioni invariatæ addicti, ſufficienti accepta informatione, ultra octo millia Theologorum læti lubentesque illi ſubſcripſerunt. Neque quisquam illorum aut vi aut blanditiis (ut *Hoſpinianus mentitur*) ad ſubſcriptionem coactus fuit. vid. *D. Hutteri l. c. XIX.* de *ſubſcriptione.* Imo ipſi Principes, Electores, Duces ac Status Proteſtantes, in evidens rei teſtimonium nomina ſua ſub-

ſubſcripſerunt, additis etiam ſigillis. vid. *Præf. Conc. & B. Carpzovii Iſag. p.* 30. nec non *D. Johann Olearii diſſertationem* ſolennem, cui titulus; *Conſtans concordia concors §. 7. p. 56 ſeq.* Arminius quidem & ejus aſſeclæ, de formulis conſenſus ſeu concordiæ minus benigne ſentiunt, dum illas juxta cum confeſſionibus atque Catecheſibus abrogatas mallent; ita, ut ſacræ literæ unica ſentiendi & loquendi in Eccleſia vel Academiis norma forent. vid. *Epiſt. Eccleſ. Arminian. p.* 928. & *Friderici Spanhemii Fil. Epiſt. ad Amicum de noviſſimis circa res ſacras in Belgio diſſidiis* p. 25. ſeqq. Verum latet ὑπόλουτι. Nam abrogatis formulis, vident ſe facile impetrare poſſe; ut, quod ipſi maxime volunt, omnes ſectæ & hæreſes, quæ Scripturam Sacram ſe revereri ac mandata DEI obſervare dicunt in eccleſia tolerentur.

§. 10. Cum itaque publici juris factus eſſet dictus *Liber*, contra ipſum à Calvinianis varia ſcripta edita leguntur: ut *Admonitio Neoſtadiana: Judicium Anhaltinorum: Bremenſium defenſio denegata ſubſcriptionis: Examen M. Chriſtophori Irenæi, Hiſtoria Aug. Confeſſ. Ambroſii Wolfii* (h. e. *Cyriaci Hedeſtani*,) quæ omnia in *Apologia*, hujus gratia Erffurdiæ à *D. Timotheo Kirchnero, D. Selneccero* & D. *Chemnitio.* anno 1582. ſcripta evidenter fuêre confutata Brevem analyſin dictæ Apologiæ D. *Hutterus in Conc. concord. cap.* XLI. *fol.* 261. ſeqv. exhibet. Exemplar

istius etiam MSC. in Bibliotheca Hallensi asservari supra laudatus *D. Joh. Olearius l.c. p. 68.* refert.

§. 11. Calvinianorum caluminas imitatus est hac in parte Cardinalis *Rob. Bellarminus*, qui *Tom. IV. Controv. subjungit judicium de libro concordiæ Lutheranorum*, in quo si sycophantias & mendacia demas, nihil veri deprehendes reliquum. Demonstrarunt hoc *Theologi Tubingenses*, qui ejusdem rhaspodias solidè anno 1587. confutarunt.

§. 12. Perstabit (quod speramus & optamus) hæc *Concordia* verbo DEI subnixa, quamdiu in terris militabit pura Christi Ecclesia; imprimis cum jam contra tot tantosque adversariorum furores, per ævum duraverit. Quod dum *Serenissimus* juxta ac *Religiosissimus Elect. Sax. Dn. JOH. GEORGIUS II. Dominus noster Clementissimus*, anno superiori expenderet animo, d. 7. Jun. Torgæ, in honorem DEI, ut & memoriam tantæ rei, festum seculare celebravit præsentibus simul *Summis* quibusdam *Ministris* ac Consiliariis Intimis *Magnô Frisiô & Gersdorffiô*; nec non primariis harum regionum Doctoribus Theologis, *Geiero, Calovio, Meisnero, Scherzero & Lehmanno*, Viris undiquaque celeberrimis & de Ecclesia Christi benè meritis. Cum his *Princeps Optimus* de *concordiæ* & puritate Religionis porrô tuenda devote egit, ac habitâ à præsule Torgavienſi, *D. Hofmanno*, concione *εὐχαριστικῇ*, in Domino lætatus est.

Faxit

Faxit Deus, ut annum publicationis *Concordiæ* hujus attingat Princeps laudatiſſimus, qua nova ipſi lætandi materia ſuppetat & Eccleſia gaudeat!

CAP. VII.

DE TRIBUS SYMBOLIS IN GENERE.

§. I.

PRæmittuntur Aug. Confeſſioni tria antiqua in Eccleſia Latina recepta Symbola, Apoſtolicum puta, Nicænum & Athanaſianum, ut oſtendatur, Lutheranos non novam, ſed antiquam verè Catholicam fidem tenere ac profiteri. Tria autem tantummodo nominantur, quia in ſolennibus Eccleſiæ Romanæ ſacris, hic ternarius Symbolorum obtinebat. Vid. Alex. Ales. Part. III. qv. 69. Durand. Rational. offic. div. l. IV. c. 25. Thom. Argent. l. III. diſt. 24. & 25. qv. 1. a. 3. non excluſo aut ignorato Epheſino vel Chalcedonenſi, quæ æque ac tria iſta audiunt oecumenica. Symbola (ſenſu Eccleſiaſtico,) dicuntur compendiariæ articulorum fidei, præcipuæ ob hæreticos certos controverſorum, confeſſiones publico nomine editæ aut receptæ, ut per ea Chri-

Digitized by Google

ſtiani puri & veri, ab impuris & hæreticis diſtinguantur, vid. Epitom. Form. conc. p. 571.

§. 2. De *Symboli* voce non eſt, cur heic anquiramus: nota eſt ejus origo doctis, vulgo *Collatio* Latinis redditur. Sed confundi σύμβολον cum συμβολῇ, *Voſſius* docet. Συμβολὴ enim juxta *Athenæum l VII. circa fin.* eſt εἰς τὰ συμβόσια ὑπὸ τῶν πινόντων εἰσφερομένη. Græcis alias dicitur ἔρα. ☞. At σύμβολον notare *teſſeram* militarem, aut *ſignum in contractu datum*, ſupra declaravimus. Cæterum ratio metaphoræ eſt ſimilitudo, quam ejusmodi confeſſio Chriſtianorum habet cum teſſera militari, mit der Loſung, qua milites certi exercitus ab hoſte diſcernuntur. Nam, ut in bello miles Symbolo; ita in Eccleſia Chriſtianus ὡς καλὸς στρατιώτης Ἰησοῦ Χριστοῦ. 2. *Timoth.* II. 3. Symbolo, ſeu teſſera ſua, ab hæreticorum ceu hoſtium veritatis turba diſcernitur. Et ſicuti olim in fœderibus ſanciendis, aut contractu veteres teſſera utebantur, qua quælibet contrahentium pars intemeratam fidem ſibi invicem ſancte promittebat; ita Chriſtianus cum Deo quaſi fœdere in baptiſmo inito 2. Petr. III, 17. obſtringitur, ut Symbolo fidei teſtetur fidem, eamque ſervet illibatam 2. Petr. III, 17. conf *Voſſii de Trib. Symb. diſſert. 1. §. 9. ſeq & Caſauboni Animadv. in Athenæi l. III. c. 31. fol. m. 224. ſeq.* nec non D. *Danhaueri Chriſteid. Protheor. pag. 44.*

§. 3.

§. 3. *Compendiarias doctrinæ Christianæ, certo tempore controversæ ob hæreticos, confessiones* appello, *partim* propter causam impellentem *partim* ob *materiam & finem.* Nam ut tales Confessiones ederentur, in causa fuerant ἀντιλέγοντες τῇ ἀληθείᾳ h. e. hæretici & Schismatici, populum vel seducentes, vel fidem Christianam turbantes. Ab his igitur, ut discererentur Orthodoxi, sibique caverent à Pseudoprophetis Symbola ejusmodi componi curarunt: scil. ne *tardorum hominum memoria laboraret, ac ut omnis homo posset dicere, posset tenere, quod credit*, verba sunt *August. l. 1. de Symb. & Catech. c. 1. Materia* seu argumenta non sunt omnes articuli seu partes fidei Christianæ, sed tantùm præcipuæ, quæ forte primis Christianismi temporibus ab hæreticis in dubium vocatæ fuerant. Quapropter & apud Orthodoxos *Symbola* non habentur pro *adæquata norma* credendorum, ad salutem æternam necessariorum, quia id contra eorundem scopum est. vid. D. *Calovii Syncretism. Calix. in. Prim. postul. Sect* 1. p. 10. 20. seqq.

§. 4. *Publico nomine edita* ac recepta fuisse tria *Symbola Oecumenica*, historia Ecclesiastica docet. Nam etsi nos non lateat, à privatis privatim edita quoque fuisse Symbola, ut *Greg. Neocæsariensis* contra *Paulum Samosatenum*, & *Hieronymi* ad *Damasum*: tamen nos h. l. de *publicis*, aut saltem *publicè editis* loquimur. Equidem tria adhuc alia Symbola œcumenica *Constantinopolitanum*,

Epheſinum & *Chalcedonenſe* memorantur, quæ Proteſtantes non excludunt aut improbant. Sed quia Romanenſes dicta iam illa priora tria duntaxat in ſolennibus ſacris uſurpare ſolent; ideo oſtendere voluerunt ſe hac in parte ab illis non diſſentire. *Finis* & *Scopus illorum*, ipſo vocabulo notatur: nempe Chriſtianos ſinceros *partim* à gentibus, partim ab hæreticis & Schiſmaticis, ceu ſolenni & vocali teſſera diſtiugvere. vid. *Dannhauer.* l. cit.

CAP. VIII.

DE SYMBOLO APOSTOLICO.

§. 1.

SYmbolum Apoſtolicum vulgo ſic ab autoribus dictum putant. Genebrardus l. III. de Trinit. p. 204. edit. *Pariſ.* 1685. præfractam temeritatem dicit, ſi quis hoc in dubium vocare velit. Verum ſi præcipuum eorum argumentum, quod à traditione Ruffini Aquilſegienſis petitur, videas, ſatis id temere aſſeritur. Quomodo enim Ruffinus, qui ſeculo quarto vixit, ea annotare potuit, quæ ipſo antiquiores patres non allegant? deinde Hieronymus tom. II. opp. f. 221. fidem Ruffino plane derogat, dum ipſum commenta & fabuloſas tra-

traditiones referre scribit. Imo ipse Bellarminus de Scriptor. Ecclesiastic. ad an. 390. Ruffinum in Apologia pro Origine multa mentiri, diserte affirmat. Nec mitius de Ruffino alii doctiores Pontificii sentiunt. vid. Possevini Apparat. Sacr. tom. II. p. 358. it. D. Calovii Syncretis. Calixt. p. 31. seqq. ut & Dannhavv. Christeid. Phænom. IX. p. 394. seqq. Taco alia, quæ doctissimus Vossius dissert. I. de trib. Symb. contra illam inveteratam opinionem proponit. confer. D. Sam. Bened. Carpzovii, Amici mei conjunctissimi, eruditum & moderatum Examen novæ Praxeos à Lojolita Jac. Masenio propositæ p. 166.

§. 2. Sanè, si ab Apostolis hoc Symbolum fuisset confectum, *Lucas* rem memoria dignissimam, in Actis suis non omisisset: nec alii Scriptores ætati Apostolorum propiores, silentio involvissent Symbolum, qui minoris momenti res annotaverunt. (conf. de hujus argumenti negativi auctoritate, *Johannis Launoji Theologi Parisini* Tractat. peculiar.) Imò si Apostoli proposuerunt, quô jure illud Ecclesia augere potuit, addito scil. articulo *de descensu Christi ad inferos*, qui ut ipse *Russinus* in *præf. ad Expos. Symbol.* habet, in illo alias non comprehensus fuerat? Sanè si ab Apostolis pro-

fectum, S. codici, tanquam ſcriptum θεόπνευστον inſerendum fuerit. Præſertim, ſi quod *Baronius ad A. Chr. XLIV. n 17. fol.* 340. *affirmat*, verum ſit, quemlibet ex Apoſtolis ſententiam & dogma peculiare inſeruiſſe & adjeciſſe: *Petrum* dixiſſe: *credo in Deum Patrem omnipotentem*; *Johannem Creatorem cœli & terræ*; *Jacobum*: credo & *in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum*, *Dominum noſtrum*, & ſic de ceteris. Quod tamen juxta ipſum *Jacobum Bajum. l. 1. Inſt. p. 26.* per eſt incertum. Verior igitur erit ſententia Scriptorum, qui id *Apoſtolicum* dici autumant; qui vel ab *Apoſtolicis viris* (quales ante Synodum Nicenam Patres Eccleſiæ nominabantur. vid. *Parckeri de deſcenſu Chriſti ad inferos p. 12.*) vel ex *Apoſtolicis ſcriptis* collectum fuit. De tempore autem, quo conditum, nihil certi affirmare poſſumus. Veroſimile tamen doctis ſit, Nicæno eſſe antiquius. Hinc *B. Danhawerus in Chriſteid. p. 398.* illud ſatis antiquum putat: *Satis* ait, *antiqua eſt illa domus, quæ in primo ſeculo fundata, in ſecundo tertioque exſtructa, in quarto perfecta eſt.* Et quanquam antiquitatis laude præſtet: tamen id olim nec in Græcis, nec in orientalibus Eccleſiis obtinuiſſe, ſed in *Romana*, anno quadringenteſimo, poſt CHR. N. perſonuiſſe; indeque in alias orientis Eccleſias derivatum eſſe. *Voſſius diſſert. 1. §. 24. p. 20.* ſcribit; Græcis interim ac orientalibus *Nicænum* & *Conſtantinopolitanum* uſurpantibus.

§ 3.

§. 3. *Materia* hujus *Symboli*, sunt *capita* sive *articuli fidei*, non quidem *omnes*, sed *præcipui*, qui forte illo tempore ab hæreticis impugnati fuerant, vid. *D. Calovii Disput. cit.* Quanquam etiam *virtualiter*, totius doctrinæ salvifice cognitionem, in hoc Symbolo contineri asseri possit. vid. *B. Dannhaueri Christeid. p.* 399. Hinc diverso tempore adversus exorientes hæreses id auctum fuisse *Remonstrantes in Apolog. c.* 1. *p.* 38. affirmant: clausulam ejus initiò fuisse hanc: *credo in Spiritum* S. & hoc non obscure colligi ex *Tertull. adversus Praxeam*, & ex *Canonibus Synodi Nicenæ*: Sed ad tollendum dubium, *ubi sit Ecclesia?* dein fuisse additum articulum; *credo sanctam Ecclesiam*. Iterum in gratiam *Novati*, additum esse articulum: *credo remissionem peccatorem*; porro in gratiam *hæreticorum resurrectionem corporis negantium* adjectum esse: *credo carnis resurrectionem*; tandem in gratiam *Origenistarum* admittentium resurrectionem corporis, at non ejus, in quo degit anima, annexum esse, *hujus carnis resurrectionem*. Quicquid vero sit de additionibus hisce singulis, id certum est, insignem variationem hoc Symbolum per intervalla temporum expertum esse, vid. *Vossium dissert.* 1. *cit.* §. 31. *ad q.* 43. qui observat, articulum *de descensu Christi ad inferos*, per annos multos in Symbolo hoc non extitisse. Quamquam *descensus* dicti mentionem injiciunt Patres antiqui. vid. *Gregor. Nazianzeni Orat. XLII. in Pascha* 11. *fol. m.* 693.

§. 4.

§. 4. *Brevem* articulorum hujus *Symboli analyſin B. Carpzovius in Iſagog. p. 38. ſequ.* exhibet: Uberiorem contra Syncretiſtarum hypotheſin declarationem, ex noſtro B. *Dannhawero Chriſteid. p.* 400. ſeqq. ad 433. petas. Nos ex *D. Seldii Scrutinio Artic. Fid. fundam. diſp.* IV. adjiciemus *diagramma*, ex quo adparet, omnia ejus capita in V. & N inſtrumenti codice contineri, adeoque S. literis examuſſim congruere.

	Nov. Teſt.	Vet. Teſt.
Credo - -	Rom. IV, 5.	Habb. II, 4.
in Deum - -	1. Cor. VIII, 6.	Deut. VI, 4.
Patrem - -	Matth. VII, 11.	Deut. XXII, 6.
omnipotentem		
Creatorem	2. Cor. VI, 18.	Gen. XVII, 1.
Cœli & terræ,	Act. XIV, 15.	Gen. I, 1.
Et in JEſum		
Chriſtum -	Matth. I, 22. 25.	
	Luc. I, 1.	Dan. IX, 24.
Filium ejus -	Matth. XVI, 16.	Pſal. II, 7.
unicum -	Joh. I, 18.	Zach. XIII, 7.
Dominum noſtrum -	Joh. XX, 21.	Jer. XXIII, 6.
Qui conceptus eſt -	Luc. I, 20.	Jer. XXXI, 22.
De Spiritu S.	Matth. I, 20.	Dan. II, 45.
Natus - -	Joh. I, 14.	Eſ. IX, 6.
ex Maria Virgine - -	Luc. I, 30.	Eſ. VII, 14.

Paſſus

	Nov. Teſt.	Vet. Teſt.
Paſſus - -	Luc. XXIV, 26.	Eſa. L, 6.
ſub Pontio Pilito - -	Matth. XXVII, 26.	Pſal. II, 2.
crucifixus -	Luc XXIII, 33.	Pſal. XXII, 17.
mortuus - -	Rom. V, 6.	Dan. IX, 26.
ſepultus - -	Matth. XXVII, 60.	Eſ. LIII, 9.
deſcendit ad inferos -	Eph. IV, 9.	
Tertia die -	Matth. XII, 4.	Oſeæ VI, 2.
reſurrexit à mortuis.	2. Timoth. II, 8.	Eſa. LIII, 8.
Aſcendit ad cœlos - -	Act. I, 11.	Pſ. LXVIII, 19.
ſedet ad dexteram Patris	Marc. XVI, 19.	Pſ. CX, 1.
unde venturus eſt - -	Act. I, 11.	Dan. VII, 13.
judicare - -	Act. XVII, 31.	Eſ. XLV, 23.
vivos & mortuos - -	1. Cor. XV, 51.	Dan. XII, 2.
Credo in Spir. S.	Joh. XV, 26.	Dan. XII, 10.
Sanctam Eccleſiam -	Eph. V, 26.	Pſ. XCV, 14.
Catholicam, -	Matth. XVI, 18.	Pſal. XXII, 26. 28.
Sanctorum - communionem	Eph. IV, 3.	Exod. XIX, 5.
remiſſionem		

pecca-

	Nov. Teſt.	Vet. Teſt.
peccatorum	Act. X, 43.	Pſ. XXXII, 1.
Carnis reſurrectionem, -	Joh. V, 28.	Eſ. LXVI, 14.
Et vitam æternam - -	1. Petr. I, 4.	Pſ. XVI, 11.

§. 5. *Finis* hujus *Symboli* non eſt *adæquatam & perfectam Fidei Chriſtianæ normam exhibere*; ſed ſi ſcopum reſpicias autorum, epitomen doctrinæ proponere, ut ſimpliciores memoriæ imprimerent, ac à falsâ fide, quam hæretici tradiderant, ſibi caverent; adeoque in promptu haberent ſemper, quaſi vocalem teſſeram, qua à perverſis diſcernerentur, *conf. Dannh. Chriſteid. p.* 399.

§. 6. *Hoc Symbolum* hodie Syncretiſtæ pro adæquata norma fidei Chriſtianæ habent, adeò, ut ſi quis illud profiteatur, pro fratre in Chriſto haberi debeat. Ita *Walenburgii* & alii inprimis Remonſtrantes ſentiunt. *conf. Azorii Jeſuitæ Inſtit. Moral. Lib. VIII. c. 5. q. 1.* & *Carpzovii noſtri* ſupra laudatum *Exam. nov. Prax. p.* 1152. Verum ut falſum & ſubdolum hoc ſit poſtulatum, *D. Calovius in Syncretiſmo cit. prolixe docet. B. Dannhawerus* eandem hypotheſin tum in *Sigalione*, tum in ſcripto Elenchtico im wohlverdienten Schul-Rechte, adverſus *D. Borthenium* (*ſeu Reinbothium*) *pag.* 238. ſubruit, ubi *Symbolum Apoſtolicum in ſenſu* Eccleſiæ *orthodoxæ*; dein in ſenſu *Papæo*, & tandem in ſenſu, uti vocari volunt; *Reforma-*

formatorum exhibet. Unde collatis unius Symboli diversis explicationibus, adparet, δις διὰ πασῶν tres magnas in Europa Religiones etiam quoad sensum hujus Symboli differre. Edidit quoque Anonymus Socinianus (qui *Jonas Schlichtingius* est,) Symbolum Apostolicum, nostrum qua voces, suum qua sensum. Sed si voces sufficiunt, Syncretistarum fuerit, etiam Socinianos in fraternitatem suam recipere.

§. 7. Jesuitæ in Hispania & Anglia, *Symbolum* hocce *Apostolicum* quam nefarie depravarint, tradit *Alphonsus de Vargas Toletanus*, (quem ferunt esse *Casparum Scioppium*,) in *Relatione* de *Stratagematis & Sophismat. Societatis anno* 1636. excusa, cap. 49. seq. Blasphemæ illorum paraphrasi parallelum fere est *Jesuiticum* fidei *Symbolum ex Joh. Baptistæ Pozæ* libris conflatum, unaque cum documentis necessariis ab Hispanicarum Academiarum procuratore S. Inquisitionis consilio Madriti exhibitum, & ad sacrosanctum Romanæ Inquisitionis tribunal deportatum *à Francisco Roales, Theologo Salmanticensi & Catholici Hispaniarum Regis Sacellano.* Nisi impiis ac blasphemis vocibus scateret, heic transcriberem. Sed præstat nescire impietatem, quam scire, ut scandalum inde petatur noxium.

§. 8. Ut vero pateat omnibus, quantum nostra Religio à reliquis in Europa maxime notis, quoad sensum Symboli Apostolici distet; visum est,

heic

heic inſerere ſupra laudati Viri, *D. Dannhaweri*, tabulas, queis diſcrimen (ut vocant,) *trium magnarum Religionum* loculenter ſatis exponit. His addimus *quartam & quintam tabulam*, quarum priorem de *Arminianiſmo*, non ita pridem in gratiam ſtudioſorum, *venerandus noſter D. Scherzerus*, ſingulari ſtudio & curâ compoſuit: alteram ex ejusdem *Collegio Anti-Sociniano*, & D. *Calovii Socinianiſmo profligato*, *Socinianiſmum* continentem ego priva operâ adjeci, ſpe fretus, fore rem ſtudioſis non ingratam aut inutilem.

TABULA I.

Symboli Apoſtolici in ſenſu Eccleſiæ Orthodoxæ.

EGO, pridem nihil, natura filius iræ, a) vacuus metu & fiducia erga DEUM, b) EGO orbus, non ſolum à DEO *averſus*, ſed & *adverſus* DEO, c) perſvaſus ore Domini, quod inſcripturis verè Canonicis reſonat d) tanquam fidei unica regula ac normâ e) CREDO, agnoſco, aſſentior, apprehendo, fiducialiter ad me traho, meum facio: f) IN DEUM eumque ſolùm, exclu-

a) Aug. Conf. art. 2. Form. Conc. p. 9. 10. & 640. b) Apolog. Conf. art. 2. p. 52. c) Epit. art. 3. de liber. arbitr. n. 2. n. p. 579. D. Mylius in A. C. p. 250. a. & 247. a. D. Menz. Exeg. art. XIIX. d. 765. ſeqq. d) Hutt. in F. C. p. 2. e) Epit. p. 573. f) Form. Conc. p. 585. Apol. Aug. Conf. art. 4. de juſtif. in reſpon. ad argumenta adverſariorum. Declaratio p. 701.

Digitized by Google

excluſo quovis alio extra ipſum, Angelis in cœlo & g) Sanctis, h) UNUM ſimpliciſſima puriſſimaque eſſentiæ unitate i) TRINUM: perſonis, nec eſſentialiter, nec ratione tantum, ſed realiter inter ſe differentibus: k) PAREM, qui à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus: l) *Patrem* affectu voluntate antecedanea, miſericordi, & efficaci in omnes, m) at voluntate conſequente, finaliter credituros in Chriſtum, ad hæreditatem cœleſtem prædeſtinantem: n) OMNIPOTENTEM: o) CREATOREM COELI ET TERRÆ ſc. ex nihilo, inviſibiliſium ac viſibilium, p) mali nulatenus autorem. q)

g) Art. Smalk. part. 2. art. 2. h) Apolog. art. 21. p. 224. D. Pappus p. 257. ſeq. Myl. p. 289. & 292. i) Artic. Smalk. art. 1. D. Pappus in Aug. C. p. 17. Myl. p. 15. a. D. Menzerus Exeg. p. 28. k) F. C. p. 8. D. Papp. in A. C. p. 25. 19. ſeqq. Myl. p. 17. 18. 19. Menz. p. 32. l) Aug. Conf. art. 1. F. C. p. 9. & 303. m) F. C. 619. 805. Myl. in A. C. p. 192. a D. Menzer. Exeg. Art. VII. p. 310. n) F. C. p. 69. 620. 814. 815. 618. 619. 807. 808. 815. 821. D. Menz. Exeg. p. 311. o) D. Pappus in A. C. p. 18. Myl. p. 15. a Menz. p. 30. p) F. C. p. 73. q) A. C. art. 19. F. C. p. 15. & 639. Myl. p. 258. a. 267. C. 260. a. D. Menz. Exeg. art. 19. p. 792. ſeqq.

EGo fatens in naribus divinis, ſub dominio Satanæ conſtitutus, a) vinculis peccati attentus, b) in ſalutis viâ, ex propriis meis, & poſt lapſum reliquis viribus planè cœcus, impos, mortuus e)

a) Epit. p. 594. b) Declaratio p. 640. Hutt. in F. C. p. 29.

tuus: c) CREDO IN JESUM CHRISTUM, verum DEUM ex ſubſtantia Patris ante ſecula genitum, d) & Hominem, qui hanc ipſam carnem noſtram aſſumſit, e) nobis factus ὁμοούσιος f) ſuſpitatorem, mali averſorem, fontem ſalutis, quam acquiſivit oblatione ſui ipſius g) in victimam univerſalem, quæ ſingula hominum individua redemit, pro totus mundi peccati, juſtitiæ læſæ ex aſſe ſatisfaciens, h) expiatoriam non tantum culpæ originalis, ſed etiam omnium actualium peccatorum, i) Meritoriam, implendo legem, à cujus maledictione jam ſumus liberati: k) JESUM UNUM, non plures, l) in quo ſumma unio, eaque non παρασατικὴ, cujus ratione duæ naturæ in uno quidem tertio conveniant, neutra tamen cum altera perſonaliter quicquam commune habeat: m) Naturarum non exæquativa, n) ſed περιχωρισικὴ, qua duæ naturæ ἀχωρίστως, ἀσυγχύτως, ἀδιαστάτως unitæ, ut λόγος nullibi ſit extra carnem,

& 73. c. Epitom. p. 599. Declaratio p. 657. ſeqq. Hutt. in F. C. art. 2 p. 140. d) F. C. p. 4. D Pappus in A. C. p. 23 Mylius p. 11. a. & p. 446 Menzerus Exegeſ. p. 90. & 92. e) Epit. art. 2. n. 2. Declaratio p. 648. f) Hutt. in F. C. art. 1. p. 33. D. Pappus in A. C. p. 41. Myl. in eandem pag. 46. Menzerus *Exeg.* p. 101. g) F. C. p. 493. 494. h) Epit. p. 10. i) Auguſt. Confeſſ. art. 3. Hutt. in F. C. art. 1. p. 41. k) Epit. p. 595. Declaratio p. 717 18. Hutt. in F. C. p. 490. ſeqq. l) Menzer. Exeg. p. 105. m) F. C. pag. 906. 607. D. Pappus l. c. p. 43. Menzer. p. 134. n) F. C. p. 610. D. Pappus

nem. o) Hinc Κοινωνία idiomatum *vel reciproca* ad perſonam, qua realiter, h. v. vere & reipſa utriusque naturæ proprietates, in perſona Chriſti communicant p) *vel non reciproca ad naturam* axiomatum divinorum q) majeſtatis & gloriæ, virtutis & potentiæ divinæ: r) Κοινωνία Majeſtatis s) Omnipotentiariæ ac infinitæ cœlo terraque ſuperioris: t) Non ejus, quæ media eſt inter omnipotentiam DEI & inter aliarum creaturarum potentiam, ſed abſolute talis: u) Omniſciæ, x) Judiciariæ, y) Cultus adorationis: z) Κοινωνία denique operationum fluentium à perſona θεανθρώπε operoſa in, cum, ſecundum atque per utramque naturam, ita concurrentium ad unum apoteleſma, ut utraque natura agat, quod ſuum eſt, cum communicatione alterius aa) MEDIATOREM, cui tot veterum deſideria, tot ſacrificia, tot promiſſa præluſerunt Univerſalem & ſecundum utramque naturam bb) UNICUM cc) DOMINUM NOSTRUM jure redemptionis; dd) qui CONCEPTUS EST ſine virili opera à SPI-

 RITU

p. 57. o) F. C. p. 7. 62. Hutt. art. in p. 35. Pappus p. 58 p) Menzer. Exeg 106. q) Myl. p. 50. b. 55. a. r) Epit. art. 8. p. 607. Declaratio p 775. Pappus in A. C. p. 59. ſeqq. Myl. p. 58. b. Menzer. Exe. p. 180. s) Menzer. Exeg. p. 111. t) Declar. p. 774. ſeqq. u) Menzer Exeg. p. 42. x) F. C. p. 606. y) Epit. p. 611. D. Pappus p. 51. z) Apol. l. 1. c. 2. p. 46. Pappus p. 52. aa) F. C. p. 766. Myl. p. 232. bb) F. C. loc. cit. D. Pappus p. 58. cc) F. C. p. 773. dd) Epit. p. 383. declaratio p. 82. Hut-

RITU Sancto, ee) Natus ex MARIA Deipara, ff) PASSUS realiter ſecundum humanitatem, non ſolam, quaſi filius Dei in paſſione nullam prorſus eum humanitate communicationem habuerit, gg) ſed juxta proprietatem humanæ naturæ, quam in unitatem Divinæ ſuæ perſonæ aſſumſit, verè paſſus eſt filius Dei: CRUCIFIXUS ſupplicio crudeliſſimo, conſequenter profundiſſimè exinanitus, abdicato Majeſtatis ſibi communicatæ uſu plenario; hh) MORTUUS ſecundum humanitatem, non ſolam, ii) quanquam verè κατὰ δόκησιν ἢ Φαντασίαν: kk) integrâ nihilominus manente unione perſonali: ll) Morte ἱλαστικῇ pro peccatis totius mundi: mm) ET SEPULTUS, DESCENDIT AD INFERNA totus λόγος, animâ corpori redunitâ nn) deſcenſu reali, proprio, triumphatorio. oo) TERTIA DIE RESURREXIT A MORTUIS in carne qualitatibus immutatâ glorioſa ſpirituali, (pp) propria virtute. (qq) ASCENDIT AD COELOS beatorum, quibus non ita incluſus eſt, ut nullo prorſus modo ſimul eodem tempore, plu-

ribus

terus in F. C. p. 278. ee) art. Smalk. part. 2. art. 1. ff) art. Smalc. part. 2. art. 2. gg) ibid. art. 4. hh) F. C p. 607. ii) ibid. p. 607 & 611. kk) F.C. p. 767. Myl. 79. a. ll) Menzerus Exeg. 139. Pappus p. 42. Mylius p. 80. b. mm) idem ibid. p. 56. a. nn) Menzerus Exeg. p. 42. oo) Epit. p. 607. pp) D. Pappus in A. C. p. 70 Mylius in eandem p. 82. a Menzer. Exeg. p. 117. qq)

ribus locis in terra præsens esse possit: rr) SEDET AD DEXTRAM DEI PATRIS OMNIPOTENTIS. Is qui ascendit θεάνθρωπος ad dextram omnipotentis majestatis & virtutis, secundum humanam naturam ss) neque tamen localiter, tt) jamque non tantum ut Deus, sed etiam ut homo, omnia cognoscit, omnia potest, & omnibus creaturis substantialiter præsens est, omnia, quæ in cœlis, in terris & sub terra sunt, sub pedibus suis, & in manu sua habet: uu) Idque præsentia universali, qua omnibus, creaturis humanitate sua præsentissimus, præsentia non locali expansiva, quæ ne divinæ quidem naturæ est tribuenda; xx) sed substantiali præsentia gratiosa, qua in nobis habitat, yy) qua etiam verè & substantialiter adest corpus & sangvis eius in S. cœna, zz) & verè exhibentur cum his rebus, quæ videntur pane & vino. aaa) INDE, è cœlo sc. beatorum, visibili ἐπιφανείᾳ VENTURUS est, in gloria patris bbb) JUDICARE, etiam secundum humanam naturam judicio omniscio ccc) VIVOS ET MORTUOS.

F. C. p, 602. Pappus p. 71. rr) Myl. p. 81. b. ss) Epit. art. 7. p. 603. Myl. p. 841. & 855. tt) Epit. p. 638. Myl. p. 86. b. uu) Pappus p. 53. & 56. xx) F. C. p. 568. yy) Epit. art. 7. de Pers. Christi p. 610. 611. zz) Apolog. art. 10. p. 158. Menz. exeg. p. 146. aaa) ibid. Apol. p. 157. & 178. bbb) Apol. art. 17. p. 215. Menzer. Exeg. 146. p. 119. ccc) ibid. Myl. p. 232.

Digitized by Google

CREDO, ego omnium divinorum hostis nauseans ex malo congenito omnia spiritualia, consequenter ex propriis rationis meæ viribus, Christo DEO meo fidere nescius, omnia gratiæ cœlesti debeo a) agnosco, assentior, apprehendo, CREDO IN SPIRITUM SANCTUM. Verum DEUM b) Sanctificatorem c) fontem *Gratiæ*, quæ superabundat, d) qua omnem nostrum conatum, omne studium, gratioso influxu prævertit, e) resistibilis, f) amissibilis, g) in omnes homines æqualis h) sorte vocationis Universalis i) seriæ: Credo k) ECCLESIAM, quam constituunt vere credentes & justi, sparsi per totum orbem, l) vel sensibilem, quæ habet externas notas, vt agnosci possit, videlicet puram Evangelii doctrinam & administrationem Sacramentorum, m) vel insensibilem fidelium & Electorum, quæ tanquam flos Ecclesiæ, in fide constanter ad finem usque perseverat: n) SANCTAM hostia sacrosancti sanguinis Christi, per fidem imputati; o) CATHOLICAM

a) Catechism. Minor. Luther. art. 3. Symb. Apostol. b) Menzer. Exeg. p. 37. c) Hutter. in F. C. p. 156. seqq. d) Epit. p. 566. Declar. p. 819. & 724. e) Hutter. in F. C. p. 171. f) F. C. p. 587. Declar. p. 677. Hutter. art 2. p. 61. g) Apol. de justit. p. 71. F. C. p. 587. h) Hutter. art. 2. p. 164. seqq. i) F. C. p. 613. 894 807. 808. k) F. C. p. 805. l) Apol. art. 7. p. 148. Myl. l. c. p. 123. m) Apol. art. 7. de Eccles. p. 145. D. Pappus p. 118. Menz. Exeg. m. VI. p. 294. seqq. n) Apol. p. 144. Pappus p. 102. D. Menzer. art. 7. p. 291. o) art. Smalk. p. 335.

Digitized by Google

CAM loco & tempore. p) SANCTORUM, ſanctitate tum imputata, qua meritum Chriſti nobis imputatur, q) tum inchoata, qua ſubinde creſcunt motus ſpirituales, notitia, timor ſpes & dilectio. r) COMMUNIONEM non tantum *externam*, in Verbis Sacramentorum, rituum, profeſſionis, converſationis ſocietate poſitam, ſed vel maxime *internam*, fidei & dilectionis, de quo, copulandis pluribus Eccleſiæ membris inter ſe, vinculo Paulus loquitur. s) eine heilige Gemeine, oder eine Gemeine der Heiligen: t) REMISSIONEM PECCATORUM, conſequenter juſtificationem, per juſtitiæ Chriſti, u) obedientia tum activa, tum paſſiva acquiſitæ x) imputationem y) tectionem: abſolutionem a peccatis & peccatorum ſuppliciis z) gratuitam, aa) excluſis meritis, operibus legis, etiam a juſtificato factis, bb) excluſa etiam juſtitia infuſa & inhærente cc) quæ juſtifi-

part. 3. art. 12. Hutter. in F. C. art. 1. p. 49. D. Pappus in A. C. p. 130. ſeqq. Mylius p. 125. b. b) Apol. p. 148. Menzer Exeg. p. 2. 97. q) Apol. p. 134. r) ibid. artic. de dilect. & implet. legis in reſponſ. ad argum. adverſ. p. 134. Menzer. art. VII. p. 2. 92. 294. s) Apolog. 104. t) Cathechiſmus Major Lutheri p. 498. 490. u) Apol. 192. x) F. C. p. 685. y) ibid. p. 385. Menzer. Exeg. art. 4. p. 171. 209. ſeqq. z) Hutter. in F. C. art. 3. p. 270. ſeqq. aa) Apol. de juſtif. p. 69. Myl. p. 96. a. bb) Apol. p. 93. & p. 116. D. Pappus p. 78. Mylius p. 115. a. 287. 252 b. Menzerus Exeg. art. 4. p. 173. & 179. ſeqq. 213. cc) Apol. art. de dilect. & impl. legis p. 120.

cationis fructus est non forma, dd) sola fide apprehendendam, ee) operosa post actum justificationis, & efficaci per Charitatem. ff) CARNIS RESURRECTIONEM, illius carnis, quæ per mortem cecidit, quam nunc circumferimus gg) ET VITAM ÆTERNAM, prorsus gratuitam. hh)

dd) Hutterus p. 283. seqq. Apol. p. 101. & 102. Pappus p. 93. seqq. Myl. p. 88. b. Hutt. art. 5. p. 453. Menzer. p. 178. 181. seqq. ee) Apol. A. C. p. 165. Myl. p. 184. b. ff) Epit. art. 3. n. 8. p. 584. Menzer. art. 6. p. 266. sqq. & 277. gg) Epit. art. 2. n. 2. p. 574. Myl. p. 223. 233. hh) Epit. p. 92. Apol. p. 135. Menzer. Exeg. p. 315.

TABULA II.

Symboli Apostolici in sensu Papæo.

CRedo, a) solo assensu, persvasus verbo divino (b) æque non scripto ac scripto (c) in Cano-

a) Solo assensu ignorans licet, fide implicita contentus Bellarm. l. 1. de justif. c. 7. Tolet. l. 4. c. 3. fine fiducia speciali, ac appropriante Concil. Trident. sess. 9. can. 12 Bellarm. l. 1. de justif. c. 5. Tanner. Tom. 2. disp. 6. dub. 3. num. 56. b) Conc. Trident. sess. 4. decret. 1. Catech. Rom. præfat. q. 12. Canis. oper. catech. c. 1. p. 22. Bellarmin. l. 4. de V. D. c. 3. Canus l. 12. loc. p. 567. Tanner tom. 1. disp. 1. q. 5. dub. 1. num. 5. c) Concil. Trid. sess. 4. decret. 1. Bellarm. l. 1. V. D. c. 4. Agenda Colon. p. 384. Bec. Th. Schol. de script. c. 3. q. 1. n. 3. fol. m. 296.

Digitized by Google

Canone Tridenti designato, d) in latina vulgata expresso, per e) *Ecclesiam* Romanam præsentem intimato, illuminato f) παποπιύςω in *DEUM* g) Divosque sanctos cœlites. *Patrem omnipotentem*, providum h) præterminatorem etiam mali juxta Thomistas, adeoque auctorem peccati; i) im-

D 5 mise-

manual. l. 1. c. 1. q. 1. n. 3. d) Concil. Trident. l. c. Bellarm. l. 2. de V. D. c. 10. conf Gretser. in defens. l. cit. e) Agenda Col. p. 383. Bellarm. l. 2. de Sacram. c. 25. Tann. tom. 3. disp. 1. q. 5. dub. 1. Bellarm. l. 3. de V. D. c. 3. Greg. de Valent. tom. 3. disp. 1. q. 1. punct. 7. Gord. Huntlæ. controv. 1. c. 3. Canis. p. 42. Th. Henrici anat. A. C. p. 309. 320 f) Bellarm. l. 4. de R. P. c. 1. 2. 3. Colloq. Ratisbon. sess. 1. p. 35. Tanner. disp. 1. q. 4. dub. 1. Greg. de Valent. tom. 3. punct. 1. n. 6. Gretser. tom. 1. defens. p. 1450. Canus l. 5. loc. c. 5. g) Deosque sanctos cœlites, Angelos, Agenda Colon. p. 373. dulia quidem ut ajunt, sed religiosa, ea religione, quæ soli Deo debetur, religione sc. sacrificii (labiorum) & juramenti. Becan. tom. 1. opusc. 14. c. 22. Drexel. in horol. tutel. p. 33. Stengel. de S. Gabriele p. 133. 128. sanctas animas hominesve ἀποθεώσει (quam agnoscunt Serar. in litan. l. 2. q. 13. Forer. Antanatom. sect. 8. p. 111.) consecratos, colendos religione latriæ extrinsecæ. Tanner. tom. 3. disp. 5. dub. 2. num. 60. & interpretativæ, dum eis sacrificia (labiorum) decernuntur Bellarm. l. 1. de S. beat. c. 19. & juramenta Tolet. l. 4. instruct. Sacerdot. c. 20. Quo fiducia in Sanctos pertinet Bellarm. l. 1. de S. beat. c. 20. Corn. a Lap. ad Phlem. v. 4. De ἀποθεώσει B. Virgnis alibi agetur. h) Auctorem peccati, agnoscente consequentiam, Tann. tom. 1. q. 1. dub. 1. præmissas formant Bellarm. l. 2. de amiss. grat. & statu peccat. c. 13. Didacus Alvarez. l. 3. de auxil. grat. disp. 18. & 24. i)

misericordem, cujus k) voluntas in homines beandos sufficiens sit in omnes, sed efficax & congrua particulariter in solis absoluto decreto prædestinatis: inefficax & incongrua in absoluto decreto reprobatorio: *Creatorem cœli terræque*, ac in terra hominis, naturæ primævæ sorte & l) peccabilis m) & mortalis.

Immisericordem, qui tot millia innocentum ad æternas pœnas ex mera puniendi libidine destinant: antecedens porrigit assertio de Infant. ante baptismum mortuis ad pœnam damni æternam reprobatis. Consequentiam vidit Becan. t. 1. opusc. 3. c. 14. k) Bellarm. l. 2. de grat. & lib. arbitr. c. 9. 12. 16, Tanner. t. 1. dis. 2. q. 10. dub. 4. n. 9. disp. 3. q. 6. dub. 2. q. 4. dub. Corn. à Lap. ad Epist. Jacob. p. 102. & in synops. doctr. prædest. p. 159. Suarez. de auxil. grat. l. 3. c. 17. q. 9. dub. 2. 4. l] Bellarm. l. de grat. prim. hom. c. 2. Moguntini animadv. Anti-Becan. Crocii Controv. 14. sect. 1. m] Bellarm. l. cit. c. 6. Becan. tract. 5. theol. scholast. c. 4. q. 1. n. 3.

Credo in JESUM CHRISTUM &c. a) non unum

a[Divisum in se, quia λόγος extra carnem Bellarm. l. 3. de Incarn. c. 17. Becan. manual. l. 2. c. 1. n. 24. quia carni idiomata divina non sunt communicata. Bellarm. l. de Christ. c. 6. Busæ disp. de pers. Christ. ann. 1583. th. 14. Corn. à Lap. ad Joh. 3. p. 297. Becan. theol. schol. de Christo, q. 3. c. 7. quia sola humanitas est mediatrix, Bellarm. l. 5. de Christ. c. 1. Gretz. in defens. Bellarm. tom. 2. p. 352. Tanner. Tom. 4. disp. 1. q. 7. dub. 3. n. 46. quia non una adoratione Immanuel adorandus est, sed ejus Deitas λατρεία, humanitas hyperdulia Bellarm. l. 1. debeat. S. c. 12. Tanner, tom. 4. disp. 1. q. 7. tom. 3. disp. 5. q. 2.

num, ſed diviſum in ſe, b) indiviſum ab alio JESU: Mediatorem c) imperfectum, ἡμιλυτρωτὴν, particularem: *Filium Unigenitum natum, &c. paſſum, crucifixum, mortuum, ſepultum* d) ſola humanitate, e) qui *deſcendit ad inferos* ſola anima, ut liberaret Patres e Limbo, *aſcendit* ad ſummum f) Cœli Empyrei locum, g) *ſedet ad dextram Patris Omnipotentis*, humanitate per accidens ſolum una cum Rege exaltata inſtar purpuræ regiæ, *inde venturus &c.*

Credo

dub. 2. b) Indiviſum ab alio Ieſu, qui totuplex eſt, quotuplex objectum fiduciæ tale eſt B. Virgo cum choragio omnium cœlitum Bellarm. l. 1. de beat. S. c. 20. l. 1. de indulg. c. 4. in fine. Tale merita humana Conc. Trid. de juſtif. can. 3. in quibus fiducia collocanda eſt, Bell. l. 5. de juſtif. c. 7. §. prima propoſit Tale ſatisfactiones humanæ Concil. Trident. c. 10 de oper. ſatisf. Tanner. tom. 4. diſp. 1. q. 2. dub. 2. num. 50, tale ſuffragia, & miſſatica ſacrificia Concil. Trident. ſeſſ. 9, Talis juſtitia infuſa, imputativæ oppoſita. c) Imperfectum, ac ἡμιλυτρωτὴν, ut, qui mortis æternæ nullum guſtum perceperit, ſeu pro nobis non paſſus fuerit pœnam inferni. Bellarm. l. 4. de Chriſt. anim. c. 8. Grerſer in defenſ. p. 264. Forer. bell. ubiqv. p. 203. nec mortuus fuerit pro omnibus ac nominatim pro infantibus ἀβαπτίστοις Becan. theol. ſcholaſt. de prædeſt. c. 15. q. 8. d) Bell. l. 3. de Chriſt. c. 9. Benedict. Juſtin. in Epiſt. Joh. p. 146. e) Bellarm. l. 4. de anim. Chriſt. c. 12. Tanner. tom. 4. diſp. 2. q. 3. dub. 3. n. 69. Catech. Rom. p. 48. & 59. Caniſ. oper. Catech. p. 18. f) Tanner. tom. 4. diſp. 2. q. 3. dub. 5. n. 118. Gorn. à Lap. ad Eph. p. 507. Gretſer. tom. 2. defenſ. p. 135. g) Bellarm. l. 3. de Chriſto c. 15.

Digitized by Google

Credo Ego ſc. quoad concupiſcentiam in actu primo conſideratam, a) inculpabilis, b) prædi-tus potentia activa liberi arbitrii eadem, quæ fuit ante lapſum, ad ſervanda præcepta inclinante ante gratiam ad opera ſupernaturalia, actuanda per gratiam excitantem, cooperatrice cum gratia in actibus ſupernaturalibus: *in Spiritum Sanctum*, c) ſanctificantem per juſtitiam non imputativam, ſed infuſam; *Eccleſiam* non ſolum militantem & triumphantum, ſed & d) laborantem in purgatorio: Eccleſiam Romanam (e) matrem & Magiſtram omnium Eccleſiarum, f) ſolam verâm, extra quam non eſt ſalus, g) ſignatam ſedecim notis, h) ſemper ac neceſſario viſibilem, i) indeficibilem; ita tamen, ut comprehendat ſuo ſinu etiam k) graves, manifeſtosque peccato-

a) Inculpabilis. Becan. l. 1. manual. c. 17. b) Concil. Trident. ſeſſ. 6. c. 1. 4. 5. Bellarm. l. 5. de grat. & lib. arb. c. 5. l. 6 c. 15. Caniſ. p. 749. Tann. tom. 2. diſp. 6. q. 3. n. 79. & n. 129. Coſter. enchirid. p. m. 207. c) Caniſ. oper. Catech. p. 29. Bellarm. de purgat. c. 1. d) Concil. Trid. ſeſſ. 7. can. 3. & alibi Bellarm. l. 4. de Pontif. Rom. c. 4. e) Sanctificantem & juſtificantem per juſtitiam non imputatam, ſed infuſam. Concil. Trid. ſeſſ. 6. can. 11. Bellarm. l. 1. de juſtif. c. 2. l. 1. de grat. & lib. arb. c. 3. Coſter. enchirid. de juſtif. Tanner. tom. 2. diſq. 6. q. 5. dub. 1. f) Caniſ. p. 26. g) Bellarm. l. 4. de Eccl. c. 3. h) Bellarm. l. 3. de Eccl. c. 2. Caniſ. p. 139. Becan. l. 1. man. c. 2. i) Catech. Rom. part. I. p. 83. Caniſ. p 139. Bellarm. l. 3. de Eccleſ. c. 13. l. 4. de R. P. c. 4. k) Ca-

Digitized by Google

catores, hypocritas, hœdos: *Catholicam*, contentam l) sub vno capite visibili Pontifice *Romano*. *Communionem Sanctorum* extra hanc vitam, m) invocandorum: *Remissionem* n) radicitus peccati delectricem o) incertam, p) *peccatorum* mortalium. Carnis resurrectionem, & vitam q) meritis debitam, æternam.

tech. Rom. p. 78. Bellarm. l. 3. de Eccl. c. 2. & 9. Forer. part. 1. antiq. papat. l. 1. c. 2. p. 47. l) Catech. Rom. l. de R. P. Agenda Colon. p. 383. Quali & quanto, videndus Bzovius l. de R. P. m) Bellarm. l. de cult. Sanct. & purg. n) radicitus delectricem, Tanner. tom. 2. disp. 6. q. 5. dub. 1 Becan. de justif. c. 3. o) incertam Bellarm. l. 3. de justif. c. 2, 3. l. 2. de purg. c. 4. in gemitu columb. l. 2. c. 11. Corn. à Lap. Joh. 3. p. 510. tom. 2. disp. 6. q. 4. dub. 5. p) nam minora peccata per se sunt venalia ex natura sua, Bellarm. l. 1. de amiss. grat. c. 11. 12. Becan. l. 1. manual c. 4. & theol. scholast. c. 2. q. 1. q) meritis debitam Concil. Trid. sess. 6. 5. 32. Bellarm. l. 5. de Justific. c. 1. 3. de R. P. c. 23. Tanner. tom. 2. disp. 6. q. 6. dub. 1. seq.

Tabul. III.

Symboli Apostolici in sensu Reformatorum.

CREDO persvasus lumine verbi divini, solos electos illuminante (a) ἀέργῳ ac otio-

a) Beza ad Matth. 13. p. 28. Withack. disp. de S. Script. c. 3. q. 3. Rivet. Isag. 6. 3. p. 20. Wendel. prolog. c. 2. p. 13. Grot. Antib. tom. 2. p. 131. & p. 140. Bisterfeld. l. 1.

Digitized by Google

otioso b) ἀσυμφώνῳ, quod voluntati divinæ interiori, quam decreti appellant, contradictorie est oppositum: Nolo mortem peccatoris: c) Volo mortem peccatoris sub rationis judicis normantis Magisterio, d) EGO, si electus, nam hujus duntaxat est fides vera e) in Deum, Deitate mutabili, f) Auctorem peccati, g) PATREM Electorum; nam aliorum duntaxat creator est: h) Quia absoluto decreto,

contr. Crell. sect. 3. & 1. p. 361. b) Helvet. Synodale ad artic. 3. & 4. th. 2. p. 149. Gryneus præfat. in Joh. conf. testimonia adducta à D. Hunnio in διατυπώσει p. 539. c) Piscator in Apol. ad Con. Forstii parsc. p. 58. p) Urlin. Explic. catech. de Cœna D. p. m. 166. Piscator ad Luc. 24 Lehr 7. p561. Keckerm. System. Theol. l. 3. sect. 2. c. 9. l. 1. c. 4. Coccej. ad 2. Tim. 3. p. 15. Vedel. Ration. Theol. p. 72. Masson. part. 1. anatom. c. 12. e] Quod aliqui in tempore fide à Deo non donantur, id ab æterno ipsius decreto provenire statuit Synod. Dordr. cap. 1. art. 6. f) Masson. part. 1. Anat. c. 25. part. 2. p. 955. 973. 980. g) Quod ut clara testimonia a nostratibus collecta non commemorem, ex praedeterminationis antecedaneæ ac irresistibilis doctrina, sequitur necessario. Quicquid enim fit ex prædeterminatione divinâ, antecedaneâ ac irresistibili, id fit a Deo causaliter; At lapsus Adæ e. g. hunc in modum factus est, Masson. part 3. anat. p. 362. Sic etiamnum utitur Diabolis, omnibus peccantibus hominibus tanquam instrumentis, ut quicquid illi male agunt, id ipse juste prædeterminârit. Harm. confess. sect. 7. Dei provid. p. 62. De syncretismo Papæo hac quidem re gloriantur Rivet. in Cathol. Orthod. p. 358. Maresc. in Antichr. Revel. l. 2. c. 1. h) Chamier tom. 3. panstrat. l. 7. c. 7.

creto alios ad vitam elegit, alios ad mortem reprobarit: i) *absoluto* inquam omnem antecedaneæ conditionis respectum excludente, k) imprimis fidei: l) *reprobarit*, inquam reprobatione, cujus causa summa gloria DEI: non peccatum & infidelitas, quæ salva scriptura dici non possunt causa reprobationis; sed beneplacitum DEI, sive liberrima & justissima ejus voluntas, m) OMNIPOTENTEM, eorum, quæ rationis judicio contradictionem non involvunt, n) CREATOREM COELI & TERRÆ, h. e. cœlestium creaturarum, Angelorum, cum lapsus periculo factorum, o) terrestris HOMINIS, quem labilem fecit. p)

106. Syntagma Confess. Genevæ editum art. 12. p. 95. Synod. Dordr. sess. 136. p. 341. Pareus Irex. p. 262. & dub. 8. cap. 9. Rom. arg. 5. l. 3. institut. c. 12. 22. Piscator disp. de prædest. th. 3 i) Trigland. Medit. de Vol. Dei p. 166. k) Pareus ad c. 9. Rom. arg. dub. 5. 16. Wendelin. Theol. Chr. p. 116. l) Chamier tom. 3. l. 8. c. 8. §. XI. p. 117. m) Synod. Dordr. p. 514. 561. 571. 572. n) Calvin. l. 4. instit. c. 17. n. 16. Cham. l. 2. c. 12 num 58. l. 9. de Corp. Christ. c. 11. Ursin. Cathechis. p. 168. Joh. Crocius part. 2. convers. Pruten. c. 7. & 206. Orth. Consensus. p. 6. p. 115. Walæus p. 988. o) Bucanus l. 6. de Angelis q. 30. p) Maresi. l. 2. Antichr. Revel. c. 1. p. 15.

ET IN JESUM CHRISTUM Salvatorem merito electionis decretum non ingrediente, a) sufficiente quidem in se, at efficaci quoad solos ele-

a) Synod. Dort. in judic. Extr. p. 39. & 80. p. Trigland. Medit. de Trina gr. p. 274. 276. c. Catech. Heid. q. 48.

electos. b) JESUM non Unum, in quo Unio Naturarum talis, ut λόγ@. sit ultra & extra carnem, c) cum caro Christi semel unum tantum locum occupet, d) per sustentationem, e) prædicationem synecdochiam ut & tropicam exprimenda. f) Unio inquam, absque reali tum hypostaseos, g) tum proprietatum communicatione & κοινωνίᾳ h) qualis proprietates sunt, Majestas omnipotentiæ, quæ non communicata carni Christi, i) sicut nec omniscientia, k) Virtus vivifi-

p. 23. Admon. Neust. p. 79. &c. 8. p. 269. L. Grot. Apol. disp. 13. p. 377. Joh. Maccov. Colleg. de Mediat. Christ. disp. 5. 211. Wendel. lib. 1. Theol. Chr. c. 16. p. 166. Beza in colloq. Montisb. p. 321. Martin. in Menz. Antin. c. 2. p. 35 & c. 11. p. 154. Synt. Confess. part. 2. c. 3. toto. d. L. Crot. Apol. disp. 14. Harm. Conf. sect. 6. p. 111. Sadeël de verit. H. N. p. 148. e) Leidenses in synopsi pur. Theol. disput. 5. th. 4. Maresius in Theol. Elench. p. 107. f) Orth. Conf. sect. 6. p. 18. & 122. Henric. à Diest. Ench. Theol. Chr. loc. 16. p. 79. g) Alsted. Theol. polem. p. 45. Wendel. l. c. libr. 1. c. 16. p. 259. Maref. in Theol. Elench. Controversia 4. p. 107. & p. 113. Masson. part. 2. p. 596. h) Cham. tom. 2. l. 7. c. 8. §. 23. p. 130. Palar. Im ausführlichen Bericht c. 6. p. 153. Joh. Scharp. cursu Theol. 719. Admonit. Neust. c. 8. p. 256. Walæus L. C. p. 699. Orthod. consens. p. 123. Maref. l. c. 110. & 114. Leidens. in syntag. disp. Theol. disp. 17. th. 17. Kurtzer Anhang Heidelberger p. 225. Endliche Uberweisung. p. 44. Alsted. part. V. Theol. polem. p. 618. seqq. i) Piscator vol. 2. p. 41. Polanus syn. p. 102. Adm. Neust. c. 8. p. 255. Wendel. l. 1. c. 16. p. 167. Alting. LL. CC. p. 516. Syntag. Confess. p. 208. k)

vificatrix, l) Cultus adorationis, m) UNICUM, Extra quem in antecedaneo decreti divini actu salus ordinata, n) DOMINUM NOSTRUM, affectu in solos electos propitio, o) QVI CONCEPTUS EST A SPIRITU SANCTO, tanquam Patre: NATUS &c. PASSUS SUB PONTIO PILATO p) secundum solam humanitatem: q) Non pro omnibus indiscriminatim hominibus EFFICACITER, r) CRUCIFIXUS, ut per sangvinem crucis, quo novum fœdus confirmavit, ex omni populo tribu, gente & lingva, eos omnes & solos, qui ab æterno ad salutem Electi, & a Patre ipsi dati sunt, efficaciter redimeret, s) MORTUUS morte ἱλαστικῇ denuo particulari, ac

Cham. tom. 2. l. 4. c. 9. §. 4. p. 63. Joh. Berg Analys. th. 237. & 285. Adm. N. c. 3. p. 95. & 87. Beza in colloq. Montisb. p. 134. Sadael. de Veritat. H.N. p. 106. Walæus L. C. P. 703. Maccov. L. C. disp. 3. l) Masson. part. 2. Anat. p. 422. Maccov. colleg. de Mediat. disp. 5 p. 225. Wendel, l. 1. c. 16. p. 222. Adm. N. c. 8. p. 252. Bergius disp. cit. th. 201. Alting. LL. CC. p. 225. m) Maccov. l. c. disp. 38. 386. Voët. tom. 1. disp. select. p. 527. n) Pareus in scripto ad synod. Dordr. missio p. 394. confer. ibid. p. 531. o] Syn. Dordr. p 405. Zanch. l. 2. de Nat. Dei cap. 1. p. 63. Sohnius in Exeges. p. 127. Harm. Conf. art. 19. p. 113. Ursin. part. 2. Cateches. p. 33. quæst. 246. p) Lud. Grot. in assert. A. C. p. 43. q] Adm. N. p. 22. & 23. Bremenses contra Hunnium p. 70. Herborn. l. 2. Rudim. p. 100. Martinus in spic. p. 148. Zwinglius tom. 2. fol. 455. & 552, r) Cham. tom. 3. l. 9. c. 13. §. 1. p. 123. s) Masson. part. 2. c. 9. p. 404. &

Digitized by Google

ſolis, electis ex divina προθέσει ſelutem allatura: t) SEPULTUS eo ipſo dum deſcendit ad inferos: u) DESCENDIT AD INFERNA, deſcenſu non proprie, reali, x) neque locali, y) non ut tanquam victor triumpharet, ſed ut acutiſſimos dolores perferret: z) TERTIA DIE RESURREXIT, in carne qualitatibus ſpiritualibus deſtituta: aa) ASCENDIT AD COELOS, tum qua Deus, tum qua homo, aliter tamen reſpectu divinitatis aliter reſpectu humanitatis: (bb) SEDET AD DEXTRAM DEI PATRIS OMNIPOTENTIS, ſeſſione locali. (cc) In throno nequaquam omnipræſenti. Neque enim præsens in regno potentiæ humana natura, dd) neque præſens in regno gratiæ, niſi ſigno corporis,

præced p. 395. Syn. Dordr. p. 301. & 302. 617. 403. 407 611. 618. 623. 637. 659. 660. 661. t) Piſcat. in Act. c. 2. Urſin. in Catech. p. 326. Beza ad Act. 2. p. 438. Zwingl. in expoſ. fidei Chriſt. fol. 552. Whitack. in controv. de Script. S. p. 403. Druſ. quæſt. miſcell. cent. II. c. 76. p. 52. u) Maſſon. part. 2. p. 171. Chamier. tom. 2. l. 5. c. 5. toto. x) Idem tom. 1. l. 9. c. 10. §. 3. p. 159. y] Calvinus l. 2. Inſtit. c. 16. Maſſ. part. 3. p. 258. Catech. Heidelb. p. 44. Rivet. Cath. Orthod. tr. II. q. 60. Gomarus diſp. Theol. XXI. th. 8. ſeq. Wendel. l. 1. c. 18. th. 3. n. 8. z] Chamier. tom. 1. 6. c. 4. §. 16. Maſſon. part. 3. p. 305. Calvin. l. 4. Inſtit. c. 17. ſect. 29. aa) Sohnius in Exeg. p. 246. Polanus l. 6. c. 13. 18. 22. bb) Anhaltini in Apol. oppoſ. Electoral. argumento. 38. p. 43. cc) Synt. Conf. p. 32. Beza tom. 3. fol. 89. & tom. 2. fol. 283. Conf. Helvet. ſect. 5. p. 101. Chamier. tom. 2. l. c. 5. §. 8. p. 105. dd) Harm. Conf. ſect. 6. p. 100. Cham. tom. 2. l. 6. c. 9. §. 3. & c. 11. §. 6. Adm: N: c: 8: p: 265:

Digitized by Google

poris,& præſentia ſpirituali,in oppoſitione ad ubſtantialem ee) Myſtica fide intelligenda. ff) Sedet ut interceſſor non omnium, non mundi gg, ſed electorum tantum. hh) INDE VENTURUS EST, ab illo loco ſeſſionis ad dextram, ii) JUDICARE VIVOS ET MORTUOS, ſola voce ſecundum humanitatem, kk)judicio omniſcio ſecundum divinam tantum naturam. ll)

ee) Harm. Conf. ſect. 6. p. 108. 109. ff) Chamier. tom. 2. l. 6. c. 9. §. 39. Beza in creoph. fol. 271. Pareus in reſponſ. ad fr. Tybing. p. 199. Maſſon. part. 4. c. 20. p. 416. Harm. Conf. ſect. 14. p. 115. gg) Maſſon. part. 3. p. 3. hh) Cham. tom. 3. l. 9. c. 4. §. 34. p. 124. ii) Harm. Conf. ſect. 6. art. 2. p. 111. kk) Adm. N. p. 23. ll] Maſſon. part. 3. c. 7.

CREDO IN SPIRITUM SANCTUM gratioſe præſentem in ipſo actu moraliter peccaminoſo conſtitutis, a) FONTEM gratiæ I. *vocantis*, duntaxat quoad reprobos æternæ, b) particularis, c) factæ per verbum, divina *ἐνεργείᾳ* deſtitutum, d) cujus explicatio hodieque nonnun-

a) Maſſon. part. 3. c. 8. aſſert. X. p. 344. & 351. c. 13. p. 605. Grotius contra Pet. Bertium, l. 1. c. 2. Syn. Dordrac. c. 5. art. 6. 7. 8. p. 773. 884. 805. 806. & part. 2. 408. 409. b) Molinæus in Epiſt. ad Syn. Dordr. p. 411. Trigl. de Trina gratia p. 355. & 504. c) Calvinus l. 3. inſtit. c. 24. n. 12. Syn. Dordr. p. 206. 562. 839. 410. d) Calvinus l. 4. inſtit. c. 14. Beza reſponſ. 1. ad acta colloq. Montisb. p.

quam animis ſuſpiratur divinitus; n) Ad ſingula genera usque ex mente promiſſionum Evangelicarum nequaquam extendendæ, f) II. *Gratiæ diſpenſatæ*, hæc ſolis electis conceſſa, g) IRRESISTIBILIS, h) inefficacis quoad reprobos: i) ECCLESIAM CATHOLICAM, cui infantes electi ante baptiſmum actu inſunt: k) SANCTORUM COMMUNIONEM, conſiſtentem in Sacramentorum utriusque Teſtamenti eadem ſubſtantia l) RESURRECTIONEM CARNIS, quoad fideles qualitatibus Angelicis nequaquam imbuendæ. m)

15. e) Maſſon. p. 1. c. 18. p. 127. f) Pareus in Apol. bibl. p. 100. & 101. Maſſon. part. 3. c 21. p. 786. Calvinus l. 3. inſtit. c. 24. g) Chamier. tom. 7. l. 9. c. 5. §. 2. p. 123. & l. 3. c. 5. §. 13 p. 25. h) Trigl. de Trina Gr. p. 380. & 377. Pareus in Syn. Dord. p. 314. 315. 316. ſeqq. confer. ibid. p. 689. 690. 691. 699. 736. i) Saul fœderi Dei per circumciſionem licet inſitus, hat den Geiſt der Kindſchafft niemahlen gehabt. Maſſ. part. 3. c. 8. p. 357. k) Calvin. 4. inſtit. c. 15. & 16. Beza part. 2. reſponſ. ad colloq. Montisb. p. 102. Harm. Conf. ſect. 13. p. 90. Maſſon. part. 3. c. X. p. 543. Cham. tom. 3. l. 5. c. §. 8. p. 55. l) Maſſon, part. 4. anat. c. p. 42. m) Idem part. 3. p. 315. 325. & 327.

(O)

TABU

TABULA IV.

Symboli Apostolici in sensu Arminianorum.

CREDO (a) *probabiliter* tantum certa autoritate *Scripturæ*, (b) tanquamnormæ conscientias coactive non obligantis, c) absque lumine Spiritus Sancti salutariter intelligibilis, d) & non nisi rationi convenienter intelligendæ, e) quanquam fide fallibili & certitudine tantum humana persvasus:

a) Admittunt inculpationem, se cum Socino argumenta pro autoritate Scripturæ agnoscere probabilia tantum. Vide *Censur. Leydens. in Conf. n. XXXIII.* Conf. *Calov. Armin. fol.* 40. b) Nemo obligatur ad verum sensum V.D. sequendum contra conscientiam suam licet erroneam *Apocal. XXV. fol.* 289. Scriptura est mera norma dirigens, (*suggerendo sensum*) non obligans *Apol. c. VII. fol.* 3. Conf. *Calov. f.* 55. *seq.* c) Si lumen Spir. S. prærequiritur ad spiritualem evidentiam, scriptura cereus nasus, & Enthusiasmis opus erit. *Apol. c.* 1. *f.* 34. Conf. *Calov. fol.* 55. *seq. Pelt. Harm. f.* 2. *Rhetorf. Exam. Armin. fol.* 1. *seq.* d) Si quis sensum necessarium ad salutem scripturæ inesse dicat, qui prima fronte absurdus & rectæ rationi repugnans est, is eo ipso judicandus est, sensum scripturæ falsum affingere. *Episc. T.* 1. *fol.* 233. *a* Conf. *Confess. c.* 1. §. 16. *& Calov. fol.* 50. e) Fidem vel certitudinem humanam vocant Remonstrantes, quæ rationibus ex ipso Dei verbo judicio nostro petitis nititur, quibus tamen subesse falsum potest, *Vedel. Rhapsod. fol.* 47. Conf. *Vedel. Arcan. p.* 3. *fol.* 49. *seq.* 58. *seqq.* f) Falsum est, quod electio facta sit ab æ-

EGO f) non ab æterno ſed in tempore definita, *revocabili* tamen *electione*, g) cui *reprobatio*, ad ſolos Evangelii auditores ſe extendens, opponitur, h) ex conditione obedientiæ ac fidei, Legi & Evangelio præſtitæ electus, i) & ex divina obligatione ad fidem *vocatus*: IN DEUM k) utut nuſpiam ſe Deum eſſe

terno *Apol. c. XIIX. f.* 190. Decretum tamen ab æterno factum dicunt. *Collat. Hag. fol.* 7. Singulárium perſonarum non eſt electio *Epiſcop. p.* 3. *Diſp. XXVII. Th. ult.* Prædeſtinatio non eſt certarum perſonarum ad ſalutem, quæ nominatim fiat: eſt prædeſtinatio omnium hominum ſi modo credant, & in virtute prædeſtinatio certarum perſonarum, quæ & quando credunt. Ex vi enim prædeſtinationis ejusmodi generalis, prædeſtinati ab æterno cenſeri poſſunt, quicunq; in tempore credunt. *Apol. c. IX. fol.* 102. *ſeq.* Summa: credentes (*omnes*) prædeſtinari ab æterno, ſed (*ſolos*) perſeverantes eligi in tempore dicunt. Vid. *Coll. Hag. fol.* 34. Electio ad ſalutem peremptoria, diſtinguenda eſt ab ea, quæ non eſt peremptoria ſed intercisa. *Apol. c. IX. fol.* 100. g) Vide *Rhetorf. Exam. Armin. fol.* 279. Acuat Vedelius ingenium, & mordeat utrumque pollicem, ut probet neceſſarium eſſe credi, Deum gentiles omnes, qui de Evangelio nunquam quicquam audiverunt, ad æternos inferni cruciatus reprobaſſe. *Vedel. Rhapſ. L. I. c. IX. f.* 54. h. ſunt *Epiſcopii p.* 3. *Diſp. VII. Th.* 8. verba: Nemo placuit unquam Deo ad vitam æternam niſi per fidem, &, quæ fidei conjuncta ſemper ſunt, bona opera *Apol. c. VI. fol.* 74. i) Deus ex æquitate tenetur omnibus, a quibus poſt lapſum obedientiam exegit, vires ad præſtandum conferre. *Art. Remonſtr. Art. IV. fol.* 106. OMNINO TENETUR. *Corvin. in mol. Enchoir. Molin. c. IV. fol.* 65. k) Nec

esse credere jubeat, l) ex natura insito habitu incognoscibilem, (m) cujus nomen יהוה fictitium, (n) minime essentiale (o) & creaturis commune est. DEUM, inquam, (p) cujus *pauca essentialia* cogitu ad salutem necessaria sunt q),

reperietur uspiam, Deum jubere populo, ut credat se Deum esse, aut Deum populi esse. *Episcop. L. III. Inst. S. II. c. 1. fol.* 60. Speculativa Dei cognitio sub præceptum non cadit. Est enim mera mentis passio : at mens non est capax præcepti, sed rationis. Voluntas sola præcepti capax est. *Vedel. Rhapsf. c. X. L. I. fol.* 55. l) An cognitio Dei naturalis sit ? distinguimus. An cognitio, quæ ex natura habetur, naturalis sit ? negamus. *Episc. Disp. Priv. de Cognit. Dei Coroll. II. III.* citante Peltio Harm. f. 1. sed in Episcopio in Coroll. III. pro voce *naturali* est *salutaris.* Cognitio non est sic naturalis, ut omni homini necessario insit tanquam ex naturæ principiis fluens; sed sic tantum, ut si homo velit ratione uti, principia quædam reperire possit. &c. *Episc. Inst. L. 1. c.* 6. m) Jehovæ nomen Rabini, Judæi pene omnes, & complures orthodoxi pro voce plane fictitia habent. *Apol. c. III. fol.* 51. n) An ratione essentiæ tribuatur Deo in sacris nomen יהוה disquiri permittimus. Nobis contra videtur, *Episc. Inst. L. IV. Inst. S. II. c. II. fol.* 280. *seq.* o) Nihil certius aut liquidius est, quam nomen hoc creaturis etiam in scripturis passim attributum esse. *Apol. c. III. f.* 51. p] Alia, præterquam hæc quatuor (Deum esse 1. irrefragabilis potestatis. 2. inflexibilis æquitatis. 3. irresistibilis potentiæ. 4. infallibilis scientiæ.) omnia, quæ circa essentiam Dei controvertuntur, absolute necessaria scitu esse, non credimus. *Episc. Disp. IV. de Nat. Dei Th.* 3. 4. *Conf. Inst. L. IV. S. II. tot.* q) Spiritualis extensionis in

ſpiritualiter extenſum ac quantum, (r) *an ſimplex* & (s) *omnipræſens* (t) futurorum contingentium præſcius, nec probatum, nec creditu neceſſarium eſt: *æternum* (u) nec ſolum (vv) nec absque ſucceſſione (x) aut *mutatione*: (y) affectibus etiam præditum: (z) meo arbitrio, non ex neceſſitate *miſericordem* (aa) ac *juſtum*, ut absque ſatisfactione miſereri, & peccata remittere queat. TRINUNUM

Deo manifeſte meminit *Epiſc. Inſt.* L. IV. I. II. c. IIX. r) De ſimplici natura Dei ne jota quidem in ſcriptura eſt. *Apol, c, II, fol,* 41. hoc quæſitum non eſt neceſſarium ad ſalutem *fol.* 42. *Conf. Epiſc. Inſt. L. IV. c,* VII. s) Dei ſecundum eſſentiam ubique præſentia utopica, atomica, ſcripturis ignota, ſaltim non neceſſaria creditu eſt. *Apolog, I, II, fol,* 42. *ſeq,* t) Non eſt neceſſarium ad ſalutem credere, Deum futura contingentia præſcire, *Epiſc. Inſt. L. IV, c, XIIX,* u) Scriptura nunquam aſſerit materiam primam ex nihilo factam eſſe *Epiſc. Inſt.* L. IV, c. XIV. w) De ratione æternitatis non eſſe ſucceſſionem, probari nequit. Momentanea duratio proprie duratio non eſt. *Epiſcop. Inſtit.* L. IV. *c.* IX. x) Volitiones Dei ceſſant, *Epiſcop, p, III, Diſp.* VI. *Th.* VII. Volitiones liberæ ad eſſentiam Dei non pertinent, *Th.* IIX. ſed accidentia ſunt *Id. Inſt,* L. IV. *c.* XX. y) Affectus in Deo eſſe, docet Vorſt. th. X. de Deo *Epiſcop p II, Diſp.* VII. IIX, IX, *Inſt,* L, IV, *c,* XXII, *ſeqq,* quod tamen emolire nititur, z] Juſtitia naturalis Dei proprietas non eſt uti nec miſericordia *Slat, Epiſt. adN,* 1608. 9, *Mart,* 30, *Jun.* aa) Statuere juſtitiam Dei vindicatricem ſic eſſe Deo eſſentialem, ut Deus vi ejus obligetur & neceſſitetur ad puniendum peccata, ineptiſſimum & Deo indigniſſimum eſt, *Apol, c, III fol,* 46,

Digitized by Google

NUM Trinitate bb) ex Scriptura nequaquam, vel saltim ex V. T. vix probabili, cc) creditu nec necessaria dd) nec utila ee) nec unius essentiæ, sed ff) subordinata: PATREM gg) solum sum-

bb) Æterna Deitas tam simplex est Essentia, ut talis Trinitas Personarum non sit, qvalis docetur in Ecclesia Reformata. *Slat. apert. declar. fol.* 51. *Conf. Pelt. Harm. fol.* 15. Tres personas unam numero habere essentiam negat. *Curcell. Quatern. fol.* 228. *& tota a dissert.* 1 Hanc tamen sententiam non omnibus tribuemus. Vide *Calov. Armin. fol.* 91. licet cæteri ex V. T. probationes non adducant. Vid. *Conf. cap. III. Episc. Inst. L. IV. c.* XXXII. cc) non est necesse colore illos, quatenus tres sunt aut trinitatem faciunt: probandum est, colendum esse Patrem F. & Sp. qua Pater, F. & Sp. S. sunt. Falsum est Ecclesiam ab initio ad hunc diem necessaria judicasse: ne Nicænum quidem Concilium. *Vedel. Rhapsod.* L. I. *c.* VII. *fol* 37. Decipiunt, dum fol. præced. necessarium creditu dicunt dd) Ex ipso numero Trinitatis nulli peculiares usus ad pietatem & bonos mores exsculpi possunt. *Vedel. Rhapsod. l. c. fol.* 36. *Apocal. c. III. fol* 52. *Conf. Vedel. P. IV. Arcan. fol* 38. *seqq. Voet. Sel. Disp. p. P. l. fol* 467. *ad* 519. de neceff. & utilit. dogm. Trinit. ee) Ομοούσιον *Curcellæus* in quaternione tota *dissert. l. ad fol* 254. negat *Vedelius Arcan. P. III. c. VII.* 16. modos, quibus in hoc dogmate dissentiunt, annotat. Filius & qua Filius & qua Deus Deitatem a Patre habet. *Armin. resp. ad XXXI. Artic. fol* 135. *oper artic.* I. Reliqua patent ex ff) Subordinatione Personarum divinarum. Certum est ex Scripturis, Personis tribus divinas perfectiones tribui non collateraliter aut coordinate, sed subordinate *Epis. Inst.* LIV. c. XXXII. vide de Filio, jam dicenda gg) Hac subordinatione posita certum est, Patri soli istam divinitatis perfectionem sive ἀρχὴν

mum DEUM hh) Filio tum dignitate, tum potestate superiorem: OMNIPOTENTEM ii) quod credi tu necessarium non est: CREATOREM kk] an ex nihilo, iterum nec certum nec creditu necessarium est: COELI ET TERRÆ, ll]non in ipsius mundi principio, se longe ante, quam elaborarentur, factorum: *Angelorum* (mm) ante mundum conditorum, (nn) an spirituales, (oo) & an quidam in bono sint confirmati, probatu difficile ac

competere, ut primum & summum esse, in quo divinitatis ἀκμὴ est ac fastigium habeat. *Episc. l. c. Conf. Welsius & Slat. ap. Pelt. Harm. f.* 16. *seq.* hh) Pater sic est summus, ut summus sit tum ordine, tum dignitate, tum Potestate. *Episc. l. c. T. I. opp. fol.* 334. ii) Quanquam in genere, omnipotentiam credendam censeat *Episcopius*, non recte tamen de toto negotio sentit, dum satis esse credi ait, posse Deum cultoribus suis benefacere ac providere. *L. IV. Inst. S. II. c. XII.* Conf. *Calov. Tom. II. System. f.* 509. *seq.* Hoc enim, si sufficit, non tenebor credere creationem mundi. kk) Vide *Lit. u.* de materia prima. ll) בראשית interpretor non de principio mundi ac temporis, quod immediate excepit secunda creatio sex diebus facta: Existimo enim creationem cœli & terræ multo ante tempore factam esse, *Episcop. Inst. L. IV. S. III. c. I fol.* 346 mm) Angelos ante mundum conditos ridicula fabella tradit *id. ibid.* nn) Statuendum *videtur* Angelos esse spirituales. Sed qualis sit spiritualitas, an cum corporeitate conjuncta, an secus, difficile est asserere. *Episc. ib. c. II. f.* 347. oo) Angelorum bonorum confirmationem ex scripturis alii difficulter probare possunt, ego firmiter & certo condo-

ac incertum eſt: *& hominis* (pp) cum, vel ſine, qualive originali juſtitia, nil refert; proclivis qq) ad peccandum: rr) ſolo Dominio imaginem DEI ss) peccato non deletam gerentis tt) mortalis boni

cefacere nequeo. *Armin. Reſp. ad XXXI. Art. oper. fol.* 130. an excidere beatitudine poſſint, non omnino certum eſt *Epiſc. Inſt. L. IV. S. III. c. II. fol.* 349. pp) Quid refert, ſive quis dicat, Adamum juſtitia tali præditum fuiſſe, ſive quis id neget? Remonſtrantes quæſtionem hanc totam ineptam & inutilem cenſent: qualemcunque juſtitiam originalem Adamo tribueris, titivillitio non emptitant tam vilem controverſiam. *Apol. c. V. f.* 60. qq) Juſtitia & ſanctitas in Adamo ſupernaturalis fuit. *Armin. Art. perpend. V. de creat. oper. f.* 778. ad quem locum vide *Rhetorf. Exam. Armin. fol.* 297. *ſeq.* Deus homini repugnantiam indidit adverſus legem *Geiſteranus. Si Pelitio fol.* 40. credas, qui *Arminio art. perp. fol.* 18. quædam verba tribuit, quæ non habet. Præterea idem *Peltius l. c. & Rhetorfortis Exam. f.* 299. de moleſtia obſequendi Adami Arminianis tribuunt, quæ non ſunt ſententiæ, ſed conſequentiæ tantum eorum ex hypotheſibus Calviniſtarum ductæ. Alias, niſi ſupernaturalem diceret imaginem *Arminius*, bene ſe explicaret *confeſſio c. VII.* §. 2. Sed & *Epiſcopius* ſuper incluſas qualitates vocat, in quibus nos imaginem locamus. *Diſp. Priv. p. II. Diſp. XIII. fol.* 418. & animæ Adami ignorantiam errandique potentiam *Inſt. L. IV. S. III. c. VI. fol.* 358. tribuit. rr) Imaginem in ſolo dominio collocat *Epiſcopius Inſt. L. IV Sect. III. tot. c. VII.* ss) Peccato primi hominis, non fuit deleta imago Dei in homine, *Epiſcop. P. II. Diſp. XIII. T. II. oper. fol.* 418. *b.* tt] Falſum eſt corpus Adami immortale fuiſſe *Apol. c. V. fol.* 59. Mortalitas non minus quam

uu) boni malique neſcii : xx) actu negativo *providum.*

reliquis animalibus Adamo ex natura tribuenda fuit *Epiſc. p. P. III. Diſp. V.* §. 4. conf. *Inſt. L. IV. S. III. c. IV. fol.* 352. uu) Neſciebat adhuc Adamus bonum & malum, neſciebat adhuc Deum melius ſibi velle quam ſerpentem ; imo ſerpentem ſe callidiorem & prudentiorem eſſe ſibi perſuadebat. *Epiſc. inſt.* L. IV. S. III. c. IV. *fol.* 358. xx) An conſervatio ſit actus potentiæ, an actus merus voluntatis negativus, quo vult res creatas non annihilare, diſputandum reliquimus. Interim actum negativum non poſitivum eſſe, Scholaſtici non ſine magna veri ſpecie contendunt. *Apol. c. VI. fol.* 68.

CRedo ETIAM a) fide, in V. T. *non præcepta*, IN JESUM CHRISTUM, b) cognitu omnibus ſalvandis non neceſſarium, c) Patre inferiorem, d) nec ipſi ὁμοούσιον e) nec αὐτόθεον, f) cui tamen,

a) Certum eſt, nuſpiam in V. T. clare traditum extare præceptum fidei in JEſum Chriſtum, *Apol. c. XV. fol.* 151. *conf. fol.* 234. b) Vide prolixe *Curcellæum* negantem cognitionem Chriſti, *Quatern. Diſſert. III. tota conf. præprimis fol.* 357. *ſeq.* 361. 365. 374. *ſeqq.* 377. c) Vide *ſupra gg. hh.* & adde quæſtionem : an divinitatem negent, ap. *Dd. Calov. Arminianiſm. fol.* 218. *Trigland. Antapol. fol.* 78. *a.* 574. 576. d) Contra ὁμοούσιον diſputat ex profeſſo *Curcellæus Quatern. Diſſ. I. tota.* Vide ſupra ee e] Chriſtum αὐτόθεον negat *Arminius Reſp. ad Art. XXXI. oper. fol.* 131. *ſeq. Epiſt. ad Vytenbogerd. ap. Curcell. Quatern. fol.* 256. *ſeq. & in Epiſtolis Eccleſ. fol.* 214. *ſeq.* 256. f) Chriſto ut mero homini divinam potentiam & divinos honores tribui poſſe fatetur *Apolog. c. XII. fol.* 138. quod Leidenſes tanquam

Digitized by Google

tamen, ut mero homini, divina potentia & adoratio tribui potest: g) *non unum*, quia unio personalis, nec in indistantia naturam consistit, nec communicationem idiomatum secum trahit, h) Salvatorem *exemplarem*, i) cujus satisfactio non neces-

Socinianum in ipsis taxant. Conf. *Calov. Armin. fol.* 319. g) Nego unionem hypostaticam, formulariter in indistantia sive substantiali naturarum conjunctione sitam esse; & necesse non est, ut quis sciat; an humanitas in hypostasi τῦ λόγυ subsistat per λόγυ vel illapsum, vel sustentationem, vel dispensationem *Episc. Inst. L. IV. S. II. c. VIII. f.* 293. *seq.* Communicationem idiomatum cum Calvinianis negant. Vide omnino verba *Episc. Inst. L. IV. S. II. c. XXXIII. f.* 338. *princ.* h) Etsi in officio saluatorio meritum, exemplum & præconium *Apol. c. IIX. f.* 94. coniungant: tamen, in quo formalis redemptionis ratio consistat, (vide *Calov. Armin. f.* 224. *seq.* definire nolunt, & hæterodoxe dicunt; Christus mortuus est & resurrexit, quatenus est Redemtor officii impositione & susceptione, non ejusdem præstatione, *Arminius contr. Perkins. f.* 80. *operum v. f.* 533. Christus per passionem & mortem suam nil meritus est, nec solvit pro nostris peccatis veluti Vas pro debitore, qui non est solvendo. *Slat. declar. apert. f.* 32. Quanquam hoc omnibus tribuendum non sit. *Conf. Apol. l. c.* i) Potuisset Deus pro absoluto jure & suprema potestate, tanquam nulli obligatus, nulli juratus Dominus, peccata omnia humano generi condonare, atque ita de proprio jure suo plane cedere. *Episc. l. V. Inst. S. V. c. III. f.* 407. Addit: Deum tamen misisse Christum, ut utrique affectui misericordiæ atque justitiæ ALIQUO MODO satisfieret. *Ibid. f.* 407. & 408. Justitia divina non postulat præcise, ut Deus teneatur punire, sed ut jure possit punire, quando vult *fol.* 407. vide superius αα & K. *seq.* Et cur

necessaria, & k) solum *acceptilatio* quædam fuit, qua (l) non fidem regenerationem, sed (m) hoc tantum, & Deus in gratiam rediret nobis promeruit, FILIUM EJUS UNIGENITUM (n) quod

dubitat *Arminius:* an idem sit Justitiæ Dei in Christo satisfactum esse, & Legi per Christum esse satisfactum? *Artic. perpend. oper. f.* 786. An Christus proprie pro peccatis satisfecerit? Respondeo nos negare. Quia nulla proprietas in Deo est, quæ hanc satisfactionem requirat. Pugnant etiam inter se culpam peccati alicui condonare, & tamen satisfactionem pro ea accipere. *Stat. Ep. N. Mart.* 9. *& Jun.* 30. 1608. *ap. Pelt. Harm. fol.* 142. *conf. fol.* 112. ubi a Christo satisfieri potuisse negant. k) Videtur *Arminius* non satisfactionem proprie dictam, sed solam acceptilationem admittere, quærens an electus in CHRISTO pœnam luerit & obedientiam præstiterit REIPSA, an vero æstimatione divina tantum. *Art. perp. oper. f.* 786. *n. X.* & cur num. seq. acceptilationis solum, qua Deus obedientiam filii acceptarit, meminit? Conf. *lit. præced.* qui enim proprie dictam satisfactionem negant, acceptilationem substituant, oportet. l) At, inquit Censor, si hoc tantum meritus est Christus, tum nobis non est meritus fidem nec regenerationem. Sane ITA EST. Nihil inæptius, nihil vanius est, quam hoc Christi merito tribuere. *Apol. c. VIII. f.* 95. m) Satisfactio Christi NULLI alii fini servit, quam ad movendum Deum, ut peccatoribus bene velit, id est, ut peccatoribus reconciliari, & cum iis in gratiam redire velit. *Apol. c. f.* 97. n) Aliud est sensum istum (Christus est filius DEI unigenitus, i. e. secunda persona divinitatis constans ex duabus naturis, divina & humana, est filius DEI secundum naturam divinam ejusdem essentiæ cum Patre) verum esse: aliud sensum istum esse literalem istorum verborum sensum, & quidem NB. literalem sensum partis verbi DEI, quæ necessaria est

quod credere tamen ad ſalutem non eſt neceſſarium. (o) τῆς θεότητος non una p. 1) cujus modum credere, neceſſe non eſt, ratione, DOMINUM p. 2) Legislatorem novum ac Redemptorem NOSTRUM q) ut cauſam inſtrumentalem, r) cui

ad ſalutem. *Vedel. Rhapſ. L. I. c. VII. fol.* 40. ubi poſterius negant. Vide *Vedel. Arcan. P. II. fol.* 20. Idem ex profeſſo docet *Epiſcopius Inſt. L. IV. S. II. c. XXXIV. fol.* 338. *vide ſeq. Lit. P.*)

o) Nihil falſius & ſcripturæ magis directe contrarium eſt, quam unicam tantum Deitatis communicationem a patre filio unigenito factam eſſe. Tantum enim abeſt, ut unicam tantum Deitatis communicationem ſive unicam tantum filiationem Chriſto tribuat ſcriptura, ut eum diverſas ob cauſas filium DEI vocet. *Apol. c. III. fol.* 48. adducunt autem quatuor: conceptionem Luc. I, 35. miſſionem Joh. X, 35. ſeq. reſurrectionem Act. XIII, 32. ſeq. & a dextris ſeſſionem Ebr. I, 4. ibid. Conf. *Epiſc. Inſt. L. IV. S. II. c. XXXIII. fol.* 335. *P.* 1.) Modus filiationis an ſcil. Filius ſit genitus ex eſſentia DEI patris, an præciſe ad ſalutem creditu ſit neceſſarius adeo, ut iis, qua id negant, Anathema ſit dicendum, quærit Epiſcopius & negat. *Inſt. l. c. XXXIV. fol.* 338. *coll.* 337. *P.* 2.) Chriſtum novum legislatorem eſſe, qui novis mandatis legem perfectiorem reddiderit cum Socinianis ſtatuunt. Vide *Apol. c. XIII. fol.* 143. q) Sequitur ut de cauſa redemptionis inſtrumentali agamus. Hæc cauſa eſt Jeſus Chriſtus Nazarenus. *Epiſc. Inſt. L. IV. S. V. c. IIX. fol.* 415. *ſeqq.*

Digitized by Google

r) cui peculiaris atque divino distinctus cultus debetur, s) & ad quem Oratio dominica non dirigitur, QVI CONCEPTUS EST A SPIRITU SANCTO t) peccabilis, u) Incarnatione novam sibi Deitatem acquisiturus: NATUS x) non ut peccata, in quibus nascimur, tegeret; EX MARIA-VIR-

r) Cultum, quo DEus ex sese ob naturam suam divinam dignissimus est, distinctum esse volunt (Remonstrantes) a cultu, quem scriptura Christo Jesu, ut Mediatori tribuendum esse dictat &c. *Apolog. c. II. fol.* 39. Gloria adorationis, quæ Christo ut Mediatori competit, non est absolute divina. *Apolog. c. XVI. fol.* 153 s) Sanctificetur nomen TUUM ad Personam solam Patris restringunt Remonstrantes. Quomodo enim aliter potuissent, nisi precationis dominicæ verba violenter detorquere voluissent? Filius ipse Dei ad Patrem suum & nostrum dirigere nos jubet orationem nostram, *Apolog. c. XIV. fol.* 147. t) Ex tentatione Christi a Diabolo facta apparet, eum potuisse peccare: est marginale *Episcopii Resp. ad def. camer. c. XIII. S. I. oper. fol.* 292. b. Vide totum hoc caput, quod peccabilitatem Christi adstruere conatur. u) Nativitas ex Maria non est æterna illa nativitas, nec æterna illa filiatio. Ergo non unica tantum generatio, nec unica tantum Deitatis communicatio. *Apol. c. III. f.* 48. vide supra *Lit. O.* x) Perpendi vult *Arminius:* an sancta Christi ex Sp. S. conceptio & ex Virgine Maria nativitas horsum tendat, ut naturæ nostræ corruptio tegatur, ne in conspectum veniat. *Art. perpend. de Christ. n.* 3. *oper. f.* 782. Quis scripturæ locus vel quæ ratio inde desumpta probat J. C. innocentia sua & perfecta sanctitate, in qua nimirum conceptus & natus sit, peccata nostra, in quibus concipimur & nascimur, in conspectu Dei tegere? *Remonstr. in considerationibus ad Catech. Heidelb. q. XXXVI.* in Actis *Remonstr. Hist. fol.* 110.

Digitized by Google

VIRGINEy) ita, ut qui eum ex matris ſuæ ſubſtantia originem habere neget, in fundamento fidei nequaquam erret: PASSUS x) in mortali corpore, SUB PONTIO PILATO, aa) ſecundum ſolam humanitatem, paſſione bb) non ſatisfactoria nec cc) rigore juſtitiæ divinæ exacta: CRUCIFIXUS, MORTUUS AC SEPULTUS, DESCENDIT AD INFEROS dd) deſcenſu metaphorico, poſt aſcenſionem demum, & non in ſua

F ſed

y) Præciſe ad ſalutem neceſſariam eſſe, ut credatur J. C. ex ſubſtantia carnis & ſangvinis Mariæ, carnem & ſangvinem ſuum vel ſumpſiſſe vel habuiſſe, non adducor, ut credam, aut firmiter adſeverem. *Epiſcop. Inſt. L. IV. S. V. c. X. fol.* 421. *ſeqq.* 2) Chriſtum immortale corpus habuiſſe inter palpabilia abſurda numerat *Epiſcop. l.c.c. IX. fol.* 418 aa) Plane ut Calviniſtæ. Vid, *Tab. III. Lit. p.* bb) Vid. ſupra *lit. H.* cc) Nullo modo credere poſſumus, Deum ob omnia ac ſingula peccata per ſuam juſtitiam ad puniendum urgeri: quinimo illud in dominium ſupremum Dei non leviter impingere aſſerimus. *Epiſcop. P. I. Diſp. VII. de Domin. Dei Th. XIII. T. II. oper. fol.* 396. b] Conf. *Acta Remonſtr. Hiſtor. fol.* 106. & præc. *Lit. I.* dd) Quatuor tantum, ſepultura, ſuſcitatio, ſublatio in cœlum, & poſitio ad dexteram Patris, Chriſto poſt mortem evenerunt *Epiſcop. Inſt. L. III. S. IV. c. XVII. fol.* 191. Chriſtus I. Pet. III, 11. in Spiritu i.e. per ſpiritum in Apoſtolos effuſum, profectus prædicavit ſc. Evangelium ſpiritibus in carcere, i. e. omnibus gentibus. *Epiſc. Inſt. L. IV. S. II. c. XXX. fol.* 329.

Digitized by Google

ſed Apoſtolorum Perſona TERTIA DIE ee) aliena virtute RESURREXIT, ff) carne qualitatibus ſpiritualibus non dotata: ASCENDIT AD COELOS, SEDET AD DEXTRAM DEI gg) Seſſione locali quia in throno non omnipræſente, neque enim in regno potentiæ, hh) nec in regno gratiæ, niſi ſigno corporis & præſentia ſpirituali ſedet, ut *Interceſſor* ii) metaphoricus, ſui ipſius potiſſimum oblatione: kk) jam Patri non ſubjectus

(ee Cadaver Chriſti ſua vi non fuiſſe ſuſcitatum, ſuppono extra dubium, quia implicat contradictionem. *Epiſc. Inſt. L. I. c. V. fol.* 15. ff) Calviniſtarum hypotheſes fovent. Vid. *Tab. III. lit. aa.* Ait quidem *Epiſcopius*, Chriſtum glorioſam carnem ex ſepulcro retuliſſe, ſed opera glorioſi corporis ipſi denegat. Vid. *Inſt. L. IV. S. V. IX. fol.* 418. gg) Ne ipſum quidem Deum ſubſtantia omnipræſentem credunt. Vide *Epiſcop. Inſt. L. IV. S. II. c. XIII. fol.* 293. vide *præc. lit. ſ.* cætera cum Calvinianis hic faciunt. Vide *Tab. III. lit. bb.* Illud Joh. III. 13. ὢν ἐν οὐρανῷ de eſſe mentali exponit *Epiſcop. Inſt. L. IV. S. V. c. IX. fol.* 418. hh) Communio & unio realis cum phyſica corporis Chriſti ſubſtantia nuſpiam in ſcriptura finis Sacræ Cœnæ ſtatuitur, nec ulla ratione ſolida nititur. *Vedel. Rhapſod. L. I. c. IV. fol.* 26. Corpus Chriſti ſi adeſſet, non niſi per modum cadaveris foret in Euchariſtia, *Epiſc. Inſt. L. IV. S. II. c. XXXV. fol.* 342. ii) Interpellatio improprie ei tribuatur neceſſe eſt: conſiſtit potiſſimum in oblatione ſui ipſius, qua ſeipſum coram Patre ſuo redivivum ex morte ſiſtit. *Epiſcop. T. II. oper. fol.* 219. kk) 1. Cor. XV. 28. Ipſe Filius ſubjicietur, quaſi dicat, qui jam ei ſubjectus non eſt, *Epiſcop. Inſt. L. III. S. IV. c. XVII. fol.*

Digitized by Google

jectus. INDE VENTURUS JUDICARE, ll) Scientia ac Potentia finita ſecundum humanitatem, VIVOS AC MORTUOS, mm) judicio, quo impios finitis cruciatibus nn) qui ſolos contemptores Evangelii & ſuffocatores luminis Naturæ manent, tandem annihilabit.

195. Hic ſocinizant. Vide *Coll. Anti-Socin. fol.* 518. *ſeq.* ll) Omniſcientiam & omnipotentiam infinitam Deus alii ex gratia communicare nequit. Finitam autem omniſcientiam & omnipotentiam humanæ Chriſtī naturæ cōmunicatam eſſe non nego. *Epiſc. Inſt. L. IV. S. II. c. XXXV. fol.* 342. mm) Veri fideles tantum reſurrectionis participes erunt, non impii, aut ſi quī reſurgent, ii una cum impiis, qui in extremo ſuperſtites erunt die, aliquandiu cruciabuntur, & tunc in nihilum redigentur. *Slat. apert. declar. f.* 53. Solos fideles incorruptibili corpore donaturus eſt, *Conf. Rem. c. XIX. §.* 2. *Epiſcopus* pœnam damni annihilationem vocant. *Reſp. ad quæſt. LXII. Concl. III. Tom. I. opp. fol.* 68. *b. Conf. Pelt. Harmon. fol.* 260. nn) Vide *Vedel. Rhapſod. L. I. c. IX. fol.* 54. citatum ſupra *lit. H.*

CREDO Ego a) *originali peccato* proprie dicto

 non

a) Peccatum itaque originale nec habent (*Remonſtrantes*) pro peccato proprie dicto, quod poſteros Adami odio Dei dignos faciat, nec pro malo, quod per modum proprie dictæ pœnæ ab Adamo in poſteros dimanet. *Apol. c. VII. fol.* 84. Conf. *Curcell. quatern. totam Diſſert. II. f.* 276. *ſeq.* 283. 301. Pro vero ſtatuunt, Deum nullos infantes ſine actualibus peccatis morientes, æternis cruciatibus deſtinare velle aut jure deſtinare poſſe ob peccatum, quod vocatur originis. *Apol.*

Digitized by Google

non inquinatus, b) ad ſpiritualia naturaliter non impotens, c) legem perfecte ſervare potens, d) actu, non ex vitio congenito, ſed actuum frequentia peccans e) nec ſemper, f) nec concupiſcentia inde liberata delinquens, g) nec quovis peccato mortem promerens:

ibid. fol. 87. b] Fructus peccata Adami no eſt impotentia ad bonum & inevitabilis operatio mali. *Venator. declar. fol.* 175. Adamus nec vires obedientiam præſtandi, quæ non fœdere exigitur, nec ex peccato per reſipiſcentiam reſurgendi amiſit. *Art. Remonſtr. ad Artic. IV. fol.* 107. c) Qui dicit regenitos poſſe per Dei gratiam legem perfecte præſtare in hac vita, ille non Pelagianus eſt, nec gratiæ divinæ facit injuriam. *Armin. Artic. perpend. oper. fol.* 785. quod repetit. *Apol. c. XVIII. fol.* 158. Fidelis eo usque pervenire poteſt, ut nullius peccati aut culpæ conſcius ſibi ſit. *Apol. c. XI. fol.* 133. d) Homo non naſcitur voluntate ad malum propenſa *Venat. declar. fol.* 175. Pronitas ad peccandum non fluxit ex primo peccato, ſed homines poſt iſtud peccatum continuatis peccandi actibus peccandi habitum ſibi contraxerunt. *Welſingus de offic. hom. Chriſt. Fol. E.* 3. Conf. *Epiſc. Comm. in c. II. III. Apocal. T. II. oper. fol.* 440. *ſeqq. a.* e) vid. *l. c.* Remonſtrantes uti non affirmant, quenquam ſub ſole vivere, qui ſine omni peccato actuali ſit; ita negare etiam nolunt. *Apol. c. XIV. fol.* 149. f) Concupiſcentia in primo ſtatu Adamo vetita non eſt, ac proinde peccatum non fuit. Non committit prava is, qui dedita opera & voluntate non facit ea, quæ mala eſſe novit. *Epiſc. P. III. th. XX. Th. ult. XVI. Th. IV. T. II. oper. fol.* 454. 452. g) Deus non omnibus peccatis, id eſt peccatoribus aſſignavit æternam pœnam ſenſus & damni *Apol. c. VII. fol.* 90. excipiendi enim ſunt leviores lapſus ex infirmi-

rens; h) rudera gratiæ post lapsum retinens; i) *Gratiam* communem extra Verbum in promtu habens, k) ad mei Conversionem multa præoperans: l) nonnunquam interna revelatione, aut ministerio Angelorum conversus: m) *Fide* ut actu obedientiæ, er-

tate, ignorantia, inadvertentia &c. *ibid. fol.* 89. h) Relicta post lapsum rudera Gratiæ nomine compellat *Arminius Resp. ad Art. XXXI. art XVII. oper fol.* 127. Conf. *Corvin. cont. Tilen. fol.* 155. 406. i] De gratia illa vide omnino *Dn. Calov. Arminianism. fol.* 360. *seq.* Qui lumen naturæ non suffocant, iis NB. ulteriorem gratiam suam Deus non denegat. *Antidot. s. de declarat. sent. c. VI. fol.* 73. ap. *Episcop. T. II. fol.* 32. *b.* & *Pelt. Harm. fol.* 182. k) Homo ad sui conversionem multa præoporatur a Deo requisita, qualia sunt veritatem salutarem agnoscere, affectus ad charitatem habere intensos, voluntatem ad receptionem earundem urgere, *Collat. Hugiens. fol.* 87. 254. Unde gratiæ sufficientis vim duntaxat PARTIALEM vocat. *Apol. c. XVII. fol.* 164 *Conf. Pelt. Harm. fol.* 180. *seq.* l) Quid periculi aut erroris in hoc situm est, si quis dicat, Deum quamplurimos, hoc est, aliquammultos convertere per Spiritus S. revelationem internam aut Angelorum ministerium? (*Armin. resp. ad Art. XIIX. oper. fol.* 128. quod tamen vult l. c. emollire. Non excludimus varias occultas inspirationes, quæ intellectu & voluntate hominis a Deo immediate aliquando fieri possunt *Art. Remonstr. ad Art IV. fol.* 62 m) Obedientia est genus justificantis fidei qua talis *Apoc. c. X. fol.* 111. Fidei obedientia in negotio justificationis considerandæ venit ut opus sive actus noster, *ib.* si fides non est opus

ga mandatum CHRISTI Charitatis, & bonorum Operum, humanæ, non ſolius gratiæ divinæ, nec inſtrumento meritum Chriſti adprehendente, communicationes autem etiam pro objecto habente, n) ſolam credendi potentiam accipiens, actum vero credendi libere eliciens, CREDO IN SPIRITUM

& actus noſter, quomodo fieri poteſt, ut accipiatur intelligibiliter, ut a Deo nobis præſcripta & mandata? *ibid.* Fidei obedientiam tantum requirimus ad juſtificationem, non aliam, quam quæ viva eſt, & ſi ita libet, NB. quatenus viva eſt. *Reſp. ad ſpecim. Calumn. fol.* 111. Fides proprie inſtrumentum juſtificationis dici non poteſt. *Apol. l. c. f.* 112. Non fides nec converſio efficiuntur in homine per Dei gratiam ſolam, adeo ut homo nihil ad eam conferat. *Coll. Hag. ap. Dn. Calov. Armin. fol.* 270. Apprehenſionem qua fides Chriſtum in juſtitiam apprehendit juſtificatione priorem cenſet *Armin. Artic. perpend. oper. f.* 786. Conf. *Pelt. Harm. f.* 146. *ſeq.* Fides eſt objectum imputationis, Chriſtus cum obedientia eſt objectum fidei, ſed non objectum juſtificationis ſeu imputationis divinæ. *Armin. Epiſt. ad Hyppolit. a Collib. oper. f.* 772. *ſeqq.* Non juſtitia Chriſti proprie, id eſt, quod imputatur, ſed id, propter quod nobis credentibus in ipſum imputatur juſtitia *Epiſc. P. III. Diſp. XXII. Th.* 4. *T. II. fol.* 454. *b.* Fides non minus reſpicit comminationes divinas quam promiſſa *Apol. c. XI. fol.* 125. n) Poſteaquam homini potentia credendi per irreſiſtibilem gratiam collata eſt, fatemur aliam a nobis ad actum fidei elicendum neceſſariam gratiam non agnoſci quam moralem &c. *Art. Arm. ad Art IV. f.* 62. Hinc dicunt: Hominem initio ſuæ converſionis mere paſſive & irreſiſtibiliter, in

Digitized by Google

TUM SANCTUM, de quo, o) quod Deus ſit, credere neceſſe non eſt, p) an adorandus ſit, non liquet. *Spiritum*, inquam, q) Juſtitiam originalem in infantibus non reparantem: r) adultos per verbum nonniſi *moraliter* efficax, s) immediate

complemento active & libere habere. *Arm. oper. f.* 783 o) Vide ſupra *Lit. VV.* ſed & qui adorationem incertitudinis poſtulant, in eundem errorem incidunt. Alii plane negant divinam eſſe Perſonam: ſequitur ſatis Spiritum S. non eſſe perſonam, ſed vim & efficaciam Dei, nec Spiritus S. eſt unicus ille verus Deus. *Welſing. ap. Pelt. Harm. f.* 25. *ſeq.* Sed hæc ſententia omnibus tribuenda non eſt. p) Nec mandatum, nec exemplum, nec indicium aliquod adorati Spir. S. manifeſtum in ſcriptura extat, *ad Spec. Calumn. Reſp. f.* 50. Unde adoratio pro argumento divinitatis Sp.S. adduci non poteſt. De Patre & Filio adorando ſcriptura plena eſt, De Sp. S. ne hilum quidem occurrit. *Apol. c. III. f.* 51. q) Falſum eſt de infantibus, quod Deus in omnibus iis, ad quos remedium pertinet, juſtitiam originalem in Adamo omiſſam, per Spir. S. operari iterum velit, eo quod illi incapaces ſunt *Apol. c. VII. fol.* 87. Abſurdum eſt converſionem tribuere hominibus & prædicato verbo, quorum efficacia tota non niſi moralis eſt, *Apol. c. XVII. fol.* 182. Nulla miniſterialis actio concurrere poteſt, cum peculiari actione divina, ſic ut per eam aliquo modo fides efficiatur: NB. quia tota actio miniſterialis, quæ per homines & verbum ſit, moralis actio eſt. *ib. f.* 188. *conf. lit. M.* s) Etſi declinaſſent Enthuſiaſmum & arcanos motus (ut lubrici etiam hic ſunt) ſtatim tamen hæc ſubjungunt: addimus & ſupernaturalem potentiam voluntati conferri, & hac ratione Deum NB. immediate in volun-

tamen, & t) irresistibiliter convertentem : u) per Sacramenta, *Baptismum* puta, w) non necessarium, & *Eucharistiam* vv)quam quivis privatus administrare potest, & (x) ad quam carnifices non

tatem agere. *Art. Rem. circ. III. IV, Art. de Grat. fol.17,* Conf. *Calov. Armin. fol.* 388. *seqq.* t) Quod mens irresistibili per evidentiam verbi objectivam impressione illuminetur, tradunt. Fieri non potest, ut, si veritas perspicue a Sp.S. menti repræsentetur,intellectus non assentiatur,aut judicium suspendat,nec potest intellectus ex se illi illuminationi resistere. Unde fit,ut inviti sæpe homines veritati assensum præbeant. *Art. Rem. l. c. fol.* 16 Irresistibilem quandam vim Spiritus agnoscimus tum in intellectu, tum in corde. *Collat.Hagiens. fol.* 256. *Conf. Lit. n.* Quamvis aliam quam Calviniani irresistibilem gratiæ operationem doceant, *vid. l. c. collat. Hag.* u) Effectus baptismi non est realis aliqua gratiæ collatio, sed sola tantum divinæ gratiæ ac professionis nostræ significatio *Episcop. P. III. Disp. XXIX. Th.* 8.Finis celebrationis cœnæ non est gratiæ alicujus efficax collatio,quæ in animam influat atque redundet, sed sola tantum repræsentatio mortis,*C. Id. ibid Disp.seq.Th.ult.*w) Usus baptismi absolute necessarius non est.Unde inepti sunt, quinon baptizatos extra statum gratiæ ac salutis positos esse affirmant. *Id. ibid. Disp.XXIX.Th.* 9.sed vide tamen *Corollarium primum ejusd. Disp.* w) Hæc mea est sententia licere etiam cuilibet privato Christiano administrare cœnam dominicam *Episcop. Disp. publ.* 14. *Julii* 1618.citantibus Leydensibus in censura & ex iisdem *Peltio Harm. fol.* 242. *Apologia* negat hoc extare in Episcopio, adprobat tamen sententiam e

non ſunt admittendi, nullam gratiam efficaciter conſerentem. Credo & SANCTAM ECCLESIAM, y) *Statu* non definiendam, & z) ſolum militantem, aa) non neceſſario inveſtigandam: bb) infallibilibus notis non innoteſcentem: cc) penitus delebilem, dd) ita, ut regnum CHRISTI

XXIII. *fol.* 248. x) Arcendi a ſacra cœna ſunt carnifices, quos ego non modo non in Chriſtianorum, ſed ne in hominum quidem numerum retulerim. *Epiſcop. ad LXIV. q. reſp. ad quæſt. XLVI. T. I. op. fol.* 48. *a* y) Status ad Eccleſiam, qua Eccleſia eſt, juxta ſcripturæ Phraſin non pertinet: imo Eccleſia ſemper ante ſtatum eſt. Apol. c. XVII. fol. 235. z) Sub nomine Eccleſiæ Catholicæ Eccleſiam triumphantem, quam appellant, comprehendi nec poſſe nec debere arbitrantur. *Apol. c.* XXII. *fol.* 238. vide in hoc capite plures circa Eccleſiam errores ex profeſſo. aa) Neceſſe non eſſe, ut inquiramus veram Eccleſiam doctrinæ ſalutaris cognoſcendæ gratia, doctrina eſt, *Apolog. per cap.* XXII. Conf. *Dn. Calov. Armin. fol.* 484. bb) Ad quæſtionem: an notæ certæ atq; infallibiles dentur, per quas neſciens quæ ſit doctrina veritatis pura ac vera Eccleſia, aut in ea hæſitans, tanquam per notas, Eccleſiam veram certo indicantes, deduci poſſit in cognitionem veræ Eccleſiæ & veritatis ad ſalutem neceſſariiæ reſpondet *Apologia c.* XXII. *f.* 242 negative, addens: pura prædicatio verbi &c. non poſſunt eſſe notæ Eccleſiæ, quod mitigare volunt dicentes: ex prædicatione puræ doctrinæ cognoſco, quæſit vera Eccleſia, ſed non tanquam ex nota, ſed tanquam ex re conſtituente viſibilem Eccleſiam: *l. c.* cc) Tota & univerſa in terris Eceleſia deficere poteſt. *Epiſcop. P. III. Diſp. XXVII. Th. X.* dd) ut nihilo-

nihilominus permaneat: ee) a verbi Ministris, quibus nec Vocatio nec Ordinatio necessaria est, informatam: CATHOLICAM ff) i. e Christianam, cujus definitioni tamen *adoratio Dei in tribus personis* non bene additur, gg) extra quam salus obvenire

minus Christus in his terris regnum suum retineat. *Apol. c. XXII. f.* 238. *seq.* ee) Missio sive immediata, sive mediata non est præcise necessaria ad constituendum ministrum Evangelicum, sive ad hoc, ut quis jure & legitime Evangelium per Apostolos prædicatum, porro aliis hominibus prædicet. *Apol. c. XXI f.* 227. ff) Ad Ecclesiæ Christianæ definitionem non bene additur: quæ Deum in tribus Personis adorat, ita habet *Index T. II. op. Episcopii* voce *Ecclesiæ*, & significatur *Vedelii Rhapf. L. c.* 1. ubi *f.* 10. inter alia: En Ecclesiæ totius Christianæ phrasin, restrictam ad Ecclesiam, quæ Deum in tribus Personis adorat. Quæ profecto restringendi ratio non modo suspectam reddit definitionem universalem, eamq. valide enervat, sed & justam causam præbet Hæreticis omnibus abutendi totius Ecclesiæ Christianæ autoritate ad starumiandum hæreses & placita omnia sua, simili restrictione, imo contraria. Vide plura *l. c.* gg] Vide superius de gratia communi extra verbum *L. S.* hh) omnes Ecclesiæ, quæ in necessariorum articulorum fide ac professione consentimur, etsi in multis aliis dissentiant, una Ecclesia dicenda sunt. *Episcop. P. III. Disp XXVII. Th. VII.* Nulla dogmata inter Christianos controversa necessaria ad salutem sunt. *Vedel. Rhapf. L. I. c. VII. per tot.* Paucissima ad salutem creditu necessaria sunt. vid. *Apol. f.* 11. *seq.* Omnia ad salutem necessaria in unica Johannis Epistola contineri ajunt. *A. c. XIII.*

Digitized by Google

venire poteſt: hh) cujus membra, ii) non tamen Magiſtratus Chriſtianus, *qua talis*, ſunt omnes, qui *Symboli Apoſtolici literam* recipiunt, ſint licet Anti-Trinitarii, *Hæretici*, kk) quales nec blaſphemi & Apoſtatæ eſſe poſſunt; nec ll) conſcientiam erroneam deponere obligati ſunt, mm) nec

cum omnes Chriſtiani in præcipuis & fundamentalibus Religionis dogmatibus inter ſe conſentiant, in unum Eccleſiae corpus coire, & ſe ut Fratres mutua in Chriſto charitate proſequi debent. Omnes autem in fundamento convenire inde liquet, quod nulla ſit inter Chriſtianos ſecta NB. quæ articulos fidei Symbolo Apoſtolico contentos non amplectatur, & vitam ad præcepta Chriſti componendam eſſe non ſtatuat. Quibus duobus capitibus univerſa Religio Chriſtiana comprehenditur. *Curcel. præf. in T. I. oper. Epiſcop.* **4. Conf. *Calov. Armin. fol. Diſſert. proœm.* ii] Magiſtratus (etiam Chriſtianus) qua Magiſtratus non eſt membum Eccleſiæ, non magis, quam Pater qua Pater, membrum eſt Eccleſiæ, *Apol. c. XXV. fol.* 303. kk) Hæreticus blaſphemus proprie eſſe non poteſt, blaſphemia enim proprie voluntariam divinæ majeſtatis læſionem ſignificat, at hæreſis plane eſt involuntaria. *Apol. XXIV. f.* 265. Aliud eſt apoſtata, aliud hæreticus. Nihil commune inter ſe habent, ſed tota religione & profeſſione inter ſe differunt. *Apol. l. c. f.* 265. ll) Nemo obligatur ad verum Verbi divini ſenſum ſequendum contra conſcientiam ſuam licet erroneam, & Verbum Dei neminem obligat niſi intellectum, & ſic prout adhibita omni poſſibili diligentia & prudentia intelligendum eſſe creditur, eſt *rubrica capitis II. L. c. Ved. Rhapſ.* Vide ſupra *lit. b.* mm] Hæreſis, de qua quæritur, non eſt manifeſtum opus carnis: ſæpiſſime enim innocen-

Digitized by Google

nec *Hæresis* omnis ad opera carnis pertinet. SANCTORUM COMMUNIONEM nn) ex omnibus Sectis: REMISSIONEM oo) ex merito operum, pp) in altero seculo expectandum, PECCATORUM, qq) quæ etiam tamen non omnia pœnam æternam tuerentur, & rr) e quibus peccata *amissionis* proprie NIHIL sunt, ss) ad ipsum quoque

tissimi & optimi homines, carnis & mundi osores ac contemptores, hæretici esse deprehenduntur. Nec quis est hæreticus, qui si hæresin suam opp carnis esse intelligeret, non statim eam abdicaturus sit. *Apol. c. XXIV. fol.* 375. Conf. *Vedel. Rapf. L. II. c. IV. fol.* 96. *seqq.*

nn) Vide *lit litt. hh.*

oo) Salus fidei & operibus indistinctim seu conjunctim in scriptura tribuitur. *Apol. c. XXII. fol.* 237. Nos etiam ex operibus justificari & non ex fide tantum Jacobus affirmat. *Conf. c. X.* §. 2 Assensus fiducialis, vel NB. obsequiosa hæc fiducia, demum ea fera est fides illius, qui certo persvasus est, JESUM esse autorem salutis solis ipsi obedientibus & pie sancteque viventibus, neque fieri posse, ut alia ratione ad salutem æternam perveniatur, quam per veram viam obedientiæ seu bonorum operum. *Conf. c.* XI. §. 2. *Conf. Apol. c. XI. tot.*

pp) Remissio peccati vel futurum seculum concernit vel in hujus mundi secula incidit. Illa est completa, firma atque irretractabilis reatus condonatio, & non pœnæ tantum sublatio. Hæc incompleta, vel si completa retractabilis tamen est. *Episcop. Inst. L. IV. c. XVI. T. I. oper. fol.* 399. *a.*

qq) Vide *Lit. g. & a.*

rr] Peccata omissionis NB. *etsi revera nihil sunt*, tamen ut actus positivi concipiuntur. *Episcop. Inst. L. IV. S. II. c. XVI. Tom. I. oper. fol.* 299.

ss) Etli (Ebr. VI, 4.) aperte dicatur, quod tales renovati non

qui peccatum in Spiritum Sanctum ampliandum, CARNIS tt)an tanquam partis essentialis hominis uu) *ejusdemque numero* non liquet : vv) animam interea dormisse negare non ausim: RESURRECTIONEM xx) solorum fidelium, ET

posſint εἰς μετάνοιαν, tamen vix possum in animum meum inducere, quod id aut prorsus impossibile sit, aut ex decreto sive actione impossibile fiat. Quare malim hunc textum aliosque similes sic exponere, ne difficultatem maximam notent, non vero meram impossibilitatem, sive ex parte rei sive ex parte DEI. *Id. Episcop. Resp. ad q. XIII. T. II. oper. fol.* 12. *seq.* tt) Fieri non potest, ut lis (de resurrect. ejusd. numero corpor.) decidatur, quamdiu certo non constat, an hoc corpus pars essentialis hominis, an vero instrumentum tantum sit animæ humanæ, quatenus in hac vita ejus ministerio indiget, ad se in eo sustentandam, & quod in futura vita plane necessarium non erit : quam litem DEUS in futuro seculo deciſurus est, ubi tum demum intelligemus & sentiemus, eodem an novo corpore nos donaverit omnipotens. *Apol. c. XIX. fol.* 219. Quanquam ita doceat *Episcopus P. III. Disp. XXIII. Th. IIX.* uu) Vid. *Lit. præc.* w) Superstitem manere (animam) cum dicimus, non audemus, confidenter asserere, quod extra se quidpiam agat, sentiat, aut percipiat Spiritus corpore exutus. *Episcop. P. III. Disp. XXIII. Th. VII.* Ad realem possessionem seu fruitionem felicitatis æternæ vitæ expectari debet tempus in quo excitari a morte coram tribunali CHRISTI sistemur. *Eduardus Poppius* (nunquam satis laudandus CHRISTI servus juxta *Apolog. Rem. sub cale.*) *in angust. part. fol.* 248. xx) Veri fideles tantum resurrectionis participes erunt, non impii, aut qui resurgent, ii una cum impiis, qui in extremo superstites erunt die, aliquandiu cruciabuntur, & tunc in nihilum redigentur. *Slat. in declarat. aperta fol.* 55. Quanquam id cæteris non sit tribuendnm. Vid. tamen *supra Lit. Mm.*

Digitized by Google

ET VITAM ÆTERNAM yy) non ſtatim poſt diſceſſum ex hac vita adeundam, zz) obedientiæ meæ debitam aaa) in V. T. exſerte nequaquam promiſſam.

yy) Animæ e corpore diſcedentes non ſtatim abeunt ad æterna gaudia, *Slat. declarat. apert. l.c. Conf. lit. præced.* zz) *Conf. lit. m, & qq.* aaa) Si claræ & expreſſæ DEI promiſſiones de ſalute & vita æterna, etiam libris V. Teſtamenti continentur, quid opus eſt ea de re digladiari? proferantur loca & conclamatum eſt *Apol. c. l. f.* 26. Promiſſa V. Teſtamenti omnia fere ſunt carnalia & temporalia ad hanc vitam præſentem ſolummodo pertinentia. Etſi enim ſub vitæ nomine, quæ promiſſione legi addita continetur, vitam æternam intelligi non negemus; tamen ejus promiſſionem in prima tantum legislatione, quæ circa hominem integrum adhuc verſatur, locum habere poſſe dicimus. *Epiſcop. III. Diſp. XIII. Th. V.* Promiſſa Novi T. duo ſunt, Vitæ æternæ, quæ remiſſionem peccatorum & reſuſcitationem ex mortuis ſibi præcedanea habet, & Spiritus Sanctus. *Epiſcopius l. c. Diſp. XIV. de N. fœd. Th. IIX.* Conf. *Pelt. Harm. fol. 4. ſeqq.*

(O)

TABULA V.

Symboli Apoſtolici in ſenſu Socinianorum.

EGo, ut 1) primus homo mortalis, in 2) ſimplicitate & innocentia ſine 3) peccato originali natus 4) imagine tamen divina adhuc coruſcans, autoritate Scripturæ S. quatenus 5) ſanæ rationi congruit, inductus, CREDO IN DEUM 6) (μονυπόστατον 7) excluſa

1) *Socin. lib. de Stat. prim. Hom. c. Pucc. p.* 38. aſſerto primum hominem, antequam laberetur, natura immortalem non fuiſſe : adde *ejusdem Miſcell. p.* 85. 2) *Smalzius contra Franz. p.* 44. *ſeq.* Simplicitas & innocentia ſi tribuatur Adamo ante lapſum, ſatis ſuperque eſt. *Idem de Ver. & Nat. Dei Filio c.* 7. *p.* 59. *& ſeq.* tradit Adamum ante peccatum inſtar infantis & pueri fuiſſe, quia, quid eſſet nudum, ſcire non potuerit. 3) *Smalz. c. Fraz. Diſp. II. p.* 46. Peccatum illud originale mera eſt fabula. *Socin. Prælect. Theol. c.* 4. *v. D. Scherz. Colleg. Anti-Socin. p.* 274. *ſeq.* 4] *Socinus de ſtat. pr. b. p.* 7. *Prælect. Theolog. c.* 3. *p.* 8. *Smalz. c. Franz. p.* 52. Durat adhuc imago DEI. 5) *Jon. Schlichting. de Trinit. contra Meiſner. p.* 125. item *Homil.* 8. *in c.* 1. *Joh. p.* 85. nulla eſt religionis particula, quæ cum ratione non conveniat. *vid. D. Scherz. Coll. cit. p.* 17. *ſeq.* 6) Quoniam eſſentia divina tantum unica eſt, ideo nullatenus in ea plures perſonæ poſſunt eſſe. *Catech. Racov. c* 1 *q.* 21. it. unica perſona, eſt unus ille Deus, Pater Domini Jeſu Chriſti. *Crellius de uno Deo Patre, Schlichting. c. Meiſn. de Trinit.* 7) *Crell. lib.* 1. *de uno*

cluſa Perſonarum Trinitate, 8)æternum quidem, ſednon ſolum, nec 9) absque ſucceſſione nec 10) Subſtantia ſua ubique præſentem, nec 11) omni ſolum aut 12) immutabilem vel 13) ſimpliciſſimum, cujus

Deo. cap. 2. *& in Comment. in* 1. *Cor. IIX.* 6. *Nobis unus* (eſt) *Deus, Pater, ex quo omnia &c.* Ergo Deus ille unus nemo eſt præter Patrem. *Socin. lib. Svaſor p.* 24. 32. *v. D. Scherz. Colleg. cit. p.* 71. *ſeqq.* 8) *Moſcorov. Ref. append. Smiglecii p.*29 *ſeqv.* Teſtimonia ſcripturæ non evincunt Deum ſolum æternum eſſe, confer *Socini Prælect. c.* 8. *p.* 25. *Smalz. c. Franz.* p.12. Deum ab æterno eſſe in ſcriptura πρωτως haberi negat. v. *D. Calov. Socinism. Proſlig. p.* 142. *ſeqq.* Tempus etiam Deo coæternum ac increatum ſtatuunt. *Socin. Prælect. c. IIX. fol.* 25. *Goslav. c. Keckerm. fol.* 101. Quidem etiam materiam primam æternam docent. *Moſcorov. append. Smiglec. fol.* 29. *ſeqq. Smalz. cont. Franz. fol.* 22. 9) Succesſivam Dei durationem comminiſcuntur, *Goslav. c. Keckerm. fol.*8. alii confutati a D. Scherzero Colleg. Anti-Socin. fol. 49. ſeqq. 10] Deum ſubſtantia ſua non ubique eſſe præſentem, ait *Socinus Fragm. Catech. prior.* f. 156. 159. *Contra Franciſc. David. de invoc. c. XIV. Smalz. cont. Franz. Diſp.* 1. *fol.* 3. *D. XII. fol.* 339. Vid. *Hornbeck. Socinism Conf. LII. fol.*288. *ſeq.* 11) *Socin Prælect. c.* 8. *p.* 9. 10. 11. negat, Deum peccata, quæ a voluntate humana dependent & futura contingentia præſcire, antequam fiunt. ir. *Crellius de Deo & attribut. c.* 22. *v. D. Calov. Socin. c. p.*147. 139. 12) *Crellius de Deo & attrib. divin. p.* 340. 384. diſerte affirmat, in Deo (propter decreta ſcil.) aliquam mutationem eſſe; imo niſi in Deo mutatio quædam ſit, Deum fruſtra placari 13) *Crellius de Deo & & attrib. div. l. c. Deo accidentia tribuit. v. D. Ca-*

cujus 14)miſericordia nec infinita neque 15)juſtitia eſſentialis eſt, PATREM, qui ex 16) ſubſtantia ſua Filium ab æterno non genuit, 17) noſter autem Pater factus demum in Nov. Teſt. per Chriſtum: OMNIPOTENTEM, 18)modo haut infinito, CREATOREM COELI ET TERRAE, qui 19)ſolus excluſo Filio & Spiritu S. produxit & conſervat omnia, adorandus non præciſe propter 20) divinam naturam, ſed alias ob cauſas.

Iov. Socin. p 158. 14) *Smalz. c. Franz. p.* 3. negat DEI miſericordiam infinitam & immenſam eſſe, it. *Catech. Raccov. p.* 266. 15) *Catechiſm. Raccov. l. c.* Crellius de *D. & A. D. c.* 19. *p.* 268. *v. Dn. Calov. Socin. cit. p.* 149. 16) *in Catech. Raccov. p.* 65. generatio Filii DEI prorſus impoſſibilis DEO dicitur. 17) *Volckel. l.* 3. *de V. R. c.* 2. *p.* 57. DEus jam demum in N.T. per Chriſtum factus eſt Pater noſter. 18) *Smalz. in Ref. Franz. p.* 3. *it. Examin. centum errorum p.* 56. *v. D. Calov. Socinism. p.* 145. 10) Crellius, *ſolus Pater creavit omnia v. Anti-Crell. D. Botſacci & D. Scherz. Coll. Anti-Soc. p.* 103. 20.) *Smalz.* Refut. *monſtror. p.* 88. *v. Calov. Socinism. p.* 163.

CRedo ET 1) fide in V. T. non requiſita, 2) notitia ſolum & aſſenſu conſtante, IN JE-

G SUM

1.) *Volckelius l. IV. de V. R. c.* 3 *p.* 181. *ſeqv. Smalz. c. Franz. p.* 103. Juſtitia per fidem ante N.T. non fuit propoſita, di. *l. c. p.* 93. Fides V.T. reſpexit ſolum fidem in DEum, non Chriſtum: v. *D. Scherz. coll. cit. p.* 643. 2) *Socin. Fragm. de Juſtific. Tom.* 1. *opp. f.* 121. Fides ſignificat *primo* credere, Jeſum Chriſtum, ſecundo ſignificat confidere Chriſto, atque hæc fides ad ipſius

SUM CHRISTUM 3) tanquam fidei objectum ſecundarium, FILIUM EJUS UNICUM non naturalem, ſed 4) adoptivum, DOMINUM NOSTRUM 5) poſt reſurrectionem factum: QUI CONCEPTUS EST DE SPIRITU S. 6) Deo Patre vices viri ſupplente, NATUS 7) ex MARIA VIRGINE non 8) θεάνθρωπος aut 9) De-

Chriſti præcepta & promiſſa præcipue reſpicit: acceſſorie autem & antecedenter ad eius perſonam atque munus *id. Part. IV. de ſervat. c.* 11. 3) *Socinus lib. Saſſor. c.* 5. *p.* 62. *contra Wujeck p.* 159. contendit DEum Patrem primarium fidei objectum eſſe, in quem præcipue credendum ſit; Chriſtum autem eſſe objectum fidei ſecundarium, fidemq; non acquieſcere in Chriſto, ſed per ipſum dirigi in DEum. 4) *Socin. in Anti-Wujeck. c. reſp. ad Claſſ.* 3. *arg.* 1. dicit Chriſtum tantum Filium DEI adoptivum eſſe, ratione ſimilitudinis cum DEO, amoris DEI, conceptionis e Spiritu, ſanctificationis, miſſionis, reſuſcitationis, exaltationis ad regnum & ſummum ſacerdotum v. *D. Calov. Socinian. p.* 169. *ſeqq.* 5) *Smalz. Exam. C. Error. p.* 16. Chriſtus omnium hominum Dominum ante mortem non fuit reipſa: it. p. 17. ante reſurrectionem non fuit Dominus Angelorum. 6) *Socin. in Anti-Wujeck.* affirmat, Deum in Chriſto homine in Maria virgini utero, ormando, ſeminis viri, vel potius, viri ipſius vicem ſupplevisſe p. 219. Spiritus S. ſuperveniet, perinde eſt, ac ſi dixiſſet, quod viri opera in homine gignendo fieri ſolet, hic virtutis divinæ opera fiet. p. 221. v. *D. Severin. Coll. cit. p.* 372. 7) *Crell. tom.* 2. *comment. f.* 10. 11. 12. *ſeqq.* tradit Mariam non ex tribu Juda, & familia Davidis, ſed ex Levi ortam eſſe, it. *Socin. Lection. Sacr. p.* 157.

Digitized by Google

9) Deus altissimus, 10) venturus etiam, si primi parentes non peccassent, ut 11) officium Propheticum, ad quod tempore quadragesimalis jejunii in cœlum raptus, fuit informatus, perficiendo legem veterem, promulgandoque 12) novam cum novis promissis obiret: PASSUS SUB PONTIO PILATO 13) cruciatus non infernales, CRUCIFIXUS, MORTUUS ET SEPULTUS, non ut 14) Justitiæ divinæ satisfaceret, ac 15) ex-

8) & 9) *Volckel. l. V. de V. R. c.* 9. *p.* 418. Christus non natura, sed DEI beneficio DEus. it. *c.* 10. p. 421. Christus DEus ille summus non est, sed ab eo distingvitur. v. *D. Scherz. Coll. cit p.* 133. 391. *& D. Calov. Socinism. p.* 134. 10) *Smalz. & Franz. disp.* 12. *de causa peccati p.* 429. *seq.* Affirmant Christum venturum fuisse, si Protoplasti non peccassent, ad servandum in æternum homines. 11) *Socin institut. Christ. Relig. p.* 127. *seq.* de Ascensu & commoratione Christi hominis in cœlo, antequam munus suum in terris obire inciperet. Conf. *Scherz. Colleg. Anti-Socin.* 403. *seq.* 12) *Socin. ad. Artic. Cutheni thes.* 10. *it. de offic. Christi them.* 11. *Osterod. institut. c.* 12. *v. D. Scherz. Coll. cit. p.* 314. 403. *seq.* 13) *Smalz. contra Smiglec. de satisfact. c.* 6. *p.* 222. *it. Socin. P. III. de Serv. Chr. c.* 4. negant Christum damnatorum pœnas sustinuisse v. *D. Scherz. Coll. cit. p.* 485 *seq.* 14. *Socin. de Chr. Serv. p.* 1. *c.* 1. *it. P III. c.* 1. asserit, DEum & jure potuisse nobis condonare peccata nostra, nulla pro ipsis satisfactione accepta; & voluisse nobis peccata nostra condonare. it. *Volckel. l. V. de V. R. c.* 22. *p.* 675. 15) *Volckel. loc. cit.* Antea propitius ex seipso Deus fuit, quam Christus nos

expiando hominum peccata, 16) DEUM nobis reconciliaret, ſed ut 17) exemplum daret & viam ſalutis 18) confirmaret; 19) DESCENDIT AD INFERNA, h. e. figurate, in ſtatum mortuorum pervenit: TERTIA DIE RESURREXIT A MORTUIS 20) non propria, ſed Dei Patris virtute; ita, ut poſt 21) vivificationem

illi conciliaret. it. Etſi nunc vulgo Chriſtiani ſentiunt, Chriſtum morte ſua nobis ſalutem meruiſſe, & pro peccatis noſtris plenarie ſatisfeciſſe, quæ ſententia fallax eſt, erronea & admodum pernicioſa v. *D. Scherz. Coll. cit. p.* 430. 16] *Socin. de Chr. Serv. P. I. c.* 7. 8. Nusquam Scriptura aſſerit, DEum nobis a Chriſto reconciliatum; verum id tantum, quod nos per Chriſtum aut mortem ejus ſimus reconciliati: dum Chriſtus nobis viam oſtendit, quemadmodum nos ad Deum converti, atque ad eum modum reconciliari oporteat, inquit *Catech. Racov. c. 7. de mort. Chriſti qv.* 3 *ſeqq.* 17. *Socin. P. I. de Chr. Serv. c.* 4. Chriſtus ideo Servator eſt, quia nobis exemplum, quod imitemur, dedit. v. *D. Scherz. Coll. cit. p.* 466. *ſeq.* 18] *Socin. P. I. de Chr. Serv. c.* 3. Chriſtus miraculis & vel maxime ſanguinis effuſione viam ſalutis confirmavit. it. P. II. *c.* 25. *& Prælect. Theolog. c.* 20. *p.* 124 19) *Smalz. Refut. l.* 1. *de Err. Arian. c.* 14. *p.* 148. Deſcendere figurate accipi debet, pro eo quod Chriſtus poſt mortem inciderit in iſtum ſtatum, in quem omnes mortui incidunt. it. Deſcensus ad inferos, non eſt actio Jeſu Chriſti; ſed tantum conditio conſequens mortis perpeſſionem v. *D. Scherz. Coll. cit. p.* 539. 20) *Socin. diſp. de unigen. Fil. DEI eſſentia, p.* 117. *tom. II. opp. f.* 513. *ſeqq.* Ereptus eſt Chriſtus ex ſtatu reliquorum mortuorum: a quo vero

nem corpus mortale retinuerit: ASCENDIT AD COELOS, ut 22) exuta carne & sangvine corpus glorioſum indueret: SEDET AD DEXTRAM DEI PATRIS OMNIPOTENTIS, ut populum Dei 23) ceu vicarius ad tempus 24) abſens regat, INDE VENTURUS EST JUDICARE

num a ſe ipſo? Quid rogamus abſurdius aut ſcripturæ magis diſſentaneum: it. *Catech. Racc. c. 12 qv. 4 v. D. Scherz. Coll. cit. p.* 549. 21] *Socin. de ſtat. pr. Homin. c. Pucc. c. 8. p.* 235. Non eſt Chriſtus Jeſus quamvis non amplius moreretur, a mortuis excitatus, immortalitatem & gloriam ſui corporis adeptus, niſi cum in cœlum translatus eſt, ubi ſedes eſt corporum immortalium & glorioſorum. 22) *Volckel. l. III. de V.R. c.* 19. *p.* 106. Chriſtus ut immortali glorioſoque corpore cingeretur, & porro vitam viveret ſempiternam, h.e. ut fieret, qui non ſolum non moreretur, ſed natura etiam ſua mori non poſſet, terras has reliquit, & in cœlum aſcendit, in quo aſcenſu eum transmutatum eſſe, res ipſa ſatis indicat. *Smalz. de div. Chr. c.* 14. *p.* 90. Chriſtus per aſcenſionem conſecutus eſt naturæ ipſius immutationem v. *D. Scherz. Coll. cit. p.* 550. 25] *Catech. Raccov. c.* 12 *qv.* 16. Quid eſt ſedere ad dextram DEI? Reſp. eſt vices DEI gerere *Smalz. Reſp. ad nov. monſtr. Smiglec. c.* 14. *p.* 138. ſcribit, Jeſum populo a DEO Patre præfectum eſſe, ut ad certum tempus Chriſtus eſſet omnia in omnibus. *Confer. D. Scherz. Coll. p.* 58. 24) *Smalz. Exam. c. Error n.* 22. *p.* 11. voluit DEus JEſum CIriſtum, ſemel in cœlos exaltatum, ibidem manere, usque ad inſtaurationem omnium. Tantum igitur abeſt a populo ſuo Rex JeſusChriſtus, quoad eſſentiam, quantum illud ſummum cœlum di-

CARE potestate (25) vicaria & post (26) resurrectionem accepta, VIVOS ET MORTUOS, 27) fideles scilicet, 28) impiis vero in nihilum redactis.

stat ab hac infima terra. *Smalz. de Div. Christi, c.* 16. *p.* 100 *seq.* 25) *Volckel. l. III. de V. R. c.* 28. *p.* 123. Christus eo modo vicarius DEI dicitur, ut olim Josephus Pharaonis loco omnia procuravit &c. 26) *Smalz. Exam. C. Error. n.* 35. p. 16. Christo Math. XXIIX. 18. post resurrectionem demum data est omnis potestas in cœlo & in terra. Ergo ante mortem summam in homines potestatem reipsa non habuit. 27) ita *Socinus* cum discipulis sensit, teste *Felwingero in epistol. apud D. Scherz. c. l. p.* 1192 *seqq.* negans impiorum resurrectionem 28) *Socinus* asserit impios omnes simul esse penitus abolendos. v. *D. Scherz. Coll. c. p.* 1226.

CREDO 1) per vires naturæ adhuc integras, IN SPIRITUM S. non ut 2) personam divinam & summum DEum, 3) a Deo Patre, & Filio ab æterno procedentem, sed ut 4) virtutem DEI

1) *Schlichting. c. Meisner. de serv. arbitr. f.* 73. Nonne ad credendum Evangelio Spiritus S. interiori bono opus est? Nullo modo: *Catech. Racov. c.* 6. *q.* 11. *p.* 244 Voluntas hominis causa conversionis administra est. *Smalz c. Franz. disp.* 8. *p.* 425. *v. D. Scherz. Coll. cit. p.* 606. *seq. it. p.* 629. 2) *Schlicht. c. Meisn. de Trinit. p.* 665. Spiritus S. non est Persona illa divina, seu summus DEus *Catech. Racov. c.* 1. *de Esient. DEI qv.* 33. 3) *Socin. defens. animadvers. p.* 318. negat. v. *D. Calov. p.* 225. 4) *Crellius in Tractat. de Spiritu S. v.* 1. *f.* 14. Animadvertendum est, duplici ratione considerari Spiritum S. vel quatenus aliqvid est Dei, &

DEI, qua homines ſanctificat, in 5) V. T. nec promiſſum nec notum: SANCTAM non propter regenerationem 6) in Baptiſmo, aut 7) imputatam Chriſti Juſtitiam, ſed ſtudio virtutis & obedientiæ 8) ECCLESIAM CATHOLICAM, (9) ſcitu quidem & creditu non neceſſariam, nec 10) perpetuo duraturam, aut cer-

G 4

in ipſo reſidet, aut ab eo proficiſcitur: vel quatenus in homine reſidet, & ſic ex divina benignitate eſt aliquid hominis. v. *Dn. D. Calov. Sociniſm. p.* 26. *ſeq.* 25) *Smalz c. Franz. f.* 93. *ſeq.* negat Spiritum S. in V. T. fuiſſe notum aut promiſſum. v *D. Scherz. Coll. cit. p.* 367. 6] *Wolzogen. in Joh. III.* 5. *Tom.* 1. *opp. f.* 747. Aquæbaptiſmus non eſt eum in finem inſtitutus, ut per eum homines regenerentur, ſed ut ii, qui per Spiritum & verbum jam ſunt regeniti, eo tanquam viſibili ſigno palam coram Eccleſia J. C. teſtentur, ac profiteantur. quod ſicut corpora ipſorum aqua elementari abluuntur, ita etiam ipſi ſemel peccato mortui, impoſterum in novitate vitæ ambulaturi ſint. 7) *Socinus P. I. de Servat. c.* 4. Non per imputationem, ſed imitationem juſtitiæ Chriſti & obedientiæ ejus, quæ nos ita ut Chriſtus DEO obediamus, nos juſtificari docet. Chriſti fides, quæ nos juſtificat. reipſa nihil aliud eſt, quam ejus præceptis obedire ſpe futuræ immortalitatis. *Socin. Tract. de Fid. & oper. p.* 54. *D. Scherz. Coll. p.* 631. 8) *Volckelius l. IV. de V. R. c.* 1. *p.* 168, *v. Colleg. Anti-Socin. D. Scherz. p.* 610. *ſeqq.* 9) *Socin. tract. de Eccleſ. & miſſ. Miniſtr. c.* 1. *v. D. Calov. Sociniſm. p.* 935. 10) *Oſterod. inſtitut. c.* 42. *p.* 412. 426. ubi affirmat, non neceſſe eſſe ſtatuere ſemper aliquam, præſertim viſibilem fuiſſe Eccleſiam. *Volckelius l. V. de V. R. c.* 7. *p.* 391. *it. Theophil. Nicolaid. contr. Miedzyboz.*

certis (11) notis insignem, vel 12) ordinario ministerio indigentem; SANCTORUM, qui sacramentis ceu (13) ceremoniis christianis initiat: Christianismo, 14) Christum colunt & studio pietatis vacant, COMMUNIONEM externam, secta-

e.2. p. 72. Negamus, quod necesse sit Ecclesiam J. C. semper ab eo tempore, quo a Christo & Apostolis fundata est, durare v. *D. Scherz. Coll. cit. p.* 978 (11) *Smalz. c. Franz. p.* 282. Notæ Ecclesiæ nullæ sunt, nec ut sint, necesse est, it. *Volckell. VI. de V. R. c.* 17. *p.* 706. *v. D. Calov. Socinism. p.* 939 12) *Smalz disp. VI. de Eccles. c. Franz. p.* 386. ait: Firmum maneat, quemadmodum aliquis alios docere potest, etiamsi a nemine sit vocatus aut missus, sic etiam ritus illos sacros administrare eundem posse, absq; missione v. *D. Scherz. Coll. cit. p.* 1000. 13) *Schlichtingius contra Meisner. de Trinitat. f.* 2. *c.* 6. ex hydrothesi, quod Sacramenta sint tantum ritus Christiani, scribit: Articulus de cœna & Baptismo ignoratus aut repudiatus salutem non adimit, dummodo quispiam cœna domini & baptismo utatur *Socin. de Baptism. aquæ Disp. p.* 229. *seqv.* baptismum rem indifferentem esse disputat. v. *D. Scherz. Colleg. cit. p.* 762 *seqv. it.* 750 *Catech. Racov. c.* 3. *de cœn. Dom. q.* 11. Nos ritus istius naturam in panis fractione & usu & e poculo potu, perque hæc in mortis Christi repræsentatione quadam sitam esse dicimus. 14) *Smalz c. Franz disp.* 8. *de Eccles. p.* 282. Credimus, omnes illos, Lutheranos & Calvinistas & alios, qui a Papatu defecerunt, in unam Ecclesiam congregari posse, si Spiritu Jesu Christi se regere paterentur, & charitatis officiis potius, quam istis odiis mutuis certarent. Nam quod pro regula immota & maxima nos quidem

sectarum vocabulis tamen distinctam: REMISSIONEM PECCATORUM 15) quorundam, sine 16) fide in Christum parabili: CARNIS non (17) ejusdem numero & substantia RESURRECTIONEM ET VITAM ÆTERNAM in 18) V. T. ignoratam nec 19) gradibus præmiorum distinctam,

tenendum censemus) NB. inter quos DEUS & JEsus Christus rite colitur & adoratur, & inter quos studium pietatis secundum Christi præcepta viget, ii omnes pro Christi Ecclesia haberi possunt & debent. v. *D. Scherz. Coll. cit p.* 979. *& D. Calov. Socinism. p.* 942. 15) *Schlichting c Meisn. qv.* 1. *p.* 25. si sit homo, qui in peccatis manserit eo usque, ut ei non amplius tantum temporis suppetat, ut vitam & mores emendet, utpote cui moriendum jam sit, quicquid tandem lacrymarum profundat, & quamcunq. in partem se vertat, vi Novi Fœderis damnandus est 16) *Smalzius c. Franz. p.* 353. ad naturam pœnitentiæ non pertinet fides, sed consequens ejus est, quod ex divina benignitate accedit. *Socinus Part. III. de Servat. Chr. c.* 9. negat nos remissionem peccatorum per et propter sangvinem ac mortem Christi consequi. v. *D. Calov. Socinism. p.* 747. 17.] *Smalz Exam. c. Error. ad err.* 89. *p.* 36. Corpora hæc, quæ nunc circumferimus, resurrectura, non credimus sed alia nobis danda esse, ab Apostolo edoceri statuimus v. *D. Scherz. Coll. cit. p.* 1194. 18) *Socinus lib. quod regni Pol. c.* 7. *it. part. IV. contra Palæolog. p.* 349. In V. T. promissio vitæ æternæ nulla fuit. v. *D. Scherz. coll. cit. p.* 361. 19) Negat *Smalzius* v. *D. Scherz. Coll. cit. p.* 1225. *& D. Calov. Socinism. p.* 1110.

Digitized by Google

§. 9.

Ex diversitate hac sensus, quem contra Scripturæ S. analogiam, modo nominatæ sectæ Symbolo Apostolico affingunt, satis opinior, liquet; gravissime errare Syncretismi patronos, qui cum *M. Antonio de Dominis lib. 7. de Republ. Eccles. in calce*, tradunt, hoc Symbolum esse medium idoneum conciliandi religiones toto cœlo diversas. Confer tabulas heic insertas, earumque diversas sententias expende, & quam lubricum ac falsum hoc Syncretismi fundamentum sit, facile deprehendes.

CAP. IX.

DE SYMBOLO NICENO.

§. 1.

SYmbolum *Nicenum* dicitur a *synodo*, seu *concilio Niceno Oecumenico*, quod A CHR. CCCXXV. svasu Alexandri Episcopi Alexandrini, Imperator Constantinus M. ex omni Asia, Africa & Europa convocatis CCCXVIII. Episcopis in Regia sua Niceæ urbis Bithyniæ habuit, ut hæresin Arii Presbyteri Alexandrini, qui Christum Deo Patri esse ὁμοούσιον καὶ συναΐδιον negabat, ex S. literis convincerent ac damnarent. v. *Theodoret. H. E. l. 1. c. 5. 6. 7. Euseb. l. III. de vita Constantini c. 10. Sozom. l. 1. c. 16. Socrat. l. 1. c. 5. 10. & Severini Binii tom. 1. concil. in not. ad Const. Nic. lit. K.*

§. 2. Hoc

§. 2.

Hoc *Symbolum*, prout libris noſtris Symbolicis inſertum etiam *Conſtantinopolitanum* dici poteſt. Nam plane illos articulos continet, quos in concilio Conſtantinopolitano anno CCC LXXXI. Patres CL. regnante *Theodoſio* Seniore, Niceno addiderunt, vid. *Theodoret. Hiſt. l. V. c. 9.* Idcirco etiam idem Symbolum (*Conſtantinopolitanum*) quo in Miſſa utuntur Papæi, a ſcriptoribus paſſim appellatur *Nicenum* vid. *Lombard l. 1. diſtinct. XI. & Alexandr. Aleſium Part. III. Quæſt. 69. membr. 5.* Quia, quicquid continetur in Niceno, id iisdem verbis in Conſtantinopolitano repetitur: & quicquid adpoſuit Conſtantinopolitanum, id δυνάμει h. e. potentia ſive virtute ineſt Niceno, quod majoris lucis cauſa poſtea adjectis paucis verbis explicatum fuit. Præter hanc aliam cauſam adducit *Voſſius diſſert. III. de Symbol. n. 8. 58. ſeqv.* Atque hinc forte eſt, quod ſi Conciliorum Tomos conferas, aliqua hic diſcrepantia deprehendatur.

§. 3.

Symbolum autem hoc (obſervante *B. Carpzovio in Iſag. cit. p. 55*) ita appellatur ad differentiam *Canonum* in eadem Synodo Nicena conditorum. *Canones* enim dicuntur ad diſciplinam Eccleſiaſticam pertinere: *Symbolum* vero doctrinam fidei exprimit. Canones hujus concilii & aliorum, in Gallia edidit *Chriſtopherus Juſtellus*, cujus

cujus editionem, non ita pridem *Helmſtadii repetiit Gebhardus Theodor. Meierus.*

§ 4.

Quis in concilio dicto *compoſuerit Symbolum* hoc, inter doctos diſceptatur, aliis *Hoſium Cordubenſem Epiſcopum*, aliis *Macarium Hieroſolymitanum*, aliis *Euſebium Nicomedienſem*, aliis *Euſtachium Antiochenum* Epiſcopum nominantibus *conf. B. Dorſchei Exercit. ad Διατυπωσιν Concil. Nic.* Nos de Scriptoris nomine parum ſolliciti, ex actis colligimus, diligenter cognita ac diſcuſſa Arii ſententia, ipſum Imperatorem & Epiſcopos præſentes, collatis inter ſe ſententiis, communi conſenſu hoc Symbolum ex ſacris litteris condidiſſe; quisquis etiam ſcriptor, aut (ut vulgo loqui amant) *concipiens* fuerit. Si *Athanaſii Epiſt. ad ſolit. vit. agend. Tom. 1. opp. f. 647.* inſpicimus, Ariani teſtantur, *Hoſium*, formulam fidei, quæ Symbolum dicitur, concepiſſe. Quod etiam *Binius Tom. 1. Conc. fol. 263.* concedit. Falſo autem adponit ipſum fuiſſe *Legatum ſedis Apoſtolicæ*, cum Scriptores antiquiores hujus concilii omnes tantum duorum legatorum, ſeu potius nunciorum Epiſcopi Romani meminerint, *Viti* ſcil. (alias *Victor* dicitur,) & *Vincentii* Presbyterorum. vide *hiſtoriam Synodi Nicenæ*, quam ſingulari ſtudio *Joach. Camerarius* adornavit, ac *Chronologiæ Nicephori ſubjunxit*, anno 1566.

§. 15.

§. 5.

Argumentum & ſcopus Symboli fuit, aſſertio *unius Dei eſſentiæ in tribus diſtinctis perſonis Patre, Filio & Spiritu S.* Nam unitatem eſſentiæ divinæ & Perſonarum Trinitatem, in una iſta eſſentia, expreſſo cujusque Perſonæ charactere perſonali confirmat Symbolum. v. *iſag. B. D. Carpzov. p. 54.* Ceterum in eodem concilio controverſia de die, qua *Paſcha* celebrari debebat, ſopita, & C. *Meletii* ac *Novatianorum* dogma, de neganda lapſis pœnitentia & receptione in communionem Eccleſiæ proſcriptum fuit, conditis ſimul canonibus de externa Eccleſiæ diſciplina.

§. 6.

Hanc *orthodoxam* & *Catholicam ſententiam* impugnaverat *Arius Presbyter Alexandrinus.* Nam dixerat *Alexander* Archiepiſcopus aliquando præſentibus Epiſcopis & Clericis, eum de perſonis divinis verba faceret, in *Trinitate* eſſe *unitatem:* inde cum de re ardua & aliena a captu rationis humanæ diſputaret eruditius, & Philoſophice magis, quam Theologicam ſimplicitatem decere crederetur: tum *Arius*, ſive exiſtimans ab Archiepiſcopo Sabelli Afri Judaiſmum aſſeri; ſeu antiam hanc oſtentandæ coutra illum doctrinæ ſuæ cupide arripiens contrarium plane defendere, & omni contentione verborum Archiepiſcopum retellere cœpit: Non *eſſe unum filium cum Patre*, quippe cujus origo demonſtretur, ſi, cum inquit, *genuit Filium*

Pater

Pater, est initium aliquod Filii, & extitit hic & non fuit aliquando: ἦν, inquiebat, ὅτ' οὐκ ἦν υἱὸς. Ulterius argutabatur, sequi Filium extitisse illum quidem, sed extitisse de nullis rebus, quæ res essent: id est, ἐξ οὐκ ὄντων τὴν ὑπόστασιν ἐσχηκέναι. Nam Latino sermone hæ res exponi atque demonstrari commode nequeunt. Mox addidit alia contumeliosa verba in Filium Dei, ipsum creatum & factum esse, id est ἔναι κτίσμα, καὶ ποίημα, negans Filium Dei esse τῷ πατρὶ ὁμοούσιον καὶ συναΐδιον vid. *Camerarii Histor. cit. p. m. 183. seq.* Dogma Arii, qui ex Antiquis cognoscere, avet, *Theodoretum l. 1. c. 4. & 5. Epiphanium Hæres. 69. evolvat.* adde *Euseb. l. 11. de vit. Constant. c. 63. Sozomen. l. 1. c. 15.* Nuper eadem hominis dogmata descripsit, & propagare studuit *Christophorus Sandius, in Nucleo Hist. Eccles. quam vocat, f. 238. 239 sqq.*

§. 7.

Impio vero illius dogmati opponitur *Symbolum* a Catholicis compositum. Quod Imperator & concilii Patres exceptis post Arium nonnullis Episcopis excummnnicatis, subscriptione sua (quamvis ex parte dolosa,) omnes adprobarunt, & confirmarunt, scriptisque epistolis, Ecclesiis Christianis commendarunt. vid. *Theodoret. l. 1. c. 7. & 8. & ex eo Nicephor. l. 8. c. 18. Socrat. l. 1. c. 9.* Et quanquam Arius suos haberet complices; tamen veritati in concilio assertæ cedere coactus fuit. Erat, cum ita efferri animo cœpit, ætate admodum grandi, ingenio

nio perquam callido, natura ſimulatrice, inceſſu lento, ac vultu ſemper demiſſo, oſtentator ſanctimoniæ tam habitu, quam aliis rebus. Affabilis autem & comis & propter facundiam idoneus ad animos voluntate hominum ſibi conciliandos & conſtituendam autoritatem profeſſionis ſuæ. v. *Camerarius*, qui hominis vitam & mores in compendio deſcribit *l. c. p. m. 179. ſeq.* Cæterum *Arius* jam ante quidem ab Alexandro Epiſcopo Alexandrino, ordine & officio Presbyteri privatus, & in frequenti ſynodo Epiſcoporum Alexandrina convictus & excommunicatus fuerat. *Socrat. l. 1. c. 3.* Verum cum *Euſebius Nicomedienſis* & aulici Imperatoris Conſtantini M. controverſiam hanc mire extenuarent, & Arius illam interim propagare ſtuderet, publico orthodoxorum conſenſu in concilio, anathemate ipſe cum doctrina percuſſus fuit. v. *Socrat. l. 1. c. 5. 6.*

§. 8.

Huic *Symbolo Niceno*, *Conſtantinopolitanum*, cujus ſupra facta eſt mentio, addit quoad verba de *prima* perſona Deitatis, *factorem cœli & terræ viſibilium & inviſibilium*; deinde de *ſecunda*, Chriſto, 1) *natum ante omnia ſecula*: 2) *ex Spiritu S. Maria Virgine*: 3) *ſedet ad dextram Dei*: 4) cujus *regni non erit finis*: De *tertia* Spiritu S. quæ ſequuntur, *de una ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia*; *de uno baptiſmate in remiſſionem peccatorum*; *de reſurrectione mortuorum* & *futuro ſeculo*

culo. Verba autem de *processione Spiritus S. a Patre & Filio* multis post seculis fuisse apposita. *Vossius dissert. III. §. 15. de Symb. p. m. 63. seq. probat.* Synodus Ephesina postea prohibuit Symbolo Niceno quidquam ulterius adjicere. vid. *Evagrii Hist. Eccles. l. II. c. 4. f. m. 516. 517.*

§. 9.

Hujus Symboli tanta in Ecclesiis Græcis fuit autoritas, ut id confiteri necesse habuerint Patriarchæ & Archiepiscopi, quando dignitatem ecclesiasticam consecuti sunt. Id quod ex Jure Græco-Romano a *Marqv. Frehero edito p. 400.* colligi potest.

CAP. X.
DE
SYMBOL. ATHANASII CONTRA ARIANOS SCRIPTO.

§. 1.

HUnc *titulum* præ se fert *Symbolum* ex sententia vulgari, quæ illud *Athanasio* Episcopo Alexandrino tribuit. Nam hic ipse primum Diaconus Alexandrinus Concilio Niceno interfuerat, ac *Alexandro* Episcopo suo seniori in disputatione contra *Arianos* tam mascule adstiterat, ut *Sozomenus l. 1. c. 16. f. m. 218* scripserit, eum maximam partem concilii de his rebus suscepti sustinuisse, visum esse. Hinc & *Eusebiorum* & *Arianorum* odium incurrit gravissimum, quod *Neo-Ariani* & *Sociniani* hodie passim

passim continuarunt. v. *Christoph. Sandii Nucl. Hist. Eccles. l. II. p. m. 176. 179. 180. 188. 189. 220.*

§. 2.

Verum, utut sententia hæc vulgo a multis Pontificiis Theologis recepta sit; cum *Cammerario* tamen *in Catech. Gr. Carpzovio in Isag. p. 72. & Vossio differt n. cit.* ab illa nobis discedere licebit; quia (1. illud non adparet in ejus cod. MSC. v. *Abrah. Scultet. in Med. Patr. part II.* de *Athanasio c. 40.* (2 quia *Athanasius* istius non meminit in historia; quam Epistolis de fuga sua & Apologiis prætexuit; nec qui ejus vitam signarunt, illius mentionem faciunt: (3. quia dissentientes fatentur, longo post tempora *Athanasii* spatio, Ecclesiæ fuisse ignotum, & circa annum millesimum demum in Ecclesiis aliquibus obtinuisse. Hinc cum seculo MCC. ex hoc Symbolo contra Græcos pugnarent Latini, non constitit plane, utrum vere *Athanasii* esset? nec *Patriarcha Alexandrinus* & *præses Constantinopoleos*, pro Germano illud Symbolum habere voluit. Taceo alias rationes, quas *doctissimus Vossius* l. jam c. collegit.

§. 3.

Id verisimile est, *cognomen* hocce *Symbolo* fuisse additum, qüia *summum fidei Athanasianæ* continet; adeo ut ex libris ejusdem adornatum esse videatur. Perinde ut *Apostolicum* a doctrina *Apostolica* appellari svevit. Ita cum *Athanasius* maximopere hujus Symboli doctrinam contra Aria-

nos olim defenderit, fieri potuit, ut longe post ipsius fata ab *Athanasio* eidem nomen sit inditum.

§. 4.

Lingua primum *Latina* hoc *Symbolum exaratum* est; sed postmodum Græce redditum fuit. Quod iterum argumento est, illud ab *Athanasio*, quippe Græco Scriptore, non fuisse compositum Atque hinc *Vossius* Latinum purius esse Græco putat, quod non sit unius modi, sed variet. vid. *Vossius dissert. II. n. 23 p. 54.*

§. 5.

Argumentum ejus sunt *duo præcipua Catholica* sive *Christianæ fidei mysteria*; *alterum* SS. Trinitatis; incarnationis Filii DEI *alterum*, quorum hoc vetus Ecclesia *Oeconomiam*, illud vero *Theologiam* quasi κατ' ἐξοχὴν appellavit. vid. *Basilii M. C. II. contra Eunomium fol. m. 660. seqq. edit. Gr. Froben. & Greg. Nazianzen. Orat. XLII. in S. Pascha. 2. f. m. 676. edit. Parisin. Jacobi Billii Prunæi*, ubi uterque dicta mysteria describit & egregie commendat.

§. 6.

Fides horum mysteriorum, quæ Symbolo continentur, maximopere in principio ejus commendatur: *Quicunque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat Catholicam fidem. Quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit.* Hoc Exordium ejus superbum & crudele *Arminianis Remonstrantibus* videtur.

detur. v. *Nicolai Vedelii Arcanæ Arminianiſmi l. 1. c. 6. Stephanus Cucellæus diſſert. 1. de voribus Trinit. Perſonæ &c. opp. fol. 824.* arrogantem præfationem dicit; qua ſic multas Chriſtianorum myriades, qui iſta non intelligunt, ac proinde credere nequeunt, orco damnarit. Verum, ſi, ut par eſt, ſcripturam S. ſcruteris, nihil iniqui continet. Nam ſi in N. T. omnibus ſalvandis neceſſaria eſt cognitio Dei Triunius, adeo ut baptizantes ac baptizati in actu baptiſmi debeant credere in Deum Triunum, in quem baptizant & baptizantur. Matth. XXVIII. 29. etiam in V. T. hæc fides neceſſaria fuerit, oportet; cum Patres non per aliam fidem ſalvati ſint, quam nos in N. T. Act. XV, 11. Hic modos, quo Abraham juſtificatus fuit, communis eſſe dicitur omnibus juſtificandis & ſalvandis Rom. IV, 23. 24. conſequenter etiam idem objectum fidei juſtificantis erit. Sane Chriſtus Joh. VIII, 24. confirmat: *Amen, Amen dico vobis, niſi credideritis, me eum eſſe*, ſcil. quem vos negatis, æternum Deum; non nudum hominem, Pſ. LVII. LIIX) *moriemini in peccatis veſtris*. c. XVII., 3. vita æterna acquiritur per cognitionem, quod Chriſtus æque ſit verus Deus, ac Deus Pater & 1. Joh. II, 23. *Qui negat Filium* (ſcil. prout ſeſe revelavit) *nec Patrem habet*. Et porro, *ſi quis Spiritum Chriſti non habet* non eſt *ejus*, Rom. VIII, 9. it nemo *poteſt Jeſum dicere Dominum, niſi per Spiritum S.* 1, Cor. XII, 3. Ex

quibus opinor satis liquet, fidem Symboli Athanasiani esse *Catholicam*, ac omnibus ad salutem æternam consequendam necessariam. vid. *D. Hulsemanni Brev. extens. c. II. n. V. & VII.*

§. 7.

Hoc memoratum *Symbolum*, una cum *duobus illis* supra nominatis *Oecumenicis*, præmittitur hic libris nostris Symbolicis, ad demonstrandam conformitatem fidei nostræ cum fide antiqua Catholica, a qua nos defeciisse passim adversarii clamitaverant. Eandem ob causam sub finem *Concordiæ*, subjungitur *catalogus testimoniorum* tum divinorum tum humanorum, quæ sententiam Lutheranorum, de Persona, & de divina Majestate humanæ naturæ Domini nostri JESU CHRISTI confirmant.

CAP. XI.

DE

ALIIS SCRIPTIS THEOLOGICIS, PUBLICA AUTORITATE, POST LIBROS SYMBOLICOS, EDITIS.

§. 1.

PRimum Scriptum est *Apologia Formulæ Concordiæ*, quam supra cap. VI. §. 10. descripsimus, vid. *D. Hutteri Concord. Concord. C. XLV. f. 276. seqq.*

§. 2

§. 2.

Alterum continet *quatuor Articulos viſitationis Miſnicæ*, qui Calvinianis, in Saxoniam clam palamve irrepentibus fuerunt oppoſiti. Nam mortuo *Chriſtiano I.* Electore Saxoniæ, *Fridericus Wilhelmus* Dux Saxoniæ, Tutor Filiorum Principum & Adminiſtrator ditionum factus, Torgaviæ *anno* 1592. *Menſ. Febr.* prius conventu ordinum provincialium indicto, curam de Religione pura conſervanda, primum ſuſcepit. Mox inſequenti menſe Majo *Lipſiæ* de viſitatione Eccleſiarum & Scholarum in Electorali Saxonia & Miſnia denuo conſultatum fuit; & cum omnibus hoc Religionis conſervandæ ſtudium probaretur, *Viſitatio* illa non ſolum per viros prudentes & doctos peracta, ſed & quatuor *Viſitationis Articuli*, tum temporis propter Calvinianos maxime controverſi, per *D. Ægidium Hunnium*, *D. Mirum*, *Mylium*, *Herbartum*, *Lonnerum & Mamphraſium* conſcripti fuerunt.

§. 3.

Primus eſt *de* S. *Cœna*, ſecundus, *de Perſona Chriſti*, tertius, *de Baptiſmo*, quartus, *de Prædeſtinatione*, confer. *quoad hiſtoriam D. Hutteri Concord. conc. c. XLIX. f. 332. ſeqq. & Triad. Electoral. Auguſtini Brunnii. p. 472. ſeq. quoad Doctrinam.* vide gründliche Verantwortung der IV. ſtreitigen Articul, quam *B. Hunnium* adornaſſe putant; nec non *B. Balduini* XIII. *Diſputationes* pro *Viſit. Miſn. libelli*

Witteberga, Anno 1607. & *D. Heinrici* Anno 1662. *Disp. Lipsiæ editas.*

§. 4.

Tertium, est Decisio *quatuor illorum inter aliquos Theologos Augustana Confessionis controversorum capitum principaliorum, de vera descriptione Filii JESU CHRISTI apud creaturas, nec non de incessante & plenario dominio Christi secundum humanam naturam in statu humiliationis, & quid humiliatio, exinanitio, ac evacuatio Christi sit*, jussu sc. Electoris Sax. JOH. GEORGII I. a Theologis Saxonicis anno 1624. conscripta. Et cum Theologi Wittenbergici mox super *Decisione Amicam Admonitionem* ederent; Theologi Saxonici *Apologiam* seu *Assertionem Decisionis*, ex mandato laudati Electoris Anno 1625. adornarunt. v. *ejusdem Præfat.* & *D. Feurbornii κενωτικὴν Christologicam Marpurgi Anno 1627. edit*

§. 5.

Quartum est *Decisio controversiæ Rathmanniana*, quæ nomen a *M. Hermanno Rathmanno, Ecclesiaste Dantiscano*, accepit. Is enim *internam vim & efficaciam verbi divini homines convertendi & salvandi, partim in dubium vocasse*, partim negasse arguebatur. Hinc jussu Electoris modo laudati *refutatio* istius opinionis conscripta legitur. vid. *Rathmanni Tractat.* cum refutationn anno 1629. Lipsiæ editum & *B. Carpzov. Isag. in Libr. Symb. Artic. V. A. Confess. p. 250. seqq. nec non Calovii Syst.*

Syſtem. Theolog. Tom. I, c. IV. qv. 24. p. 696. ſeq. ſunt tamen, qui mentem *Rathmanni* male intellectam fuiſſe probarunt.

§. 5.

Quintum Scriptum eſt, *Defenſio Pupillæ Auguſt. Confeſſionis*. Hanc Theologi Saxonici peculiari juſſu Ser. Electoris Sax. contra Jeſuitas ſub nomine nothwendige Vertheidigung des Heil. Röm. Reichs Evangeliſcher Churfürſten und Stände Augapfel, ꝛc. Anno 1628. Lipſiæ adornarunt. Jeſuitæ enim (ut ſunt ſubdoli & turbidi homines,) neſcio, quæ figmenta de negata Aug. Confeſſionis exiſtentia, veritate, ſenſu ejusque mutatione, & pacis propter religionem initæ incertitudine, paſſim editis virulentis ſcriptis, ſparſerant. Et cum edita jam Apologia nominata, Jeſuitæ denuo ſcriptis immani maledicentia fœtis, Proteſtantes in Germania omnes impeterent; laudatiſſimus *Elector Sax.* Theologis ad id negotii deputatis injunxit, ut novam *Pupillæ Apologiam* conſcriberent, quæ *Lipſiæ* anno 1631 ſub nomine. Nochmahlige unvermeidentliche Haupt-Vertheidigung des Heil Röm. Reichs Evangeliſcher Chur-Fürſten und Stände hochwerthеſten Augapffels und theuren Kleinods, prodiit. In hujus operis (quod ſolidam refutationem Papiſmi continet,) elaboratione præcipuas partes fuiſſe *B. D. Matthiæ Hoë*, nuper ex ipſius *αὐτογραφῳ* me *Amicus* meus *ſingularis* docuit. v. *libri hujus præfat.*

§. 9.

Cæterum quæ de infelici ſtudio Syncretiſmi, hoc ſeculo maxime invaleſcentis, publica autoritate paſſim in Academiis ſcripta fuerunt edita, nolo commemorare; cum partim in vulgus nota ſint; partim infra de eo dicendi reditura ſit occaſio. Itaque hæc quoad hiſtoriam librorum Symbolicorum, & quæ his cognata ſunt, in compendio dixiſſe ſufficiant.

AP-

Digitized by Google

APPENDIC. TRIPARTITÆ

PARS II.

CONTINENS

SYLLABUM CONTROVERSIARUM, SECUNDUM LOCOS THEOLOGICOS,

EX

LIBR. SYMBOLICIS DIGESTARUM.

Cap. I.

DE

PRINCIPIO FIDEI ET RELIG. CHRISTIANÆ.

§. 1.

PRincipium & norma doctrinæ Christianæ est sola Scriptura S. Codice V. & Novi Testamenti Canonico comprehensa. vid. *Epitom. Artic. p. 570. seqq. & solid. declarat. p. 632.*

Contra Pontificios, qui traditiones *pari pietatis affectu* cum verbo scripto amplectendas esse sciscunt. vid. *Concil. Trident. sess. IV.* Fanaticos ut Schvvenckfeldium, Weigelium, & Anabaptistas, qui *verbum internum* & enthusiasmos pro principio cultus divini venditant *Solid. Declarat. F. conc. p. 655.*

§. 2.

Si Scriptura S. sola est norma Religionis, oportet.

1) Illam esse AUTHENTICAM & *indubiam*, ut possit alterum reddere certum: Contra Pontificios αὐθεντίαν scripturæ S. passim impugnantes: v. *Gord. Huntlæi controv. c. 1. §. & Bellarmin. l. II. de V. D. c. 11. §. quos refutat D. Glassius Philolog. S. lib. 1. tract. 1.*

(2. Oportet esse quoad AUTORITATEM INFALLIBILEM, contra Pontificios, qui illam suspendunt ab autoritate Ecclesiæ, & *Socin. tract. de autorit. script. p. 8. 79.* ubi Script. S. certam posse fidem facere negat.

(3. Oportet esse PERFECTAM, ut omnia ea mensuret, quorum norma est, contra Pontificios, qui cum *Bellarm. l. IV. de V. D. c. 12.* Scripturam sacram pro partiali tantum norma habent, quique *c. 3.* diserte negat, in ea expresse *totam doctrinam necessariam contineri.*

(4. Oportet esse PERSPICUAM alias vicem normæ non sustinebit, quod negat *Bellarm. L. III. de V. D. c. 1. it. L. III. de R. P. c. 21. Gregor. de Valent. l. IV. Analys. c. 2.* confer. *Sess. IV. conc. Trident.*

(5. Oportet esse IMMUTABILEM, ac *adeo sibi semper constantem*, quod negant Pontificii, qui & corruptionem fontium & multos libros Canonicos deperditos esse statuunt. *Bellarm. l. II. de V. D. c. 2. it. Jacob. Gretser. defens. Bellarm. l. II. c. 11. it. Bellarm. l. IV. de V. D. c. 4.*

§. 3.

§. 3.

Scriptura S. in *Legem* & *Evangelium* ceu duos locos præcipuos diſpeſcitur; quorum illa *facienda* hoc *credenda* homini proponit. v. *Apol. A. C. p. 60. & p. 94.*

Contra *Pontificios* Legem & Evangelium confundentes: it *Socinian.* & *Arminianos* novam legem Evangelicam comminiſcentes. Qua hypotheſi etiam *H. Grotii opus de J. B. & P. contaminatur*, v. *lib. 1. c. 3. n. 6.*

§. 4.

Symbola tria Catholica, *Apoſtolicum* videlicet, *Nicenum & Athanaſii*, quia in verbo DEI ſolide fundata ſunt, Chriſtique doctrinam continent, Lutherani poſt Scripturam S. primo loco quidem profitentur; nequaquam vero pro norma & regula univoce & proprie ſic dicta dogmatum fidei fundamentalium habent. vid. *Epitom. Artic. p. 371. & ſolid. Declarat. p. 632.*

Contra Papiſtas *Jac. Bajum, l. 1. inſtit. Relig. Chriſt. c. 27. p. 25. Ederum in Partit. Theolog. l. V. tab. 72. p. 673. ſecutum Vigverium c. 5. inſtitut. p. 1. Baronium lib. 1. Annal. ad A. Chr. XLIII. n. 15. f. 317.*

§. 5.

Patrum ſeu Doctorum Eccleſiæ ſcripta eatenus a Lutheranis recipiuntur, quatenus S. litteris congruunt & de Religione vera teſtimonium perhibent. vid. *Epit. Artic. p. 570. & 572. Solid. Declarat. p. 635.*

Con-

Contra Pontificios *Gordon. Huntlaum controv. II. c. 20. p. 317. Melchior. Canum l. VII. LL. comm. c. 3. & Matthæum Scrivenerum* Presbyterum Anglicanum in *Apologia pro S. Ecclesia Patribus, adversus Joann. Dalleum Londin. ann. 1672.* edita, qui autoritatem Patrum, Scripturæ S. vel æquiparant; vel cum *M. Anton de Dominis LVII. de Rep. Christ. c. 6. & Novatoribus* consensum Patrum quinque secularem pro Religionis Christianæ principio venditant.

§. 6.

Libri nostri Symbolici non continent *novam* Religionem, sed *antiquæ* veræ Prophetico-Apostolicæ doctrinæ in verbo DEI propositæ declarationem & confessionem. vid. *præf. non procul a fin. Epitom. artic. p. 571. Solid. Declarat. p. 632. seqq.*

Contra calumnias partim *Pontificiorum* Lutheranos passim novitatis in religione accusantes, vid. *Gregor. de Valentia Analys. l. 1. c. 3. p. 4. it. c. 15. p. 13. Costerus Enchirid. c. 2. de Eccles. 1. p. 108. II. p. 79.* partim *Calvinianorum*, qui Formul. Conc. novitatis passim arguunt. vid. *Hornbeckii Summ. Controvers. p. 659. seqq.*

§. 7.

Libri Symbolici non obtinent in Ecclesia autoritatem judicis, sed duntaxat pro religione nostra testimonium dicunt, eamque explicant ac summam ejus complectuntur. vid. *Epit. Artic. p. 572. Solid. Declarat. 635.* quando in præfatione Conc.

Conc. circa finem, Formula Concordiæ *norma* purioris doctrinæ appellatur, intelligitur *norma professionis* fidei in verbo Dei propositæ, non *norma fidei & religionis* in se consideratæ vid. *D. Dannhaueri Salv. Reform. p. 15. D. Grauer. part. 1. Prælect. in A. Conf. p. 3 seq. it. D. Jacob Martini Colleg. Anti-Calvin. de principio fidei disp. 7. §. 7.*

Contra Pontificios autoritatem decretorum Concilii & sententiam, Ecclesiæ, Scripturæ S. æquiparantes. vid. *Alphons. a Castro l. X. adv. Hæres. verbo, Maria Virgo: Bellar. l. II. de Concil. c. 2.*

§. 8.

Libri nostri Symbolici non tantum Papatui opponuntur: vid. *Epit. Artic. p. 571. Declar. p. 631. & 828.* sed etiam aliis errores noxios in Ecclesia post Reformationem spargentibus. *Præfat. Solid. Declarat. p. 630.*

Contra *Alting. in F[illegible] Conf.* & Syncretistas, qui Reformatos inter Fratres & consanguineos fidei nostræ habere volunt.

§. 9.

Negotium Religionis & doctrinæ in libris Symbolicis propositæ cognitio, etiam ad Laicos spectat. vid. *Epitom. Artic. p. 571. Solid. Declarat. p. 634.*

Contra Pontificios lectionem Scripturæ S. & controversiarum religionis, laicis interdicentes, vid. *Concil. Trident. Sess. XVIII. & indices expurgatorios*

torios (verius corruptorios) *librorum*, ut *Hiſpanicus*, *Sandovalii Antonii de Sotomajor.* &c. *Hoſius Tom. 1. de Expreſſ. V. D. f. 664.* ſcribit, Laicis permittere lectionem Bibliorum, eſſe, ſanctum canibus & porcis margaritas objicere.

CAP. II.

DE DEO UNO ET SS. TRINITATE.

§. 1.

DEus eſſentia unus tantum eſt & unicus: in una vero illa divina eſſentia Perſonarum ſacroſancta Trinitas, eſt Pater, Filius & Spiritus S. Hinc unum Deum in Trinitate & Trinitatem in unitate cum fidelibus venerari tenemur. vid. *Symbola A. Conf. præmiſſa p. 1. 2. 3. & artic. 1. A. Conf. p. 9. Apolog p. 50. Artic. Smalc. p. 303 ſeq. Catech. Maj. 400.*

Contra Socinianos, SS. Trinitatem negantes, vid. *Crellii lib. 1. de Uno Deo c. 2. Socin. lib. ſvaſor p. 24. 32.* Hos refutat D. *Scherz. Colleg. Anti-Socin. p. 71. ſeqq.* item Manichæos, duos deos, unum *bonum*, alterum *malum* ſtatuentes.

§. 2.

Prima Perſona SS. Trinitatis eſt Pater omnipotens, creator cœli & terræ, factor viſibilium & inviſibilium, eorumque conſervator. vid. *Symbola cit. & art. 1. A. C. p 9.*

Contra Socinianos, qui DEUM Patrem ſolum æternum & omnipotentem eſſe negant.) vid. *Socini*

Præ-

Prælect. c. 8. & Symbol. Apoſt. ſupra *in ſenſu Socinian. propoſ. art. 1.*

§. 3.

Character ejus perſonalis, quo a Filio & Spiritu S. diſtingvitur, eſt *generatio* Filii unigeniti ex eſſentia ſua ab æterno. vid. *Symb. Nicen. p. 1. & Athanaſ. p. 4. Artic. Smalc. p. 303.*

Contra Socinian. *Catech. Racov. p. 266. Crelli de Deo & Attribut. Divin. 16.* vid. *D. Calov. Socinism. p. 149.* ſeqq.

§. 4.

Secunda Perſona SS. Trinitatis eſt Dominus noſter JESUS CHRISTUS, Filius DEI ex Patre natus ante omnia ſecula, Deus verus, de Deo vero; genitus non factus, conſubſtantialis Patri, per quem omnia facta ſunt, &c. vid. *Symb. Nicen. p. 1. & Athanaſ. p. 3. & 4. Artic. Smalc. l. c Declar. F. C. p. 829.*

Contra Socin. vid. *Socin. in Anti Wujeck. c. 5. Reſp. ad Claſſ. 3. arg. 1. quem refut. D. Calov. Socin. Proſtig. p. 296.* ſeqq.

§. 5.

Character ejus perſonalis eſt *generatio paſſiva* ante omnia ſecula ex ſubſtantia Patris. vid. *Symb. Nic. p. 1. & Athan. p. 4.*

Contra Socinian. negantes, vid. D. *Calov. Socinism. p. 193.*

§. 6.

Tertia Perſona SS. Trinitatis eſt Spiritus S. Dominus vivificans, qui ex Patre Filioque procedit: qui

qui eum Patre & Filio simul adoratur & glorificatur: qui locutus est per Prophetas & sanctificat Ecclesiam. vid. *Symb. Nic. p. 2. & Athanas. p. 3.*

Contra eosdem. vid. *D. Calov. Socinism. art. 3. controv. 1. 2. seqq.*

§. 7.

Character ejus personalis est *processio ex Patre & Filio æterna.* vid. *Symb. Nic. p. 2. & Athanas. p. 3.*

Negat *Socin. defens. Animadvers. p. 318.* & moderni Græci. vid. *Enchirid. de statu hodiern. Græc. Christophori Angeli Græci* cum *Annotat. Georgii Feblavii Epistol. dedicat. primæ edit. præmiss. non procul ab initio.* confer *B. Dannhawer. Styl. vindic. de Proceff. Spir. S.*

§. 8.

Præterea singulis SS. Trinitatis personis quædam opera externa, quasi propria, stylo S. scripturæ assignantur, ut DEO Patri *creatio*; DEO Filio *redemtio* generis humani; Spiritui S. *sanctificatio* Ecclesiæ. v. tria Symbola Cath. cit.

Contra Socinian. & Anabaptistas, qui hæc divinarum Personarum opera aut male explicant, aut negant.

§. 9.

Hæ tres SS. Divinitatis Personæ sunt ejusdem essentiæ infinitæ, coæternæ, coæquales: ita ut per omnia & Trinitas in unitate, & unitas in Trinitate veneranda sit. v. *Symb. Nic. & Athanas. p. 3.*

Con-

Contra Socinianos qui, ſolum Patrem ſummum & æternum Deum eſſe, docent, & *Arminianos*, qui Perſonarum ſubordinationem inæqualem ſtatuunt, v. *Curcellei Diſſ. de vocib. Trinit. diſſert. 1. opp. f. 811. 819.*

§. 10.

Nec tamen Pater eſt Filius, nec Filius eſt Pater, aut Spiritus S. Pater vel Filius: ſed hæ tres Perſonæ diſtingvntur realiter. v. *Symb. Athanaſ. p. 2.*

Negant Sabelliani, Samoſateniani, Serveti aſſeclæ, & qui cum *Keckermanno* modalem diſtinctionem effinxerunt; it. contra *Weigelium*, qui *Patrem* eſſe Filium & Spiritum S. ait, *Confeſſ. p. 23.*

§. 11.

Doctrina de SS. Trinitate Perſonarum in una divina eſſentia eſt Catholica, & ſine omni dubitatione credenda ac neceſſaria ad ſalutem æternam conſequendam, v. *Symb Athan. p. 2.*

Negant *Arminiani in Confeſſ. Apol. c. 2. p. 40. Armin. in præfat. Apolog. Reſp. ad ſpecimina Leidenſ. p. 81. ſeq. & Novatores*, qui Judæos ac Muhammedanos, ab idololatrias crimine abſolvere volunt.

§. 12

Deo huic Triuni competunt varia *attributa*, quæ *in Artic. 1. A. Conf. p. 9.* recenſentur, & eſſentiæ divinæ ſimpliciſſimæ ſummam ac ineffabilem perfectionem notant.

Hæc attributa DEI per falſam doctrinam ex parte impugnant Galviniani, v. *B. D. Meiſneri Ander-*

re Probe der Catholiſchen Religion, ubi demonſtrat, non poſſe abſolutum Prædeſtinationis decretum conſiſtere cum *omnipotentia, ſanctitate, ſapientia, veracitate & miſericordia DEI.*

§. 13.

Cum in Deum Trjunum credere fiducia divina debeamus, v. *tria Symbola p. 1. 2. 3. Catechiſ. Min. p. 366. Major p. 403. ſeqv.*

Contra Socinianos, invocationem Dei Triunius negantes & contra Pontificios, Sanctos invocantes v. A. C. *art. XXI. p. 19. Apolog. p. 223. ſeqq. Catechiſm. Maj. p. 405*

§. 14.

Soli Deo Triuni debetur tum *cultus internus*, ut fides, ſpes, delectio, honor, obſequium; tum *externus*, gratiarum actio, celebratio, preces, juramentum, confeſſio &c. v. *Catech. Major. precept. 1. 2. & 3. & eorundem expoſitionem.*

Contra *Pontificios* cultum divinum per idololatriam & invocationem Sanctorum contaminantes, & Epicureos eundem contemnentes.

§. 15.

Non tantum dona DEI, ſed tota SS. Trinitas per fidem in Electis habitat, tanquam in templis ſuis, v. *Declarat. F. C. p. 695. & 698.*

Contra Papiſtas, Socinianos & Weigelianos negantes, aut eſſentialem fingentes. v. *Weigelii Philoſoph. Myſtic. p. 146* confer. *B. Hülſemanni Breviar. extenſ. cap. XIV. ſupplem. theſ. 1.*

CAP.

Cap. III.

DE

CREATIONE UNIVERSI, ANGELORUM ET HOMINUM.

§. 1.

CReatio est opus solius DEI omnipotentis. vid. *tria Symb. Cath. & artic. 1. A. Conf. Artic. Smalcald. p. 303.*

Negat *Weigelius*, qui ab Angelis Astra & Elementa facta fuisse somniat, im Güldengriff, *p. 7.*

§. 2.

Causa *efficiens* creationis est tota SS. Trinitas v. *A. Conf. artic. 1. & artic. Smalcald. p. 303.*

Negant Sociniani, Arminiani & Judæi, soli Deo Patri creationem tribuentes. vid. R. *Menasse Ben-Israel de Creat. Probl. XIV.*

§. 3.

Mundus veré creatus est ex nihilô, nullâ præexistente materia vid. *Artic. 1. A. Confess. antithesin*, quæ Manichæorum hæresin damnat, τὴν ὕλην DEO coæternam statuentium.

Negant Philosophi Gentiles, *Aristoteles*, alii, & qui his adstipulantur, *Theologastri Weigeliani, & Paracelsistæ: it. Moscorov. Ref. Append. Smigl. p. 29. 30.*

§. 4

Subjectum creationis sunt partim *substantiæ visibiles*, ut corpora cœlestia & sublunaria, simplicia

& compoſita: partim *inviſibiles* ut *Spiritus creati.* vid. *Symb. Apoſt. & Nic. p. 1. & A. Conf. art. 1. p. 9.*

Contra Epicureos, Paracelſiſtas & *Weigelii Philoſoph. Myſtic. p. 178. ſeqv.*

§. 5.

Protoplaſtos noſtros, Adamum & Evam, Deus divina ſuâ imagine coruſcantes, puros & ſanctos creavit. vid. *Declarat. F. C. 1. p. 643. vel 645.*

Contra *Socinianos*, qui eosdem ſanctos fuiſſe negant. vid: *Socin. Prælect. c. 3. Smalz. c. Franz. p. 44.* & Scholaſticos ſtatum purorum naturalium fingentium v. *Bellarmin. lib. unic. de grat. prim. hom. c. 5.* nec non Arminianos, ſtatum hunc perfectionis impugnantes. vid. *Apolog. ipſorum c. IV. & V.* ubi inclinationem ad peccandum in homine ante lapſum fuiſſe aſſerunt.

§. 6.

Finis creationis & conſervationis rerum omnium à Deo intentus, eſt utilitas hominum & DEI gloria. vid. *Catechiſ. Maj. p 490.*

Non ergò medium proportionatum ex deſtinatione divina producendi homines proximè ad ſalutem æternam, ut *Armin. Reſponſ. ad Specim. p. 45. 104.* voluit, & poſt eum *Moyſ. Amyraldus in defenſ. ſentent. Calvin. de Abſolut. Decret. c. 12. ſub fin.*

§. 7

Non novimus, præter Adamum & Evam alios homines à Deo, initiô rerum fuiſſe conditos. vid. *Decl. F. C. p. 643.*

Con

Contra Judæos quosdam, qui, ante Adamum fuisse homines, somniârunt. Quam fabulam hoc seculo resuscitavit *Isaacus Peyrerius*, *Gallus*, *in tract. de Præadamitis.* vid. *Thomæ Bangii Cœlum Orientat. Exercit. II. p. m.* 132. Peyrerium inter alios refutavit *B. Dannhauerus*, in libro, cui titulus: PRÆ ADAMITA UTIS.

§. 9.

Mundus igitur non est æternus, sed in tempore creatus, vid. *Catech. Maj. p. 490.*

Contra *Aristotelem l. XII. Met. c. 7.* quem *Proclus*, *Plinius*, *Simplicius*, *Averrhöes* & alii Philosophi Gentiles secuti sunt: it. Epicurum, qui mundum ex atomis coaluisse deliravit. vid. *Lactant. lib. II. p. m. 185. seqq. edit. Servati Gallæi.*

CAP. IV.

DE PROVIDENTIA DEI.

§. 1.

ÆTerna DEI Providentia decretum creationis ordine sequitur. Hinc A. *Confessio art. 1.* Deum prius *creatorem* quàm *conservatorem* describit, vid. *p. 9.*

Invertunt ordinem hunc Calviniani, inprimis Supralapsarii, absolutum prædestinationis decretum defendentes. vid. *Bezæ tractat. de præstinat. non procul ab initio.*

§. 2

Providentia DEI ſeſe extendit in omnes res creatas. vid. A. *Conf. Artic. 1. p. 9. Catechiſ. B. Luth. Min. p. 370. Major. 490.*

Contra Epicureos & Philoſophos gentiles, ut Ariſtotelem, qui providentiam DEI circa ſublunaria corpora negant. vid. *Mornai libr. de Verit. Relig. Chriſt. c. XI.*

§. 3

Providentiæ divinæ objectum etiam ſunt res parvæ, ſeu bonæ ſint, quibus homo opus habet, ſeu malæ, quæ eidem accidere poſſunt. vid. *Catechiſ. min p. 370. Maj p. 490 ſeq.*

Negant aliqui Photinianorum & Arminianorum. Confer. *Petavium Tom 1. dogmat. Theolog. l. VIII. c. 4.* Negat quoque quod mireris, *Hieronymus* in Habac. c. 14. de Judæis vide *R. Majem.* N. N. P. III. c. XVII. ubi & dictum cit. Habac. pervertit.

§ 4.

Providentia DEI in actus quidem hominum influit dirigitque illos; ſed tamen ſingulis ordinariè libertatem ſpecificationis permittit; ita, ut præſentibus omnibus ad agendum requiſitis poſſint aliter agere. vid. A *Conf. ſſ. artic. XVIII. 15.*

Negant *Calviniani* & multi *Pontificii*, qui Thomiſtarum prædeterminationem amplectuntur. vid. *Leſſium lib. de grat. effic. c. Suarez. l. 3. de auxil. gr. c. 7. 8.*

§. 5.

Malas actiones & peccata Deus nullo cauſarum gene-

genere producit: Quanquam ad bonum finem dirigat. vid. A. *Confess. Ar. XIX. p. 15. & p. 64.*

Contra Calvinianos & Pontificios v. *Zwinglium tom. 1. fol. 364. l. de Providentia c. 5.* ubi DEum disertè injustitiæ autorem vocat: it. *Calvin. l. 1. Instit. c. 18. n. 1. Chamier. tom II l. 3. c. 3. p. 39.* qui DEum, causam peccati per accidens esse, vult idem *Cajetan.* in 2. Sam. XXIV, 1. *Alvarez. Disp.* XXIV. *de Auxil. Grat.* sentiunt.

§. 6.

Deus, licet ad tempus conniveat in præfractorum hominum malitiâ; tamen exserit tandem justitiam, qua delicta punit & cuique secundum opera retribuit. vid *Catechis. Maj. p. 412.* Solid. Declarat. F. Conc. artic. XI. p8. 13. 820.

Contra Epicureos & atheos, inde divinam providentiam in dubium vocantes aut negantes, vid. *Dn. D. Tobiæ Wagneri Exam. Elencht. Atheismi c. XXI.*

§. 7.

Præscientia DEI, quæ simul ad bonos & malos pertinet, non est causa mali, aut peccati, quæ hominem ad scelus impellat. vid. *Epitom. p. 617. Declarat. p. 798. seqq.*

Contra *Calvinianos*, qui prævisionem DEI causam rerum præscitarum faciunt. vid. *Maccov. πρῶτ. ψεῦδ. Arminian. c. 1. p. 103.* it. contra quosdam, *Pontificios*, v. *Vasquez. Tom. 1. disp. 68. c. 6.*

§. 8.

Deus peccata peccatis punit, h. e. excæcatione & indurationc, *Formul. Conc.* artic. XI. p. 820. contra Huberianos.

CAP. V.

DE LAPSU PRIMI HOMINIS EJUSQVE PECCATO CUM PRIMO, TUM ORTO.

§. 1.

LApsus Protoplastorum fuit liberrima declinatio voluntatis & exsecutio operis contra legem DEI, citra ullum DEI influxum moralem aut physicum decreti aut motus divini in talem actum. vid. *A. Conf. artic. XIX. & solid. declarat. F. C. c. 1. p. 641.*

Contra *Calvinianos*: qui docent, Deum hominem creasse, ut laberetur it. Deum id ideò præsciviſſe, quia decreto suo sic fieri constituerit: imò Deum impulisse hominem ad peccandum. vid. *Zanch. l. V. de Nat. DEI c. 2. Piscat. vol. 2. disp. p. 178. Calvin. institut. l. III. c. 23. n. 7.* Ausführlicher Bericht *Palatinor. c. 7. pag. 35. 317.* kurtzer Anhang *p. 171.*

§. 2.

Lapsum Protoplastorum secuta est naturaliter & moraliter perfectionis concreatæ amissio, & proclivitas ad malum. vid. A. *Conf. Art. II. p. 9. 10. & Solid. Declarat. F. C. c. 1. p. 640. seqq.*

Contra quosdam *Papistas in II. 2da Thomæ qv. 23. Socinianos.* vid. *Socin. Prælect. c. 4. p. 13. Catech. Racov. c. 10. pag. 294. & Arminianos*, qui inclinationem ad peccandum in homine primo ante lapsum

pſum fuiſſe tradunt cum Socinianis. vid. *Armin. artic. perpend. p. 18.*

§. 3.

Carentia perfectionis concreatæ & proclivitas illa ad malum, ſeu prava concupiſcentia, eſt veri nominis peccatum. vid. *A. Confeſſ art. II. pag. 10. Apolog. p. 57. Solid. Declar. p. 642.*

Contra Pelagianos, Pontificios. vid. *Concil. Trident. Seſſ. V. can. 23. Anabaptiſtas* & Socinianos, qui ad rationem peccati προαίρεσιν requirunt. it. *Arminianos*, qui peccatum proprie eſſe negant, *Apolog. Epiſcop. diſp. XX. th. 16.*

§. 4.

Hæc ipſa pravitas, quæ *peccatum originale* dicitur, (non illius tantum reatus) per naturalem generationem naturaliter in omnes poſteros Adæ propagatur; non vero per quandam judiciariam DEI conſtitutionem naturæ ſuperadditam. vid. *Aug. Conf. Art. II. & ſolid. Declarat. F. C. c. 1. pag. 641. ſeq.*

Contra *Pontificios*, qui pecc. orig. per reatum tantum exponunt. vid. *B. Chemnitii Exam. Conc. Trident. Seſſ. V. decret. 1. fol. m. 88. ſeqq.*

§. 5.

Peccatum originis non eſt pura privatio, ſed habitus quidam corruptus. vid. A. C. *Art. II. p. 10. Apolog. p. 55.*

Contra *Scholaſticos Pontificios*. vid. *Bellarmin. L. VIII. de amiſſ. grat. c. 16.* confer. *B. Chemnitii*

Exam. l. c. ubi Pighii & Ambrosii Catharini sententias proponit & confutat.

§. 6.

Peccati originis pravitas ex lumine naturæ non potest agnosci. vid. *Artic. Smalcald. part III. p. 317. Epitom. artic. pag. 575. Solid. Declarat. F. C. c. 1. p. 6 1. seq.*

Contra Scholiasticos ex philosophia Aristotelica de peccato originis ratiocinantes, confer. *Chemnit. Exam. Conc. Trid. f. 91.*

§. 7.

Corrupit quidem illa totam naturam hominis, ac infecit labe sua; non tamen est ipsa hominis substantia, sed accidens. vid. *Epit. artic. F. C. c. 1. p. 573. seq & solid. Declarat. p. 645. (corr. 645) seqq.*

Contra *Matthiam Flacium Illyric. qui in disput. cum Victorino Strigelio, pecc. orig.* hominis substantiam esse defendit. it. *Weigelium* im gülden Griff, *p. 53.*

§. 8.

Cum hoc peccato omnes homines secundum naturam propagati nascuntur. v. A. *Conf. Art. II. p. 9. Artic. Smalcald. part. 3. p. 317.*

Contra *Franciscanos* & *Jesuitas*, qui B. Virginem *Mariam Deiparam* excipiunt. v. *Bellarm. l. IV. de Amiss. Grat. c. 15. Ambros. Catharin. & Jodoc. Chlichtov. de purit. concept. Mariæ.* vid. nostri *D. Scherzeri Disput. de concept. Mariæ Deiparæ.* it. Calvinia-

vinianos, Anabaptiſtas juſtorum liberos ſanctos naſci fingentes, v. *Epitom. F. C. p. 623.*

§. 9.

In Baptiſmo peccati originalis *reatus* quidem tollitur (quem aliqui *formale* appellant; non vero ipſo peccatum quoad *materiale*, h. e. prava inclinatio. v. *Apolog. F. C. p. 56.*

Contra Pontificios v. *B. Chemnitii Exam. Concil. Trident. l. c.*

§. 10.

Pœna peccati originalis etiam eſt mors & æterna damnatio. v. *Apolog. A. C. p. 51. Solid declarat. F. C. p. 611. (corrige num. F. C. & erit p. 643.)*

Contra Arminianos, qui ſententiam hanc crudelem eſſe cenſent. v. *Apol ipſorum c. VII. §. 4. Epiſcop. diſp. IX. theſ. 2.* & Pontificios pœnæ damni tantum, non vero ſenſus, ob id infantes obnoxios eſſe ſtatuentes. *Bellarm. lib. VI. de amiſſ. grat. c. 1. & 4.*

§. 11.

Peccata actualia ex originali ceu malæ arboris fructus mali progerminant. vid. *Artic. Smalcald. part. III. p. 317. Solidam Declarat. F. C. p. 640.* (ſi Sphalma corrigatur,) p. 942.

Contra *Socinianos*, qui aſſvetudine illa diſci tradunt: Nam peccatum originis cum Pelagianis pro mera fabula habent. v. *Smalz. c. Franz. p. 42. 46. 56.*

§. 12.

Sine peccato actuali nullus mortalium vitam hanc

hanc transigere valet. v. *Apol.* A. C. *Artic. 3. p. 91, 120. seq. Artic. Smalcald. part. III. p. 319 seqv.*

Contra nonnullos *Papistas & Arminianos Apolog. c. XI. sect. 6. p. 131.* Sanctitatem (nescio quam) vitæ jactantes, it. Socinianos, qui sanctitatem & justitiam nostram in hac vita perfectam esse posse docent. vid. *D. Calovii Socinism. Profligat. Artic. IIX. p. 793.*

§. 13.

Non omnia peccata actualia sunt formaliter voluntaria, & ex deliberato animo commissa. vid. *Apolog.* A. C. *Artic. III. p. 91.*

Contra *Pontificios Bellarm. l. V. de amiss. grat. c. 18. Socinianos.* v. *Volckel. l. IV. Relig. c. 17.* Arminianos.

§. 14.

Peccata actualia contra conscientiam commissa, ut adulterium, homicidium, blasphemia & similia excutiunt fidem & Spiritum S. v. *Artic. Smalcald. p. 323. Epit. F. C. p. 591. Solid. Declarat. p. 698.*

Contra Calvinianos & Anabaptistas. vid. *Acta Synod. Dordr. Remonstrant. ad Artic. V. fol. 285. seqq. & Synod. Dordr. c. V. art. 6. it. Calvin. Instit. l. III. c. 2. n. 11. Beza colloqu. Mompelgart. p. 463.* confer. *B. D. Menzeri Disput. de Perseverant. contra doctrin. Synod. Dordr. th. 63. & seqq.*

§. 15.

Homo pœnitens, neque pro culpâ, neque pro pœnâ

pœnâ peccatorum, ſuorum Deo ſatisfacere pot. ſt. v. *Apolog.* A.C. *artic. VI. it. XII. p. 273.*

Contra *Pontificios*, ſatisfactiones humanas nimium quantum extollentes v. *Concil. Trident. ſeſſ.* XIV. *c.* III. can. 4 *c.* VIII. *c. 13. 14.*

CAP. VI.

DE FACULTATIBUS HOMINIS NATURALIBUS POST LAPSUM RELIQVIS.

§. 1

FAcultates hominis aliter ante lapſum, aliter poſt lapſum, aliter poſt regenerationem aliter poſt reſurrectionem carnis ſeſe habent. v. *Epitom. F. C. c. 11. p. 378. & Declarat. 654.*

Contra *Pelagianos*, *Pontificios & Synergiſtas*, hos diverſos hominis ſtatus confundentes, aut malè explicantes, quando de libero arbitrio agunt.

§. 2.

Como poſt lapſum ante regenerationem, propter mentis cœcitatem & voluntatis ac appetitus impotentiam, in rebus ſpiritualibus, prorſus nihil, quod bonum eſt, efficere valet. v. *artic* XIIX. A.C. *p. 15. it. XX. p. 18. Apolog. p. 219. artic. Smalcald. p. 318. Epitom. F. C. p. 579. ſeqv. Declarat. p. 656. ſeqq.*

Contra Pelagianos, Socinianos & Pontificios πελαγιανίζοντας v. *B. Chemn. LL. Theologic.* VIII.

de

de liber. Arbitr. ubi ex hiſtoria oſtendit, quomodo Pelagianiſmus apud Pontificios ,Scholas irrepſerit. v. *Bellarm. l. VI. de gratiâ & liber. Arbitr. c. 15. it. Socin. Prælection. l. V. pag. 14. Catechiſm. Racov. p. 284.* qui poſt lapſum in homine liberum arbitrium & liberam Deo obediendi voluntatem eſſe contendunt. it. *Arminianos v Collat. Hagienſ. pag. 250.*

§. 3

Retinuit autem homo poſt lapſum vires cognoſcendi res naturales & civiles, nec non liberum arbitrium bonum naturale aut civile eligendi; ita, ut liber quidem homo ſit à *coactione*, quanquam, ſi legem DEI & hominis impotentiam reſpicis, non ſit liber à *peccandi neceſſitate.* v. A. C. *artic. XIIX. p. 14. Apolog. pag. 218. Artic. Smalcald. p. 218. Declar. F. C. p. 664. ſeq.*

Contra fatalem Stoicorum neceſsitatem, quam Calviniani ex parte, ſuam faciunt. v. A. *Riviere libell.* cui titulus: *Calviniſmus beſtiarum Religio* primum *Pariſiis*, poſtea *Lugduni an. 1630. edit & Socinianos*, qui plenam libertatem circa quævis objecta homini in ſtatu lapſus tribuunt. v. *Smalz. c. Franz. p. 416. it. Arminian. in coll. Hag. p. 260.*

§. 4.

Homo in converſione ſua, qua ex filio iræ fit filius gratiæ, non cooperatur Spiritui S. quippe cujus unius & ſolius opus eſt hominis converſio v. *Apolog. artic.* VIII *p. 219. Epitom. F. C. p. 579. ſeq. & ſolid. declarat. p. 663. ſeqq.*

Con-

Contra Pelagianos, Socinianos, Pontificios & Synergiſtas v. *Smalz. in nov. monſtr. c. 20. p. 166.* & *contr. Franz. p. 419. 421. it. Remonſtrant. in coll. Hag. p. 264. Concil. Trident. Seſſ. VI. can. 4.* quod anathemate ferit illos, qui negant hominis arbitrium a DEO motum cooperari aſſentiendo. v. *Bellarm. l. VI. de Grat. liber. arbitr. c. 11.*

§. 5.

Interim voluntas hominis lapſi libera & immunis eſt non ſolum à coactione *intrinſecâ*, quæ fieri dicitur per intellectus judicium & appetitus ſtimulationem; ſed & *extrinſecæ* ſive à creatore ſeu creaturis fiat ad objecta quævis occurrentia: ut poſſit libere velle & nolle tam hoc, quam illud, quanquam facultas illa non circa quævis objecta ſeſe æqualiter habeat. vid. *Apolog. p. 29. Solid. Declarat. F. C. p. 673.*

Contra *Calvin. inſtitut. lib. II. c. 3. §. 1. p. m. 96: ubi diſertè negat, eſſe in manu hominis, reſpuere vel accipere oblatam DEI gratiam, tit. Dominicanos Thomiſtas apud Pontificios abſurdum* prædeterminationis dogma propugnantes. v. *Radam. Tom. 1. controverſ. XXX. Art. 4. & 6. concluſ. 5. 6. 7. it. Didaci Ruiz, de voluntate & propriis ejus actionibus à diſput. 27. ad 51.*

§. 6.

Homo igitur in converſione ſua ſeſe *paſſivé* habet, quando non contumaciter Spiritui S. converſionem

sionem per verbum DEI operanti repugnat. vid. *Epitom. F. C. p. 582. Declarat. p. 672. seq. 676.*

Contra *Synergistas & Interimistas*, D. D. *Georg. Majorem, Paulum Eberum, Strigelium, Crellium apud D. Schlüsselburg l. V. Catalog. Hæret. Semipelagianos*, Pontificios. vid. *Concil. Tridentin Sess. VI. can. 4. Bellarm. l. V. l. de grat. c. n. l. IV. c. 15. & Socinianos*, qui cooperationem hominis in conversione sua statuunt.

§. 6

Hominis voluntas jam renati, per vires gratiæ Spiritui S. cooperatur, ac adeò planè diversa est ab irregeniti voluntate. v. *Epitom F. C. p. 582. seqv. Declarat. 675.*

Contra Pelagian. Socin. & Papistas, vires hominis non secundum statum naturæ & gratiæ distingventes.

§. 7.

Quia verò regeneratio & renovatio in hac vita tantum *inchoata* est, non absoluta, & consummata; hinc neque intellectus, neque voluntas, nec appetitus hominis ad debitum perfectionis gradum perveniunt. v. *Apolog. A. Conf. p. 130. & Declarat. F. C. p. 675.*

Contra Pontificios perfectionem renatorum jactantes, it. *Socinianos* v. *Smalzius contra Franz. 55. 174 & 180. ut & Schlichting. Disp. 2. contra Meisnerum p. 158 it. Weigelium p. II. Postill. p. 60 Theol. Myst. p. 18.*

CAP.

CAP. VII.

DE MISSIONE, PERSONA ET OFFICIO REDEMTORIS JESU CHRISTI.

§. 1.

INcarnatio Filii DEI non est facta, ut esset medium exsequendi prædestinationis absolutæ decretum; sed ut is reconciliaret nobis Patrem, & hostia foret pro totius mundi peccatis. v. A. *Confess. p. 19. Epit. F. C. p. 618.*

Contra *Calvinianos*, Supra-Lapsarios, qui in *Act. Synod. Dordrac. ad artic.* II. & plerosque Pontificios modernos, qui (ut *apud Alvarez. disput. 39. de Auxil. Grat. & Radam Tom. III. controv. V. conclus. 4. f. 164.* legere est,) Redemtoris missionem ad exsecutionem decreti prædestinationis pertinere docent.

§. 2.

Christus Redemtor noster est Filius Dei naturalis, qui in tempore assumpsit humanam naturam, ex Maria Virgine in unitatem Personæ ab æterno existentis. v. *Symb. Nicen. p. 1. Athanas p. 3. 4. A. C. artic. 3. p. 10. Apolog. 59. artic. Smalcald. p. 303. Epitom. F. C. p. 610. Declarat. 762.*

Contra *Arrianos* & *Photinianos* modernos, membra hujus assertionis plane negantes. v. *D. Scherzeri Colleg. Anti-Socin. Disput. XLV seqq.*

§. 3.

Quanquam Christus de *Spiritu S.* in Symbolo

Niceno dicitur incarnatus ; tamen iſta incarnatio non fuit ex ſubſtantia Spiritus S. ut pater eius dici poſſit : ſed fuit productio humanæ naturæ quoad animam & corpus ex ſemine virginis quam ὁ λόγος aſſumſit, ſibique univit. vid. *Symb. Nicen. p. 1. Athanaſ. p. 4. A.C. art. 3. p. 10.*

Contra Photinianos, Enthuſiaſtas, Weigelianos & quosdam Scholaſticos vid. *Spanhemii Dub. Evangel. XXX. Part. 1. p. 254. ſeqv. it. Weigelium, qui Poſtill. p. 38. part. 2. p. 29. 59. & in Theolog. Myſtic. p. 175.* Chriſto affingit corpus ſpirituale & ſupernaturale, quod de cœlo attuliſſet.

§. 4.

In Chriſti incarnatione duæ naturæ per *unionem perſonalem* conjunctæ fuerunt modô ineffabili; ita, ut ſit *inſeparabilis*, *inconfuſa & æqualis* unio duarum naturarum in unam hypoſtaſin vid. *Epitom. F.C. p. 606. Declarat. p. 762. ſeqv. & 833. ſeqq.*

Contra *Socinianos* unionem hanc plane negantes, & *Pontificios* ac *Caluinianos* perperam illam explicantes. vid. *Polani Syntagm. l. IV. c. 16. it. Bezam in colloq. Mompelgart. p. 321. Zanch. de Nat. DEI l. 2. c. 6. p. 121.* ubi totum λόγον ita in humanitate aſſumta eſſe tradunt, ut item ſit totus extra eandem.

§. 5.

Ex *unione* hac *perſonali* fluit tum naturarum in una ὑποστάσει communio, tum proprietatum

&

& operationum in officio communicatio vera, propria & realis; salva tamen utriusque naturæ differentia specifica vid. *Epitom. F. C. p. 606. seqq. Declarat. p. 766. seqq. & 833. 835.*

Contra *Nestorianos*, *Calvinianos & Pontificios* modernos, veram communicationem idiomatum in Christo negantes. vid. *Colloq. Mompelgart. p. 205. Admonit. Neostad. p. 25. Anton. Sadeel de verit. hum. nat. p. 54, Pareum in Irenic. c. 28. art. 11. & Jesuitas, Busæum disp. de person. Chr. th. 14. Becanum Manual. controv. l. II. c. 1, n. 25. p. m. 478. seq.*

§. 6.

Ut prædicationes de Christo in Scriptura S. extantes distinctius capiantur, *tria communicationis genera* statuuntur. *Primum* dicitur, quando propria naturarum communicata dicuntur personæ in concreto, nec taman utriusque naturæ propria fiunt, sed illius, cujus sunt, manent; ut *Rom. 1, 3. Filius DEI natus ex semine Davidis secundum carnem, 1. Petr. III, 18.* Christus *dicitur mortificatus carne.* vid. *Epitom. p. 607. seqv. Declarat. Solid. F. C. p. 770.*

Secundum (juxta *F. C. Declarationem p. 773.*) est, ubi actiones officii Christo tribuuntur secundum utramque naturam: idque conjuncte, ut Gal. 3, 13. *Christus nos redemit a maledictione legis*; vel distincte, ut 1. Johann. 8. *Filius DEI dissolvit opera Diaboli, Gen. III. v. Semen mu-*

lieris conteret caput Serpentis; una enim natura agit seu operatur cum communicatione alterius, quod cujusque proprium est.

Tertium est, quando propter unitatem personalem Christo secundum humanam naturam in tempore data dicuntur, Majestas, gloria, omnipotentia & omniscientia cum præsentissimo omnium rerum dominio, *Matth. XXVIII. Data est mihi omnis potestas in cœlo & terra*, v. *Declarat. p. 337. seqq. Epitom p. 608. seqq. prolixè & 834. seqq.*

Contra Calvinianos, qui prædicationes *primi generis* tantum *verbales* esse dicunt, vid. *Admonit. Neostad. c. 8. p. 250. it. Coll. Mompelgart. p. 213.* ubi ἀλλοίωσις Zwinglii defenditur. Deinde quoad *secundum genus* (ut in F.C. ordinatur.) negant communicationem in agendo, humanæ naturæ humana, divinæ divina tribuentes tantum, vid. *Admonit. Neostad. c. 1. p. 22. c. 8. p. 273. Danæus in Exam. Chemnit. p. 108. Wendelin. l. 1. Christ. Theol. c. 16.* Quod *tertium genus* (alias secundum dicitur,) pertinaciter negant communicationem majestatis, & Lutheranos passim traducunt, quasi Eutychianismum foverent, v. *Admon. Neostad. c. 3.* Ausführl. Bericht. *Palatin. p. 290. it. Jesuitas.* vid. *Bellarmin. l. III. de Christ. c. 9. & Becarum. l. c.*

§. 7.

Officium sacerdotale Christi est, quô passionis

&

& mortis suæ sacrificiò DEO Patri pro totius mundi peccatis satisfecit, & adhuc pro nobis in cœlo intercedit. vid. *A. C. art. XXI. p. Apol. p.* 254. *seq. Declarat. F. C. p* 686. *& Catechis. Minor, p.* 371.

Contra *Socinianos* satisfactionem Christi negantes, vid. *Socin. P. III. de Servat. Christi* p. 104. *Crellii Refut. Hug. Grotii de Satisfact. Christi. Pontificios* eidem detrahentes per satisfactiones humanas, & *doctrinam*, quod sibi exaltationem meritus sit. vid. *Lombard. l.* III. *Sent. dist. 18. Thom. P.* III. *qv 49. art. 6. Bellarmin. l.* V. *de Christ. c. 9. &* Calvinianos universalem Christi satisfactionem negantes, vid. *Colloqv. Mompelgart.* p. 514. *Synod. Dordrac. c.* II. *art. 8. it. Hypotheticos, qui Cameronem, Amyraldum, Bremenses & Johann. Bergium* sequentes statuunt, Christum omnes reconciliâsse, *si omnes crederent*; quod tamen non possent.

Regium officium, quo Christus θεάνθρωπος, in utraque natura, tanquam Rex & Dominus cœli & terræ præsentissime gubernat omnia, in regno potentiæ, gratiæ & gloriæ. vid. *A. C. artic. 3. p.* 10. *Catech. Min. p.* 371. *Declarat. F. C. p.* 738. & 876.

Contra *Socinianos Calvinianos* & *Pontificios* officio Christi regio per negationem omnipræsentiæ variè detrahentes. vid. *Ostorodi Instit p.* 386. *Smalz. de divin. Christi p.* 16. qui Christum solo favore & potentia præsentem dominari tradunt.

§. 9.

Descensus Christi ad inferos simplicissime explicatur per actum glorioſum & triumphatorium, quo totus Christus post sepulturam, ante manifestatam resurrectionem, infernum omnibus credentibus destruxit, potestatem inferiorem evertit & Diabolo omnem vim & potentiam eripuit. vid. *Epitom. F. C. p. 613. Declarat. p. 788.*

Contra *Calvinianos*, qui partim per sepulturam explicant, partim secundum animam descensum factum esse, ajunt. vid. *Bez. Vol. 1. p. 461. it. Calvin. l. II. Instit. c. 16. §. 10. it.* Socinianos, qui de statu mortis explicant. vid. *Smalz. c. Franz. p. 7.*

§. 10.

Christus etiam secundum humanam naturam est omnipræsens, utpote secundum quam ascendit, sessurus ad dextram Patris. v. *A. C. artic. 3. p. 10. Epitom. p 611. & Declarat p. 768. 783. seq.*

Contra *Calvinianos*, omnipræsentiam carni Christi denegantes, & *Pontificios* multipræsentiam tantum in S. cœna admittentes. v. *Admonit. Neostad. p. 253. it. Sohnium in Exeges A. C. p. 2 9.* qui Christum secundum utramque naturam ad dextram DEI sedere asserit.

§. 11.

Beneficia ex gratuita Christi missione & passione promanantia, sunt fides, reconciliatio, justitia, consolatio & beatitudo æterna. v. *A. Confess. art 3. p. 10. Catechism. Min. p. 311. & Declarat. 2. F. C. p. 852.*

Con-

Digitized by Google

Contra *Socinianos* præcipuè, qui cum Christum novum legislatorem faciant, perfectiorem vitam & charitatem illum nobis præcepisse & docuisse tradunt. v. *Ostorod. Instit. c. 21. 22. it. Episcopium* Arminianorum promachum, disp. de *conv. & diss. V. & N. T. thes 5.*

§. 12.

Christus hic unius humani generis mediator invocandus est, secundum utramque naturam ceu mediator. v. A. C. *artic. 21. p. 29. Artic. Smalcald. p. 310. F. C. p. 779.*

Contra *Pontificios*, Sanctos invocantes. v. *Catechism. Rom. p. 40. & Calvinianos*, qui Christo secundum divinam naturam solum *religiosam adorationem competere docent.* v. *Theol. Leidens. in cens. Confess. Remonstr. cap. 16 p. 225. & Bezam in Coll. Mompelg. pag. 344. Daneum in Exam. Chemnit. p. 417.*

§. 13.

Christus non solum pro culpa originis, sed & pro omnibus peccatis actualibus, Deo Patri satisfecit. v. A. C. *art. 4. p. 10. it. Abus. 3. p. 25.*

Contra *Pontificios & Socinianos* negantes: vid. *Thomam, de Sacr. Altar. c. 1. & Ambrosium Catharinum, tract. de incruent. N. T. sacrificio*, qui pro peccato origin. solum satisfeciſſe per sacrificium crucis tradit. it. qui cum *Vega l. 13. in Concil. Trid. c. 36.* asserunt, nos pro culpa satisfacere posse, aut requirunt sacrificium Missæ ad satisfactionem pro peccat. actual. v. *Gregor. de Valent. l. 2. de Missa c. 3.*

§. 14.

Verè Filius DEI pro nobis passus & mortuus est. v. *Epitom. p. 608. Declarat p. 772.*

Contra *Calvinianos Zwinglii ἀλλοίωσιν* defendentes.

§. 15.

Caro Christi veré est vivifica. v. *Declarat. F. C. p. 782*

Contra Calvinianos negantes. v. *Bez. in colloqv. Mompelg. p. 238. Altingius LL. CC. p. 8. 5.*

§. 16.

Status Christi duplex est, *Exinanitionis & Exaltationis.* v. *Declarat.* F. C. *p. 767.*

Contra *Enjedinum.* qui *Expl. Loc. Script. p. 307. seq.* triplicem esse statuit.

§. 17.

Christus tantùm secundum humanam naturam est exinanitus & exaltatus. v. *Declarat.* F. C *p. 767. Epitom. p. 609.*

Contra quosdam Calvinianos, qui Christum secundum utramque naturam exinanitum & exaltatum esse tradunt. v. *Bez p. 1. ad coll. Mompelg. p. 96. Polani Syntagma l. VI. c. 21.*

§. 18.

Exinanitio Christi non est ipsa incarnatio, nec omnimoda majestatis abjectio, sed ejusdem, quantum ad plenarium usum, vera ac realias evacuatio. v. *Declarat.* F. C. *loc. cit.*

Contra *Pontificios* & *Calvinianos* quosdam, v. Cor-

Cornel. à Lap. Comment. in c. II. ad Philipp. & Salmeron, qui exinanitionem de incarnatione exponunt.

Cap. VIII.

DE

VOCATIONE REDEMTORUM EJUSQVE MEDIIS.

§. 1.

DEus seria intentione omnes homines ad Ecclesiam & salutem æternam consequendam vocat. v. *Epitom. F. C. p.* 618. *Declarat. p.* 804. *seqv. Catechis. Min. p.* 372. *Mai.* 496. *seq.*

Contra Calvinianos *universalem* eamque *seriam & efficacem* vocationem aut disertè negantes, aut universalitatem verbis quidem profitentes, re ipsâ negantes. v. *Bremens. Act. Synod. Dordr. ad artic. 3. & 4. de gratia Dei thes. 11. Mons. Amyraldi animadversiones part. III. p. 119. 122. 180. & 193.* aut duplicem voluntatem contrariam, *beneplaciti & signi*, arcanam & revelatam eidem affingentes. v. *Zanch. Miscell. Confess. de Praedest. c. 1. th. 6. & de Nat. Dei l. V. c. 2. Danaeum Isagog. P. IV. l. 3. c. 17. p. 149.*

§. 2.

Vocatio hæc fit per prædicationem verbi divini, non per immediatam inspirationem doctrinæ salvificæ, vel revelationem per Angelos. v. A. *Confess. art. 5. p. 11. Catech. p. 372.*

Contra *Anabaptiſtas, Weigelianos*, & *Quackeros* in Anglia, qui per immediatam inſpirationem fideles vocari ſomniant.

§. 3.

Medium vocationis eſt verbum DEI auditum aut lectum, & Sacramentorum uſus, per quæ Spiritus S. converſionem hominis operatur. v. *Epitom. F. C. p. 679. & Declarat. p. 670. ſeq.*

Contra *Enthuſiaſtas & Weigelianos*. v. *P. I. Poſtill. Weigel. p. 159. P. II. p. 227. 235. item Moſen Amyraldum*, qui *tract. Gall. ann. 1634.* edit. duas ſpecies Chriſtian. Fidei aſſerit, *unam* per miniſterium verbi, *alteram* per ſolam adminiſtrationem providentiæ divinæ. vid. *B. Hülſemanni diſput. 2. de Auxil. grat. th. 1. §. 4.*

§. 4.

Hæc media in ſe quidem ſunt efficacia ad producendam converſionem cujusvis hominis; ſed cum ſæpius per malitiam hominis vis illa impeditur, culpa non ſecutæ converſionis in homine reſidet. vid. *Epitom. F. C. p. 619. & Declarat. p. 672. 818. ſeq. & p. 820.* ubi Deus contumaces in hac vita judicialiter excœcare & indurare etiam dicitur.

Contra Calvinianos vocationem DEI ſemper efficacem eſſe debere ex intentione negant; efficacem autem, irreſiſtibilem ſtatuunt. vid. *Bezam Reſp. ad Acta Colloqv. Mompelgart. P. II. p. 115. Synod. Dordr. Jud. Provinc. p. 117. 182. 229. it. Syn. Dordr. art. 2. Ultrajectin. in Indic. provinc. p. 128. Friſios p. 142. it.* contra Jeſuitas & Domini-

ca-

Digitized by Google

canos, qui ſolis prædeſtinatis DEum auxilium efficax conferre aſſerunt. vid. *Bellarm. l. 1. de grat. & lib. arbitr. c. 1, 12. & 13. & l. VI. c. 15.*

§. 5.

Verbum hocce DEI in *Legem & Evangelium* diſtinguitur; *illa* docet, quid hominem facere oporteat. *hæc*, quid homo credere debeat, ſi velit ſalvus fieri. vid. *Epitom. F. C. p. 592. Declarat. p. 709.*

Contra *Pontificios*, *Socinianos* & *Arminianos* legem & Evangelium confundentes; ut obedientiam legi præſtitam cauſam juſtificationis facere poſſint. Nam legis præcepta plerumque carnalia fuiſſe; Evangelii verò ſpiritualia & multò perfectiora eſſe ſcribunt. vid. *Smalz. c. Franz. p. 269. Oſtorod. Inſtit. c. 22. p. 150. Armin. diſp. de leg. & Evangel. th. 6.*

§. 6.

Evangelium ſtrictè acceptum non eſt concio pœnitentiæ arguens peccata, ſed lætum nuntium & concio plena conſolationis; quod homo per fidem in Chriſtum gratis remiſſionem peccatorum conſequatur. vid. *Epitom. F. C. p. 592. ſeqv. & Declarat. p. 712. ſeqq.*

Contra *Pontificios & Interimiſtas* legem & Evangelium confundentes. it. *Novos Prophetas* Evangelium, pœnitentiæ concionem eſſe dicentes. v. *libell. cui tit.* Vorhof *præſat. p. 17. 18.*

§. 7.

Lex propriè eſt doctrina divina, in quâ juſtiſſi-

ma

ma & immutabilis DEI voluntas revelatur, & qualem oporteat esse hominem in sua natura, cogitationibus, verbis, factis, ut Deo probari & acceptus esse possit: Simul autem trangressoribus iram Dei denuntiat & supplicia. v. *F. C. Declarat. p.* 313 *seq.*

Contra *Socinianos & Pontificios*, qui legem etiam justificare contendunt, item Antinomos & Novatores, qui Evangelium præfracte contumacibus & impœnitentibus annunciandum esse tradunt.

§. 8.

Quanquam *Lex & Evangelium* specie differunt; tamen in vocatione & conversione hominis conjuncta esse debent; ut homo per legem peccati primum arguatur, deinde per Evangelium erigatur ac fidem accipiat. v. *F. C. p.* 594. seqv. & *Declarat.* p. 713-717.

Contra *Antinomos* legis usum inter Christianos tollentes, & spontaneam, à renatis rejecta lege, obedientiam poscentes. vid. *Catalog. Hæres. Schlüsselburg. l. IV. p.* 39. & 46.

§. 9.

Lex etiam renatis norma agendi esse debet. vid. *Epitom. p.* 595. *Declarat.* 717. *seqq.*

Contra *Antinomos*, *Agricolam Islebiensem* & assecias ejus, qui conciones divinas legales in Evangelicas mutant.

§. 10.

Nullus homo post lapsum potest legem DEI implere. vid. *Apolog. Aug. Conf.* p. 83. *seqq.* it. p. 89.

Contra Socinianos & Pontificios. vid. *Concil. Trident. Sess. VI. c.* 18. *Bellarmin. lib. V. de Justif.* c. 10.

Digitized by Google

& Io. Socin. lib. Suaſor. p. 60. Catech. Racov. p. 289. Weigel. P. II. Poſtill. p. 240.

CAP. IX.

DE CONVERSIONE PER POENITENTIAM.

§. 1.

Poenitentiæ vocabulum in S. literis *interdum* pro tota hominis converſione ad Deum ſumitur, *interdum* partem ejus primam, quæ eſt agnitio peccati ac dolor absque fide in Chriſtum notat. vid. *Declarat. F. C. p. 711.*

Contra Pontificios confundentes has acceptiones vocabuli. vid. *Concil. Tridentin. Seſſ.* XIV. *de Pœnitent. c. 4.*

§. 3.

Partes pœnitentiæ eſſentiales *duæ* tantum ſunt, *altera* eſt *contritio* ſeu terror incuſſus conſcientiæ agnitô peccato: *altera* eſt *fides*, quæ concipitur ex Evangelio, ſeu abſolutione, qua homo credit, ſibi propter Chriſtum peccata remitti gratis. vid. A. C. *Artic. 12. p. 12. Apolog. p. 161. 168. Artic. Smalcald. p. 320.*

Contra Pontificios partim negantes fidem eſſe partem pœnitentiæ. vid. *Catech. Trid. c. de Pœnit. p. 272. Bellarm. lib. 1. de Pœnit. c. 19.* partim tres alias nominantes partes, contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem, vid. *concil. Trid. Seſſ.* XIV.

XIV. de Pœnit. c. 2. it. Contra *Calvinianos*, qui mortificationem & vivificationem, partes pœnitentiæ ſtatuunt. vid. *Calvin. inſtit. lib. III. c. 3. §. 3.* it. Socinianos, qui cum *Smalzio Franz. p. 353.* dicunt, pœnitentiam nihil eſſe, niſi correctionem vitæ.

§. 3.

Studium novæ obedientiæ, & bona opera proximè veram pœnitentiam, ceu fructus boni ſequuntur, (licet non ſint pars *eſſentialis*) ut invocatio Dei, gratiarum actio, confeſſio Evangelii, obedire ſuperioribus, ſervire vocationi &c. v. *A. C. art. 12. p. 12. & Apolog. p. 198.*

Contra *Socinianos Volckel. l. IV, c. 4. Socin. tract. de fid. & bon. op. p. 137.* & *Pontificios* novam obedientiam pœnitentiæ partem præcipuam ſtatuentes v. *Bellarmin. l. I. de Pœnit. c. 19. it. Remonſtrant. in Apolog. XI. c. 10. 11.*

§. 4

A *contritione*, quæ eſt error conſcientiæ ex lege ob admiſſa peccata ortus, vera pœnitentia incipit. v. *A. C. Apolog. p. 165. artic. Smalcald. p. 320.*

Contra *Calvin. inſtitut. l. III. c. 3. §. 1. 2. ſeqv.* ubi fidem, pœnitentiam & contritionem antecedere debere docet, & *Pontificios. v.* Apolog. A.C. *p. 272.* v. *Bellarmin. l. 2. de Pœnit. c. 2. & concil. Tridentin. Seſſ. XIV. c. 4.* ubi deſcriptio contritionis in Aug. Confeſſ. extans rejicitur.

§. 5.

Fides, quæ altera pars pœnitentiæ eſt, adprehendit

hendit meritum Christi illoque innixa gratis remissionem peccatorum sola consequitur. A. *Conf. p. 12. f. 7. p. 266. 172. seqq,*

C. *Pontificios & Socinianos*, qui fidem hoc sensu acceptam, a pœnitentia excludunt. v. *Bellarm. l. 1. de justific. c. 10. & l. 1. de Pœnitent. c. 19. it. l. 5. de justif. c. 1. 16. 21.* ubi satisfactiones requirit, per quas gratiam homo mereri possit.

§. 6

Tum ob peccatum *originale*, tum *actualia*, pœnitentia homini agenda est. v. *artic. Smalcald.* p. 321.

Contra *Pontificios*, qui ob peccata actualia tantum pœnitentiam esse docent; it. non omnes homines indigere pœnitentia. v. *Bellarm. l. 1. de Pœnitent. c. 19.*

§. 7.

Causa efficiens principalis conversionis & pœnitentiæ est Deus per Christum nobis reconciliatus, largiens Spiritum S. qui conversionem operatur. v. *Declar. F. C. p. 676. 679. 681.* item tempus & *horam* conversionis constituit. *Decl.* F.C. *p. 812.*

Contra *Pelagianos Socinianos & Pontificios* liberi arbitrii viribus conversionem vel ex parte, vel ex toto tribuentes.

§. 8.

Gratia Dei, quæ hominem convertit, ut pœnitentiam agat, *est resistibilis* v. *Declarat.* F. C. *p. 67. 6.* & 679. 808. 820. quam consequitur Dei desertio, p. 820. quia gratia illa non est absoluta, sed ordinata.

Contra *Calvinianos* gratiam DEI propter absolu-

solutum prædestinationis decretum, *irresistibilem* statuentes. v. *Nassovio Wetteravic. in Synod. Dordrac. p. 710. Rivet. in Cathal Orthodox. tract. 4. qu. 4. p. 308. Molinæus in Anatom. c. 44. 46. p. 121.*

§. 9.

Confessio peccatorum, tum quæ Deo, tum quæ coram ministro Ecclesiæ sit, in Ecclesia retinenda est: non verò omnium peccatorum enumeratio requiritur, aut etiam necessaria est ad salutem, *A. C. art. II. p. 12. 27. Apolog. p. 181. seqq. Catechism. Min. p. 378. Declarat. F. C. p. 807.*

Contra *Pontificios*, qui enumerationem omnium peccatorum ceu necessariam ad salutem à confitentibus & pœnitentibus exigunt. v. *Apolog. A. C. p. 183. & Concil. Trident. Sess. XIV. c 5. con. 6.* adde *P. Svavis Histor. l. IV. p. 377. Bellarm. l. 1. de pœnitent. c. 11. & 12.* & Calvinianos privatam confessionem rejicientes. v. Calvin. Defens. contra *Westphal. p. 712. it. Institut. l* III. *c. 4. l. IV. c. 1. it. Lavaterum de Ritib. Eccles. Tigurin. p. 14. it. Weigelian. v. Part. II. Postill. Weig. p. 249.*

§. 10.

Omnia peccata, quorum hominem vere pœnitet, per quemcunque pastorem Ecclesiæ remitti possunt, ut adeò jure divino non possint probari *casus reservati.* vid. *Apolog. p. 181. Art. Smalc. p. 252. seq. Catech. Min. p. 378.*

Contra *Socinian. Volckel. l.* IV. *c. 13 & Anabaptistas, confess. Belg. artic. 35. 36.* qui quædam pec-

Digitized by Google

peccata irremissibilia ob gravitatem suam esse, *sine limitatione* ajunt: *Pontificios Bellarm l. IV. de Rom. Pontif. c. 22. casus reservatos statuentes. v. Trident. Sess. XIV. c. 7.*

§. 11.

Satisfactio non est pars pœnitentiæ, nec ad culpæ vel ad pœnæ remissionem necessaria. vid. *A. C. p. 13. Apolog. p. 183. seqq. 197.*

Contra *Pontificios* contradicentes, & satisfactiones per opera laboriosa hujus vitæ urgentes, ut orationem, jejunium & eleemosynas. vid. *Concil. Trident, Sess. XIV. c. 9. Bellarmin. l. IV. de pœnit. c. 1. & 4.*

§. 12.

Absolutio hypotheticè & laxius loquendo cum Patribus, pœnitentiæ sacramentum dicitur. vid. *Apolog.* A. C. p. 167. & 200.

Contra Pontificios, qui *stricte* loquendo illam Sacramentum esse tradunt. vid. *Concil. Tridentin. Sess. XIV. c. 13.*

Cap. X.

De

VOCATORUM CONVERSIONE PER BAPTISMUM.

§. 1.

Baptismus ceu Sacramentum & medium salutis ab ipso Deo expresso mandato & certo verbo institutus est. vid. Artic. Smalcald. p. 329.

Contra *Socinianos* baptiſmum pro ritu externo & nota Chriſtianorum tantum habentes. vid. *Socin. de Baptiſ. c. 5. Volckel. inſtitut. l. 6. c. 14. p. 671. & 682.* Pontificios, qui negant, de Pædobaptiſmo exſtare divinum mandatum. vid. *Becan. Manual. l. 1. c. 2. n. 24. & c. 5. §. 30.*

§. 2.

Baptiſmus omnibus hominibus natis ad ſalutem eſt neceſſarius, etiam infantibus. vid. *A. C. art. 9. Apolog. p. 156. Artic. Smalcald. p. 329.*

Contra Socinianos neceſſitatem negantes, & Anabaptiſtas *Pædobaptiſmum* cum his impugnantes. v. *Socin. de Bapt. p. 4. 59. Catechiſm. Racov. p. 225. Weigel. Part. 1. Poſtill. p. 31.* it. Pontificios, qui pædobaptiſmum ex S. Scriptura probari poſſe, negant. vid. *Bellarm. l. IV. de V. D. c. 4.*

§. 3.

Materia baptiſmi viſibilis eſt aqua tantum, quæ vim a verbo Dei accipit, vid. *Catechiſ. Min. p. 377.*

Contra *Socinianos*, *Bezam Epiſt. 2. Sadeel. opp. tom. III. fol 93.* & Scholaſticos, qui alium liquorem ſubſtitui poſſe tradunt. vid. *Thom. III. Summ. qv. 66. art. 3.* it. *Durand. l. 5. Rational. c. 83.*

§. 4.

Ad formam baptiſmi pertinet tum immerſio, ſeu aſperſio aquæ (vid. *Artic. Smalcald. p. 329.*) tum

tum pronunciatio formulæ, *Matth. XXVIII. 19.* præscripta. vid. *Catechism. Min. p. 376.*

Contra *Scholasticos* otiose de formula baptismi disputantes & quosdam *Calvinianos*, vid. *Maccov. LL. part. 4. disput. 17. pag. 366.*

§. 5.

Minister Ecclesiæ ordinarie baptismum administrare debet; in casu autem necessitatis licet aliis Christianis baptizare, vid. *A. C. art. 5. p. 11. Artic. Smalc. p. 303.*

Contra *Socinianos & Calvin. Instit. l. 12. c. 15. §. 20. seqv.*

§. 6.

Effectus baptismi a Deo intentus est regeneratio hominis ad salutem æternam, vid. *A. C. artic. 9. p. 12. Catech. Min. p. 37.*

Contra *Socinianos*, qui hunc effectum negant, & *Calvinianos*, qui ad electos solum restringunt: *Pontificios*, qui characterem indelebilem animæ imprimere baptismum fingunt. vid. *Bellarm. l. 2. de Effect. Sacrament. c. 18. 19. seqq.*

§. 7.

Et quia Baptismus operatur remissionem peccatorum & confert salutem; necesse est, ut & *fidem* baptisato conferat, ceu medium salutis ex parte nostra. vid. A. Conf. *artic. 13. p. 13. Apolog. pag. 156. Catech. Min. 376.*

Contra *Socinianos & Weigelianos* negantes, it. *Calvinianos* ad electos tantum restringentes fidem, & infantes fidelium ante baptismum in fœ-

dere Dei esse docentes. vid. *Calvin. Instit. l. IV. c. 15. n. 22. Bezam. vol. 1. opp. 332.*

§. 8.

Baptismus non tollit peccatum originale quoad materiale, extincta prava concupiscentia; sed reatum ejus. vid. *Apolog. A. C. p. 56.*

Contra *Pontificios*. vid. *Bellarm. l. 1. de Baptism. c. 12. & 13. & l. 5. de amiss. gratia, c. 7.*

§. 9.

Effectus baptismi dependet ab institutione divina, adeoque actu baptismi. vid. *A. C. artic. 13. p. 13. Catechis. Min. p. 377.*

Contra Pontificios, qui effectum Baptismi ab intentione Ministri suspendunt. vid. *Bellarm. l. 1. de Sacrament. in genere c. 27. & 28.*

CAP. XI.

DE VOCATORUM JUSTIFICATIONE PER FIDEM.

§. 1.

ARticulus de justificatione hominis coram Deo per solam fidem in doctrina Christiana præcipuus est. vid. *F. C. p. 683. A. C. p. 17. Apolog. p. 61. 92. 72. 89.*

Contra Syncretistas, qui controversias de hoc articulo putant esse dissidia ferme tantum Metaphysica. vid. *M. Anton. de Dominis l. VII. de Reg. Eccles. c. 11. f. 265.* & hujus *sequaces Novatores.*

§. 10.

Digitized by Google

§. 2.

Juſtificationis vocabulum, ſeu *juſtificare* hoc in loco, forenſi conſvetudine, ſignificat, reum abſolvere & pronunciare juſtum. vid. *Apolog. A. C. p. 125. Epitom. F. C. p. 585. Declarat. p. 685.*

Contra *Pontificios*, qui per virtutis infuſionem, aut infuſæ receptionem, aut actionem hominis moraliter juſtam explicant. vid. *Apolog. A. C. p. 120. & Bellarmin. l. 1. de juſtific. c. 1.*

§. 3.

Regeneratio, quando pro renovatione & ſanctificatione accipitur, a juſtificatione tanquam conſequens ab antecedente diſtinguenda eſt. vid. *Declarat. F. C. p. 658. ſeq.*

Contra *Socinianos & Pontificias* hæc *confundentes*. vid. *Socinum de Juſtificat. p. 65. Smalz c. Franz. p. 105. Concil. Trident. Seſſ. VI. can. 7. Bellarmin. l. 1. de Juſtificat. c. 12.* item Novatores, qui dum millies hominem regenerari poſſe ſtatuunt, *regenerationem* cum *renovatione* confundunt.

§. 4.

Cauſa juſtificationis *principalis efficiens* eſt Deus propter meritum Chriſti gratioſus. vid. *A. C. artic. 4. p. 10. Apolog. p. 22. Declarat. F. C. p. 68.*

Contra *Socinianos & Pontificios*, quorum *hi* ſtatuunt, gratiam juſtificantem eſſe habitum ſupernaturalem infuſum & qualitatem permanentem. vid. *Concil. Trident. Seſſ. VI. can. 11. Bellarmin. l. 1. de Grat. & liber. arbitr. c. 3. illi* vero tradunt, DEum neminem juſtificare, niſi qui ſe jam

obedientem præceptis ipsius præstiterit, omnibusque virtutibus sit ornatissimus, meritum Christi plane excludunt, vid. *Socin. de Justif. p. 65. 71. Smalz. c. Franz. p. 205.*

§. 5.

Actus justificationis consistit in absolutione à peccatis, & imputatione justitiæ aChristo acquisitæ. vid. A. Conf. *artic. 4. p. 10. Apolog 64. seqq. 121. seqq. Epitom. F. C. p. 584. Declarat. p. 644. seqq.*

Contra *Socinianos & Pontificios*, qui hanc rationem formalem justificationis negant. vid. *Bellarm. l. 2. de justif. c. 3. & Socinum*, qui fidem hanc nostram fœdam & exsecrabilem dicit. *l. IV. de Serv. Christ. c. 1. seqq. Smalzius c. Franz. p. 104.* errorem appellat. Hos sequitur *Episcopius Disp. XXII. th. 4.*

§. 6.

Materia, seu id, quod imputatur credendi, est justitia Christi, quam obedientia sua perfectissima nobis meruit. vid. *Apolog. A. C. p. 125. Epitom. F. C. p. 584. Declarat. p. 684. 696.*

Contra *eosdem* negantes imputationem & blasphemantes. vid. *loca allegat. §. anteced.*

§. 7.

Justitia igitur Christi *essentialis* non est ea justitia, qua nos justificamur, aut justi constituimur. v. *Epitom. F. C. p. 584. Declarat. p. 682. 695.*

Contra *Andr. Osiandrum*, qui confessione sua *p. 2. seq.* docet, hominem essentiali DEI justitia inhabitante justificari.

§. 8.

Digitized by Google

§. 8.

Juſtitia hominis regenti inchoata, & ſtudium novæ obedientiæ non juſtificat hominem. v. *Apolog. A. C. p. 90. 91. ſequ. it. p. 89. & Declarat. F. C. p. 690.*

Contra *Pontificios & Socinianos*. v. *Bellarmin. l. 2. de juſtif. c. 3. & Socini Dialog. de juſtif. p. 14.*

§. 9.

Cauſa inſtrumentalis ex parte noſtra juſtificationem recipiens, eſt *ſola fides* juſtitiam ſeu meritum Chriſti apprehendens, eoque nitens. Hinc per fidem in Chriſtum juſtificari dicimur. v. A. Confeſſ. *artic. 4. p. 10. Apolog. p. 71. Epitom. F. C. p 584. Declarat. p. 684.*

Contra *Pontificios & Socinianos* abſolute negantes. v. *Socin. de juſtificat. p. 71. & P. IV. de ſervat. Chr. c. 11. Bellarmin. l. 1. de juſtific. c. 12. & 21.*

§. 10.

Fides hæc in actu juſtificationis conſideranda eſt non ut qualitas, aut actus noſter, ſed *relative*, ſcil. quatenus correlatum ſuum, nempe meritum Chriſti apprehendit & ſibi applicat, eatenus juſtificat. v. *Apolog. A. C. p. 69. & 129.*

Contra *Arminianos*, qui eandem ut actum credentis, qui poſtulato obedientiæ Evangelicæ reſpondeat conſiderant. v. *Arminii Reſp. ad art. 31. p. 159. & Pontificios* fidem diſpoſitionibus meritoriis de congruo accenſentes. v. *Bellarm. l. 1. de juſtif. c. & 21. it. Socinianos* fidem, ut eſt obedien-

tia mandatis divinis præſtita, ſpectantes. v. *Socin. de juſt. f. p. 75. 115. 124.*

§. 11.

Fides juſtifica non eſt ſola notitia hiſtoriæ de Chriſto & miſericordia DEI, aut aſſenſus, ſed *fiducia* ſimul merito Chriſti innixa. v. A. C. *art. IV. p. 11. Apol g. p. 69. 71. ſeq. it. 125. & Epitom. F. C. p. 585.*

Contra *Bellarm. l. 1. de juſtificat. c. 7. & Concil. Trident. in Seſſ. VI. c. 12. it. Arminianos*, qui fiduciam cum aſſenſu confundunt. v. *Confeſſ. c. 11. ſect. 2.*

§. 12.

Sola fides, vi objecti ſui ſcil. meriti Chriſti, quod apprehendit, excluſis operibus juſtificat, v. *A. Conf. artic. 6. p. 11. Apolog. p. 74. ſeqq. Epitom. F. C. p. 584. Declarat. p. 689.*

Contra *Pontificios, Socinianos & Arminianos* bona opera & obedientiam ad cauſas meritorias juſtificationis referentes. v. *Socin. de fid. & operibus p. 55. ſeqq. & Simon. Epiſcopium diſp. 22. th. 10. Concil. Tridentin. Seſſ VI. c. 12.* quod anathemate ferit omnes, qui *ſola fide* hominem iuſtificari ſtatuunt. v. *Bellarmin. l. 1. de juſtif. c. 12. & 13.*

§. 13.

Vera fides ſola, & nulla prorſus alia res, eſt illud medium & inſtrumentum, quo gratia DEI & meritum Chriſti in promiſſione Evangelii apprehenditur, accipitur, nobisque applicatur, v. *Epitom. F. C. p. 584. Declarat. p. 691. ſeqq.*

Con-

Contra Pontificios & Arminianos negantes fidem proprie instrumentum justificationis dici posse. vid. *Apolog. Armin. p 112. it. Socinianos.* vid. *Smalz. & Franz. p. 99. & 102.*

§. 14.

Dilectio quidem fidem, *quæ* justificat, sequitur, aut illi potius arctissime conjuncta est; sed fides non justificat, *quatenus* dilectione informata, aut ut Pontificii loquuntur, *formata* est. v. *Apolog. A. C. p. 81. 89. & 94. 117. & Declarat. F. C. p. 688. 691.*

Contra *Pontificios it. Armin. Catechism. qu. 46. Episcopium Apolog. pro Catechismo p. 217. seqq. it. Zwingliumin Confess. Augustæ anno 1530. oblata & repudiata artic. 4.*

§. 15.

Tres causæ ad justificationem hominis tantum requiruntur atque necessariæ sunt: *Gratia Dei, meritum Christi, & fides.* vid. *Declarat.* F. C. *p. 687. it. 684.*

Contra Pontificios, meritum de condigno & de congruo immiscentes. v. *Apol. A. C. p. 63. 170. & 127. it. Socinianos & Arminianos*, qui studium bonorum operum, fidei adjungunt.

§. 16.

Justificatus per meritum Christi fide vera apprehensum, certus est de gratia Dei & remissione peccatorum, & quod in Filium Dei adoptatus sit. v. *Apolog. A. C. p. 124. 126. Epitom. p. 585. Declarat. F. C. p. 689. 695.*

Contra Pontificios negantes, quenquam de gratia Dei & ſalute æterna certum eſſe poſſe certitudine fidei. v. *Concil. Trident. Seſſ. VI. c. 9. Bellarmin. l. 3. de Juſtif. c. 3. 4. it. M. Anton. de Dominis l. VII. de Rep. Eccleſ. c. XI. n. 223.* moralem ſolum certitudinem, quæ cum formidine oppoſiti conjuncta ſit, ſtatuentem.

§. 17.

Homo, qui juſtificatur, non habet propoſitum in peccatis pergendi & perſeverandi. v. *Apolog. A. C. p. 71. Declarat. F. C. p. 688.*

Contra *Papiſtarum & Socinianorum* calumnias, queis Lutheranos paſſim onerant: it. Pontificios, qui fidem veram etiam in adulteris & ſcortatoribus ponunt. v. *Concil. Trident. Seſſ. VI. c. 9. & 15. Bellarmin. l. 1. de Baptiſm. c. 14.*

CAP. XII.

DE JUSTIFICATORUM RENOVATIONE ET BONIS OPERIBUS.

§. 1.

ARticulus de Renovatione intellectus & voluntatis, cum Articulo de juſtificatione nequaquam confundi debet. v. *Epitom. F. C. p 585. Declarat. 685. ſeq.*

Contra *Pontificios* v. *Concil. Trid. Seſſ. VI. c. 9. Socinianos & Arminianos*, qui juſtificationem per reno-

renovationem & sanctificationem interioris hominis explicant.

§. 2.

Homo post conversionem & justificationem renovari mente & intellectu demum incipit; ita, ut in quotidianis pœnitentiæ exercitiis ejus voluntas non sit otiosa. v. *Epitom. F. C. p. 582. Declarat. 673. seqq. 700.*

Contra *Pontificios*, *Socinianos & Weigelianos*, qui motus & actiones spiritualiter bonas etiam in irregenitis & gentilibus agnoscunt.

§. 3.

Renovatio hominis in hac vita imperfecta est; & hoc non est ex impotentia DEI renovantis, sed ex infirmitate hominis regeniti. v. *Apolog. A. C. p. 91. seq. Declarat. F. C. p. 674. 700.*

Contra *Pontificios*, *Socinianos & Arminianos*, qui in hac vita imperfecta, bona opera perfecta esse statuunt. vid. *Bellarm. l. IV. de justif. c. 10. Smalz. c. Franz. p. 173. Armin. artic. perpend. p. 36.*

§. 4.

Causa igitur & fons bonorum operum est ipsa *fides viva*, quam Spiritus S. tanquam causa principalis per verbum & Sacramenta produxit: hæc homines lætos, animosos & alacres efficit, tum erga Deum, tum erga omnes creaturas. vid. *Art. Smalc. p. 336. Declarat. F. C. p. 701.*

Contra *Pelagianos*, *Socinianos* & *Pontificios* liberi arbitrii viribus eadem tribuentes. vid. *Smalz. c. Franz.*

Digitized by Google

c. Franz. p. 267. Concil. Trident. Seſſ. VI. c. 7. Bellarmin. l. V. grat. & lib. arbitr. c. 9. infidelibus bona opera tribuentes.

Regeneratio, Juſtificatio & Renovatio in Theologia non ſunt confundenda. v. *F. C. Solid. Declarat. art. 3. p. 675 ſeqq.* Contra Pontific. Socin. & Arminian.

§. 5.

Bona opera ſunt tantum actiones a Deo in verbo legis mandatæ; non vero ex bona intentione ſecundum humanas traditiones, excogitatus cultus aut actiones. vid. *Aug. Conf. Artic. 20. p. 16. ſequ. 29. Apolog. p. 198.*

Contra *Pontificios*, varias bonorum operum ſpecies effingentes; quas in verbo DEI nemo invenerit præceptas aut approbatas.

§. 6.

Bona opera digeri poſſunt ſecundum utramque Decalogi tabulam, ita ut in *priori* officia Deo, in *altera* proximo debita contineantur. v. *Catechiſ. Min. & Maj. p. 366. ſeqq. & 399. ſeqq. Apolog. A. C. p. 64.*

Contra Pontificios non tantum nova genera bonorum operum effingentes; ſed & circa mala opera temere ac impie diſpenſantes. vid. *Ludovici Montaltii literas Provinciales, de Morali & Politica Jeſuitarum Diſciplina, ex edition. Sam. Rachelii.*

§. 7.

Bona opera factu neceſſaria ſunt multis ex cauſis. vid. *A. C. art. p. 11. art. 20. p. 18. Apolog. p. 64. 95. it. 133. Declarat. F. C. p. 702. ſequ. Epitom. p. 589.*

Con-

Contra Calumnias *Pontificiorum*, qui Lutheranis impingunt, ipsos bona opera rejicere & prohibere. vid. *Apolog. A.C. p. 85, Epitom. F.C. p. 591. Declarat. p. 708.*

§. 8.

Non vero sunt necessaria, ut causa meritoria salutis æternæ, ita ut actum justificationis ingrediantur. vid. *Epitom. F.C. p. 589. Declarat. p. 702. seq.*

Contra *Pontificios & Socinianos*, illa causam salutis esse statuentes, vid. *Concil. Trident. Sess. VI. c. 16. c. 23.* ubi Justificati de condigno salutem æternam mereri dicuntur. Quam sententiam omnium Catholicorum esse *Bellarmin. dicit l. V. de justif. c. 1.* Alias cum *Thoma l. 2. qv. 2. & Durando 2. sent. dist. 12. qv. 2.* ipse *Bellarmin. l. de justif. c. 21. l. V. c. 22.* meritum bonorum oper. de congruo commendat; it. *Gisbertum Voetium*, qui B. O. eadem causalitatis veritate, causam justificationis, qua fides, esse, statuit. vid. *Andream Rivetum in Exam. Aniadvers. Grotian. p. 23. it. in Dialys. Discuss. Grot. p. 128. seq. it. Voetium & Socios in Thersite Heautontim. p. 165.*

§. 9.

Hinc bona opera quidem necessaria sunt regenitis; non vero ut causa necessaria ad salutem. v. *Epitom. F.C. p. 590. & Declarat. p. 704. seqq.* confer. *B. Hülsemanni Breviar. extens. c. XII. supplem. n. 7. seq.*

Contra *Pontificios, Majoristas* & nonnullos *Novatores, it. Calvin. l. III. instit. c. 14. §. 21. Piscat. l. II. de justif. c. 3.*

§. 10.

§. 10.

Bona opera non accurate conditio ſine qua non, remiſſionis peccatorum dicuntur, vid. *Apolog. A. Conf. p. 95.*

Contra *quosdam Novatores.*

§. 11.

Bona opera in homine nec fidem nec ſalutem conſervant; ſed Spiritus S. vid. *Epitom. F. C. p. 590. Declarat. p. 705. ſeqq.*

Contra *Pontificios, Socinianos, Interimiſtas & Arminianos*, qui ad jus vitæ æternæ retinendum, jugem requirunt piam operationem.

§. 12.

Bona opera, licet mereantur præmia hujus vitæ corporalia & ſpiritualia, vid. *Apol. A. C. p. 96. 133. & 137.* tamen neque ex condigno neque ex congruo remiſſionem peccatorum aut vitæ æternæ gloriam merentur. vid. *A. C. artic. 4. & 6. Apolog. pag. 96. ſeqq. it. p. 135. 139. ſeqq.*

Contra *Pontificios*, vid. *Thomam. l. 2. qv. 2. Bellarm. l. 1. de juſtif. c. 21. l. 22. & Concil. Trident. Seſſ. VI. c. 16. c. 32. it. Socinianos & Arminianos* Papiſtis hic adſtipulantes.

§. 13.

Opera ſupererogationis nulla dantur. vid. *Apol. A. C. p. 135. ſeq.*

Contra Pontificios. vid. *Salmeron. in Luca c. X. theſ. 7. Bellarm. de Monach. c. 7.*

Cap.

CAP. XIII.
DE
JUSTIFICATORUM CONFIRMATIONE ET CONSERVATIONE PER S. COENAM.

§. 1.

INS. cœna eſt myſterium venerandum, tum propter inſtitutionem DEI, tum propter corpus & ſangvinem Chriſti, quæ cum pane & vino vere uniuntur. vid. *Catech Maj. p. 553. ſeqq. Declarat. p. 737.*

Contra Socinianos, vid. *Catech. Racov. c. 3. de Proph. offic. Chriſti. p. 229. it. Socin. lib. Svaſ. p. 47.* qui actum hunc, ritum eſſe & commemorationem, vel ſignum Paſſionis Chriſti tradunt. Cum his faciunt quidam Calviniani.

§. 2.

Fundamentum doctrinæ de S. cœna ſunt verba inſtitutionis Chriſti, quæ, cum ſint verba teſtamenti, in ſenſu proprio accipienda ſunt. vid. *Epitom. p. 599. 602. n. 4. Declarat. p. 748. 752. 757.*

Contra *Calvinianos*, qui figurate illa explicanda cenſent. vid. *Colloqv. Mompelgart. p. 303. 305. & D. Bergium in Stereomate verborum Chriſti.*

§. 3.

Cauſa efficiens ſeu Autor hujus Sacramenti principalis eſt ſolus θεάνθρωπος Chriſtus. vid. *Catech. Maj. p. 552. Declarat. F. C. p. 733. ſeqq.*

Con-

Contra *Pontificios* apud *Bellarminum lib. I. de Sacrament. c. 23. §. prima igitur quæstio, & l. II. de Effect Sacram. c. 31. propoſit. 1. Alexandr. Peſantium in 3. Thom. qv. 64. diſput. 2. Vaſq. Diſput. 55. c. 1.* qui Eccleſiæ multum circa Sacramentorum ordinationem tribuunt.

§. 4.

Materia S. cœnæ gemina eſt: *terreſtris*, panis & vinum, *cæleſtis*, corpus & ſangvis Chriſti, qui in cruce effuſus eſt. vid. *Apolog. 157. Artic. Smalcald. p. 330. Catechiſ. p. 380. Epitom. p. 597. 599.*

Contra *Socinianos* v. *Socin. qui de uſu & fin. Cæn. Domin. p. 140.* materiam cœleſtem cum Calvinianis negat: it. *Bezam Epiſt 2. ad Tilen.* qui pro pane & vino alia, quæ ex uſu communi ſuppetunt, poſſe adhiberi cenſet: it. *Alexandrum Papam*, qui vinum aquæ permiſcendum eſſe conſtituit. c. *In Sacram. diſtinct. 2. de Conſecratione*, cui *Concil. Trident. Seſſ. XII. c. 8. ſuffragatur.*

§. 5.

Ad S. cœnæ integritatem, præter panem Euchariſticum, requiritur calix *benedictus*, qui ex mandato Chriſti *omnibus* diſtribuendus, quotquot de pane Euchariſtico participant. v. A. Conf. *p. 21. Apolog. p. 213. Artic. Smalcald. 30. Epitom. p. 602.*

Contra *Pontificios* Sacrilegos, qui in concilio Conſtantienſi, non obſtante inſtitutione Chriſti, *anno 1415.* laicis uſu calicis interdixerunt. Quod Sacri-

Digitized by Google

sacrilegium in *Concil. Tridentin. Sess. XXI. ac XXII. anno 1562.* denuo confirmatum legitur.

§. 6.

Corpus & sangvis Christi in S. cœna cum symbolis pane & vino per unionem sacramentalem vere conjunguntur; ita, ut vere & substantialiter sint præsentia, & una cum pane & vino vere distribuantur atque sumantur, vid. *A. Confess. p. 12. Artic. Smalcald. p. 330. Epitom. p. 599. Declarat. p. 728. seqq.*

Contra negantes *Socinianos*, vid. *Socin. l. c. p. 43.* & *Calvinianos*, qui præsentiam corporis & sangvinis Christi in S. cœna realem & substantialem negant, & aliam distributionem Dei, aliam ministri Ecclesiæ fingunt: istam fidelibus solum propriam hanc communem omnibus. v. *Confess. Helvet, Artic. XXI. Syntag. Confess. p. 71.* ubi dicitur, quod foris offeratur a ministro panis & vinum, intus operetur Spiritus S. carnem & sangvinem Christi, vid. *Confess. Palatin. Synt. Confess. p. 207.*

§. 7.

In S. cœna panis Eucharisticus non in corpus Christi, nec vinum in sangvinem Christi per *transsubstantiationem* mutatur. v. *Artic. Smalcald. p. 330. Epitom. p. 602. Declarat. p. 756.*

Contra Pontificios, qui transsubstantiationem statuunt; ita, ut post consecrationem tantum accidens & species externæ panis & vini relinquantur. Ita in *Concil. Lateranensi anno 1215.* sub *Innocentio*

III. Firmiter credimus, & *Trident. Sess XIII. Can. 2. sciverunt.*

§. 8.

Consecratio in S. Eucharistia, quæ est repetitio consecrationis a Christo peractæ non est omittenda; ut ut non efficiat præsentiam corporis & sangvinis Christi. vid. *Epitom. p. 599. Declarat. p. 747. 749.*

Contra *Pontificios*, qui transubstantiationem simul efficere illam tradunt; & *Socinianos*, qui omittendam esse censent.

§. 9.

Accedens ad S. cœnam, vere, sed modo incomprehensibili manducat corpus Domini, *in, cum & sub pane* Eucharistico; item bibit eiusdem sangvinem, *in, cum & sub vino* Eucharistico; ita, ut ore corporis participet vid. *Epitom. p. 600. & 604. Declarat. p. 744.* Atque hæc manducatio Sacramentalis distincta est a spirituali, quæ in eadem Eucharistia a convivis dignis fit.

Contra *Calvinianos*, qui hanc sacramentalem manducationem Capernaiticam & carnalem impie vocant, damnantque. vid. *Harm. Confess. Gallicarum & Bellicar. Ecclesiar. nomine edit it. Helvetic. Confess. art. XXI. p. 71. it. Confess. Czengerin. in Syntagm. Confess. p. 193.* Contra fingunt *Spiritualem* tantum & cœlestem perceptionem, quæ per fidem fiat in cœlo, ubi nunc corpus Christi sit, vid. *Confess. Episc. Angl. Art. XXIII. Syntagm. p. 133. & Scotican. Artic. XI. Syntagm. Confess. p. 153.* it. contr. *Socinia-*

nianos, qui neque *oralem* neque *spiritualem* manducationem corporis & sangvinis Christi admittunt; sed tantum verba institutionis Christi de commemoratione & adumbratione passionis suæ explicant. vid. *Catech. Racov. c. 3. p. 318. & 223. Smalz. c. Franz. p. 335. it. Arminianos* oralem manducationem & bibitionem negantes. vid. *eorundem Apolog. p. 260.*

§. 10.

Indigni & hypocritæ in Eucharistia non tantum nuda Symbola participant, sed sumunt ore etiam corpus Christi ac bibunt sanguinem ipsius *sacramentaliter*, sed non *salutariter*, ut digni. vid. *Artic. Smalcald. p. 330. Catechis. Maj. p. 555. Epitom. p. 601. seq. Declarat. p. 743. 751.*

Contra *Calvinianos*, impios inania signa percipere statuentes. vid. *Calvin. Instit. l. IV. c. 14. n. 25. Beza part. II. Resp. ad. coll. p. 19. Bergium in Stereomat.*

§. 11.

Finis S. cœnæ a Christo intentus, non tantum commemoratio passionis suæ, sed applicatio remissionis peccatorum ad individuum & oppignoratio quasi æternæ salutis. vid. *Catech. Min. p. 351. Maj. p. 555. sequ.*

Contra *Socinianos & Calvinianos posteriorem finem negantes.*

§. 12.

S. Cœna non est instituta, ut sit Sacrificium propitia-

pitiatorium pro peccatis vivorum & mortuorum, quo Deo offeratur victima; sed Sacramentum, quo Deus nobis confert thesaurum inæstimabilem, vid. *A. Conf. p.* 25. *Apolog. p.* 254. *seqq.*

Contra Pontificios anathema dicentes iis, qui non admittunt per verba Christi, *Hoc facite.* Apostolos fuisse sacerdotes institutos, ut ejusmodi sacrificium, licet incruentum, offerent. vid. *Concil. Trid. Sess. VI. c.* 1. *Bellarm. l.* 1, *de Miss. c.* 5.

§. 31.

Missæ Pontificiorum sunt impius ac idololatricus DEI cultus; nec ex opere operato conferunt gratiam. vid. *A. Confess p.* 25. *Apolog. p.* 251. 265. 272. *seqq. Artic. Smalcald p.* 305. *seqq.*

Contra Pontificios quæstum celebrationis missæ imprimis privatæ exercentes & defendentes. vid. *Concil. Trident. Sess. XXII. c.* 6. *Bellarm. l.* 2. *de Miss. c.* 9.

§. 14.

Processio seu circumgestatio panis Eucharistici, ut & adoratio ejusdem, tanquam superstitio idololatrica omittenda & rejicienda est, vid. A. *C. p.* 21.

Contra *Pontificios* utramque propugnantes & exercentes. v. *Concil. Trident. Sess. XIII. c.* 3. *Bellarm. c. IV. de Eucharist. c.* 29.

Cap.

Cap. XIV.

De
FIDELIUM PERSEVERANTIUM PRÆDESTINATIONE AD VITAM ÆTERNAM.

§. 1.

Electio & Prædestinatio DEI ad vitam æternam ex verbo Dei revelato cognoscenda est. vid. *Epitom p. 618. Declarat. p. 800 seqv. 804. 811. it. 815.*

Contra *Calvinianos*, qui in arcano Dei consilio, illam perscrtuari malunt, quam in verbo revelato. Hinc ipse *Calvinus ad Rom. XI. p. 84.* scribit: Est *prædestinatio DEI verè labyrinthus, unde hominis ingenio nullo modo se explicare queat, adde p. 102.*

§. 2.

Doctrina de *prædestinatione* hac, post articulum de conversione, justificatione & sanctificatione optimo ordine tractatur: quia Deus in signo rationis prius convertit, justificat atque sanctificat hominem, quam glorificet ac ad prædestinationis finem perducat. vid. *Epitom. p. 618. & Declarat. ejusdem p. 802. seqq.*

Contra *Calvinianos*, qui in pædia Christiana, doctrinam de prædestinatione primum caput esse volunt. vid. *Catechism. Palatinum*, qui in prima statim quæstione de *prædestinat.* agit.

§. 3.

Prædestinatio est actus æternus & mere gratuitus DEI eligentis, propter commune Christi meritum, quosdam homines ad æternam gloriam, qvos videlicet prævidit, non esse petulanter rejecturos gratiam vocationis, Justificationis, sanctificationis & perseverantiæ in tempore ipsis offerendam, ad laudem gloriæ suæ. vid. Epitom p. 618. 620. Declarat. p. 814. 815.

Contra *Calvinianos*, qui absolutum prædestinationis decretum, ceu Palladium religionis ac ἄγαλμα διοπετὲς defendunt. vid. *Act. Synod. Dordrac. Genevens. Sess. XXIV. pag. 212. it Calvini Institut. l. III. c. 21. §. 5.*

§. 4.

Facta est igitur Electio ex mera gratia DEI, exclusa hominis actione, sive ex viribus naturæ, sive gratiæ proficiscatur. vid. *Declarat. F. C. pag. 817. 821.*

Contra quosdam *Papistas*, *Becanum opusc. de prædest. Cath. c. 3. vid. ap. Cumel. tom. III. disputat. ad 120. Thomæ f. 339. Bellarm. de Grat. & lib. arbit. c. 16.* & alios. *it. Socinianos & Arminianos*, qui ab opere humano illam suspendunt.

§. 5.

Meritum Christi non est medium executivum gratiæ eligentis; sed causa impulsiva ordine prior, quæ Deum ad gratiam hominibus declarandam movit. vid. *Epitom. p. 620. seqv. Declar. p. 802.*

Con-

Contra *Calvinianos*, qui meritum Christi electionis effectum, sive medium exsequendi prædestinations decretum esse, docent.

§. 6.

Subjectum prædestinationis est homo vocatus, justificatus & sanctificatus, quem Deus ab æterno intuitus est, tanquam non rejecturum primam seu omnibus vocatis communem gratiam, sed credituru m, & in illa fide perseveraturum. vid. *Epitom. p. 619. Declarat. p. 802. seq.*

Contra *Calvinianos*, qui in *Harmon. Confess. Helvetic. posterior. q. 93.* scribunt: *Deus ab æterno prædestinavit vel elegit liberè & mera sua gratia, nullo hominum respectu sanctos, quos vult salvos facere in Christo.* adde *Zanch. l. V. de N. D. c. 2. 4.*

§. 7.

Finis electionis quoad Deum, est gloria misericordiæ; quoad nos vero, vitæ sanctimonia. vid. *Epitom. p. 602. Declarat. p. 805.*

Contra quosdam *Calvinianos*, qui, securitatem de impotentia relabendi finem esse, statuunt.

§. 8.

Ut Prædestinatio sive Electio ad vitam æternam non est *absoluta*; ita nec ejus oppositum *Reprobatio* absoluta est, neque *positivè* seu inferendo damnandi causas in hominem; neque *negativè*, non conferendo homini media gratiæ; neque *privative* seu linquendo hominem in peccato originali & actuali ideo, quia non placet eum erigere; sed est *hypothetica*,

thetica, quia scilicet hominis infidelitas est voluntaria, vincibilis ac finalis. Ideo Deus tanquam justus judex voluntate consequente judiciaria hominem reprobat. v. *Epitom. p. 621. Declarat. p. 808. seqq. 813 seq. p. 818. seqq.*

Contra Calviniſtas abſolutum prædeſtinationis decretum defendentes. vid. *Acta Synodica Remonſtrantium part. 1. p. 229 ſeqq. it. Supralapſarios*, qui objectum reprobationis ponunt hominem adhuc creandum, ita, ut ante creationis decretum jam condemnatus ſit. v. *Bezam in c. IX. ad Rom. Gomarum in diſput. ann. 1604. habit. Maccovium volum. 1. diſp 29. & Ultrajectinos in Synod. Dordr. pag 105.* Delertio Dei *totalis* & *omnimoda* in hac vita, non eſt ex abſoluto ejus decreto. *F. Conc. art. XI. p. 820. ſeqq.* contra Calvini aſſeclas.

CAP. XV.

DE

GLORIFICATIONE FIDELIUM DAMNATIONE INFIDELIUM ET MEDIIS UTRIUSQUE.

§. 1.

DE beatitudine & vita æterna, quæ animæ immortalitatem includit, non ex rationis, ſed lumine ſcripturæ, cognoſcendum eſt. v. *Epitom p. 815. Declarat. p. 802.*

Contra quosd. *Papiſtas apud Joh. de Rada, Aragonium tom. 1. Controverſ.* inter *Thomam & Scotum controverſ. 1. art. 3. it. tom. IV. controv. 12. art. 6. & 7. it. controverſ. 13. art. 2.* qui beatitudinem æternam

ternam naturaliter appeti & immortalitatem animæ ex ratione humana demonſtrari poſſe, exiſtimant. v. *Hülſemanni Brev. c. XVI. n. 1, & 2.*

§. 2.

Vita æterna non poteſt a partibus ſuis conſtitutivis perfecte definiri; generaliter tamen per *gaudia perpetua deſcribitur* v. *A. C. art. XVII. p. 14.*

Contra *Judæos, Socinianos & Anabaptiſtas*, qui partes illas ſine certa revelatione exprimere audent.

§. 3.

Vitæ æterna eſt donum DEI gratuitum, perſeveranter credentibus tantum conferendum. vid. A. C. *art. XVII. p. 14. Apolog. p. 128. p. 155. Catechiſm. Min. p. 372.*

Contra *Papiſtas, Arminianos & Socinianos*, qui per bona opera hominem vitam æternam mereri poſſe, ſtatuunt. v. *Concil. Trid. Seſſ. VI. c. 16. c. 32.*

§. 4.

Oppoſitum beatitudinis in vita æterna eſt damnatio impiorum ad æternos cruciatus, v. Aug. Conf. *art. XVII. p. 14.*

Contra Socinianos, Arminianos & Weigelianos finem cruciatuum æternorum cum *Origene, l. de Princip.* & Doctoribus miſericordiæ ſtatuentes, vid. *Auguſt. de civ. Dei libr. XXI. c. 17. f. m. 1299.*

§. 5.

Non eſt Status intermedius inter æternam beatitudinem & damnationem. v. *A. C. artic. XVII. p. 14.*

Contra Pontificios qui varia animarum post mortem receptacula commiscuntur, ut *purgatorium* nondum plene a peccatis purgatorum; *Limbum Patrum* & *Sanctorum* ante Christum mortuorum; *Limbum infantum* nondum baptizatorum. v. *Catechism. Rom. p. 57. Concil. Trident. Sess. XXII. c. 2. Bellarm. l. 2. de purgat. c. 1. & Arminianos statum intermedium* inter beatitudinem & damnationem fingentes. v. *Apolog. eorum c. 7. th. 7.*

§. 6.

Ante resurrectionem mortuorum, fore aureum seculum, seu regnum Christi in terris, quod pii occupaturi sint, ubique oppressis impiis, falsum est. v. A. Conf. art. XVII. p. 14.

Contra *Chiliastas crassos*, *Anabaptistas*, *Fratres Roseae crucis*, *Paracelsistas* ante universalem resurrectionem, *particulorum* quandam fidelium statuentes, quam primam vocant. v. *Alstedii Diatrib. de mille annis Apocalypt. & B. D. Gerhardi de Chiliasmo tract.*

§. 7

Glorificationem & Damnationem æternam antecedent resuscitatio corporis, extremum judicium & consummatio seculi, tanquam media exsequendi; sed diverso respectu quoad glorificandos & damnandos. v. A. Conf. *artic. XVII. pag. 14. Apolog. p. 217. Catech. min. p. 371.*

Contra *Socinianos & Arminianos.*

§. 8.

§. 8.

Corpora eadem ſpecie & numero, unita animabus ſuis, reſurgent in extrema die. vid. *Symb. Apoſt. p. Nicen. p. 2. A. Conf. p. 14. Catechiſm. Min. p. 372. ſeqv.*

Contra *Socinianos* v. eorum *Symb. ſuprà p. 105. Armin. Specim. ad Excerpta Leidenſ. Part. II. ſpecim. 19. p. 120. & Arminianorum Apolog. c. XIX. pag. 217. Anabaptiſtas in colleg. Franckenthal. art. 29. th. 7.* qui negant, eadem corpora reſurrectura eſſe, quæ nunc circumferimus; ſed alia plane *ſpiritualia* quoad ſubſtantiam & *cæleſtia* expectant.

§. 9.

In extremo judicio Angeli mali & homines quotquot vixerunt omnes, judicandi ſunt. v. v. A. Conf. art. XVII. p. 14.

Contra *Scholaſticos & Pontificios*, qui excipiunt paupertatem voluntariam voventes. *Confer comment. in IV. ſent. diſtinct. 47. & Petr. Martyrem, qui Claſſ. II. LL. comm. c. 17. in Expoſit. Symbol. num. 29. f. m. 432.* infideles a judicio diſcuſſionis excipit.

§. 10.

In judicio extremo Chriſtus judex feret ſententiam de operibus bonis & malis, tanquam effectis propriis de hominum fide, vel *ἀπιςία* teſtantibus. v. *Apolog.* A. C. p. 135.

Contra *Pontificios*, qui non de fide vel infidelitate, ſed de operibus tanquam meritis vel cauſis damna-

damnationis judicium fieri debere statuunt. v. *Heselium in Catech. c. 41.* & alios passim obvios.

Cap. XVI.

DE

ECCLESIA SEU INTERNA ET EXTERNA SOCIETATE FIDELIUM IN UNA ECCLESIA.

§. 1.

Doctrina de Ecclesia Christi in his terris in pædia Christiana non debet primo loco tradi, vid. *Method Symb. p. 1. 2. & A. C. p. 11.*

Contra Pontificiorum methodum, qui ex ratione status primum *de Ecclesia & ejus capite Papa* agunt, vid. *Becanum lib 1. Man. p. 1. & Bellarm. qui post. doctr. de V. D. & Chr. de Rom. Pontif.* agit: verbum DEI præmittit, non tam ut autoritatem ejus defendat, quam destruat, per Pontificis R. autoritatem illo majorem.

§. 2.

Ecclesia, stylo Scripturæ est nomen collectivum; ideoque cœtum ex pluribus fidelibus constantem notat: hinc in A. Conf. p. 11. *& ejus Apolog. p. 144. per congregationem Sanctorum* exponitur.

Contra *Pontificios*, qui Pontificem R. pro Ecclesia repræsentativa habent, v. *Gregor. de Valent. tom. III. in Thom. disp. 1. qv. 1. punct. 1. Gretser. tom. 1. defens. controv. Bellarm. l. 3. c. 10.*

§. 3.

Ecclesia proprie est congregatio sanctorum. vid.

vid. A. *Conf. p. 11. & Apolog. p. 144. 150. Catechism. Maj. p. 498.*

Contra Pontificios, qui impios & manifestos peccatores ad Ecclesiam referunt, vid. *Bellarm. l. 3. de Eccles. c. 7. & 9.*

§. 4.

Ad unitatem Ecclesiæ non requiritur unio membrorum cum Episcopo Romano; sed satis est consensus in unitate doctrinæ & usu Sacramentorum, vid. *A. Conf. p. 11. Apolog. 151.*

Contra *Pontificios*, qui ad unionem Ecclesiæ requirunt, ut quis Romano Pontifici subsit, vid. *Bellarm. l. 3. de Eccles. c. 2.*

§. 5.

Rituum aut ceremoniarum ab hominibus institutarum unitas, aut similituto, ad unitatem Ecclesiæ non est necessaria. vid. *A. Conf. art. VII. p. 11. Apolog. p. 151. seqq.*

Contra Pontificios defendentes Romanæ Ecclesiæ ritus tanquam catholicos & ad unitatem necessarios.

§. 6.

Notæ Ecclesiæ sunt verbi divini sincera prædicatio, & Sacramentorum legitima administratio. vid. *A. Conf. art VII. p. 11. Apolog. p 145.*

Contra Socinianos, quæstionem de notis Ecclesiæ, *inutilem* dicentes. vid. *Catech. Racov. p. 336. Socin. de Eccles. thes 123.* & pontificios, qui cum *Bellarmino l. IV. de Eccles. c. 3.* nomen *Catholicum, antiquitatem, durationem diuturnam, amplitudi-*

nem

nem ſucceſſionem Epiſcoporum, unionem cum Romano Pontifice, ſanctitatem vitæ, autorem religionis, gloriam miraculorum, lumen Prophetarum, confeſſionem & infelicem exitum adverſariorum, felicitatem temporalem Eccleſiæ pro notis Eccleſiæ veræ habent.

§. 7.

In Eccleſia ſunt multi hypocritæ & mali, ſed non ſunt membra Eccleſiæ, aut de Eccleſia. vid. A C. *art. IIX. p. 11. Apolog. p. 144. 146.*

Contra Pontificios, qui impios pro membris Eccleſiæ veræ habent; ut Pontificem impium quoque caput Eccleſiæ eſſe obtineant. vid. *Bellarm. l. III. de Eccleſ. c. 9. Stapleton. controv. Thomam Heinrici. Anatom. Aug. Conf. art. 8. qv. 1.*

§. 8.

Vera Eccleſia non ſemper eſt *viſibilis* & conſpicua, ſed quandoque *tecta*. vid. *Apolog. A. Conf. p. 147. ſeqv.*

Contra Pontificios, qui Eccleſiam ut Rempublicam Venetorum aut Gallorum viſibilem ſtatuunt. vid. *Bellarm. l. III. de Eccleſ. c. 12. 13. & 15.*

§. 9.

Eccleſia perpetua usque ad conſummationem ſeculi durabit. vid. *Apolog. A. Conf. p. 145. ſeqv.*

Contra *Socinianos* v. *Socin. ſolut. ſcrup. p. 34. Smalz. c. Franzium. p. 274. & Remonſtrantes in confeſſ. c. 22. & Apolog. p. 139.* negantes, neceſſum eſſe, ut Eccleſia ſemper duret. §. 10.

§. 10.

Qui fidem aut aut fundamentum fidei, doctrinam de Christo evertunt, aut impugnant; non possunt in unionem mysticam Ecclesiæ recipi. vid. *Apolog.* A. Conf. p. 148.

Contra *Syncretistas, qui Pontificios & Calvini assectas* in mysticam & spiritualem communionem recipere volunt.

§. 11.

Ecclesia Christi sancta & Catholica dicitur a verbo DEI & fide vera, vid. *Artic. Smalcald p. 335. Apolog. A. Conf. p. 146. seqv.*

Contra *Pontificios*, sanctitatem & Catholicismum suæ Ecclesiæ perperam vindicantes. vid. *Bellarmin. l. IV. de not. Eccl. c. 4. 7. & 11.* confer de usu tituli Catholici, *Breviar. Hulsemanni c. XVIII. n. 23.*

§. 12.

Ecclesia, non ut politia aut *monarchia* in mundo describenda est, in qua oporteat Pontificem Romanum caput esse, & illam monarchice regere; sed est communio sanctorum in hoc mundo sub uno capite Christo. vid. *Apolog. A. Conf. p. 140. & 149. & Catechism. M. p. 498. seq. Artic. Smalcald. p. 312.*

Contra Pontificiorum palmare ac fundamentale dogma, quod ipse *Bellarm. tom. 1. controvers. Fid. præf. in libr. de summ. Pontif. fol. m. 494.*

SUM-

SUMMAM REI CHRISTIANÆ dicit: it. *H. Grotium in Annot. ad Artic. VII. Aug. Conf. & Animadverſ. in Animadverſ. Riveti artic. eod. it. Bellarmin. l. 1. de R. Pontif. c. 1. 2. 3. 4. 5.*

§. 13.

Concilia in Eccleſia ſecundum quid ſunt neceſſaria, ad unitatem doctrinæ ſervandam & ad mores ac diſciplinam corrigendam. vid. *Præf. artic. Smalcald. p. 300. ſeqq.*

Contra Pontificios, qui abſolute neceſſaria eſſe volunt. vid. *Bellarm. l. 1. de Concil. c. 11.* & *Weigelianos* ac *Socinianos*; nec non *Remonſtrantes*, qui contra omnem neceſſitatem eorum negant; ut perverſam libertatem novandi circa religionem obtineant.

CAP. XVII.
DE
RITIBUS ECCLESIASTICIS.

§. 1.

RItus & ceremoniæ Eccleſiaſticæ divinitus non inſtitutæ, ſi verbo Dei non repugnant, ſunt indifferentes, nec tamen pro cultu neceſſario Eccleſiæ obtrudendæ. vid. *A. Conf. art. XV. p. 13. abuſ. V. p. 28. ſeqv. Apolog. p. 205. Epitom. p. 615. Declarat. p. 789.*

Contra *Pontificios*, qui ceremonias ex traditione ſolum derivatas, ut ſacramentum Chriſmatis, ceremonias baptiſmi, ſignum crucis & ſimiles

pro

pro cultu divino eoque necessario habent. confer *Bellarm. l. 2. de Sacrament. c. 31. & Cardinal. Bona libr. de Liturg.*

§. 2.

Ritus & ceremoniæ, quæ in Ecclesia ad bonum ordinem & tranquillitatem faciunt, ac adeo sine peccato servari possunt, non sunt temere abrogandæ. vid. A. Conf. *p. 13. & 31. Apolog. p. 205.*

Contra Reformatos rigorosos, qui ejusmodi res & ritus innoxios, ut *Exorcismum*, *privatam Confessionem*, *genuflexionem*, *crucis signum*, *altaria*, *apertionem capitis*, quando nomen JESU nominatur, *imagines &c.* abominantur, & tanquam tesseras Antichristi damnant. vid. *Confess. Basilienf. art. X. Catech. Heidelberg. qu 98. it. Socinianos* v. *Catech. Racov. p. 185.*

§. 3.

Licet Ecclesia potestatem habeat mutandi ritus & ceremonias indifferentes; persecutionis tamen tempore, ubi confessio exigitur, in rebus adiaphoris etiam adversariis cedendum est. v. Epitom. p. 615. Declarat. b. 790. seqq.

Contra quosdam Reformatos, & *Syncretistas*, ut *Cassandrum*, *M. Anton. de Dominis* & horum asseclas.

§. 4.

Ceremoniæ & ritus Pontificiorum maximam partem sunt superstitiosi, impii & scandalosi vid. A. Conf. *abus. V. p. 28. & 41. Apolog. p. 205. artic. Smalcald. p. 337.*

Contra *Pontificios negantes & M. Anton. de Dominis l. VII. de Repucl. Eccles. c. 12. n. 108. fol. 315. Cassandrum & H. Grotium*, qui ritus illos aut excusant, aut tolerandos censent.

§. 5.

Ritus & ceremoniæ Ecclesiasticæ nihil faciunt ad internam cultus divini naturam, neque gratiam Dei promerentur, v. Aug. Confess. *p. 13. & 30. Apolog. p. 205. seqq. Art. Smalc. 337.*

Contra *Pontificios*, quorum cultus divinus consistit in farragine rituum humanorum, cui opinionem meriti affingunt; & ita superstitionem populo misello persvadent, ac si Deus mandatis hominum colatur.

§. 6.

Rituum in Ecclesia dissimilitudo non parit diversitatem religionis & fidei v. A. Conf. *p. 11. Apolog. p. 151. seqq.*

Contra Anabaptistas, qui ob ceremoniarum discrepantiam, nova schismata faciunt. Confer *D. Hornbeckii Summ. controvers. l. V. & VI. de Anabaptis. & Enthusiast.*

CAP. XVIII.
DE
VOCATIONE ET ORDINATIONE MINISTRORUM ECCLESIÆ.

§. 1.

Ministerium externum in Ecclesia est necessarium. v. A. Conf. art. V. p. 10. 11.

Con-

Contra *Weigelianos* v. *Weigel. part. 1. Postill. p. 79. 240. Anabaptistas, Schwenckfeldianos & Socinianos* negantes.

§. 2.

Ad hoc constituendum, opus est vocatione v. A Conf. art. XIV.

Contra Anabaptistas, Socinianos, & Puritanos in Anglia; *it. Acontium l. IV. de Stratag. Satanæ p. 186.*

§. 3.

Ecclesia habet jus vocandi & ordinandi ministros Ecclesiæ, v. artic. Smalcald. p. 353.

Contra Pontificios, jus hoc Episcopis vindicantes, & radicem omnis vocationis legitimæ in Pontifice Romano constituentes, a quo communicetur aliis, v. *Bellarm. l. IV. de R. P. c. 24. it. libr. de Cleric. c. 4.*

§. 4.

Ordinatio ad ministerium quidem necessaria est in Ecclesia libera, sed non solis Episcopis competit nec Sacramentum proprie dictum est. v. *Art. Smalc. p. 334. p. 352. 353. Apolog. p. 201.*

Contra *Pontificios*, v. *Bellarm. libr. de Clericis c. 14. Concil. Trident. Sess. XXIII. de ordin. c. 7. it. de ordinat. c 3. Bellarm. de Sacram. Ord. c. 9.* it. Episcopos Anglicanos Carletonum Hallum, Billonum, presbyteros ab Episcopis per potestatem ordinationis distingventes.

§. 5.

Et ministrorum Ecclesiæ, & Episcoporum offi-

cium est, docere verbum DEI & Sacramenta administrare. v. A. Conf. *p. II. p. 38. Artic. Smalc. p. 334. Catech. Min. p. 360.*

Contra *Pontificios*, qui Episcopos plane transformarunt in Dynastas, & ministros verbi in Sacrificulos. v. *Bellarm. l. 1 de Clericis l. 1. cap. 13. & l. 5. de Rom. P. c 9.* ubi tradit, non esse contra verbum DEI, ut Episcopus sit Princeps.

§. 6.

Potestas clavium, seu ligandi & solvendi, jure divino omnibus, qui præsunt Ecclesiæ, æqualiter competit. v. Artic. Smalcald. p. 352.

Contra *Papistas*, prærogativam circa quosdam casus Episcopis tribuentes.

§. 7.

Potestas excommunicandi (puta excommunicatione *minori*, de qua *Artic. Smalcald. p. 333.*) reos manifestorum criminum pertinet ad omnes Pastores; sed ad *majorem*, cum sine ordine judiciali fieri non debeat, consensus & sententia plurium requiritur. v. artic. Smalcald. p. 354.

Contra *Pontificios* solis Episcopis id juris vindicantes.

§. 8.

Jurisdictio Episcopalis, quam jure humano & quidem non admodum veteri habent Episcopi, qui addicti sunt Papæ & jurarunt in decreta & formulam fidei in *Tridentino Concilio Sess. XXIV. c. 12. de Reformat.* sancitæ cum defendant impiam doctri-

ctrinam & impios cultus, ipsis restitui haud debet, v. *artic. Smalcald. p. 355.*

Contra H. *Grotii Appendic. ad comment. in IV. Evangelist.* & Apologiam de Antichristo.

§. 9.

Episcopi nullum habent jus condendi traditiones extra Evangelium, ut sint cultus, quos approbet Deus tanquam justitiam. v. *Apolog.* A. Conf. *p. 293. 296.*

Contra *Pontificios.* v. *Bellarm. L. IV. de R. P. c. 11. 16. seqv.*

§. 10.

Vocatio & ordinatio Ministrorum Lutheranorum est legitima. art. v. *Smalcald. p. 334.*

Contra Pontificios Lutheranorum Pastorum vocationem & ordinationem irritam dicentes. v, *Becan. Manual. l. 1. c. 12. Schreiner. Apol. part. 2 c. 32.* & alios nugatores passim obvios, Lutheranos non habere veros Ecclesiæ ministros, garrientes.

§. 11.

Ministrorum etiam malorum in Ecclesia ministerium est efficax. v. Aug. Conf. *art. IIX. p. 12. Apolog. p. 144. seqv.*

Contra *Donatistas & Anabaptistas.*

§. 12.

Conjugium Clericis non est interdicendum. A. Conf. *p. 22. Apolog. p. 256. artic. Smalc. p. 334. seqv.*

Contra *Pontificios.* v. *Concil. Trident. Sess. XXIV. de Matrimon. can. 9. Bellarm. de Cleric. c. 19.* ubi

cælibatum Jure Apoſtolico rectiſſime annexum Ordinibus ſacris contendit.

CAP. XIX.

DE

MAGISTRATU CIVILI.

§. 1.

MAgiſtratus civilis & quidem ſupremus, pro ordinatione divina habendus eſt. vid. A. Conf. *art. 16. p. 14. Apolog. p. 215. Catech. Min. p. 386.*

Contra *Anabaptiſtas* v. *Conf. Harlem. art. 37. & Weigel. Part. II. Poſtill. p. 337.* qui magiſtratum Tyrannicum aut infidelem à Deo eſſe negant.

§. 2.

Licet Chriſtianis ſalva pietate Magiſtratus officio fungi, vid. *Loca allegat, conf.* A. C. *art. 16.*

Contra *Anabaptiſtas Weigel. Part. II. Poſtill. p. 158. p. 338.*

§. 3.

Magiſtratus ſeu ſumma poteſtas civilis jure poteſt leges civiles ferre, judicia inſtituere, ſupplicia capitalia conſtituere, jus belli ac pacis exercere, tributa exigere, vid. A. Conf. *art. 16. p. 14. Apolog. p. 214. ſequ. 26.* Form. Conc. art. 12. p. 624.

Contra Anabaptiſtas, Weigelianos & Socinianos, qui jus vitæ & necis ex delicto Magiſtratui Chriſtiano denegant, vid. *Oſtorod. inſtitut. c. 28. p. 285.* it. Arminianos ſupplicia capitalia improbantes,

Digitized by Google

bantes vid. *Specim. Leidenſ. part. IV. n. 14.* it. Novatores, qui jus aggratiandi nimium extendunt.

§. 4.

Leges imperatoriæ, ut ſunt Juſtinianeæ, ex Republica Chriſtiana, ſubſtitutis legibus Moſaicis, non ſunt exterminandæ. vid. A. Confeſſ. *p. 14. Apolog. p. 215. ſeqv.*

Contra *Carolſtadium* & alis, qui legem Moſaicam revocare malunt; ut *Piſcator, Zepperus, Maccovius*, v. *D. Oſiandri obſerv. in l. 2. c. 1.* H. *Grot. de J. B. & P. tb. 14.*

§. 5.

Clerici a poteſtate Magiſtratus civilis non ſunt exemti, ſed eidem ſubjecti: quia omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubdita eſſe debet, Rom. XIII. vid. *Catech. Min. p. 386.*

Contra *Pontificios* qui Clericos a poteſtate civili eximunt v. *Concil. Trid. Seſſ. XXV. c. 20. it. Jur. Can. l. Nullus, Cauſ. XI. qv. 1. Bellarm. de Cleric. c. 28. 29. 30.*

§. 6.

Magiſtratui civili competit jus circa externa, quæ diſcipcinam in Eccleſia attinent ordinanda. vid. Artic. Smalcald. p. 355. it. 333. Form. Conc. p. 571. 634.

Contra *Pontificios* Epiſcopis vindicantes, & judicium de Religione, Magiſtratui denegantes v. *Bellarmin. de Laic. c. 17.*

§. 9.

Magiſtratui civili in omnibus parendum eſt, quæ non ſunt contra verbum DEI. vid. A. Conf. *art. 16. p. 14. Catech. Maj. p. 441. ſeqv.*

Digitized by Google

Contra *Anabaptiſtas* id negantes.

§. 8.

Non licet Chriſtianis mere - ſubditis adverſus Magiſtrum ſuum arma ſumere aut rebellare. v. *A. Conf. art. 16. & Catech. Maj. l. c. Min. p. 386.*

Contra *Anabaptiſtas* & quosdam *Calvinianos*, qui cum larvato *Stephano Junio Bruto*, h. e. ut *Grotius* in *Apologetico* ſuo exiſtimat, *Mornæo*, vel ut alii putant, *H. Langveto.*) *& Atbuſio in Syſtem. Politic.* ſubditos adverſus Principes ſuos in tyrannos degenerantes armant, cum monarchomachis.

§. 9.

Licet Chriſtiano coram magiſtratu civili jus ſuum per actionem inſtitutam proſequi. vid. A. Conf. *l. c. Apolog. p. 215. ſeqq.*

Contra *Anabaptiſtas* v. *Weigel. Part. II. Poſtill. p. 65. Socinianos*, qui Chriſtiano haud convenire putant; ut contia fratrem in judicio agat. vid, *Oſtorod.* Inſtit. *p. 169.*

Non eſt perfectio Chriſtiana obedientiæ parentibus, Dominis aut Magiſtratui debitæ ſeſe ſubtrahere, & voto monaſtico facta clauſtra ingredi. vid. A. Conf. *Abuſ. VI. & Apolog. p. 216. ſeqq. Artic. Smalc. p. 336.*

Contra Pontificios, vitam monaſticam omnibus maxime commendantes, & Reipublicæ, Eccleſiæ & ſcholis utiles viros ſubtrahentes; ut illi in monaſteriis Vacunæ litare poſſint. v. *Bellarm.* libr.

Digitized by Google

libr. de Monach. it. *Jacobi Middendorpii Origin. Anachoretic. Sylv.*

CAP. XX.

DE

PAPA ROMANO.

§. 1.

PApa R. non eſt caput Eccleſiæ, nec jure divino Epiſcopus univerſalis. v. *artic. Smalc. part. II. art. 4. & Part. III. p. 141. ſeqq. 348. 351. 795.*

Contra *Pontificios*, quorum hîc articulus fidei præcipuus eſt. v. *Bellarm. præfat. libror. de Summ. Pontific. fol. m. 595. & l. 2. de P. R. c. 12 ſeqv. it. l. 4. c. 1. ſeqq.*

§. 2.

Epiſcopus Rom. contra verbum DEI ſibi primatum, & poteſtatem civilem ſeu temporalem arrogat. vid. A. Conf. *p. 37. ſeqv. Artic. Smalc. p 341. 346.*

Contra *Pontificios*. v. *Jur. Can. c. omnes diſtinct. XXII. Extra de Major. & obedient. & c. unam ſanctam. it Bellarm. l. IV. d. P. R. c. 15. 11. l. V. c. 6.* ubi Papam aſſerit, indirecte habere poteſtatem temporalem; Jus autem canonicum ſine Imitatione in l. c. eidem tanquam vitæ æterna *clavigero, terreni ſimul & cœleſtis imperii jura* tribuit.

§. 3.

Papa eſt infra Concilium, nec poteſtatem ali-

quid ſtatuendi contra doctrinam Chriſti habet. v. A. Conf. *abuſ. VII. p. 40. & Artic. Smale. pag. 314. 348. 350.*

Contra Pontificios v. *Bellarmin.* qui libr. II. *de Concil. auctor.* affirmat, ſummum Pontificem abſolute eſſe ſupra Concilium, quod concilii Conſtantienſis decreto repugnat.

§. 4.

Papa Romanus eſt Antichriſtus ille magnus in Scriptura S. prædictus, vid. *Artic. Smalc. art. IV. p. 314. 347. ſeqv.*

Contra *Pontificios* negantes v. *Bellarmin. l. 3. de R. P. Tannerum in Anti-Chriſto proſcripto, Ilias Dillingenſ.* quos partim *B. D. Nicol Hunnius in neceſſaria depulſione duarum graviſſimarum accuſation.* partim *Theologi Saxonici, in Defenſ. Pupillæ Saxon. ſive* A. Conf. *c. 87. ſeqq.* ſufficienter refutarunt. item H. *Grotium* & Syncretiſtas nonnullos, qui Papam pro Antichriſto habere nolunt. vid. *B. Hülſem. Brev. c. XXII. ſupplem.*

§. 5.

Ex dicto Chriſti Matth. XVI, 19. *Tues Petrus* &c. non poteſt probari, R. Pontificem eſſe caput Eccleſiæ & habere primatum. vid. *Artic. Smalc. p. 344. ſeqq.*

Contra Pontificios v. *Bellarmin. l. 1. de R. Pontif. c. 10. 11. 12. 13.*

§. 6.

Veri Chriſtiani, ſalva conſcientia, Pontifici Romano idololatriam & impios cultus defendenti ad-

Digitized by Google

adhærere aut eidem obedire non poſſunt. vid. *Artic. Smalc. p. 347. 349. 350.* it. *p. 313. ſeqq.*

Contra *Pontificios* vid. *Bellarmin. l. IV. de not. Eccleſ. c. 19. & Jus Canon. Diſtinct. XL. c. 6. Si Papa ſuæ & fraternæ ſalutis negligens deprehenditur, inutilis & remiſſus in operibus ſuis, & inſuper a bono taciturnus, quod magis officit ſibi, & omnibus; nihilominus innumerabiles populos catervatim ſecum ducit primo mancipio gehennæ, cum ipſo plagis in æternum vapulaturus. Hujusque culpas iſtic redarguere præſumit mortalium nullus, quia cunctos ipſe judicaturus, a nemine eſt judicandus, niſi deprehendatur a fide devius.* Quod tamen juxta *Bellarm. l. IV. de R. P. c. 3. ſeqq.* timendum non eſt, cum ſit infallibilis.

§. 7.

Papa Rom. in concilio judicandus, non poteſt concilio firmitatem & autoritatem largiri. v. *Art. Smalc. p. 350. ſeqq.*

Contra *Bellarmin. l. II. de concil. c. 11. de concil. & Eccl. & IV. de R. P. c. 3.*

§. 8.

Pontif. Romani imperium eſt tyrannicum. vid. Artic. Smalcald. p. 315. 350. & confer hiſtorias ſuperiorum ætatum, & Gravamina Nation. German. contra curiam Rom. a 1522. publicata.

Contra *Pontificios* & eorum paraſitos, qui Dictatus Gregorii VII. Papæ defendunt.

APPEN-

Digitized by Google

APPENDIC. TRIPARTITÆ

PARS III.

CONTINENS NOTITIAM PARTIM HÆRETICORUM, A QVIBUS DOCTRINA LIBR. SYMBOL. DISCEDIT; PARTIM CONCILIORUM ET COLLOQVIORUM RELIGIONIS CAUSA HABITORUM.

CAP. I.

DE

HÆRESI ET HÆRETICIS IN GENERE.

§. 1.

HÆRETICUS dicitur ἀπὸ τῆς αἱρέσεως, quæ vox apud Græcos *tres* præcipue significatus habet: 1) notat *electionem* vel *optionem*, inde *Hesychius in Lexic.* dicit; αἵρεσις, βούλησις. (2) notat *certam vitæ rationem*; ita enim *Athenæus lib. V. Dipnosophist.*

c. 4.

Helena Jovis filia loquitur ἀλλ' οἴκοθεν ἔχουσα τὴν τοιάνδην αἵρεσιν, quod *domi hanc vitæ rationem didicisset*, confer *Causaboni animadv. in h. l. f. 337.* (3) *notat electionem certorum dogmatum.* Hinc *Clemens Alexandrinus l. VIII Stromat. fol. 777.* edit. Paris. Sylburg. αἵρεσις ἐστι πρόκλισις δογμάτων, ἢ, ὡς τινες, πρόκλισις δόγμασι πολλοῖς ἀκολουθίαν πρὸς ἄλληλα, καὶ τὰ φαινόμενα περιέχουσα, πρὸς τὸ εὖ ζῆν συντείνουσα. *Hæresis est dogmatum inclinatio, aut, ut quidam dicunt, inclinatio, quæ multis dogmatibus præbet consequentiam inter se & ea, quæ videntur, tendens ad recte vivendum.* Eodem fere sensu *Diogenes Laertius, Proœm. in vit. Philosoph.* descripserat, ubi in Græca Philosophorum hæreses recenset. Similis quoque vocabuli notio usitata est *Ciceroni in Paradox. Cato in ea*, inquit, *est hæresi, quæ nullum sequitur florem; & l. XV. Epist. ad Familiares Epist. 16. in ista ipsa* ait αἱρέσει *meiuo, ne plus nervorum sit, quam ego putarim.* Loquitur autem de Epicuri secta, quam ipse *Epiphanius I. 1. adv. Hæres f. 12.* sextam gentilium hæresin vocat.

§. 2.

In sacris literis αἵρεσις simili fere intellectu reperitur, Nam Act. V. v. 7. αἵρεσις τῶν Σαδδυκαίων nominatur, &c. XXVI. v. 5. Paulus de se affirmat, quod, priusquam Christianus fieret, κατὰ τὴν ἀκριβεστάτην αἵρεσιν τῆς θρησκείας Ἰουδαίων *secundum exquisitissimam hæresin religionis Judaicæ* vixerit

xerit: & *cap. XXIV. Act. v. 14.* ipsa religio Christiana, a Paulo, ex mente Judæorum, αἵρεσις vocatur. Confer *Euseb. l. X. H. Eccl. c. 5.* ubi ab Imperat. Constantino in Epist. qua alteram Episcoporum Synodum fieri JUSSIT, Christiana religio αἵρεσις καθολικὴ audit: quam vocem Valesius per *sententiam* reddidit: *Hæresin vero Catholicam* Grynæi editio retinuit.

§. 3.

Verum etsi vox hæc tam apud profanos, quam scriptores sacros olim inter τὰ μέσα relata sit; tamen stylo Apostolorum & scriptorum sacrorum, mox in sequiorem partem accipi svevit. *Paulus* enim in *Epistolis suis* nunquam in bono sensu usurpat: ut *1. Cor. XI. 19. Oportet hæreses esse inter vos, ut, qui probi sunt, manifesti fiant inter vos: Galat. V, 20.* αἵρεσιν inter opera carnis refert. Et *Petrus 2. Epist. c. II. 1.* αἱρέσεις ἀπωλείας, hæreses exitiales prædicit. *Paulus Tit. III, 10.* hæreticum hominem post unam & alteram admonitionem devitare jubet. Cum itaque hæresis apud Christianos in malam tantum partem accipiatur; nimirum pro animi perversa sententia, quam obstinate contra verbum Dei tuetur aliquis; Hinc *Tertullianus lib. de Præscript. c. 6.* negat, doctrinam Christianam posse dici hæresin: quia illa nihil suo arbitrio eligat, sed doctrina ab Apostolis & Christo accepta sit. Et *Theophylactus ad Coloss. II. v. 8.* ait: διὰ τοῦτο αἱρέσεις λέγονται, ὅτι ἀνθρώπων εἰσὶ δόξαι,

δόξαι. Ἥδε τῶν χριστιανῶν πίστις, οὐκ ἀνδρωπινον δόγμα διὸ οὐδὲ τοιουτου ὀνόματος τεύξεται.

§. 4.

Ex his, quæ dicta sunt facile colligi poterit, qvis non vi vocis, ignominioso *hæretici* nomine compellari debeat. Scilicet ὁ ἄλλο τι παρὰ τὴν ἀλήθειαν αἱρούμενος ἔχειν, *qui aliquid præter veritatem* (puta cœlestem) *amplectitur*: ita Hesychius describit; vel qui audet, (ut cum *Clemente Alexandr. lib. VII. Stromat fol. m. 764.* loquar) μοιχεύειν τὴν ἀλήθειαν, h. e. *adutlerat veritatem*: dum (ut idem Clemens l. III. Stromat. loquitur) persvadet aliis, τὸ πορνεύειν ἀπὸ τοῦ ἑνὸς ἀνδρὸς τοῦ παντοκράτορος τοῦ Θεοῦ. Quapropter Constantinus M. apud *Eusebium l. III. de vit Const. c. 62.* hæreticos vocat τῆς ἀληθείας ἐχθροὺς, τῆς ζωῆς πολεμίους καὶ ἀπωλείας συμβούλους *veritatis inimicos, hostes vitæ ac internecionis consiliarios ac autores.*

§. 5.

Sed clarius fiet, quis proprie ac (ut loquuntur) specifice *hæreticus* dicendus sit; opus est, ut *definitionem* tam *hæresis*, quam *hæretici* adducamus.

§. 6.

Hæresis vero *in J. Can. Caus. XXIV. qv. 3. cap. 26.* generaliter describitur, quod *perversum dogma* habeat; *schisma* autem *propter Episcopalem dissensionem ab Ecclesia pariter separet, & aliquam hæresin confingat.*

§ 7

§. 7.

Thomas Aquinas II. 2. qv. XI. art. 1. & 2. postquam disputasset, an species infidelitatis sit, per *corruptionem fidei Christianæ* definit. Hæreticum vero cum *Augustino lib. de utilitat. cred. ad Honoratum c. 1.* describit, *quod sit is, qui alicujus temporalis commodi & maxime gloriæ principatusque sui gratia falsas ac novas, opiniones* vel *gignat* vel *sequatur.* Qvæ descriptio adpiime convenit Jesuitis, qui papatum hodie stabiliunt.

§. 8.

Si Doctores ecclesiæ consulas, *hæresis nihil aliud est, quam sententia præter aut contra scripturam sacram prolata, ac doctrinam fidei inde probatam impugnans, quæ pertinaciter ab autore defenditur.* Hinc *Irenæus l. III. c. 1. 2. seq.* probat, *unumquemq; hæreticorum depravare regulam veritatis. Cyprianus lib. de lapsis*, ad Novatianum hæreticos vocat *desertores fidei*, it. *lib. de unitate Eccles. Hæreses*, inquit *invenit* (Diabolus,) *quibus subverteret fidem, unitatem corrumperet. Athanasius, in orat. contra gentes*, dicit hæreticos περὶ τὴν πίστιν ἐκπλλοτριωμένους *naufragos in fide. Basilius Magnus, Epist. ad Amphilochium*, cum hæresin Manichæorum, Valentinianorum & Marcionistarum allegasset, rationem hanc addit: εὐθὺς γαρ περὶ τῆς εἰς θεὸν πίστεως, ἡ διαφορὰ, *statim enim de ipsa in DEum fide est dissensio.* Non opus esse videtur, ut plura Patrum testimonia hic cumulentur; cum omnes, qui

Epi-

Epiphanii aut *Auguſtini libros de Hæreticis & hæreſibus* viderunt, in hoc nobiſcum conſentire oporteat, quod hæreſis ex ſententia Patrum & uſu S. Scripturæ dicto jam modo deſcribenda ſit.

§. 9.

Lambertus Danæus eodem fere ſenſu *Prolegom. c. 3. commentar. in Auguſtin. libr. de Hæreſib. definit.* *Hæreſis igitur*, ait, *eſt electio perverſæ falſæque adeo, quod ad animarum ſalutem credi ex Dei verbo debet, ſententiæ, quam pertinaciter defendimus, ſive illa a nobis reperta, ſive jam ab alio inventa ſit.* Atque hinc *idem autor l. c. p. m. 9. Schiſma ab hæreſi* diſtingvit, quod illud conſiſtat in defenſione pertinaci opinionis novæ circa ceremonias Eccleſiæ receptas & honeſtas; hæc vero (hæreſis) circa doctrinam. Ex qua differentia ſimul diſcrimen *Schiſmatici & hæretici* cognoſci poteſt. Nempe quod *hic* a vera & recepta doctrina fidei diſcedat eamque pertinaciter impugnet; *ille* autem a ceremoniis & ritibus in Eccleſia receptis: quam tamen diſceſſionem plerumque hæreſis comitari ſolet.

§. 10.

Sed cum *dogmata fidei*, vel ſint *principalia*, vel *minus principalia*; hinc conſequitur, quod *Hæreticus* articulum fidei fundamentalem impugnet, aut neget, pernicioſior ſit eo, qui tantum minus principalem deſtruere laborat. Adeoque vox hæretici ex eorum numero eſt, quæ Græcis dicuntur τὰ κατὰ πρότερον καὶ ὕστερον.

§. 11.

Duo autem *vitia* in hæretico cumprimis notanda occurrunt, si quidem pro tali proprie habendus sit: *unum est mentis*, seu *intellectus*; error scilicet circa dogma fidei in Scriptura S. revelatum; *alterum voluntatis*, quod est pertinacia in palliando aut defendendo errore demonstrato. Utrumque adsit necesse est, si quis hæreticus censeri debeat. Nam ut *Augustinus lib. de Hæres. in præfat.* loquitur: *Non omnis error hæresis est, quamvis omnis hæresis, quæ in vitio ponitur, nisi errore aliquo, hæresis esse non possit.* Hinc est, quod *Patres* hæreticum a malitia & pravitate mentis describunt. *Justinus Martyr. Quæst. IV.* affirmat hæreticos nova dogmata contra veritatem propalare οὐκ ἀσθενείᾳ δυνάμεως, ἀλλὰ τῇ πονηρίᾳ γνώμης, *non ex imbecillitate quadam intellectus, sed ex malignitate mentis.* Et *Scholastici* distingvunt inter hæreticum *materialiter*, & *formaliter* sic dictum. *Illum* vocant, qui errorem contra fidem fovet, *hunc*, qui ex mentis quadam malitia talem pertinaciter defendit.

§. 12.

Hæc mentis pertinacia in hæreticis ut plurimum *gloriam* aut *lucrum* spectat. Nam illi non dissimiles sunt *Sophistis*, quos Græcia olim tulit, qui ὠφελείας χαριν, aut propter Φιλοδοξίαν sive gloriæ cupiditatem, pugnans de verbis ciebant. Hos imitantur hæretici teste *Apostolo 1. Tim. VI. 45.* νομίζοντες πορισμὸν εἶναι τὴν εὐσέβειαν, vid. 2, *Petr.*

Petr. II, 3. Quod posset multis ex historia petitis exemplis comprobari, ni jam manifestum foret, v. *Clem. Alexandr. l. VII. Stromat. f. 762.* Alias causas adducit *Daneus l. c. c. 6.* quos hic transcribere non vacat.

§. 13.

Pontificiis *hæreticus* est, qui *Romanæ Ecclesiæ non concordat*; *ita Gregorius VII.* Episcopus Romanus *lib. VII. Epist. 24.* describit. Quam descriptionem confirmat *decretum Gregorii IX. in Decretal. cap. ad abolendam de hæreticis.* Verum persvadent sibi Papicolæ, ut olim Donatistæ, se scilicet constituere solos Ecclesiam Catholicam. Quod quam sit falsum, docet Apostasia Ecclesiæ Romanæ, quæ hodie omnibus scrutantibus veritatem notissima est. Syncretistæ hæreticum proprie dictum esse aiunt, qui dogma quoddam fidei in Symbolo Apost. propositum, positive & directe negat. Quod si amiseris, impiæ doctrinæ defensores orthodoxi erunt. vid. *D. Calov. Syst. tom. 1. Sect. II. qu. 19.*

§. 14.

Illud discrimen hic non prætereundum est, quod inter *hæresiarcham & hæreticum* observant scriptores. Nempe *is* nominatur, qui autor est erroris contra fidem, seu qui hæresin excogitavit; *hic* vero dicitur, qui hæresin ab aliis inventam amplectitur & propugnat: uterque religioni veræ, certo sacramento initiatus esse & sacram scripturam, aut partem ejus recipere debet. Nam si horum

requisitorum forte unum desit, licet veram fidem doctrina impugnet, tamen *infidelis* potius (ut gentiles, Turcæ & Judæi hodierni sunt,) censendus est, quam hæreticus aut hæresiarcha. vid. *Dan. comment. cit. c. 3. p. m. 8. seqq.*

§. 15.

Visis jam illis, quæ hæresin aut hæreticum constituunt, hæreticos, habita temporis ratione, in *duas classes* dispescemus. Quarum *prima* continebit *antiquiores*; *altera recentiores*. Omnes autem illorum hæreses mox adducendæ, nomina acceperunt, vel ab autore, ut *Valentinianorum & Marcionitarum*, a Valentino & Marcione; vel ex loco, ut *Peraticorum*; vel ex gente, ut *Phrygum* hæresis; vel ex operatione, ut *Encratitarum*; vel ex propriis dogmatibus, ut *Docitarum & Hæmatitarum*; vel ex positionibus & iis, quæ honorarunt; ut qui appellantur *Cajanistæ & Ophiani*, vel ex iis, quæ nefarie ausæ sunt & perpetrarunt: ut qui ex Simonianis vocantur *Eutychitæ*. vid. *Clem. Alexandrin. Stromat. l. VII. prope sub fin. f. m. 765.*

§. 16.

De aliis quæstionibus huc forte pertinentibus nobis agere non est integrum. Legi autem meretur *B. D. Kesleri* nostratis, *Methodus convertendi Hæreticos* in *duas partes distributa, anno 1631. Coburgi edita:* ex Reformatis præter *Danæum* jam citatum *Hartmanni Springlii de hodiernis Hæresibus & Hæreticis Tractatus in tres libros distributus, qui Oppenheimii anno 1618. prodiit.*

Cap.

Digitized by Google

Cap. II.

DE

HÆRETICIS ANTIQVIORIBUS.

§. 1.

HÆretici nobis *antiquiores* dicti, vel fuerunt in *Eccleſia Judaica*, vel in *Chriſtiana*. Illis accenſemus, tum qui *Samaritanorum*, tum qui *Judaiſmi* ab *Epiphanio* dicuntur hæreſes aut hæretici. *Illorum* numerantur *quinque Samaritæ*, *Eſſeni*, *Sebuſæi*, *Gortheni*, *Doſithei*. *Horum* vero *ſeptem*, *Saducæi*, *Scribæ*, *Phariſæi*, *Hemerobaptiſtæ*, *Nazaræi*, *Oſſeni* & *Herodiani*, quos omnes ordine deſcribit *Epiphanius lib. 1. adverſas Hæreſes a fol. 24. ad 47. edit. Pariſ. Petavii.* Lectu etiam digni ſunt *Commentarii Joh. Druſii de ſectis Judaicis*, cum *Elencho Tribæreſii Joſephi*, *Scaligeri.* it. *Iſiodori lib. 8. Etymolog. cap.* 4. Confer etiam *Philaſtrii Epiſcopi Brixienſis Catalogum Hæreticorum*, qui *Ophitas*, *Cajanos*, *Sethianos*, *Heliognoſtos*, *Ranarum Cultores*, *Accaronitas*, *Troglodytas*, *Fortunæ cœli cultores*, *Moloch & Rempham* idolorum cultores hæreticos *de Ara Tophet*, *Puteoritas*, *cultores æneiſerpentis*, *ſubterraneorum idolorum cultores*, *hæreſin mulierum cum Thamur ſimulachro*, *Belitas*, *Bahalitas*, *hæreticos Pythoniſſam foventes*, *Aſthar & Aſtharoth* colentes recenſet. Hos omnes inquam, *Philaſtrius* accen-

ſet Hæreticis, quiante adventum Chriſti in Eccleſia Judaica fuerunt noti vid. *Catalog. ejus a p. 2. ad 12.* Verum notandum eſt, inter hoſce nominatos homines ſuperſtitioſos, aliquos fuiſſe infideles; adeoque hæreticorum numero, ſi accurate loqui velimus, eximendos.

§. 2.

Qui in *Chriſtiana Eccleſia*, poſt exortam Evangelii lucem, innotuerunt hæretici, & orthodoxis facesſiverunt negotium, potiſſimum noſtræ commentationis argumentum erunt: ita quidem, ut non omnes ſecundum ſeculorum ſeriem recenſeamus, ſed tantum illos, quorum aut mentio in libris noſtris Symbolicis extat aut alias crebro allegantur.

§. 3.

Hæretici igitur poſt Chr. N. *vel* in ſcriptura S. allegantur, *vel* in antiquiori hiſtoria deſcribuntur. *Illi* non adeo multi ſunt; *horum* vero ingens eſt numerus, ſi ſecula ordine perluſtrare inſtituas.

§. 4.

In ſcriptis Apoſtolicis, primo quaſi loco memoratur *Simon Magus πατὴρ καὶ δημιουργὸς αἱρέσεων, Act. VIII. 9. ſeqq.* Hic gente fuit Samaritanus, arte Magus & impoſtor, mentiens, ſe eſſe *τὴν μεγάλην δύναμιν τοῦ θεοῦ.* Docuit inter alia portenta, mundum ab Angelis eſſe factum, & hoſce fefelliſſe genus humanum. Negabat carnis reſurrectionem & aſſerebat deteſtandam tur-

pi-

pitudinem, licere promiſcue uti fœminis. Sociam ſceleris ſibi fecerat *Helenam*, (vel ut Auguſtinus vocat, *Selenam*) meretricem, cuius imaginem una cum ſua diſcipulis præbebat adorandam. Baptizatus fuit a Philippo, & cum ab Apoſtolis voluiſſet emere Spiritum S. qui per impoſitionem manus dabatur, nomen ſceleri, quod SIMONIA dicitur, fecit. *Can. qui pro pecunia 1. quæſt. 1. Can. Altare 1. Quæſt. 3.* Romæ cum illudere populo arte magica voluiſſet, ab Angelo DEI percuſſus eſt miſereque periit. Diſcipuli ejus dicti fuerunt *Simoniani*. Poſt mortem teſte *Eraſmo in præfat. ad Irenæi libr. adverſ. Hæreſ.* ſtatuam Romæ meruit, cum hac inſcriptione: *SIMONI S. DEO.* quod alii negant. Plura de hæreſi ejusdem habent *Epiphan. lib. 1. tom. 2 fol. 55. ſeqv. Auguſtin. de Hæreſ. c. 1. & Dæneus in comment. edit. Helmſtad. p. 40. ſeqq. Philaſtrius Catalog. c. p. 13. ſeqv.*

§. 5.

Præter *Simonem* hunc *Magum*, Apoſtoli memorant *Hymenæum*, *& Philetum*, *2 Timoth. II, 18.* qui reſurrectionem jam factum fuiſſe docuerunt: item *Gnoſticos*, quos ἀπὸ τῆς ψευδωνύμου γνώσεως ſic dictos fuiſſe ex *1. Timoth. VI, 20.* notum eſt. Autores fœdiſſimæ hujus ſectæ extiterunt *Baſilides & Carpocrates*, vid. *Euſebii l. IV. H. E. c. 7.* Nimirum præter ſingularem ſcientiam, quam jactabant, in ſuis myſteriis turpitudinem contra VI. Decalogi præceptum fœdiſſimam exercebant. De DEO

& Angelis & animabus, fabuloſa & ab omni ratione abhorrentia dogmata ſpargebant. vid. *Auguſtin. lib. cit. c. 6.* Ad hos pertinent, qui communes cum ipſis & Simone Mago hæreſiarcha, errores foverunt poſtea, *Menandrus*, *Saturninus*, *Baſilides*, inde *Menandrini*, *Saturniliani & Baſilidiani*, ab *Epiphanio hæreſ. 22. 23. 24.* deſcripti. Eorum propagines *Hæreſ. 26.* idem ſcriptor adducit.

§. 6.

Hos excipiunt *Pſeudo-Apoſtoli*, qui, ut *Epiſtola Pauli* ad *Galatas* teſtatur, obſervationem legis Moſaicæ ad juſtificationem neceſſariam eſſe propugnabant: Cæterum vero doctrinam Chriſtianam profitebantur. His fœdiores fuerunt *Nicolaita*, qui nomen *a Nicolao diacono Act. VI. 5.* accepiſſe dicuntur. Mentio eorum extat *Apocalypſ. XI, 6.* Nicolaus enim (ut apud *Epiphanium* *Hæreſ. 25. fol. m. 72.* eſt,) cum haberet uxorem εὐμορφον, id eſt *elegantem*, cœpit ſpargere fœdum dogma, ὅτι εἰ μή τις καθ' ἑκάστην ἡμέραν λαγνεύει, ζωῆς οὐ δύναται μετέχειν τῆς αἰωνίου. Ab his originem habere quosdam *Gnoſticos*, *Epiphan. l. c. fol. 77. tradit.*

§. 7.

S. Johannis quoque tempore notatur *Diotrephes*, ὁ φιλοπρωτεύων, qui ut laudatus *Apoſtolus Epiſt. III. v. 9.* ſcribit, primatum quendam affectaſſe in Eccleſia eoque Antichriſto Magno præluſiſſe dicitur. Quos tamen in fidei doctrina errores foverit, non legitur annotatum.

§. 8.

Digitized by Google

Cerinthus, primi ſeculi Eccleſiam ſuperſtitibus adhuc Apoſtolis, in Aſia turbavit, dicens, circumciſionem eſſe neceſſariam: Chriſtum non eſſe verum Deum, ne reſurrexiſſe; Evangelium ſecundum Matthæum ſolum accepit, reliqua Evangeliſtarum ſcripta cum Actis Apoſtolicis rejecit: Legem ac Prophetas ab Angelis profectos afferebat. vid. *Epiphan. hæreſ. 28. fol. 100. ſeqq.* Ejus diſcipulus fuit *Ebion*, inde *Ebionitæ*, ſeu, ut *Epiphanius hæreſ. 30.* appellat, *Ebionæi*, qui itidem Deitatem Chriſti impugnarunt, & alia nefanda dogmata ex Judaiſmo & Gentiliſmo petita ſparſerunt. Inde hæreſin hanc *Epiphanius* πολύμορφον τεράστιον καὶ πολυκέφαλον ὕδραν vocat. Et addictus fuiſſe putatur *Symmachus*, qui Biblia Ebraïca vertit in Græcam linguam. Hinc omnes locos V. T. qui divinitatem Chriſti adſtruunt, corrupit. v. *Euſebium l. VI. c. 7. & Philaſtr. l. c. hæreſ. 37. p. 18.* obiter notandus error *Iſidori*, *qui l. 8. c. 5. Etymolog.* poſt Montanos & Novatianos, collocat Ebionitas, cum 200. annis ante vixerit Ebion. v. *Danæi comment. cit. p. 86.*

CAP. III.

DE

HÆRETICIS POST CHR. N. SEC. II FAMOSIS.

§. 1.

SI ulla ætas ferax fuit hæreſium, certe hoc ſecu-

Digitized by Google

lum est: ubi Judæi & gentiles Philosophi, conversi quisque vel ceremonias vel placita sua religioni immiscere Christianæ studebant. Etenim sub initium imperii Antonii Pii, orta est statim hæresis *Carpocratianorum* qui nomen a *Carpocrate* indepti, fidem Christianam & disciplinam plane corruperunt. Nam negabant, mundum a Deo factum, Christi divinitatem impugnabant, resurrectionem carnis inficiabantur. *Epiphanius l. 1. tom. 2. hæres. 27.* Carpocrasios vocat, & ex omnibus erroribus hæresin enatam putat; præcipue tamen ex *Simonis*. v. *Augustin. de Hæres. c. 7.*

§. 2.

Deinde eodem *Antonio* Imperante, *Valentiniani* ortum traxerunt a *Valentino* Pythagorico magis Philosopho, quam Christiano. Hic in Cypri provincia degens, finxit cum Poetis ex chao processisse intellectum & veritatem, de intellectu autem verbum & vitam; De verbo autem & vita hominem & Ecclesiam, de homine autem & Ecclesia processisse duodecim Αἰῶνας, i. e. *secula* v. *Philastrium hæres. 38. p. 18.* Præterea asserunt, Christum spirituale vel cœleste corpus secum attulisse, nihilque assumpsisse de virgine Maria, sed per illam tanquam per rimam, canalem aut fistulam, sine ulla de illa assumta carne transiisse. v. *Augustin. de hæres. c. XI. Epiphanius, hæres. 31.* eos Gnosticis accenset. Nam multorum hæreticorum, commune nomen fuisse Gnosticorum, idem *Epiphanius* tradit.

§. 13.

§. 3.

Sub *Antonino* Philoſopho Imperatore *Marcionitæ* innotuerunt. Autor hæreſis fuit *Marcion*, genere Pontificus, Cerdonis diſcipulus, qui ob ſtuprationem virginis a Patre excommunicatus, Romam conceſſit & hæreſin excitavit novam; negans, reſurrectionem carnis, legem ac Prophetas reſpuit, Baptiſmum ſæpius inſtaurari juſſit, &, ut *Auguſtinus* vult, duo principia; vel, ut *Epiphanius* ſcribit, tria principia, bonum, juſtnm, & pravum ſtatuit. v. *Auguſtin. l. c. cap. 22. Epiphanius Hæreſ. 42. fol. 304. ſeqv.* Diſcipuli ejus Marcionitæ & apud Epiphanium *Marcioniſtæ* appellantur. Qui diſtinguendi ſunt *a Marcitis*, vel ut apud Epiphanium nominantur, *Marcoſiis*. Hi enim nomen a *Marco* auditore & ſectatore Valentini acceperant, qui Chriſtum non vere, ſed putative paſſum eſſe aſſeveravit: ſimul etiam duo principia rerum, *bonum* ſcil. & *malum* ſtatuit, carnisque reſurrectionem negavit. Hinc forte eſſe, quod *Philaſtrius*, *hæreſ. 45. p. 21.* Marcioni tribuerit, quae *Marcus* aſſeruerat. Cæterum nugas Marcoſiorum ſeu Marcitarum recenſet *Epiphanius hæreſ. 34. fol. 236. ſeqq.*

§. 4.

Noëtiani ſub eodem Imperatore hæreſin ſpargere cœperunt. Autor fuit Noëtus Aſianus, vel, ut *Epiphanius* ſcribit, *Smyrnæus* vel *Epheſinus*, Montani diſcipulus, qui aſſeruit; Chriſtum eundem ipſum eſſe patrem & Spiritum S. itaque hunc ipſum eſſe

esse visibilem & invisibilem, mortalem & immortalem: patibilem & impatibilem, in cœlis Deum, in terris hominem ex Maria Virgine: Trinitatem non personis sed officiorum tantum nominibus distinxit: Se Mosem esse, & fratrem suum Eliam finxit. vid. *August. cap. 36. Philastr. haeres. 53.* post mortem ipse cum fratre insepultus abjectus est. v. *Epiphan. haeres. 57. fol. 480.*

§. 5.

Post Decii persecutionem *Tacianus* emersit, primum Justini Martyris discipulus, mox illo per martyrium ablato, apostata. Damnavit nuptias & conjugium; carnibus vesci discipulis suis vetuit. Adamum Protoplastum non salvatum esse deliravit. Assecla ejus dicuntur etiam *Encratitae*, a professione, quod cœlibatum, & a vino atque esu carnium abstinentiam profiterentur, ad licentiam vitiorum nomine ἀπὸ τῆς ἐγκρατείας conficto. *Epiphanius* igitur hosce vult esse ἀπόσπασμα, i.e. furculum Tacianorum. v. *Augustin. c. 25. & Epiphan. Haeres. 46.*

§. 6.

Idem seculum vidit *Cataphryges* Phrygia provincia, quam inhabitarunt, nomen gerentes. Hi V. & N. Testamentum accepere, & SS. Trinitatem confessi sunt. Sed *Montanum* hominem ambitiosum & jam Encratitarum errore corruptum secuti cœperunt delirare, docentes adventum Spiritus S. a Domino promissum, in se potius, quam

in

in Apoſtolis ejus fuiſſe impletum. Quare Montanum pro Paracleto & Priſcillam ac Maximillam pro Prophetiſſis habuerunt. Secundas nuptias ceu fornicationes damnarunt, & de infantis anniculi ſanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extorſerunt, ad Euchariſtiæ uſum, miſcentes illum cum farina panem inde confecerunt, qui puer, ſi mortuus fuerit, habebatur pro martyre: ſin autem vixerit, pro magno ſacerdote. vid. *Auguſt. c. 26. Philaſtrii hæreſ. 49.* Dicuntur etiam aliis nominibus, ut *Taſcedrongitæ*, *Spirituales*, *Pepuziani & Quintiliani*. vid. *Epiphan. Hæreſ. 48.* ubi *Phrygaſtas* vocat. Hæreſis hæc diutiſſime in Galatia & Phrygia duravit. vid. *Sozomen. lib. 2. cap. 32*

§. 7.

Severo Imperat. regnante, de *paſchate* nata fuit controverſia, quando illud celebrandum ſit. Qui ab Eccleſia Romana & recepto alias more diſcedebant, inferentes nonniſi quarta decima luna, menſe Mart. celebrandum eſſe dicebantur *Teſſareskadecatitæ*, ſeu Latine *Quartodecimani*. Hos Victor Epiſcopus Romanus, magna animi ambitione damnavit & excommunicavit, tanquam ſchiſmaticos. Quem hac de cauſa merito reprehendit *Irenæus* Lugdunenſis Epiſcopus. vid. *Euſeb. l. 7. c. 32. & Socratem l. V. c. 22.* Hæreticorum catalogo illi ex mente Romaniſtarum inſeruntur; revera autem non ſunt. v. *Auguſtin. c. 29.*

§. 8.

image
not
available

effeciſſe, ut errores ſuos correxerintvid. *Auguſtin. c. 13. & Euſeb. l. VI. c. 37. Nicephor. l. 5. c. 23.*

§. 3.

Tempore Cornelii Romani, Cypriani Carthaginienſis Epiſcopi, & Decii Imperatoris, circa annum a Chriſto paſſo 220. ortus eſt *Novatus*, hæreticus, Aſernatione, qui ad Epiſcopatum aſpirans, dolore repulſæ, novum dogma Eccleſiæ noxium cudit: ſcil. ſe & ſuos ſolum aſſeclas puros nominabat: Secundas nuptias non admittebat, graviter lapſis pœnitentiam, aut potius receptionem in communionem Eccleſiæ, v. *Socrat. l. IV. c. 13.* denegabat. Hinc aſſeclæ ejusdem *Cathari* dicti ſunt ideo, quod reliquis vita moribusque puriores eſſe jactarent: Καθαρὸς enim *purum* ſignificat. A barbaris ſcriptoribus ſæpius *Gazari* ſunt appellati, ut *Diabolus Zabolus.* Refutat eos *Epiphanius hæreſ. 59. Danæus tamen in comment. in Auguſtini libr. 1. de hæreſ. c. 38.* intea *Novatianos & Catharos* aliquam differentiam obſervat. Cæterum hæreſis hæc citiſſime propagata eſt, quia ipſi ſalvo errore ſuo, contra Arianos cum orthodoxis ſentiebant. vid. *Socrat. l. 2. c. 38.*

§. 4.

Circa id tempus ab *Origene*, cognomento *Adamantio*, celebri ſcriptore, hæreſis nata eſt, quæ *Origeniſtarum & Adamantiorum*, Monachorum ſcil. in Ægypto dicitur. *Origenes* enim in religione Chriſtiana ſatis alias conſtans, varia Ethnicorum philoſophorum dogmata, dum Chriſtianæ re-

religioni admiſcere voluit, hæreſin novam procudit. vid. *Evagrium l. IV. c. 38.* *Auguſtinus* ſex exroris capita de *Hæreſ. p. 43.* allegat. Plura vero alias vel deprehenduntur, vel ipſi imputantur: (1 Chriſtum & Spiritum S creaturam eſſe: (2 Filium quidem eſſe ὁμοούσιον Patri; attamen ab ipſo creatum: (3. Spiritum S. creaturam DEI eſſe, non de Patris & Filii ſubſtantia: (4 Animas hominum præextitiſſe in cœlo ibidem peccaſſe, & ideo in corpora tanquam in carcem a DEO miſſas aut detruſas eſſe: (5. Mundum hunc propter ſupplicia animatum factum eſſe: (6. carnis ejusdem reſurrectionem non eſſe, ſed παλιγγενεσίαν quandam & animarum revolutionem more Pythagoreorum ſtatuit: (7. Pœnas damnatorum & Diabolorum non fore æternas, ſed mille annorum ſpatio finiendas. (8. Regnum Chriſti Chiliaſticum ſtatuit, (9. in ſcripturæ explicatione perpetuo ἀλληγορίζει vid. *Auguſt. de Civ. D. l. XX. c. 7. & 9. it. lib. XXI. c. 23 & lib. XXII. Baſilii Homil. & Epiphan. Hæreſ. 64. fol. 527. ſeqq.* ubi prolixe contra Origenem diſputat, & *hæreſ. LXV. l. 2. tom. II. fol. 607.* ipſe lapſum Originis graviter luget. Alii contra Origenem excuſant, tum quia ὁμοουσίας clariſſima teſtimonia in Origene Homil. VI. in Exod. Homil. XII. in c. XXI. Numer. l. 1. περὶ ἀρχῶν c. III. Dial. de Reſurrect. in ἀναπεφαλ. fidei &c. extant tum quia orthodoxiæ teſtimonium a Patribus habet, & ab ipſis contra Arianos allegatus fuit. Sane cau-

cauſam Origenis Socrates L. VI. c. XXI. & Pamphylus Martyr peculiari Apologia egit. Athanaſius orat. de Decret. Syn. Nic. Origenem contra Arianos allegat, excuſat, & ne ab uno quidem ex prudentibus & doctis pro Arianis allegari poſſe, confidenter Tom. I. edit Comelin. fol. 423. aſſerit. conf. Baſil. M. L. de Sp. S. c. XXIX. & Ruffin. Apol. pro Orig. confer. P. Daniel Huetii *Origeniana*.

§. 4.

Sub Gallo & Voluſiano Imperatoribus Stephanoque Epiſcopo Romano, anno circiter 230. *Sabellianorum* hæreſis prognata eſt, quæ nomen a Sabellio accepit: qui paucis exceptis, eadem cum *Noetianis* aſſeruit. Inde & *Noetiani* nominantur, item *Monarchici*. Quia DEum tanquam Monarcham mundi induxerunt, negantes perſonatum Trinitatem. Nam eundem eſſe Patrem & Filium & Spiritum S. dixerunt: ad eandem hypoſtaſin tres appellationes convenire. Perinde atque in uno homine corpus & anima & Spiritus inſunt: ita dicunt de divinitate, quod corporis inſtar ſit pater; animæ Filius, Spiritus S. vero Spiritus humani inſtar habeatur. Quod & ſolis ſimilitudine declarabant: in quo cum una ſit hypoſtaſis, triplex nihilominus actus eſt; nimirum τὸ φωτιστικὸν, καὶ τὸ θαλπτικὸν, καὶ αὐτὸ τῆς περιφερείας σχῆμα. Ac vim quidem illam calefaciendi, h. e. calorem atque æſtum Spiritui S. reſpondere, illuminandi vero vim Filio; Patrem

denique totius hypoſtaſis velut quandam formam eſſe. vid. *Epiphan. adv. hæreſ. LXXII. l. 2. tom. 1. f. 513. ſeqq.* Dicuntur etiam *Patripaſſiani*; quia cum unam Perſonam in Divinitate agnoſcunt, Patrem paſſum eſſe delirarunt. *Auguſtinus de hæreſ. c. 41* putat illos etiam *Hermagenianos* dici poſſe. Sed *Danæus in comment. ad ill. loc.* merito dubitat, hanc appellationem iis convenienter tribui. Id certum eſt, *Sabellianos*, *Photinianorum* hæreſin pepereriſſe, quod *Danæus* etiam l. c. p. 201. obſervat.

§. 6.

Cum Gallienus imperio præeſſet, anno 232 poſt Novatum, Sabellium & Originem, *Paulus*, qui a patria *Samoſata* Σαμοσατὴς, i. e. *Samoſatenſis* vel *Samoſatenus* dicitur, prodiit, negans ſemper fuiſſe Chriſtum. Nam pro nudo homine ipſum habuit ex Maria natum diſerte docens; μὴ εἶναι χριστὸν θεῷ ἐνυπόστατον, it. eſſe λόγον θεῷ ſed προφορικὸν καὶ ἀνυπόστατον. Quæ hæreſis, obſervante *Auguſtino*, *l. de hæreſ. c. 44.* cujusdam Artemonis fuerat. Hanc *Paulus* inſtauravit. Photinus poſtea confirmavit. v. *Epiphan. adverſ. Hæreſ. LXV. fol. 605.* Diſcipuli hujus dicti fuerunt, *Pauliani*, *Pauliſtæ*, *Paulianiſtæ*, item *Samoſateniani & Samoſatei*, ab *Epiphanio* Σαμοσατῖται. Poſtea vero *Photiniani*, *Luciani & Marcelliani*, nominati ſunt. Quia illi omnes erroris dicti propugnatores extiterunt. *Epiphanius* a dogmatis fœditate ipſos appellat θεο-

κτό

κτόνας, χυρι οκλόνας & ἀπαρνησιθέας. Baptiſmi etiam formam corruperunt, cum non baptizarent in nomine Chriſti. Inde in concilio Nic. jubentur rebaptizari, qui a Paulinis baptizati fuerunt, vid. *Ruffin. Hiſt. l. 1. c. 6. & canon. Synodi. XX.*

§. 7.

Mox cum *Aurelianus* imperium teneret, anno ejusdem quarto, peſtilentiſſima *Manichæorum* hæreſis Chriſtianæ doctrinæ labem aſpergere cœpit. Nomen ſectæ eſt *a Manete, Perſa quodam.* Qui ut *Auguſtinus de hæreſ. c. 46* notat, ante hac *Urbicus* dictus fuerat. Iſte duo Principia inter ſe diverſa atque adverſa, eademque æterna & coæterna, h. e. ſemper fuiſſe compoſuit; quorum unum ſit *bonum* & autor boni; alterum *malum*, quod ſit mali & gentis tenebrarum princeps: illum Deum vocavit, hunc autem diabolum & Hylen. Vetus eſt & perantiqva fabulæ origo: v *Euſeb. l. V. c. 27.* Multis enim ex Pythagoreorum στοιχιώσεσι & Marcionitarum lacunis hauſta videtur hæreſis. vid. *Danæi Comment. cit. p. 224.* Teterrima ejus dogmata *Auguſtinus* l. c. prolixius enarrat. *Epiphanius hæreſ. LXV. f. 622.* ſcribit, quod ex numero diſcipulorum tres elegerit. *Thomam, Hermeam, & Addam*, qvos ut diſſeminarent zizania, in varias orbis partes emiſit Manes. vid. *Theoret.* lib. I. *Hæret. fabul.* Idcirco mirum non eſt, latiſſime hæreſin fuiſſe propagatam. Nam ex Arabia ſtatim in Meſopotaniam & Perſidem delata eſt: ex Perſi-

de in Syriam rediit & in Ægyptum, Africam ac postea in Hispaniam, Galliam mari trajecto, penetravit. v. *Danæus comment. p. 226.* Ipse *Manichæus* se jactabat & discipulis suis multa promisit dona, v. *Epiphan. hæres. cit f. 635.* Danæus demonstrat Muhammetanismum ex Manichæismo ortum traxisse. Ipse *Augustinus* hac peste aliquamdiu infectus fuerat, sed precibus matris suæ ac gratia DEI motus, nefandam hæresin mox deserere & impugnare cœpit.

§. 8.

Sub Constantini M. imperio, seculo IVto inchoato, *Meletiani* (Græci vocant μελιτιανούς) orti sunt, qui a *Meletio* Ægyptio in Thebaide regione Episcopo dicuntur, v. *August. de hæres. c. 48. vit. Socrat. l. 1. Hist. c. 6.* Hic noluit orare cum conversis, id est, eis, qui in persecutione lapsi erant, vel schisma fecerant. Nam ipse tempore persecutionis a Diocletiano excitatæ, teste *Epiphan. Hæres. LXIX. fol. 717.* in carcerem propter nomen Christi conjectus, idolis sacrificarat. Inde a Petro Alexandriæ Episcopo de gradu dejectus, ut se ulciscereretur, eo vesaniæ propter impatientiam & ambitionem tandem profectus est; ut ne laicos quidem, qui semel a fide discessissent & postea resipuissent, in Ecclesiam recipiendos esse contenderet cum ipse propter lapsum Ediscopatu tantum privatus esset. Similes igitur hujus sequaces videtur *Novationis* a quibus etiam (erant enim frequentes in Africa:

frica:)profecti sunt, sed tempora posteriores. Latissime illorum dogma per monachos, sub specie severioris cujusdam in ἀρνησιθέους disciplinæ & zeli in DEum majoris propagatum est: adeo, ut omnes pene nominis Christiani regiones infecerit. v. *Socrat. l. IV. c. 28. & Theodor. l. IV. hæret. Fabul.* Ipse *Meletius* quidem Alexandriæ primum Arium hæreticum detexit, ut ex Ecclesia ejiceretur. v. *Epiphan. l. c. f. 710. seq.* sed ejusdem discipuli Arianis postea sese adjunxerunt, ac Athanasium in Synodo Tyria connisi sunt opprimere. Arsenium enim, qui Athanasium homicidii accusaverat, Meletianum fuisse, *Epiphan. l. c. fol. 723.* scribit.

§. 9.

Post *Meletianos*, eodem Imperatore Constantino M. impia proximo tempore hæresis *Arii* orbem Christianum innundare cœpit. Nomen illa nacta est suum ab autore *Ario*, qui fuit Presbyter Alexandrinus. v. *Epiphan. Hæres. LXIX. f. 727.* Negavit, *Christum esse Filium Dei* ὁμοούσιον, naturaqus Deum. ἦν, ὅτ' οὐκ ἦν, hæretica ipsius vox erat. Hinc in Sardicensi Synodo χριστομάχος dictus est. Spiritum S. creaturam creaturæ h. e. ab ipso Filio creatum voluit, v. *August. de hæres. c. 49. Epiphan. hæres. cit. f. 731.* & qua supra *Part. 1. c. 9. §. 6. & 7.* annotavimus. Ita variis modis hactenus doctrina de Christo impugnata fuerat. *Simon, Valentinus, Marcion* negaverant humanitatem Christi: *Artemon, Samosatenus, Theodorus* negarant ejus divini-

tatem; *Arius*, *Eunomius* ejus divinitatem creatam dixerunt. vid. *Theodoret. Dialog. 2. in confuſ.* Exitum hujus hæretici fuiſſe miſerum, *Epiphan. hæreſ. 68. fol. 722.* annotat. Nam Arius de nocte levandi ventris gratia, ad cellam veniens crepuit, ut olim Judas proditor, & in fœtido illo loco animam exhalavit blaſphemam. Atque hoc precibus ſuis obtinuiſſe Alexandrum Epiſcop. Conſtantinopol. qui coactus fuerat Arium ad communionem admittere, Epiphanius laudatus refert. Muhamedanos hujus infelicis ſtirpis ſtolones eſſe, plerique ſcriptores Eccleſiaſtici putant. *Hilarius*, qui SS. Trinitatem maxime defendit, Arium Anti-Chriſti principium vocat. Ejus diſcipuli, quos *Epiphanius* nominat *Ariomanitas*, latiſſime propagarunt hæreſin; quæ vires majorea indies ſumens in variis regnis, ab orthodoxis deleri haut potuit. v. *Socrat. l. VI. c. 8.* Floruit enim plus quam 80. annos, publice in Eccleſia recepta & in novas ſectas ſciſſa varias civit turbas; nempe *Arianorum* ipſorum, *Aetianorum* ſive *Eunomianorum* & *Macedonianorum*, vid. *Ruffinus l. 1. Hiſt. c. 25. & Socrat. l. V. c. 10* Hi orthodoxos longe gravius, quam pagani perſecuti ſunt, vid. *Socrat. l. V. c. 12. & Sozom. l. VI. c 37.*

§. 10.

Circa ejusdem ſeculi a 315. *Donatiſtarum* hæreſis eriata eſt, quæ autorem habet *Donatum* ex Numi-

Numidia oriundum, dictum a Casis Nigris (ad distinctionem ejus *Donati*, qui Carthagine hanc ipsam hæresin fortissime defenderat:) Hi cum in electione Episcopi Carthaginensis sibi præferretur *Cæcilianus*, eum perfidiæ atque abjuratæ fidei Christianæ apud Ecclesiam accusavit, quod in persecutione, quæ sub Maximiliano & Diocletiano Impp. acciderat, sacros codices hostibus fidei & Idololatris, Christianos persequentibus tradidisset. Itaque nec Cæcilianum pro Episcopo, nec ejus cœtum pro vera DEI Ecclesia, se agnoscere posse prædicabat. Collegit ergo sibi privatam Ecclesiam, homo ambitiosus ac arrogans & schisma Carthagine faciens cœtum suum solum esse sanctam illam Ecclesiam, quæ creditur, contendit. Quod schisma mox in manifestam hæresin, accedente perficacia autoris, degeneravit. Inde & brevi tempore multos fautores non solum Carthagine, sed in tota Africa invenit. Et cum insolentius agerent contra Orthodoxos Donatistæ, Imperatorum legibus & pœnis coerciti fuerunt. Dicuntur etiam *Donatiani*, *Majorini*, *Campates a* campo, *Montenses*, a monte, ubi clam conveniebant: it. *Parmenianistæ*, a *Parmeniano* Donati discipulo. Appellantur aliis quoque *Circumcelliones*, quod in agris cellas quasdam haberent, in quibus veluti Eremitæ habitabant. Alii ex eadem secta dicebantur *Rogatistæ*, alii *Maximianistæ*, alii *Cretenses* v. *August. contra Cresconium Grammat. c. 26. 27.* qui multa contra hosce scripsit, vid. *& librum*

de Hæres. c. 69. Summa doctrinæ hæreticæ erat, 1)Suum cœtum tantum esse veram S. Ecclesiam: 2) Neminem ad bene vivendum esse compellendum, nec coacta sit obedientia: 3)Hæreticos a Magistratu nullo modo esse coërcendos: 4)Sacramentarum vim & efficaciam ex ministri administrantis dignitate & sanctitate dependere: 5)rebaptizandos esse eos, qvi suo cœtui non essent inserti, licet ab Orthodoxis jam baptizati: 6)quidam erant crudeles & dissentientes a sua hæresi, ubivis forent obvii, cædebant & jugulabant furiose; imo etiam se ipsos, longo ante tempore opiparis delitiis saginatos ex alto præcipitarunt, aut alio violentæ mortis genere interemerunt: 7) Arianorum hæresi favebant: 8) Purgationes magicas ostentabant & enthusiasmos jactabant. v. *Danæi Comment. p. 319. seqq.* Hanc hæresin superiori ævo Anabaptistas in Germania, Belgio & Anglia resuscitasse, ex infra dicendis patebit.

CAP. V.
DE
ALIIS HÆRET. SEC. IV.

§. 1.

CUm hoc ævo Ecclesia sub summis Potestatibus Christianis, libertatem quasi a persecutione tyrannica Imperatorum gentilium nacta esset Diabolus magnam hæresium segetem excitavit, quæ fidem turbaret Christianam.

§. 2

§. 2.

Nam ſub Conſtantio Conſtantini F. Imperatore, *Archontici* prodiere, qui ἀπὸ τῶν ἀρχόντων, vel ἀρχῶν ſeu poteſtatibus, quas ſtatuebant velut ſecundarios quosdam Deos & Angelorum patres nomen accepere. Autor hæreſis fuit *Petrus* quidam *Anachoreta* & monachus Palæſtinus, qui vanis de Angelis ſpeculationibus indulgens hæreſin novam genuit. Cujus capita *Auguſtinus c. XX.* tria recenſet: 1) mundum a Principibus ſeu quibusdam poteſtatibus cœleſtibus conditum eſſe; 2) turpitudinem morum & inprimis ſtuprorum commendabant; ſpernentes bona opera: inde *Epiphanius* vitam illorum βορβορώδη, i. e. *ſpurcitiei plenam* appellat: 3) Carnis reſurrectionem negabant. Sed *Danaus* in *Comment. in l. c. §. 122.* recte obſervat adhuc quoque alios ipſorum errores; quorum unus de contemtu Sacramentorum ipſis nomen fecit *Aſcodruptarum* ſeu *Aſcodryptarum*, (Græce Ασκοδρυπτῶν,) propterea quod omnia vaſa Sacramentis adminiſtrandis deſtinata frangerent & furioſe comminuerent.

§. 3.

Eodem Conſtantino Imperatore alia hæreſis enata eſt, quæ, cum in Chriſto divinitatem doluiſſe, cum figeretur caro ejus in cruce, doceret, *Theopaſchitarum & Theopaſſianorum* dicitur, vid. *Nicephor. l. XV. c. 28.* Nam, ut Sabellianos Patri-

passianos, vulgo nominant; ita laudatus scriptor ab errore hosce θεοπασχίτας appellavit, quod *Deum passum esse* delirarent. Qui error Nestorianorum & Euthychianorum hæresi mox causam aut ansam dedisse videtur. vid. *Theodoreti tres Dialogos.*

§. 4.

Fœdior est hæresis *Photinianorum*, quam sub Imperio memorati Constantii, excitavit *Photinus* ex minori Galatia ortus primum Ancyranæ Ecclesiæ Presbyter; post autem Syrmii (non Smyrnæ) Episcopus eloquentissimus. Hic cum Marcello Samosateni errore infecto præceptore usus esset, statuit, Christum esse ψιλάνθρωπον. vid. *Socrat. l. VII. c. 32.* qui tunc demum ὕπαρξιν accepisset, cum ex Maris conceptus esset. vid. *Theodoret. lib. V. c. 11. Sozom. l. IV. c. 6.* Atque propter hunc capitalem fidei Christianæ errorem in Synodo Syrmiensi a Basilio Ancyræ, Episcopo, erroris convictus damnatus est. vid. *Socrat. l. II. c. 29. & 30.* Et cum ad Imperatorem provocaret in Synodo Sardiensi, iterum rejectus & ab ipsis Arianis explosus fuit. vid. *Sozomen. l. VI. c. 6.* Hieronymus & Philastrius *Photinianus* cum Ebionitis conjungunt. Alii magis cum Samosatenianis illos sensisse autumant; ut *Epiphanius*. vid. *Hæres. LXXI. fol. 828. seqq.*

§. 5.

Mox, Constantio Imper. adhuc superstite *Aetiani*

tiani & Ennomiani novam hæresin fabricarunt. Hi cum *Aetio* Antiochenæ Ecclesiæ diacono & *Eunomio* hujus discipulo in Dialectica probe versato, Christum Dei Filium, Patri Deo non tantum ἑτερούσιον sed κατὰ πάντα ἀνόμοιον esse docuerunt. inde & *Anomii*, *Anomæi* & *Anomiani* dicuntur. Postquam Theodosius Magnus edicto urbibus omnibus illos in deserta expulisset, in cavernis & privatis ædibus clam convenerunt & *Troglodytæ* appellati sunt. vid. *Sozom. l. VI. c. 26 & Theodoret. lib. IV. haret. fab.* Aetius ob blasphemiam in Filium DEI, passim etiam ἄθεος dictus est, & ab ipso Constantio Imper. in solitudines Phrygiæ relegatus fuit. Quem tamen Julianus Apostata, in odium Christianorum postea revocavit, vid. *Theodoret. l. II. Hist. c. 27. Sozom. l. V. c. 5.*

§. 6.

Ab his non multum differunt *Acatiani* seu *Semiariani*, qui eadem ætate tradiderunt, Christum esse Deo Patri ὁμοούσιον h. e. *similis essentiæ cum Patre.* Quam ὁμοιότητα aliqui exposuerunt κατὰ φύσιν & οὐσίαν, & hi dicti sunt *Semiariani*; alii κατὰ θέλησιν ita, ut similem voluntate tantum, non autem essentia docerent Et hi fuerunt *Acatiani posteriores.* Autor sectæ erat *Acatius*, qui *Eusebio* Pamphili in Episcopatu successit. vid. *Socrat. l. II. c. 45. & l. IV. c. 22.* Hic postquam hæresis Arii in Synodo Nicena proscripta esset, subdole Filium DEI ὁμοιούσιον appellavit; ne videretur diversa sen-

ſentire a Synodo, quæ ὁμοούσιον eſſe contra Arium probaverat. Spiritum S. κτίσμα ſeu *creaturam* eſſe etiam docuerunt vid. *Epiphan. Hæreſ. LXXIII. fol. 845. ſeq.*

§. 7.

Cum Semiarianis ſenſerunt *Macedoniani* hæretici a *Macedonio* Conſtantinopol. Epiſcopo nomen habentes. Is dum Filium DEI cum Arianis craſſioribus creaturam appellare noluit, epiſcopatu pulſus, novæ ſectæ mox autor exitit; ſtatuens cum Eunomianis quod Spiritus S. ſit creatura Patris & Filii Miniſter. Ejus aſſeclæ ab hac hæreſi *Pneumatomachi* fuerunt dicti, confer. *Ruffin. lib. 1. c. 25. Sozom. libr. IV. c. 27.*

§. 8.

Jovinianiſtæ, imperante Joviniano a *Joviniano* monacho primum Romæ, poſtea Clerico, jam ætate Auguſtini nomen indepti ſunt. Hic omnia peccata (ſicut Stoici Philoſophi) paria eſſe dicebat; nec poſſe peccare hominem lavacro regenerationis accepto. Virginitatem Mariæ deſtruebat, dicens, eam pariendo fuiſſe corruptam. vid. *Auguſt. de Hæreſ. c. 82.* Nuptias virginitati præferebat. Quod Patribus Eccleſiæ valde diſplicuit; imprimis Hieronymo Virginitatis ſingulari patrono. *Auguſtinus* adverſus hunc *librum de bono conjugali* ſcripſit, qui *tom. IV. opp. extat.*

§. 9.

Cum Valens Imperator potitus eſſet imperio, *Audi-*

Audiani, quos appellant, innotuere. Qui dicuntur ita ab autore monacho quodam *Audeo* v. *Theodor. l. V. Hist. c. 10.* qui, ut *Augustinus c. 50. de Haeres loquitur, finxit sibi DEum cogitatione carnali in similitudinem imaginis corruptibilis hominis.* Inde Græcis *Anthropomorphitæ*, a *Lactantio* vero *Anthropiani l. IV. c. 30.* nominantur. *Epiphanius l. 3. tom. 1. hæres. LXX. fol. 911* conditorem sectæ *Audium* vocat, quem alias non malum hominem fuisse scribit. Quapropter mavult errorem illum, schisma, quam hæresin appellare.

§. 10.

Audianos seu *Audæanos* sub eodem Imperatore, excipiunt *Aeriani*, ab *Aerio* primum monacho, ac postea presbytero cognominati. Qui secta penitus fuit *Arianus*, neque enim aliter atque iste sentit, imo dicente *Epiphanio hæres. 75. fol. 905.* Arium dogmatum novitate superavit. Præterea jejunia statuta solenniter celebranda esse negavit, ne Christiani viderentur esse sub lege. Preces pro defunctis respuit: nec inter Episcopum & Presbyterum differentiam, quam multi agnoscebant, admittere voluit omnium rerum abdicationem initio præ se tulit, mox ptochotrophio relicto, magnam vim secum utriusque sexus hominum abduxit, qvi omnes ab Ecclesiis agris, pagis & oppidis arcebantur. v. *Epiphan. hæres. cit. fol. 906. seqq. & Augustin. de hæres. c. 53.* Dicti etiam fuerunt *Syllabici*, quasi verba & syllabas studio-

ſtudioſe captarent. *Danæus in Commens. ad. l. 5. Auguſtini p. m. 260.* Aërenianos ab hæreſis macula abſolvere mavult, quia neque *Socrates*, neque *Sozomenus*, neque *Evagrius* aut *Theodoretus*, qvi omnes ante Aërium vixerunt, hujus ſectæ mentionem injiciunt. Qnare putat ex invidia & ambitione Epiſcoporum, quorum autoritatem ipſe oppugnaverat, viro hæreſis crimen impactum fuiſſe, licet forte adeo malus non fuerit. *Euſtathius* σύγχρονος ejus & Epiſcopus Sebaſtiæ, a quo *Aërius* Presbyter ordinatus erat, aperte Arianum dogma ſecutus eſt; hic vero propter adminiſtrationem pecuniæ pauperibus collectæ, & quam ſibi *Euſtathius* ſoli arrogabat, ab ipſo primum diſſenſit; mox vero contentione graviori orta hæreſis Aërio tributa fuit.

§. II.

Circa idem tempus, quo Aëriani accuſati primum fuerunt hæreſis *Maſſaliani* (ita enim rectius quam *Pſallianos* dici, *Danæus in comment. cit. p. 281.* obſervat) excitarunt hæreſin, ſtatuentes, ſemper orandum eſſe, nec opus eſſe labore. Inde Græcis εὐχῆται, i. e. *precatores*, ἀπὸ τῆς εὐχῆς dicuntur; quia Deum, & qvidem cum Sabellianis ut μονυπόστατον invocarunt. Hi, ut Anabaptiſtæ, in varias ſectas denuo quaſi ſciſſi fuerunt. Nam aliqui nominabantur *Martyriani*, quod quendam ex ſuis a duce militum Lupiciano necatum colunt, tanquam fidei Chriſtianæ martyrem: alii *Satania-*

ni

ni vel *Satanici*, quod Satanam ſubmiſſe colant, ne noceat; alii *Euthuſiaſtæ*, quod in ſacro furore abrepti, ſe quidvis eſſe ſomnient, Chriſtum, Prophetas, Angelos; plane, ut Anabaptiſtarum & Qvackerorum colluvies delirare ſolet hodie, etiam communionem bonorum & fœminarum fovebant. vid. poſt *Auguſtinum, Epiphanium hæreſ. LXXX. ult. l. 3. Tomo II. fol. 1068. ſeqq.* His ſeſe oppoſuerunt *Prodiciani* a Prodico dicti, qvi DEum omnino precandum eſſe, negarunt. confer *Clement. Alexandrin. Strom. l. VII. f. 722.* qvi ſimilem hæreſin a Philoſophis Cyrenaicis ortam ſcribit.

§. 12.

Priſcillianiſtæ circa medium hujus ſeculi, cum Gratianus imperium teneret, in Eccleſia occidentali originem habuere. Nomen ſectæ teterrimæ eſt a *Priſcilliano*, qui Gnoſticorum & Manichæorum labe infectus malum hocce in Hiſpaniam propagavit. Dogma præcipuum ad turpitudines ſuas occultandas fuit:

Jura, perjura, ſecretum prodere noli.

Hinc *Auguſtinus* in *libro de mendacio*, ipſorum errorem refutat, & præterea multas alias ſectæ hujus ſordes fuiſſe de *hæreſ. c. 70.* docet; omnes autem illæ e lacunis Gnoſticorum & Manichæorum derivatæ ſunt. vid. *Danæi comment. l. c. p. 126.*

§. 13.

In medio circiter hujus ſeculi *Apollinaris*, ſeu *Apollinarius*, Laodicenſis Eccleſiæ Presbyter cum ſpe

ſpe indipiſcendi Epiſcopatus excidiſſet, hæreſin inſtituit; docens ſicut Ariani, Deum Chriſtum, carnem ſine anima ſuſcepiſſe; quia loco animæ verbum fuiſſet. v. *Auguſt. de hæreſ. c. 55.* Apollinariſtæ igitur conſenſerunt, Chriſtum aſſumſiſſe σάρκα ἐμψυχωμένην, ſed anima rationali deſtitutam. Fuiſſe, enim volunt in Chriſto animam quidem θρεπτικὸν καὶ ἄλογον, non autem λογικὴν; non eam animæ partem, quæ in homine νοῦς & ἡγεμονικὸν appellatur. Atque in hoc ab Arianis deflexerunt, qui Chriſtum omnino corpꝰ ἄψυχον aſſumſiſſe docuerant. vid. *Theodoret. Dialog. 2. inconfuſ.* Hæreſis hæc in duas ſectas mox ſciſſa eſt. Alii enim dicti fuerunt *Apollinariſtæ* ſimpliciter, qui Chriſtum incarnatum dixerunt; alii *Apollinariſtæ Marcionitici*, qui Chriſtum corpus ſuum de cœlo ſumſiſſe, & in cœlis θειότητι ὁμοούσιον habuiſſe contenderunt. vid. *Danæi comment. cit. p. 274.*

§. 14.

Hactenus Chriſti perſonam, naturas & doctrinam hæretici impugnaverant; nunc imperante *Theodoſio Majore*, *Antidicomarianiæ* prodiere Mariæ virginitati usque adeo contradicentes; ut affirmarint, eam poſt Chriſtum natum, viro ſuo deſponſato fuiſſe commixtam. Nomen igitur eſt, ab hæreſi, quod ſint ἀντίδικοι Μαρίας, i. e. *Mariæ adverſarii.* Appellantur etiam ob eandem cauſam *Antimaritæ*; ab autore vero *Helvidio* homine ruſticano & vix literis imbuto, *Helvidiani*, qui Auxen-

xentii Ariani Episcopi discipulus fuerat, vid. *Epiphanius, qui hæres 78. f. 1033.* eundem prolixe refutat.

§. 15.

Ætate Augustini regnante *Arcadio, a. 415. Pelagii Britanni* monachi hæresis gratiam a Christo partam infestare cœpit. Et qvia is usus erat magistro *Cœlestio*, discipuli sui non tantum Pelagiani, sed etiam *Cœlestiani* ab *Augustino* de *hæres. c. 88.* nominantur. Hic gratiæ divinæ hostis, vires liberi arbitrii in homine integras esse statuit, peccatum originis negavit, Christi mortem & promissiones gratiæ evacuavit, & hominem per obedientiam legis & merita sua consequi æternam salutem posse docuit. Parastatas habuit *Cœlestium, Julianum, Faustum*, & alios apud *Augustinum* citatos. Eruditi putant ex *Novatianorum & Manichæorum* deliriis ortam esse hæresin: contra quam *Augustinus* acriter disputat. Sed tam altas illa radices egit, ut ne nunc qvidem exstirpari potuerit. Mansit enim in Papatu *Semipelagianismus* in hunc usque diem. vid. *B. Chemnitii LL. Theolog. c. VIII. de lib. arbitr. supra p. 141. cit.* A Socinianis vero hodie Pelagianismus ipse fovetur crassissimus.

CAP. XVI.
DE
HÆRESIBUS. V. SECUL. ALIIS.

§. 1.

HÆc ætas hæreses antecedente ævo ortas aut propagare, aut interpolare in Ecclesiæ

perniciem tentavit. Et nisi Imperatorem & Conciliorum autoritas illas damnasset, damno Ecclesiæ invaluissent magis.

§. 2.

Sub Theodosio Juniore, *Nestorius* Episcopus Constantinopolitanus, Diabolicæ nequitiæ (ut *Socrates l. VII. c. 29.* loquitur) capax instrumentum, qui dicente *Augustino de hæres. c. 91.* ausus est, *dogmatizare, Dominum nostrum Christum hominem tantum: nec id, quod mediator DEI & hominum factus est, in utero virginis de Spiritu S. fuisse conceptum, sed postea Deum homini fuisse permixtum, nec Deum hominem passum esse pro nobis.* quare nolebat Mariam Θεοτόκον appellare: χριστοτόκον igitur censebat eam appellandam esse. Sed damnata fuit ejus hæresis in *Concil. Ephesino*, quod Theodosius Minor coegit. *Nestorius* postea in exilium missus misere periisse scribitur. vid. *Socrat. l. 7. Evagr. lib. 1. Necephor. l. 14.* qui pluribus historiam de Nestorio exponunt. Hodie Zwinglianos eandem hæresin incrustare, notissimum est, vid. *Schræderi tract. de Nestorianismo.*

§. 3.

Eutychiani seu *Eutychitæ*, illis sese opponentes, more stultorum in contraria currebant. *Eutyches* enim Presbyter Constantinopolitanus, seu ut alii vocant, Archimandrita, homo arrogans & αὐθάδης senex, cum Nestorium refutare vellet, dixit post unionem naturam in Christo, non

jam

jam duas, ſed unam tantum, nempe divinam naturam manſiſſe : adeoque naturas in Chriſto diſtinctas confudit. Quare mortuo jam Theodoſio, *Martianus* Imperator Chalcedone (quæ Bithyniæ oppidum eſt, ex adverſo objectum Byzantio,) Synodum collegit, quæ *Eutychen* auditum prius damnavit. vid. *Evagrii lib. 1. c. 2. 4. 16. Theodoret. l. 4. hæreſ. Fabul. Nicephor. l. 14 c. 47. ſeq.* qui in exilio, ut Neſtorius miſere obiit. Ex hæreſi hac prognati ſunt *Monophyſitæ*, qui naturam duntaxat unicam in Chriſto ſtatuebant : Item *Acephali*, qui a certo capite nominari nolebant, Eutychianiſmum interim foventes.

§. 4.

Monothelitæ ad idem ſeculum in *Supplemento Catalog. Hæret. Philaſtrii p. m. 108.* referuntur, qui duas in Chriſto voluntates negabant, divinam ſcilicet & humanam. Contra hos celebrata eſt Synodus VI Conſtant. *ann. 585.* Sectæ princeps fuit *Sergius* præſul Conſtantinopol. Appellantur etiam *Monenergitæ* : quæ appellatio cum priori, ipſis propter dogma adhæſit. Cum enim Eutychis de una Chriſti natura doctrinam in Chalcedonenſi Synodo improbatam ſcirent, & propter anathema Eutychi dictum, vererentur autoritatem Eccleſiæ, alia rem via aggreſſi ſunt, ἓν θέλημά καὶ μίαν ἐνέργειαν ἐπὶ χριστῷ εἰπεῖν τολμησαντες, *unam voluntatem unamque operationem in Chriſto aſſerere auſi ſunt.* Ita *Photius in Bibliotheca cod. XIX.* eo-

rum hæresin exponit. *Jacobitarum & Maronitarum* nomina, a quibus autoribus iidem acceperunt, hic inqvirere non vocat prolixius. vide interim de Jacobitarum origine *Nicephorum Callistum, XIIX. c. 52. & Danæum in Comment. ad August. de hæres. c 93.* nec non *Joh. Heinric. Hotting. in hist. Eccles. c. VII. p. 448.*

§. 5.

Notantur in hoc seculo etiam *Prædestinatiani* qvos nonnulli Reformati Augustini discipulos faciunt. Verum aliis fit verisimilius, ipsos fuisse *Monachos Adrumetanos* prope Tunetum in Africa litorali habitantes; qvi statuerunt, qvod nec pie viventibus bonorum operum labor prosit, si a Deo ad mortem destinati sint; nec impiis obstaculo esse peccata sua, si fuerint ad vitam prædestinati. A qua hæresi *B. Augustinum* fuisse immunem *D. Calovius in Syncretis. Calixt. Disputat. IV. p. 25. seqq.* demonstrat. Id tamen vero congruit; Monachos dictos hæresin suam ex scriptis Augustini male intellectis, & ad suam hæresin vi qvasi pertractis non tam hausisse, quam perperam collegisse. vid. *Jacobi Sirmondi Prædestinatum: seu Prædestinatorum Haresin, & libri S. Augustino temere adscripti Refutationem.* Cui subjuncta est censura *Auvrai Theolog. Doctoris Sorbonici.* in qua ostendit, nullam fuisse unquam Prætestinatorum hæresin.

§. 6.

Agnoetæ jam memorato seculo ex hæresi Nesto-

ria-

riana prognati ſtatuerunt, λόγον quidem in Chriſto omnia noviſſe; humanitatem autem ipſi unitam permulta ignoraſſe. A qua ignorantia ipſis nomen Agnoëtarum fuit inditum. vid. *Epitom. Annal. Baron. Spondani ann. Chr. 535. n. 10. fol. m. 606. & ann. 563 fol. 633.*

§. 7.

Referunt aliqui ad hanc ætatem *Petrum Gnapheum* Presbyterum Chalcedonenſem & poſtmodum Antiochenum, qui nomen Mariæ in omnibus precibus invocandum ſtatuit; odio forte hæreſis Neſtorianorum, qui Mariam Θεοτόκον eſſe dicendam negabant. Quia tamen incertum eſt, an cum pertinacia errorem ſuum defenderit, hæretici pertinacis notam ipſi inurere nolumus.

Cap. VII.

DE

HÆRETICIS VI. SECUL.

§. 1.

A Novis quidem hæreticis eccleſia in hoc ſeculo non adeo turbata fuit; ſed tamen reliquiæ antiquarum hæreſium, ut Origenianorum, Eutychianorum, Monophyſitarum non penitus conquievere. Quapropter præter concilium Conſtantinopolitanum II. alia particularia leguntur habita, ut illæ reliquiæ opprimerentur.

image
not
available

§. 3.

Cum hæc diſſenſio inter Eccleſiam orientalem & occidentalem vigeret, *Mubammed* (aliis Mahomet & Mamedus dicitur,) novam religionem ex Judaiſmo, Samaritaniſmo & Chriſtianiſmo, adjutus etiam Arianiſmi & Neſtorianiſmi aſſeclis, cudere cœpit. Quæ cum ex notis illius temporis religionibus Syncretiſmum contineret, mox invenit aſſeclas quam plurimos, qvi Eccleſiam florentiſſimam in Oriente graviſſime afflixerunt, eo tempore quo occidentem Longobardi premebant, vid. *Hottingeri* Hiſtor. *Oriental. l. 1. c. 7. ſeqq. & Magdeburg. cent. VII.*

§. 4.

Seculo IIX. contentiones Epiſcoporum Rom. cum Imperatoribus Orientis ſuper *cultu imaginum & Sanctorum* turbarunt Eccleſiam. Quare in Oriente duo concilia, *Nicænum II. & Conſtantinopol. Iconolaſticum*, fuerunt convocata. *Carolus* etiam M. in occidente *Francofurti* eadem de cauſa Synodum celebravit, quam *Goldaſtus & D. Dorſcheus* peculiaribus ſcriptis delinearunt.

§. 5.

Ex actis, autem *Concilii Francofurtani* nota ſunt *duo* hæreticorum illius temporis *nomina*; nempe *Felicis Urgelitani & Elipandi Toletani* Epiſcopi, qui Neſtorianiſmum incruſtantes docebant, *Chriſtum ſecundum humanam naturam eſſe tantum Filium Dei adoptivum.* Quod dogma in conventu Epiſcoporum Ratisbonenſi, & Francofurtenſi damnatum fuerat.

§. 6.

Seculo IX. *Godeſchalcus*, vel ut alii ſcribunt *Gotheſchalcus*, Monachus quidam ex Gallia Belgica oriundus, veterum *Prædeſtinatianorum* hæreſin reſuſcitavit. Verum in Synodo Moguntina, quam *Ludovicus Pius Imperat.* convocaverat: *a Rabano Mauro* Epiſcopo Moguntino & *Haymone* Halberſtadienſi, conſentientibus aliis dicta hæreſis damnata eſt; ipſe autem Felix Urgelitanus carceri incluſus hæreſin latius diſſeminare fuit prohibitus. vid. *Spondani Epitom. Ann. Baron. ad ann. 848 fol. 803.*

§. 7.

Eodem ſeculo *Johannes Erigena* natione Scotus magis innotuit, qui in S. Euchariſtia Chriſtianos tantum percipere figuras & ſigna corporis Chriſti aſſeruit, vid. *Flores Hiſtor. Matthæi Weſtmonaſterienſis ad ann. Chriſti 878. n. 62. & 883. n. 41.* Hujus errorem *Bertramus Presbyter* ac Monachus, in Gallia Paſchaſii σύγχρονος propagavit, negare ruſus παρουσίαν ſubſtantialem corporis & ſangvinis Chriſti in S. cœna vid. *B. D. Henric. Mulleri* Hiſtor. *Berengarianiſmi p.* 12.

§. 8.

Seculo X. Pontifices Romani operam navarunt omnem, ut *Monarchiam* in Eccleſia ſtabilirent. Sed dum Ottones imperatores reſiſterent ſtrenue, Clericis cælibatum imperarunt & Monachorum ordines ſtabilire contenderunt, quo plures ſibi addi-

addictos haberent ſubditos. vid. *Hoſpinian. de Monachis libr.*

§. 9.

Seculo XI. *Berengarius Andegavenſis* in Gallia Eccleſiæ archidiaconus, occaſione a transſubſtantiationis dogmate ſumta, docere cœpit, *panem & vinum in menſa Dominica, etiam poſt conſecrationem, & in uſu ſuo Euchariſtico non eſſe verum corpus & ſanguinem Domini, ſed duntaxat figuras:* vocari autem carnem & ſangvinem propterea quia in memoriam crucifixæ carnis de latere effuſi ſangvinis Chriſti celebrentur. Oppoſuere ſe Berengario *Lanfrancus*, ex Cadamenſi Abbate Archiepiſcopus Cantuarienſis & *Guitmundus Averſanus* Epiſcopus, qui veram præſentiam corporis & ſangvinis Chriſti in S. Euchariſtia defendebant. vid. *Hiſtor. Berengarianiſmi D. Mulleri cit. p. 15. 16. ſeqq.*

§. 10.

Præterea inter Eccleſiam Orientalem & Occidentalem aliæ controverſiæ agitatæ fuerunt; nempe *de proceſſione Spiritus S. a Filio, de forma Baptiſmi*, an *aſperſione* an *immerſione* fieri debeat; it. ſuper *Sabbatis in quadrageſima obſervandis*, *ſuper pane Euchariſtico* & ſimilibus, quæ ex *Chriſtophori Angeli Enchiridio & Feblavii Annotat.* in iſtud, notæ ſunt.

§. 11.

Secul. XIII. cum Palæſtinam & Syriæ partem Chriſtiani, Saracenis & Turcis bello ſacro, ut dicebatur, extorſiſſent, reliquiæ veterum hæreſium

image
not
available

§. 13.

Seculo XIII. Papærorum dogmata & errores per conciliorum decreta facta ſunt articuli fidei, ut *transſubſtantiatio*, *confeſſio auricularis*, *ſpecialis enumeratio omnium peccatorum, requirens ſatisfactionem pro pœnis* & quæ ſunt alia ejus generis dogmata ad Clericorum ſtatum maxime conducentia. Præter fictos a Pontificis hæreticos, notantur etiam *Fratricelli*, qui homines in hac vita tantum perfectionis gradum conſequi poſſe, tradidiſſe dicuntur, ut fiant *ἀναμάρτητοι*; nec opus habeant orare aut jejunare. Qui error Monachiſmo debet originem.

§. 14.

Seculi XIV. Papalis potentia cum erroribus in doctrina & vita, in immenſum propemodum aucta fuerat. Nam *Bonifacius VIII.* ſibi *temporalem* & *ſpiritualem* poteſtatem abſolutam arrogaverat; adeo, ut *Albertus Cranzius*, *Canonicus Hamburgenſis*, ſcripſerit; cum dictus Papa magna pompa celebraret jubilæum a ſe inſtitutum, & imperiali habitu indutus eſſet, ante ſe nudatum gladium oſtendens diceret: *Ecce, hic duo gladii! vides o Petre ſucceſſorem tuum; & tu ſalutifer Chriſte, tuum cerne vicarium: vide, quomodo aſcendit ſuperbia ſervi ſervorum tuorum.* vid. *Cranzii Saxoniam lib. VIII. c. 36. p. 225.* Cæterum hæreſes fuiſſe ortas non meminimus famoſas, niſi quod *Bertholdus de Rorbach.* Chriſtum in

in cruce desperasse dixerit, quem errorem tamen Herbipoli mox revocavit.

§. 15.

Seculo XV. (alii XIV. computant) Pontificii in *concilio Constantiensi ποτηριοκλεψίας*, propter periculum effusionis e transubstantiationis dogmate natum, in Ecclesiam introduxerunt, simulque sanxerunt: *Hæreticis non esse servandam fidem*: quod axioma ad dissolvendam societatem hominum a Diabolo suppeditatum, mox inaudito exemplo perfidiæ confirmarunt, ad ignem scilicet damnatis innocentibus viris *Johanne Husso & Hieronymo Pragensi*. v. *Acta & Mortem Martyr. Joh. Crispini p. m. 12. seqq. & tom. 1. Hist. & Monument. Joh. Hussi Norinbergæ ann. 1558. impressa.*

CAP. IX.

DE HÆRETICIS ET SCHISMATICIS RECENTIORIBUS NEMPE SECULI XVI. ALIIS XV.

§. 1.

CUm *Papatus* ad fastigium in mundo summum perveniisset, & *B. Lutherus* instinctu divino cœpisset orbi Christiano vitia, tum *doctrinæ* tum *morum* & *disciplinæ*, a Pontificiis introducta manifestare; pura, antiqua & Apostolica doctrina quasi luci denuo exposita & repurgata fuit. Sed mox novo-

rum

um hæreticorum & schismaticorum colluvies pu-
tatem religionis Evangelicæ fœdatura prorupit, ut
mpore jam seculo Apostolico factum esse legimus.

§. 2.

Primam igitur ac præcipuam hæreticorum clas-
em constituunt *Papæi*, qui cum semel a vera Reli-
gionis Christianæ norma, quæ est sola scriptura S.
berrarint, circa omnes fere fidei articulos, in Eccle-
ia errores noxios pertinaciter defendere cœperunt.
Præcipui hodie Papatus propugnatores sunt *Jesuitæ*,
nominum genus *πανδεγόταλον*, quod ab *Ignatio Lo-
ola*, milite Hispano, originem trahit. Ordo ipsorum
ann. 1540. a R. Pontifice confirmatus, per fraudes
varias ad magnam in republica potentiam adspira-
vit. Compendium doctrinæ ipsorum continet
Concilium Tridentinum ævo superioti ad oppri-
mendam puram Evangelii doctrinam habitum. v.
*Examen ejusdem Concil. a. B. D. Chemnitio conscri-
ptum, & B. D. Gerhardi Confess. Catholicam* nec
non *B. Hopfneri Saxon. Evangelici*, & die Sächs.
Haupt-Vertheidigung des Augapffels, & *D. Nic.
Hunnii Apostasiam Roman. Eccles.* & alios.

§. 3.

In Helvetia *Ulricus Zwinglius Tigurinus*, qui
anno 1519. *Samsoni* Mediolanensi Franciscano
indulgentiarum nundinatori sese fortiter in Hel-
vetia opposuerat, (primus enim Reformator non
fuit. Nam Lutherum *omnium primum nostro
seculo in errores & abusus Papisticos palam magno
fortique animo invectum esse, ipse Ludovicus Lava-
terus*

terus Hiſtor. Sacrament. fol. 33. contra reliquorum Calvinianorum vanam gloriam aſſeverat, cœpit *Andreæ Bodenſtein*, Franci a patria *Carolſtadio* cognominati & Wittebergæ Profeſſ. ſententiæ de S. cœna favere: Quod verba Chriſti in inſtitutione S. cœna non *proprie*, ſed *figurate* accipienda ſint. Hinc certamen Sacramentariorum ſatis turbidum in Eccleſia ortum. Et cum illorum partes mox ſtrenue tueretur *Johannes Calvinus*, *Noviodunenſis Gallus*, & præterea *Godeſchalci* hæreſin de *abſolutio prædeſtinationis decreto reduceret*; nova hæreſis enata eſt, quæ *Zwinglianorum & Calvinianorum* a Promachis dicitur. Nomen hoc Calviniſtæ ipſi non deprecantur: vid. *Judic. ſuper Epiſt. Philipp. edit Londin. Lit. L.* voce *Laſco Apell. fol. 51.* ſeinet kurtzen Antwort. *Calvin. Volum. Tractat. Theol. fol. 844. Amyraldus ap. Spanh. Exercit. de Grat. univerſ. fol. 325. Apertum* ait, Calviniſtam *me proficiteor, qui doctrinam, quam docuit Calvinus publice probet atque amplexus eſt*, inquit, *Jacobus Laurentius in Epiſt. Crot anatomizata fol. 25. Nominari* enim *Sectarii ab Autoribus poſſunt, ſicuti Chriſtus vocavit Nicolaitas a Nicolao, ut a fidelibus diſtingueret, Pareus Comm. ſuper Apocal. II, 15. fol. 49. Par eſt, ut quorum pravam opinionem acceperunt, eorum quoque vocabula & titulos accipiant*, inquit *Athanaſ. ad* Adelphium *Tom. 1. fol. 331. æquum vero eſt, quorum nomina deprecatur, eorum quoque ſententias refugere Id. Orat. IV. c. Arianos T. 1. f. 272. Spanheimius*

nius & Helveticorum nomen conventius quam *Reormatorum* judicat *in Syntagm. Diſp. Theol. P. 1. . 308 320.*)vulgo etiam *Sacramentarii* a primo hæeſis capite appellantur. v. *D Schiuſſelburgii Catag. Hæret. lib. III. ubi cum hiſtoria, Sacramentarioum errores confutat.* In Gallia dicuntur *Hugoti*, quod nomen an. 1561 ad contumeliam *Reformatorum* effictum eſt. Sed mox a Rege ſancitum uit, neque nomen Papiſtarum neque Hugonotoam in poſterum debere contumelioſe uſurpari. d. *Thuan. Hiſtor. lib. 28. edit. Pariſ. p. m. 71. 73.* rigo nominis a Thuano hæc refertur; quod, cum ngulæ urbes apud Gallos peculiaria nomina haant, quibus mormones lemures, manducos & cæra hujusmodi monſtra inania anilibus fabulis ad cutiendum infantibus ac ſimplicibus fœminis rrorem vulgo indigitent; Cæſaroduni *Hugo* Rex lebratus fuerit, qui noctu pomœria civitatis obeitare, & obvios homines pulſare ac rapere dictus erit; ab eo *Hugonoti* appellati, qui ad ea loca, ad nciones audiendas, ac preces faciendas itidem nou, quum interdiu non liceret, agminatim in occlto convenisſent. v. *Thuani lib. XXIV. ad n. 1560.*

§. 7.

Anabaptiſtæ ann. 1522. ut aliquid ad Reortionem contuliſſe viderentur, duce *Nicolao largo S.* Storch *Paſtore Cygneo*, docuerunt, eſſos e papatu *rebaptizandos eſſe.* Inde a primo

Digitized by Google

mo errore nomen indepti sunt. Nam ἀνὰ in compositione Græcis etiam significat *rursus*, *ut* ἀναγειν *reducere*; *ita* ἀναβαπτίζειν *rebaptizare*. Hic mox latius progressi errores erroribus cumularunt & somnia cum Deo finxerunt, Magistratum cum *Thoma Muncero* rejecerunt, legem Mosaicam damnarunt. Inde variæ *Anabaptistarum* sectæ & nomina: ut *Tacentes*, qui silendum esse omissis concionibus putant: *Orantes*, qui semper orationi vacandum esse censent: *Enthusiastæ*, qui ut olim Montanistæ, enthusiasmos fovent, jactantes se rapi extra se, & in somniis cum Deo miscere colloqvia, ex qvibus varia prædicere possint. Illorum quidam corruunt in terram tanquam epileptici, tremunt corpore, & ad se reversi visiones jactant. *Libertini*, qui sentiunt se per Christum a lege liberatos esse, communionem mulierum necessariam esse inter Christianos: regeneratos non amplius peccare; liberum esse, an sacros conventus frequentare quis velit, an non; & quæ sunt aliæ hujus furfuris doctrinæ in perniciem Ecclesiæ & Reipubl. inventæ ab Anabaptistis & Fanaticis.

§. 5.

Qvidam *Anabaptistæ* (quas in novas sectas scindi jam diximus) postea nomina a *duce* seu seductore habent: *ut Hoffmanniani a Melchiore Hofmanno*, *Davidiani a Davide Georgio*, *Augustiniani ab Augustino Bohemio*, qvi cœlum usqve ad diem extremum occlusum esse docuit, *Mennonistæ a Menone*. v. plures monstrosorum dogmatum invento-

Digitized by Google

ventores apud *D. Schluſſelburg. Catalog. haret. libr. XII. p. 22. 23. ſeq. & D. Hornbeckii Summ. controverſ. l. V. de Anabaptiſm. & lib. VI. de Enthuſiaſtis & Libertinis.*

§. 6.

Anno 1628. ejusdem ſeculi *Caſparus Schwenckfeld.* Nobilis ab *Oſſinck*, ex ducatu Lignicenſi Sileſius, miniſterium Eccleſiaſticum & Sacramentorum uſum improbare aggreſſus eſt, ſimul negans Chriſtum ſecundum humanam naturam eſſe creaturam ſtatuendo etiam, quod carnem ſuam de cœlo attuliſſet. Verba S. cœnæ, *hoc eſt corpus meum*, exponit non *proprie* ſed *figurate*, &, ut ipſe loquitur, *ſpiritualiter*. v. *Confeſſ. ejus p. m. 16. ſeq.* Edidit enim confeſſionem fidei ſuæ, ex qua patet, quod in omnibus fere articulis doctrinæ Chriſtianæ, a veritate & orthodoxia abeat. Burcholzerus ſcribit, fuſſe virum non malum, ſed caput habuiſſe irregutum.

§. 7.

Poſt *Schwenckfeldii* furorem *Johannes Islebius Agricola*, ludimoderator primum Islebienſis, Theologiæ poſtea Wittebergæ Profeſſorem agens, vaſ ambitione turgidus, ex male intellectis locis, quæ de abrogatione aut impletione legis agunt, pernicioſiſſimum errorem anno 1538. in Eccleſiam invexit; *Legem non eſſe verbum DEI, pertinere curiam, non ad ſuggeſtum; Chriſtianos eſſe liberos ab obſervatione legis.* B. Lutherus ſex diſputationes contra ipſum & Antinomos (ita enim *comites* a dogmate hoc nominabantur) habuit Wit-

tebergæ v. *D. Schlusselburgii Catalog. Hæretic. l. IV. p. 35. seqq.*

§. 8.

Inter Augustanæ Confessioni addictos, occasione *Formulæ Interim*, enata quoque inter Theologos Lutheranos fuerunt schismata. Nam *Julius Pflugius*, *Michael Heldius & Johannes Islebius* jussu Cæsaris Caroli V. Augustæ *librum* conscripserunt, de *Religione* interim observanda, dum concilium legitimum instituatur. Hic libellus Syncretisticus dicebatur INTERIM, & a Cæsare omnibus Statibus & civitatibus Protestantibus imperii obtrusus est. Verum cum autores libelli crassissimos Pontificiorum errores aut tegerent, aut emolirent; nonnulli Protestantes imprimis *Magdeburgici* masculè contradixerunt; Symboli quasi vice utentes: Seelig ist der Mann, der GOtt vertrauen kan, und willigt nicht ins Interim, denn es hat den Schalck hinter ihm. Alii potentiam Cæsaris veriti, *librum Interimisticum* admiserunt & ministris suis Ecclesiæ, additis comminationibus obtruserunt. Quod cum improbarent cordati & constantes Lutheranorum Theologi, ut *Amsdorfius*, *Nicolaus Gallus*, *Matthias Flacius Illyricus* & alii controversiæ adiaphoristicæ exortæ sunt gravissimæ. Nam *Interimistæ* multa fingebant adiaphora in quibus Papistis cedere & pacis studio gratificari possent Lutherani; alii contra fraudes interimistarum advertentes, negabant, v. D. *Schlusselburgii Catalog. Hæretic. lib. XIII. & ult. p. 73. 74. seqq.*

§.

Digitized by Google

§. 9.

Interim illud *Andreas Oſiander*, miniſter verbi Norimbergenſis, cum amplecti nollet, Norimberga in exilium miſſus, in Boruſſiam venit & Regiomonti profeſſor Theologiæ & Paſtor veteris oppidi factus, novas quasdam ſententias *de imagine DEI*, de incarnatione Filii Dei, *de Juſtificatione hominis & aliis rebus* ſpargere cœpit; inprimis, cum audiiſſet de B. Lutheri obitu: Hunc enim vivum revereatur. Diſcipulos, quos habuit conſentientes in erroribus ſuis recenſet ac refutat *D. Schluſſelburg. in Catalog. Haret. l. VI. p. 43. 44. ſeqq.* Notiſſimus error fuit, quod nos *juſtitia Dei eſſentiali juſtos* eſſe ſomniarit. v. *Schluſſelburg. l. c. p. 50. ſeqq.*

§. 10.

Franciſc. Stanckarus, natione Italus, qui dum *Oſiandro* contradicere in Boruſſia ſtuduit, in contrarium errorem incidit, ſtatuendo *Chriſtum mediatorem noſtrum eſſe tantum ſecundum humanam naturam.* Et cum ob hanc ſententiam pertinaciter defenſam Regiomontio pelleretur, in Poloniam confugit & Calvinianianis ſeſe aſſocians, *Profeſſor Ebr. linguæ in Academia Cracovienſi* factus eſt v. *Hornk. Sum. Controverſ. l. IX. p. 725.*

§. 11.

D. *Georgius Major*, Wittebergæ Prof. Theol. ordinarius, per *Sphingem Auguſtanam*, hoc eſt, *formulam interim* forte ſeductus anno. 1552. ſeqv. publice defendere ſuſtinuit has propoſitiones ſine

in cruce desperasse dixerit, quem errorem tamen Herbipoli mox revocavit.

§. 15.

Seculo XV. (alii XIV. computant) Pontificii in *concilio Constantiensi* πετηχιοκλεψίας, propter periculum effusionis e transsubstantiationis dogmate natum, in Ecclesiam introduxerunt, simulque sanxerunt: *Hæreticis non esse servandam fidem*: quod axioma ad dissolvendam societatem hominum a Diabolo suppeditatum, mox inaudito exemplo perfidiæ confirmarunt, ad ignem scilicet damnatis innocentibus viris *Johanne Husso & Hieronymo Pragensi*. v. *Acta & Mortem Martyr. Joh. Crispini p. II. 12. seqq. & tom. I. Hist. & Monument. Joh. Hussii Norinbergæ ann. 1558. impressa.*

Cap. IX.

DE

HÆRETICIS ET SCHISMATICIS RECENTIORIBUS NEMPE SECULI XVI. ALIIS XV.

§. 1.

Cum *Papatus* ad fastigium in mundo summum pervenisset, & *B. Lutherus* instinctu divino cœpisset orbi Christiano vitia, tum *doctrinæ* tum *morum* & *disciplinæ*, a Pontificiis introducta manifestare; pura, antiqua & Apostolica doctrina quasi luci denuo exposita & repurgata fuit. Sed mox novo-

rum

ım hæreticorum & schismaticorum colluvies pu-
tatem religionis Evangelicæ fœdatura prorupit, ut
:mpore jam seculo Apostolico factum esse legimus.

§. 2.

Primam igitur ac præcipuam hæreticorum clas-
:m constituunt *Papæi*, qui cum semel a vera Reli-
ionis Christianæ norma, quæ est sola scriptura S.
berrarint, circa omnes fere fidei articulos, in Eccle-
a errores noxios pertinaciter defendere cœperunt.
ræcipui hodie Papatus propugnatores sunt *Jesuitæ*,
ominum genus πανουργότατον, quod ab *Ignatio Lo-
la*, milite Hispano, originem trahit. Ordo ipsorum
ın. 1540. a R. Pontifice confirmatus, per fraudes
ırias ad magnam in republica potentiam adspira-
t. Compendium doctrinæ ipsorum continet
ncilium Tridentinum ævo superiori ad oppri-
endam puram Evangelii doctrinam habitum. v.
*amen ejusdem Concil. a. B. D. Chemnitio conscri-
um, & B. D. Gerhardi Confess. Catholicam* nec
ın *B. Hopfneri Saxon. Evangelici*, & die Sächs.
aupt-Vertheidigung des Augapffels, & *D. Nic.
unnii Apostasiam Roman. Eccles.* & alios.

§. 3.

In Helvetia *Ulricus Zwinglius Tigurinus*, qui
no 1519. *Samsoni* Mediolanensi Franciscano
lulgentiarum nundinatori sese fortiter in Hel-
:ia opposuerat, (primus enim Reformator non
t. Nam Lutherum *omnium primum nostro
ulo in errores & abusus Papisticos palam magno
tiquo animo invectum esse, ipse Ludovicus Lava-
terus*

terus Hiſtor. Sacrament. fol. 33. contra reliquorum Calvinianorum vanam gloriam aſſeverat, cœpit *Andreæ Bodenſtein*, Franci a patria *Carolſtadio* cognominati & Wittebergæ Profeſſ. ſententiæ de S. cœna favere: Quod verba Chriſti in inſtitutione S. cœna non *proprie*, ſed *figurate* accipienda ſint. Hinc certamen Sacramentariorum ſatis turbidum in Eccleſia ortum. Et cum illorum partes mox ſtrenue tueretur *Johannes Calvinus*, *Noviodunenſis Gallus*, & præterea *Godeſchalci* hæreſin de *abſolutio prædeſtinationis decreto reduceret*; nova hæreſis enata eſt, quæ *Zwinglianorum & Calvinianorum* a Promachis dicitur. Nomen hoc Calviniſtæ ipſi non deprecantur: vid. *Judic. ſuper Epiſt. Philipp. edit Londin. Lit. L.* voce *Laſco Apell. fol. 51.* ſeinet kurtzen Antwort. *Calvin. Volum. Tractat. Theol. fol. 844. Amyraldus ap. Spanh. Exercit. de Grat. univerſ. fol. 325. Apertum* ait, Calviniſtam *me profiteer, qui doctrinam, quam docuit Calvinus publice probet atque amplexus eſt*, inquit, *Jacobus Laurentius in Epiſt. Crot anatomizata fol. 25. Nominari* enim *Sectarii ab Autoribus poſſunt, ſicuti Chriſtus vocavit Nicolaitas a Nicolao, ut a fidelibus diſtingueret, Pareus Comm. ſuper Apocal. II, 15. fol. 49. Par eſt, ut quorum pravam opinionem acceperunt, eorum quoque vocabula & titulos accipiant*, inquit *Athanaſ. ad* Adelphium *Tom. 1. fol. 331. æquum vero eſt, quorum nomina deprecatur, eorum quoque ſententias refugere Id. Orat. IV. c. Arianos T. 1. f. 272. Spanheimius*

nius & Helveticorum nomen conventius quam *Reformatorum* judicat *in Syntagm. Diſp. Theol. P. I. 308 320.* vulgo etiam *Sacramentarii* a primo hæreſis capite appellantur. v. *D Schluſſelburgii Catalog. Hæret. lib. III. ubi cum hiſtoria, Sacramentariorum errores confutat.* In Gallia dicuntur *Hugonoti*, quod nomen an. 1561 ad contumeliam *Reformatorum* effictum eſt. Sed mox a Rege ſancitum uit, neque nomen Papiſtarum neque Hugonotorum in poſterum debere contumelioſe uſurpari. id. *Thuan. Hiſtor. lib. 28. edit. Pariſ. p. m. 71. 75.* rigo nominis a Thuano hæc refertur; quod, cum ngulæ urbes apud Gallos peculiaria nomina haant, quibus mormones lemures, manducos & cæra hujusmodi monſtra inania anilibus fabulis ad cutiendum infantibus ac ſimplicibus fœminis rrorem vulgo indigitent; Cæſaroduni *Hugo* Rex lebratus fuerit, qui noctu pomœria civitatis obeitare, & obvios homines pulſare ac rapere dictus erit; ab eo *Hugonoti* appellati, qui ad ea loca, ad nciones audiendas, ac preces faciendas itidem noı, quum interdiu non liceret, agminatim in occlto convenisſent. v. *Thuani lib. XXIV. ad n. 1560.*

§. 7.

Anabaptiſtæ ann. 1522. ut aliquid ad Reformationem contuliſſe viderentur, duce *Nicolao Largo S.* Storch *Paſtore Cygneo*, docuerunt, eſſos e papatu *rebaptizandos eſſe.* Inde a primo

mo errore nomen indepti sunt. Nam ἀνὰ in compositione Græcis etiam significat *rursus*, *ut* ἀναγειν *reducere*; *ita* ἀναβαπτίζειν *rebaptizare*. Hic mox latius progressi errores erroribus cumularunt & somnia cum Deo finxerunt, Magistratum cum *Thoma Muncero* rejecerunt, legem Mosaicam damnarunt. Inde variæ *Anabaptistarum* sectæ & nomina: ut *Tacentes*, qui silendum esse omissis concionibus putant: *Orantes*, qui semper orationi vacandum esse censent; *Enthusiastæ*, qui ut olim Montanistæ, enthusiasmos fovent, jactantes se rapi extra se, & in somniis cum Deo miscere colloqvia, ex qvibus varia prædicere possint. Illorum quidam corruunt in terram tanquam epileptici, tremunt corpore, & ad se reversi visiones jactant. *Libertini*, qui sentiunt se per Christum a lege liberatos esse, communionem mulierum necessariam esse inter Christianos: regeneratos non amplius peccare; liberum esse, an sacros conventus frequentare quis velit, an non; & quæ sunt aliæ hujus furfuris doctrinæ in perniciem Ecclesiæ & Reipubl. inventæ ab Anabaptistis & Fanaticis.

§. 5.

Qvidam *Anabaptistæ* (quas in novas sectas scindi jam diximus) postea nomina a *duce* seu seductore habent: *ut Hoffmanniani a Melchiore Hofmanno*, *Davidiani a Davide Georgio*, *Augustiniani ab Augustino Bohemio*, qvi cœlum usqve ad diem extremum occlusum esse docuit, *Mennonistæ a Menone*. v. plures monstrosorum dogmatum invento-

ventores apud *D. Schluſſelburg. Catalog. haret. libr. XII. p. 22. 23. ſeq. & D. Hornbeckii Summ. controverſ. l. V. de Anabaptiſm. & lib. VI. de Enthuſiaſtis & Libertinis.*

§. 6.

Anno 1628. ejusdem ſeculi *Caſparus Schwenkfeld.* Nobilis ab *Oſſinck*, ex ducatu Lignicenſi Sileſius, miniſterium Eccleſiaſticum & Sacramentorum uſum improbare aggreſſus eſt, ſimul negans Chriſtum ſecundum humanam naturam eſſe creaturam ſtatuendo etiam, quod carnem ſuam de cœlo attuliſſet. Verba S. cœnæ, *hoc eſt corpus meum*, exponit non *proprie* ſed *figurate*, &, ut ipſe loquitur, *ſpiritualiter*. v. *Confeſſ. ejus p. m. 16. ſeq.* Edidit enim confeſſionem fidei ſuæ, ex qua patet, quod in omnibus fere articulis doctrinæ Chriſtianæ, a veritate & orthodoxia abeat. Burcholzerus ſcribit, fuſſe virum non malum, ſed caput habuiſſe irregulatum.

§. 7.

Poſt *Schwenckfeldii* furorem *Johannes Islebius Agricola*, ludimoderator primum Islebienſis, Theologiæ poſtea Wittebergæ Profeſſorem agens, vana ambitione turgidus, ex male intellectis locis, quæ de abrogatione aut impletione legis agunt, pernicioſiſſimum errorem anno 1538. in Eccleſiam invexit; *Legem non eſſe verbum DEI, pertinere curiam, non ad ſuggeſtum; Chriſtianos eſſe liberos ab obſervatione legis.* B. Lutherus ſex diſputationes contra ipſum & Antinomos (ita enim *comites a dogmate* hoc nominabantur) habuit Witteber-

tebergæ v. *D. Schlusselburgii Catalog. Hæretic. l. IV. p. 35. seqq.*

§. 8.

Inter Augustanæ Confessioni addictos, occasione *Formulæ Interim*, enata quoque inter Theologos Lutheranos fuerunt schismata. Nam *Julius Pflugius*, *Michael Heldius & Johannes Islebius* jussu Cæsaris Caroli V. Augustæ *librum* conscripserant, de *Religione* interim observanda, dum concilium legitimum instituatur. Hic libellus Syncretisticus dicebatur INTERIM, & a Cæsare omnibus Statibus & civitatibus Protestantibus imperii obtrusus est. Verum cum autores libelli crassissimos Pontificiorum errores aut tegerent, aut emolirent; nonnulli Protestantes imprimis *Magdeburgici* masculè contradixerunt; Symboli quasi vice utentes: Seelig ist der Mann, der GOtt vertrauen kan, und willigt nicht ins Interim, denn es hat den Schalck hinter ihm. Alii potentiam Cæsaris veriti, *librum Interimisticum* admiserunt & ministris suis Ecclesiæ, additis comminationibus obtruserunt. Quod cum improbarent cordati & constantes Lutheranorum Theologi, ut *Amsdorfius*, *Nicolaus Gallus*, *Matthias Flacius Illyricus* & alii controversiæ adiaphoristicæ exortæ sunt gravissimæ. Nam *Interimistæ* multa fingebant adiaphora in quibus Papistis cedere & pacis studio gratificari possent Lutherani; alii contra fraudes interimistarum advertentes, negabant, v. D. *Schlusselburgii Catalog. Hæretic. lib. XIII. & ult. p. 73. 74. seqq.*

§.

§. 9.

Interim illud *Andreas Oſiander*, miniſter verbi Norimbergenſis, cum amplecti nollet, Norimberga in exilium miſſus, in Boruſſiam venit & Regiomonti profeſſor Theologiæ & Paſtor veteris oppidi factus, novas quasdam ſententias *de imagine DEI*, de incarnatione Filii Dei, *de Juſtificatione hominis & aliis rebus* ſpargere cœpit; inprimis, cum audiisset de B. Lutheri obitu: Hunc enim vivum reveretur. Diſcipulos, quos habuit conſentientes in erroribus ſuis recenſet ac refutat *D. Schluſſelburg. in catalog. Hæret. l. VI. p. 43. 44. ſeqq.* Notiſſimus error fuit, quod nos *juſtitia Dei eſſentiali juſtos* eſſe ſomniarit. v. *Schluſſelburg. l. c. p. 50. ſeqq.*

§. 10.

Franciſc. Stanckarus, natione Italus, qui dum *Ondro* contradicere in Boruſſia ſtuduit, in contrarium errorem incidit, ſtatuendo *Chriſtum mediatorem noſtrum eſſe tantum ſecundum humanam naturam.* Et cum ob hanc ſententiam pertinaciter defenſam Regiomontio pelleretur, in Poloniam confugit & Calvinianianis ſeſe aſſocians, *Profeſſor Ebraicus in Academia Cracovienſi* factus eſt v. *Hornb. Sum. Controverſ. l. IX. p. 735.*

§. 11.

D. *Georgius Major*, Wittebergæ Prof. Theologiæ ordinarius, per *Sphingem Auguſtanam*, hoc eſt, *formulam interim* forte ſeductus anno. 1552. ſeqq. publice defendere ſuſtinuit has propoſitiones ſine

limitatione idonea addita: 1. *Bona opera esse necessaria ad salutem*: (2) *neminem absque bonis operibus salvatum esse*: (3) *impossibile esse, ullum hominem absque bonis operibus salvari.* Præterea etiam professus est συνέργειαν h. e. *cooperationem* veteris hominis cum Spiritu S. & verbo Dei in conversione hominis ad Deum. Ejus assecłæ nominantur *Majoristæ* & describuntur *a Schlusselburgio Catalog. Hæretic. l. VI. p. 29 30. seqq.* Huic Nicolaus Amsdorfius inepte contradicens, asserit; *bona opera ad salutem esse noxia & perniciosa*, verba Lutheri non recte intelligens.

§. 12.

Post Majoristas *Flaciani* turbas in Ecclesia concitarunt gravissimas. Nam *Matthias Flacius Illyricus* (a quo nomen habent,) in disputatione Vinariæ Thuringorum cum *Victorino Strigelio*, anno 1561. habita, asserturus peccati originalis atrocitatem, statuit, *peccatum originis esse ipsam hominis substantiam.* Strigelius enim Synergista dixerat, *peccatum originis esse leve aliquod accidens instar allii magnete illici: per quod non tota substantia corrupta, sed tantum leviter in accidentibus vulnerata esset.* Illyricus igitur, ut erat vehemens, statim contradicendo in Manichæismum incidit, dum substantiam peccatum originis vocat. *D. Johan. Wigandus*, *D. Simon Musæus* & alii Theologi, qui disputationi intererant, ipsum illico fraterne admonuerunt, ut ab hoc nova & blasphema propositione desisteret; Verum nihil penes homi-

nominem pertinacem & acrem profecerunt. Com-
plices ipſius dicuntur *Subſtantialiſtæ*, ut *Cyriacus*
Spangenberg, *Chriſtophorus Irenæus*, *Martinus Wul-*
fus & alii apud *Schluſſelburgium Catalog. Hæret. l.*
t. memorati p. 5. Antequam in errorem incidiſſet,
nterimiſtis & Sacramentariis maſcule contraxit,
deo etiam nomen ipſius odioſum eſt apud Calvi-
ianos. v. v. *Hornbeckii Summ. l. IX. p. 652. ſeqv.*
56.

§. 13.

Synergiſtæ jam ante *Flacianos* innotuerunt Ec-
leſiæ; poſt illos vero non quieverunt, ſed propa-
are ſtuduerunt errorem ſuum, a quo nomen in-
epti ſunt. Scilicet *voluntatem hominis non rena-*
ex naturalibus viribus poſſe ſe ad gratiam applica-
, conari, aſſentiri atque *cooperari Spiritui S.* Sen-
ntiæ hujus autor hoc ſeculo primus fuerat *Eraſ-*
us Roterodamus, qui librum de *libero arbitrio*
liderat, quem *B. Lutherus* refutavit. *Eraſmum*
oſt obitum Lutheri ſecutus eſt *Melanchthon* & ejus
ſcipuli *D. Major*, *Eberus*, *Pfeffingerus*, *Strigelius*,
ellius & alii, qui ἀπὸ τῆς συνεργείας nomen συνερ-
γῶν acceperunt. v. *D. Schluſſelburg. Catalog. Hæ-*
t. lib. V. p. 13. 14. ſeqq.

§. 14.

Extra imperium Germanicum in Helvetia no-
m hæreſin anno 1530. reſuſcitare ſtuduit *Mi-*
ael Servetus Hiſpanus, Samoſateni, Arii,
otini & Muhamedis erroribus occupatus, ne-
vit *S. Trinitatem in Deitate.* Edidit enim li-

bros *de Trinitate 6. Dialogos de Regeneratione, Epistolas quasdam & Apologiam*, quibus blasphema dogmata proponit. Sectatores nactus est *Valentinum Gentilem, Campanum, Johannem Alciatum, Gregorium Blandratam, Medicum, Bernhardum Ochinum, Franciscum Davidis* & alios plures. vid. *D. Schlusselburg. Catalog. Hæretic. lib. XI. p. 2. seqq.* ob blasphemias hinc inde sparsas in Helvetia publice combustus est. v. nostri *D. Scherzeri Colleg. Ant. Socin. disp. 1. p. 9.* De ejusdem combustione postea varie disputatum fuit.

§. 15.

Hunc excipit discipulus ejus præcipuus *Lelius Socinus, Italus*, qui *explicationem in cap. Joan.* scribens, satis prodidit se *Photinianum* esse. Hoc anno 1562 Tiguri mortuo, ex fratre suo *Alexandro* natus *Faustus Socinus*, hæresin Christianismo infestam propagavit latius; adeo, ut mox in Transylvania, Polonia, hodie in Belgio & Anglia invenerit sequaces nomine *Socinianorum notos*. vid. *D. Scherzeri colleg. Anti-Socin. p. 10. seqq. & D. Calovii Socinism. profligat. p. 9 seqq* Summam hujus hæresis seu hæreseos supra *Part. 1. p. 95. seqq. tradidimus.*

§. 16.

Postquam magna controversiarum pars inter Protestantes, per *Formulam Concordiæ* sopita aut sublata esset; *Samuel Huberus, Bernas Helvetius* Wittebergæ Theologiæ Professor aliquandiu publicus, novam controversiam *de promissa Electio-*

ne

tione & prædestinatione omnium hominum, etiam erseveranter impœnitentium ad salutem æternam novit; contendens, omnes homines sic electos esse d vitam æternam; impios autem in fine vitæ a Deo elut invito damnari. Quæ sententia cum scandali lena si, rejecta et a *B. D. Ægidio Hunnio* refutata iit. Autor ejus ob pertinaciam officio motus in nferiorem Saxoniam concessit. v. *B. Hunnii tra-at. de Ætern. Prædestinat. seu Elect. filiorum DEI d salutem. Francofurti ann. 1603. edit. & D. Hutte-LL. commun. de Huberianismo fol. 992. sequ.*

§. 17.

In Academia Julia *D. Heshusius, & Hofmannus, rofessores Theologiæ publici, omnipræsentiam carnis hristi* in Form. Concordiæ *assertam* negando, no-s & infelices in Ecclesia lites excitarunt. Quæ oc seculo magna contentione utrinque agitatæ nt.

CAP. X.
DE
ÆRET. SCHISMATICIS ET NOVATOR. SEC. XVII. CURR.

§. 1.

HOc currente seculo, quo *Lutheranorum, Pontificiorum & Reformatorum* Religio tum minibus certis, tum doctrina discreta est, quælibet vos vel hæreticos, vel schismaticos aut novatores suo cœtu vidit.

§. 2.

In Lutheranorum Ecclesia ineptire cœpit *Valentinus*

Antonius Weigelius, pastor Itzehoppaviensis in Misnia qui Anabaptistarum & Enthusiastarum errores incrustare & editis variis scriptis propagare studuit. Cum hoc senserunt *Esaias Stifelius & Ezechiel Meth*, nota in Thuringia Anabaptistarum nomina.

§. 3.

Eilhardus Lubinus. Prof. Academiæ Rostochiensis, ut bonum cognosceretur, peccatum necessarium fuisse, illudque parum a nihilo distare docuit: sed refutatus est a *D. Grauero*. vid. *Lubini Phosphorum, sive de prima causa & natura mali tractatum*.

§. 4.

In Academia Helmstadiensi *Heinricus Boetius* tradidit: *vire surrectionis Christi etiam impios resurrecturos esse*. In Academia Tubingensi, *Theodorus Thummius statum Exinanitionis Christi*, cum collegiis suis, per nudam κρυψιν descripsit; quod *Christus in profundissimo κενώσεως statu, etiam secundum humanam naturam cœlum & terram gubernarit; sed modo occulto*. Rathmannus, *minister Ecclesiæ Dantiscanæ*, efficaciam verbi divini impugnasse arguebatur. *D. Georgius Calixtus Mysterium SS. Trinitatis ex solo V. Testamento contra Judæos & Neo Arianos sufficienter probari posse*, primum negavit: mox alias falsas hypotheses Syncretismo aptas assumsit & defendit. *D. Conradus Horneius*, Calixti in Academia Julia collega, *D. Majoris* sen-

ententiam de *neceſſitate bonorum operum ad ſalu-em propugnare viſus eſt. Vide* ſcripta de his contro-erſiis paſſim obvia.

§. 5.

Inter Pontificios, præter ſchiſmata *Dominicano-um & Franciſcanorum*, ſuper *immaculata concetione Mariæ*, *prædeſtinatione*, *prædeterminatione* c aliis fidei capitibus, orti ſunt *Janſeniſtæ*. Qui no-nen habent ab autore hujus ſectæ *Cornelio Jan-enio*, cujus vitam deſcripſit *Valerius Andreæ in ibliotheca Belgica ann. 1643.* typis exſcripta. Iic *Auguſtini* operibus omnibus decies, *libri*, *ero de Grat. div. & libr. arbitr.* plus tricies a capi-ad calicem perlectis *librum* edidit 1640. Pariſiis npreſſum, cui titulus eſt, AUGUSTINUS; qui cra-rones, *Jeſuitas* puta, irritavit maxime. Nam ullas ab *Urbano IIX. & Alexandro VII.* Pontifici-us Rom. contra Janſeniſtas obtinuerunt ſeveras, uibus liber Autoris dicti damnatur & proſcribi-ur. Defendunt autem *Janſeniſtæ* contra Jeſuitas *uinque propoſitiones*: (1. pars eſt: *Aliqua DEI aecepta hominibus juſtis volentibus & canonibus ecundum præſentes vires, quas habent, ſunt impos-ibilia, deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia ſunt*: tera pars eſt: *deeſſe quoque gratiam, qua præcepta ant poſſibilia, valde probabile eſt*: (2 *Interiori gra-æ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.* (3. *ad erendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, n requiritur in homine libertas a neceſſitate*, ſed

ſufficit libertas a coactione: (4 *Semipelagiani admittebant gratiæ prævenientis interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici; quod vellent eam gratiam eſſe talem, cum poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare*: (5. *Semipelagianum eſt, dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum fuiſſe & ſanguinem fudiſſe*. Hæc ſumma *Janſeniſmi eſt*. Ac licet Jeſuitæ Romæ habeant judicem valde favorabilem; tamen *Janſeniſtas*, quippe Regis Galliæ & Procerum aliorum gratia nixos, hactenus opprimere non valuerunt. Deſinant ergo Lojolitæ Lutheranis exprobrare ſchiſmata, cum in ſinu Eccleſiæ ſuæ talia habeant, quæ a Papa ipſomet Monarcha extingvi nequeunt.

§. 6.

Reformatos etiam varios in ſua Eccleſia ſchiſmaticos expertos eſſe, hiſtoria noſtri temporis confirmat. Nam ſub initium hujus ſeculi an. 1603. *Jacobus Arminius* (alias *Jac. Hermanni* nominabatur) *Veteraquinas* in Academia Leidenſi Profeſſor Theologus, circa *quinque* articulos *Franciſco Gomaro* & reliquis Calvinianis controverſiam movit: 1) de *prædeſtinatione*: 2) de *mortis Chriſti univerſalitate & efficacia*: 3) de *converſionis noſtræ cauſa*: 4) de *converſionis modo*: 5) Denique de *ſanctorum perſeverantia*. Et cum hic anno 1609. vivere deſiiſſet, *Conradus Vorſtius*, Socini hæreſi infectus ipſius partes tueri cœpit. Cum quo etiam ſentit Remonſtrantium promachus doctiſſimus *M. Simon*

Epi-

Episcopius, sedulus Arminii discipulus, qui in locum Franc. Gomari Leidam aceitus fuerat ann. 1612. postea vero in Synodo Dordracena ann. 19. una cum aliis Remonstrantium munere exauctoratus abire jussus est. Nam Synodus dicta Dordracena propter Arminianos seu *Remonstrantes* (ut alias a libello supplice exhibito appellantur,) convocata fuerat. In qua ipsi inauditi nec convicti damnati & exclusi fuerunt: plane ut Protestantes in Concilio Tridentino. Prolixa est historia, longæ sunt ambages. vid. *Acta Remonstrant. & Epistolas Arminian. Ecclesiasticas & Theologicas 1660. Amstelodami editas* doctrinam ipsorum supra summatim ex *D. Scherzeri ab. p. 60.* proposui. Prolixus eandem *Episcopius & Curcellæus in Oper. suis exhibent.* Confer. *D. Calvii Considerat. Arminianismi.*

§. 7.

Ipsi Calviniani post Synodum Dordracenam porro in *Supra-lapsarios & Infra-lapserios* fuerunt distincti. Quorum *illi* cum *Francisc. Gomaro*, objectum prædestinationis (sensu Calviniano) ponunt *supra lapsum*; imo supra creationem in æternitate decretum: *hi* vero dicuntur, qui objectum prædestinationis ponunt hominem iam lapsum; adeoque massam corruptam supponunt. Sed in ultima ἀναλύσει convenire ipsos, facile ex ipsorum hypothesi probari posset, ni jam a Theologis demonstratum foret.

§. 8

Dura illa Calvinianorum dogmata de *gratia*

DEI

Dei & efficacia meriti Christi, dum in gratiam Arminianorum emollire voluit *Moyses Amyraldus, Salmuriensis* in Gallia *Professor*, cum *Testardo* & aliis *Hyypotheticis*, schisma inter fratres suos Calvinianos fecit. Nam *Andreas Rivetus, & Spanhemius* sententiam ejus de *universali vocatione citra verbum DEI & gratiam DEI universalem*, (qualem ipsi *hypothetice* sub conditione fidei haut præstabili statuit,) non semel vocant *derisoriam, illusoriam, frustraneam, histrionicam & decepiricem*. vid. *B. Hulsemanni de Auxil. Grat. p. 80. seqq. it. Andr. & Guilielmi Rivet. Epist. Apolog. contra Mos. Amyrald. & Petri Molinei de Amyraldi adversus Spanhemium libro judicium.*

§. 9.

Omitto schismata, quæ Reformatos in Anglia partim propter *codicem nouum Liturgiarum*, sive *communionem precationum* sub auspiciis *Guilielmi Laudi, Cantuariensis Archiepiscopi excusum*; partim propter alia dogmata Puritanorum; & Presbyterianorum, in partes & turbas varias traxerunt. vid. *Honorium Reggium, seu Georg. Hornium*, qui statum Ecclesiæ Anglic. descripsit *Quackerorum* colluviem, quæ inter Reformatos emersit, *Joh. Joach. Zentgrafius*, amicus noster honoratissimus, delineavit. Jungi huic potest libellus Puritanischer Glaubens-Spiegel, cujus autor est Petrus Gartz, prodiit Lipsiæ ex officina Ritschii.

§. 10.

In Belgio non ita pridem schismata nova Refor-

formatorum cœtum turbaſſe, omnibus notum eſt. Quis enim neſcit *Rothii & Culmanni* furorem? quis *Johannis ne Labadie* & Sociorum Sociarumque novum ſanctitatis cœtum jactantium, & reformationem Reformatæ Eccleſiæ? Quis *Heidanorum* & *Coccejanorum* concertationes in flammam jam erumpentes? vid. *Frid. Spanhemii Epiſt. ad Amic. de Noviſſimis circa res ſacras in Belgio diſſidiis, & Antonii Hulſii Theolog. Hypotheticam, Lugduni Batavorum ſuperiori anno editam. De Mareſii & Voetii, Wittichii & Carteſianorum* diſceptationibus nihil referam, cum illorum libri ſtudioſorum manibus paſſim terantur.

§. 11.

Autor quidem *anonymus* ante paucos annos *Thneto-Pſychitarum* hæreſin, *de ſtatu, loco & vita Animarum diſquiſitione edita*, revocavit, & quia autor hæreſis ignoratur, videtur illa expiraſſe, poſtquam a *D. Bebelio* refutata fuit ann. 1671. *Chriſtophorus Sandius* autem præexiſtentiam Animarum ex mente Platonicorum & Origeniſtarum etiam non ita pridem adſtruere laboravit. Sed confutatus a noſtro *J. Thomaſio & D. Bebelio* ſiluit, interea ſte Arianiſmum propugnavit, & *Nucleum Hiſt. Eccleſ.* ſeu *Arianorum Hiſtoriam* edidit quam *Gardinerus* in Anglia confutavit.

§. 12.

Syncretiſtæ ſuperſunt, qui poſt Reformationem regionis Papiſticæ, non ſine ſcandalo Eccleſiæ perverſo pacis & concordiæ amore ducti diſſidentes in-

articulis religionis, (qui tamen definitionem fidei ſalvificæ ingrediuntur ac adeo fundamentales ſunt,) pro fratribus in Chriſto habent, eosque in ſua religione ſalvari poſſe, æque ac nos temere ac impie ſtatuunt. Hinc elenchum nominalem in Cathedris Eccleſiaſticis intermittendum eſſe cenſent: ne forte offendantur adverſarii, & auditoribus impia diſſidentium dogmata innoteſcant magis.

§. 13.

Nominis *Syncretiſtarum* origo eſt e *Creta*, mendaciorum patria, juxta nota Græcorum proverbia κρῆτες ἀεὶ ψεῦσαι. ὁ κρὴς πρὸς τὸν κρῆτα κρητίζονται. Inde vox compoſita συγκρητισμὸς, quæ Cretico proverbio dicebatur, quoties fieret, ut qui modo videbantur hoſtes acerrimi, repente in ſummam concordiam redigerentur, id quod frequenter evenire ſolet maxime ſi quando malum aliquod inciderit utriusque commune. *Plutarchus in comment.* περὶ ἀδελφίας recenſet, ſimulque explicat *paræmiam* his verbis: *Præterea oportebit & illud meminiſſe, fratribus inter ſe diſſidentibus, obſervareque, ut potiſſimum eo tempore conſvetudinem habeat & convictum cum illorum amicis. Rurſum inimicos fugias neque admittas ad familiaritatem, illud videlicet Cretenſium exemplum ſecutus.* οἱ (κρῆτες) πολλάκις στασιάζοντες ἀλλήλοις καὶ πολεμοῦντες ἔξωθεν ἐπιόντων πολεμίων διελύοντο, καὶ συνίσαντο, καὶ ὅτι ἦν καλλιμενον ὑπ' αὐτῶν συγκρητισμὸς,

i. e.

i.e. qui frequenter cum factionibus & bellis intestinis inter se pugnarunt, invadentibus aliunde hostibus, omissa contentione conjuncti sunt atque is erat, quem illi Syncretismum appellabant. v. Erasmi Chiliad. centur. 1. f. m. 27.

§. 14.

Exinde apparet, quod hæc vox vi originis fucatam & subtestam confœderationem & concordiam hypocriticam significet. Atque inde a Theologis applicata fuit studio quorundam Theologorum intempestivo, qui tam superiori, quam nostro hoc ævo, *aut* omnium religionem Christianarum *tolerantiam* cum Arminianis svadent; *aut* omnes qui *Symbolum Apostolicum amplectuntur, convenire in fundamento fidei Christiana* asserunt, eosque (licet dissentiant in quæstionibus circa fidem, & juxta annales,) pro fratribus in Christo habent; *aut* qui *miscere religiones* & ex omnibus quædam seligere more Philosophorum ἐκλεκτικῶν, cum nonnullis Criticis amant. Hoc igitur studium non inepto ex Græcitate vocabulo, *Syncretismus* dicitur, & qui illi inambunt aut tractant, passim *Syncretista* audiunt.

§. 15.

Hi autem vel sunt *universalis* vel particularis Syncretismi fautores & architecti: Illi, & quidem, qui crassiores sunt, hominem in quavis religione salvari posse statuunt: ut *Franciscus Socinus, Florentinus*; Autor libri de *Religione Medici*, qui est *Thomas Browne, Eduardus Baro Her-*

Herbert de Cherbury, item Autor Tractatus Theologico Politici, de libertate philosophandi, qui creditur esse *Spinosa*, conversus aut perversus Judæus, & alii. Qui paulo meliores videri nolunt, *hominem in quavis religione Christiana*, (dummodo in J. Christum se credere profiteatur,) *salvari posse* tantum statuunt: Ut *Daniel Zwikerus*, *Stephanus Curcellæus*, *Johannes Stoinski*; nescio, an *H. Grotium* his accensere debeam.

§ 14.

Hi (nempe Syncretismi *particularis* patroni) sunt, qui vel *Syncretismum* inter tres magnas religiones Europæ *Lutheran. Pontif. & Calvin.* moliti sunt: ut seculo superiori, *Jnt rimiste* post obitum Lutheri maxime noti, *Cassander*, & hoc nostro, *Marcus Antonius de Dominis*, *D. Georgius Calixtus*, *D. Dreierus* & alii, non ignota Theologis nomina: vel, qui inter Reformatos & Lutheranos contra Papistas *Syncretismum* cudere instituerunt; ut *David Pareus*, *Gothofredus Hutton*, *Dkraus & alii* pacis optandæ magis, quam sperandæ Apostoli. Hos in quam describere simulque ipsorum fundamenta excutere voluissem, nisi chartarum & temporis angustia abrumpere filium juberet. vide interim *B. D. Danhaueri Mysterium Syncretismi*, *D. Calovii Syncretism. Calixtum*, *B. Hulsemanni Calixti*. Gewissens-Wurm *D. Seldii* Entdeckung des Syncretistischen Abgotts und Greuels, *D. Tobiæ Wagneri Acta Henotica* & anos.

NOTI-

NOTITIA CONCILIORUM, ET COLLOQVIORUM RELIGIONIS CAUSA HABITORUM.

CAP. I. DE CONCILIIS IN GENERE.

§. 1.

Concilii vox apud Latinos primum significabat *nundinas*; pòstea conventum notare cœpit. Hinc quidam Grammatici a *concire*, alii a *concalare* h. e. convocare derivant. v. *Isidor. Orig. l. VI. c. 16. & Festum verb. signific. Agellius l. XV. c. 27.* concilium a comitiis distingvit: *is* (ait) *qui non universum populum, sed partem aliquam adesse jubet, non* COMITIA, *sed* CONCILIUM *edicere debet.* In *Constitutionibus Gratiani*, Valentiniani & Theodosii, *Concilium*

cilium pro Dœceſi uſurpatur. Quia *Conſtantini M.* tempora quotannis in præcipua urbe conventus agebatur civilis; inde *Concilium* metonymice *Diœceſin* notare ſvevit.

§. 2.

Eccleſiaſtici ſcriptores *Concilium* pro ſolenni conventu Eccleſiaſticorum & aliorum piorum ac eruditorum virorum, ob controverſias in Eccleſia ortas, ex verbo DEI componendas, publica autoritate inſtituto, uſurpant, Chriſtiani Græci συνόδους & συναξεις vocarunt. Eſtque *Synodi* vocabulum recentius, & ab hoc fere tempore, quo Nicena Synodus fuerat coacta, obtinuit. Antiquiores, & quidem gentiles, *Synodum* vocarunt cœtum Deorum & quidem eorum, quos majorum gentium appellabant, quorum numero, qui ex hominibus adſcribebantur. παίγδροι τῶν μεγάλων θεῶν dicti fuerunt Chriſtiani, qui Deos loqui neſciunt, pro *conventu* hominum vulgo adhibent.

§. 3.

H. Grotius de Imper. Summ. Poteſt circa ſacra c. 7. n. 1. annotavit: diſtare *Synodum*, a *Senatu*, qui Græcis συνέδριον πρεσβυτέρων, γερουσία dicitur. Nam *Senatus* collegium conſtans eſt e certis perſonis una in urbe locove commorantibus; at *Synodus* collegium non eſt, neque definitas habet perſonas. Concio igitur (Græci ἐκκλησίαν aut συναγωγὴν vocant,) hoc ſenſu Synodus non eſt. Eſt enim conventus ejus multitudinis, quæ eandem urbem

urbem inhabitant: At conventus ordinem regni alicujus vel Reipublicæ ut Latine *Concilium*, ita Græce σύνοδος recte dicitur

§. 4.

Concilia, prout §. 2. descripsimus, distingvuntur in *universalia & particularia*. *Illa* Græci Synodos *Oecumenicas* nominarunt; Latini *concilia generalia*, οἰκουμένη quidem universam terrarum orbem significat; verum Græcos etiam id vocabulum pro *imperio seu orbe Romano* usurpare ex *Luc. II, 1.* notissimum est. Sicuti *Gelasius Cyzicenus in exordio lib. 1. Act. Concil. Nic.* κόσμον Ρωμαῖον pro imperio Romano adhibet; cum ait, Synodum convocatam, ἐκ πασῶν Ρωμαίων κόσμου ἐπαρχιῶν, *ex omnibus mundi Romani provinciis*: quæ sane non mundum universum constituebant, sed magnam ejus partem, ut οἰκουμένη. *Luc. c. II.*

§. 5.

Particularia Concilia alias *Nationalia* appellantur: Græcis autem σύνοδοι μερικαί. Ea nimirum, quæ neque apparatu, neque autoritate paria sint Oecumenicis. Quia ex aliqua tantum orbis Christiani parte congregantur, aut non ab ipsis Augustis, sed Episcopis aut Metropolitis indicta sint.

§. 6.

Atque hæc iterum non sunt unius generis. *Quædam* enim a Patriarchis & Metropolitis in sua diœcesi convocata sunt, & dicuntur *Diœcesiana*, seu

Nationalia; ut *Romana*, ex Diœceſi urbis Romanæ; *Antiochenſia* ex diœceſi orientis; *Africana* ſeu *Carthaginenſia* ex Africæ diœceſi, *Toletana* ex Hiſpaniarum diœceſi, & quæ ſunt alia hujus generis in *Conciliorum Tomis* deſcripta. Diœceſiis autem ſeu διοικήσεις ἐσὶν ἡ πολλὰς ἐπαρχίας ἔχουσα ἐν ἑαυτῇ. vid. *Balſamonem ad can. XVII. Concil. Chalcedon. fol. m. 184. edit. e Biblioth. D. Joh. Tilii Briocenſ. Epiſcopi.* Quare *Diœceſis* non ut vulgo uſurpatur pro παροικία unius Epiſcopi, ſed pluvium accipienda eſt.

§. 7.

Quedam etiam (*particularia*) appellantur, *Provincialia.* Quia Epiſcopus ſeu Metropolita cum omnibus ſuæ provinciæ Epiſcopis & Presbyteris ad illa convenit. Nam πρωτεύς ἐπαρχίας h. e. *Metropolita* ſeu præcipuus Epiſcopus metropolin alicujus provinciæ inhabitans, diverſarum in provincia παροικιῶν Epiſcopos quotannis ſemel aut bis convocare ſolebat. vid. *Can. 8. œcum. VI. in Trullo & Can. 6. œcum. VII. Nicen. II. item can. 31. (in Summa Concil. Caranzæ eſt can. 38.)* qui dicuntur Apoſtolorum; *can. 5. Nicen. I.*

§. 8.

Oecumenica Concilia habebantur, ubi contentio aut hæreſis in Eccleſia creverat, ut etiam alia loca corriperet, orbisque adeo maximam partem pervaderet: tunc undique accitis in orbe terrarum Eccleſiam præſidibus & presbyteris. Imperato-

ris

tes *Synodos Oecumenicas* indicebant, quo dubia explicarentur, errores corrigerentur, ac proscriberetur hæresis Ecclesiæ noxia.

§. 9.

Hoc vero, quia non potuit fieri, nisi volente & iubente, penes quem summa rerum esset, & qui teneret imperium; ideo sola *œcumenica concilia* vocantur, quæ indicta celebrataque fuerunt edicto Augustorum. Nam religionis curam, seu *τὴν ἔξω ἐπισκοπὴν* Principi competere, adeo dubium non habet; ut omnes, qui vel politicæ vel historiæ ecclesiasticæ periti sunt, fateantur. *Aristotel. l. VII. Polit. c. 8. τὴν περὶ τὸ θεῖον ἐπιμέλειαν* dicit πρῶτον *primum* seu *præcipuum* esse eorum, *ὧν ἄνευ πόλις οὐκ ἂν εἴη, sine quibus civitas esse non possit.* Scriptores hist. eccles. *Socrates*, *Eusebius*, *Sozomenus*, *Theodoretus*, *Nicetas* & alii comprobant imperatores vel sponte sua, vel rogatos ab Episcopis, coëgisse Synodos. Ut mirum sit paristos Episcopi Romani, Cochlæum, Bellarminum, Azorium & alios id juris velle abjudicare Cæsari, & sibi vindicare. Primus certe Imperator Christianus, primam Synodum Oecumenicam non solum convocavit, sed interfuit *οἷά τις κοινὸς ἐπίσκοπος θεοῦ καθιερώμενος tanquam communis a DEO Episcopus constitutus.* vid. *Euseb. in vit. ejus l. 1. c. 37.* H. *Grot. libr. de Imper. summ. Potest. circa sacra. 1. n. 17.* nec non *B. Hulsem. Breviar. c. XVIII. num. 6. & Sibrandi Luberti de concil. lib. 1. c. 2.*

Unde & Proteſtantes ſuperiori ſeculo, cum Paulus III. illis, per *Paulum Vergerium* legatum ſeu nuntium ſuum, perſvadere laboraret, iſtam poteſtatem ad ſe ſpectare, Cæſaris & reliquorum Statuum eſſe jus ſuum in concilio interponere conteſtati ſunt, vid. *Petr. Svav. lib. 1. Hiſt. cit.* Poſtea ann. 1562. cum autoritas concilii dicti obtruderetur, iterum reſponderunt concilium iſtud a Papa indictum fuiſſe, cum non ille, ſed Imperatores ac Reges concilii indicendi poteſtatem haberent, vid. *Polit. Imperial. Goldaſti part. 27. n. 8.*

§. 10.

Quando *Patriarchæ & Metropolitæ* in ſuis Diœceſibus aut provinciis convocarunt *Synodos*, id indultu & conſenſu tacito, aut mandato ſummorum imperantium factum eſt. Imperatores enim Chriſtiani ob urbium ſplendorem, Epiſcopis ſeu Patriarchis, ut *Romano*, *Alexandrino*, *Antiocheno*, *Hieroſolymitano* & (qui additus fuit ad a II. Oecumenica Synodo, quod novæ Romæ Epiſcopus eſſet) *Conſtantinopolitano* conceſſerunt, iisdem in ſua diœceſi rerum Eccleſiaſticarum quaſi ſummum tribunal, cujus imaginem adhuc in Patriarchis Græcia deprehendere licet ſub Turcico imperio

§. 11.

Materia ſeu *objectum* conciliorum & Synodorum fuerunt quæſtiones circa dogmata fidei & mores, vel ritus, qui in Eccleſia retinendi vel abrogandi eſſent: ut cum ſana doctrina morum probi-

tas

tas conſervaretur. v. *B. Hulſemanni Brev. c. XVIII. n. 18. & B. Hopfneri Diſput. de concil. theſ. 28.*

§. 12.

Norma, ut credendi & vivendi, ita *decidendi* controverſias fidei ac morum in conciliis, *ſola ſcriptura ſacra* eſſe debet. vid. *Hulſeman. l. c. num. 19. 20. 21. 22.* Hieronymus fatetur; *nefas eſſe, ſi quid contra canonem Scripturæ S. ſtatuant concilia.* Et hac de cauſa ſummis Poteſtatibus convenit, exemplo *Conſtantini M.* videre, εἰ κατὰ τὰς θείας γραφὰς συνέβησαν ἀλλήλοις. *conf. Lubberti de concil. libr. V. c. 3.*

§. 13.

Summæ autem Poteſtatis eſt, *definire in concilio* & acta ejusdem *confirmare.* Rationes vide apud *Hulſemann. in Brev. c. XVIII. n. 6. it. 21.* Hiſtoria vetus Eccleſiaſtica id paſſim confirmat. Nam προσφωνητικὸς, ſive *dedicatoria Epiſtola* (ut vulgo redditur,) Synodi *Conſtantinop. I. ad Theodoſium Imperatorem*, diſerte rogat a Cæſare confirmationem: Δεόμεθα τοίνυν τῆς σῆς ἡμερότητος, γράμματα τῆς σῆς εὐσεβείας ἐπικυρωθῆναι τῆς συνόδῳ τὴν ψῆφον, ἵνα ὥσπερ τοῖς σῆς κλήσεως γράμμασιν τὴν ἐκκλησίαν τετίμηκας, οὕτω καὶ τῶν δοξάντων ἐπισφραγίσης τὸ τέλος: *Quapropter clementiam tuam obnixe rogamus, ut literis pietatis tuæ, Synodi decreta confirmes, & quemadmodum literis invitationis Eccleſiam honore es proſecutus; ita & ſigilla confirmes & finem imponas.* Socrate *l. 1. c.* Sy-

nodi Nicenæ decreta autoritate ſua confirmaſſe Imperatorem teſtatur. Et *Epheſina I.* Synodus, a *Theodoſio Minore & Valentiniano III.* Imperatoribus actorum confirmationem rogavit his verbis: *καταφεύγομεν ἅπαντες ἐπὶ τὸ κράτ@. τῆς ὑμετέρας εὐσεβείας, δεόμενοι τὰ μὲν κατὰ Νεϛορίϖ πεπραγμένα, καὶ τῶν τὰ Νεϛορίϖ φρονούντω. ἔχειν τὴν ἰσχὺν, τὰ δὲ περὶ τῶν ἐκ]ικύ]ων μένειν ἄπρακτα καὶ ἀργά Conf.* H. *Grot. libr. cit. cap VIII. n. 14 p. m. 188. ſeqq.* Hinc etiam eſt, quod Imperatorum legati & ſenatores ſuffragia abſentibus dominis ferentes, addidiſſe legantur: *Φάίνεται ἡμῖν δίκαιον, εἰ ἀρεστὴ τῶ θειοτάτῳ καὶ εὐσεβεςάτῳ ἡμῶν δεσπότη oobis juſtum videtur, modo ita placuerit divinissimo & ſanctissimo Domino noſtro.* v. *Evagrii Hiſt. l. 2. c. 4. & Nicephor. l. 15. c. 4. & ſeqq.*

§. 14.

Principum & ſummarum Poteſtatum eſt, poſtquam *locum* & *tempus* conventus indixerunt, deſignare Epiſcopos, Presbyteros aut alios etiam laicos, quos concilio intereſſe velint. vid. *Hopfneri Diſput. cit. c. 2 th. ſ. 18. 19. 20. ſeqq.* Si autem hoc negligatur a ſummis Poteſtatibus Eccleſiæ particulares de conſenſu partium, Synodum aliquam citra injuriam in principem & ejus imperium convocare poſſunt. Utrumque hiſtoria Eccleſiaſtica & acta conciliorum probant, vid *B. Hulſemanni Diſſ. loc. cit. num 6.*

§. 15.

§. 15.

Magna impudentia eſt, quod Epiſcopus Rom. ſibi jus convocandi concilia præſidendi & definiendi controverſias ſoli arrogat. Hiſtoria conciliorum, quæ allegatur, nihil aliud docet, quam in Synodis extra diœceſin Patriarchatus Romani coactis requiſitum fuiſſe Epiſcopi Romani ſuffragium, nusquam vero ipſi hoc jus, vel Eccleſiæ, vel Imperatorum ac principum Chriſtianorum conſenſu tributum legas. vid. *Hulſemanni Diſput. XIX. contra Hagerum Quæſt. X.*

§. 10.

Finis & uſus conciliorum proximus eſt *partim* veræ doctrinæ aſſertio & hæreſium damnatio; *partim* diſciplinæ externæ in Eccleſia vel inſtitutio vel correctio. Uterque finis ad ſalutem Eccleſiæ & ultimato ad DEI gloriam tendit, *Zonaras ad Canon. 40. Concil. Laodiceni*, videtur utrumque haut obſcure innuere, nam canon habet: Epiſcopos, qvi vocantur ad Synodum, non oportere negligere; ἀλλ' ἀπιέναι καὶ διδάσκειν ἢ διδάσκεσθαι εἰς καθόρθωσιν τῆς ἐκκλησίας καὶ τῶν λοιπῶν: ad *hunc can.* laudatus *Zonaras* commentatur ſequentia: *Synodos*, ait, *ab eas controverſias, quæ vel de dogmatum veritate, vel de mulctarum æquitate emergerent, aut ob alias canonicas quæſtiones excutiendas haberi, decretum eſt.* Et hinc Syno-

dus Nicena II. *can. 6.* ea, quæ ad doctrinam fidei pertinent, vocat εὐαγγελικὰ πράγματα, quæ ad disciplinam Ecclesiæ κανονικὰ. Atque hac de causa legatos, in conciliis tum *Symbola* tum *Canones* factos esse. Quorum illa fidem, hi mores aut ritus complectuntur. Confer *B. Hopfneri Disput. de Concil. c. IV. quæst. 26. & 36. in fascic. disputat. est. VIII. & Theodori Balsamonis Antiocheni Patriarchæ commentar. in canon. concil. & Photii Nomocanon.* nec non *Codicem Canon. Ecclesiasticor. Dionysii Exigui*, cura *Christoph Justelli Parisiis* ann. 1643. editum. it. *Codic. Canonum Ecclesiæ universæ a Justiniano Imperatore confirmatum*, quem ex recensione *Justelli* non ita pridem Helmstadii denuo typis exscribi curavit *D. Meierus*.

§. 17.

Autoritas conciliorum quorumcunque non est Prætoria, aut par scripturæ S. sed tamen declaratio & indicium ejus, quod Deus in Scriptura Sacra credere aut agere præcepit. Nam omnia Concilia, nisi eis simul viri θεόπνευστοι intersint, errare posse, & conditio hominum vulgaris & historia comprobant. Nec *Bellarminus* ulli Christiano prudenti persvadebit, comprobationem Pontificis veritatis autoritatem conciliare v. *B. Hopfner. Disp. cit. thes. 38. 39. seqq. it. D. Hulsemanni Breviar. l. c. num. 21. 23. & supplement. thes. 1. seqq.*

§. 18.

§. 18.

De *Neceſſitate* Synodorum judicant Theologi, quod illæ non ſint a Deo expreſſo in Scriptura S. mandato inſtitutæ, aut ut medium medium neceſſarium tollendi controverſias commendatæ; ſed faciant ad melius confundendos hæreticos & opprimendas hereſes. Nam autoritas multorum in concilio congregatorum publica, plus cenſetur valere ad tollenda ſchiſmata & hæreſis, quam ſi quis privatim hæreſin confutare aggrediatur. v. *B. Hopfner, diſp. cit. theſ. 37.* Quapropter Proceres Germaniæ *in Dieta Norinbergenſi n. 5. 22.* & poſtea non ſemel, ævo ſuperiori a *Cæſare* petiverunt, ut *liberum & Chriſtianum concilium* in Germania indiceretur, quo controverſiæ religionis tandem componerentur & Eccleſiæ vulnera ſanarentur. Confer *Hordlederum de Cauſ. B. G. lib. 1. c. 13.*

§. 19.

Plura qui de *Conciliis* legere cupit, præter Autores a nobis jam allegatos, evolvat *B. Lutheri Tom. VII. opp. de Concil. edit. Altenburg. f. 235. ad 296. it. tom. VII. Jen. Germ. f. 221. ad 234. B. Gerhardi Confeſſ. Catholic. l. 1. part. 2. c. 10. de Concil. it. Selnecceri, & Bulingeri tract. de concil.* & alios paſſim obvios, quibus addi meretur recentiſſimum utiliſſimumque opus *Conciliorum illuſtratorum*, quod *Joh. Ludovic. Ruclius* incepit. *D. Johann. Ludovicus Hartmanus* autem abſolvit.

Cap.

CAP. II.

DE

CONCIL. ET SYNOD. OECUMENICIS.

§. 1.

CUm supra cum Theologis, Synodos in *Oecumenicas*, seu *universales* & *partiales* seu *nationales*, aut *prouinciales* divisserimus; nunc visum est, paucis illas servato hoc ordine recensere.

§ 2.

A Theologis qnatuor tantum in Ecclesia numerantur, quæ κατ' ἐξοχὴν *Oecumenicæ* dici queant Synodi; *Nicena I. Constantinopolitana I. Ephesina I. & Chalcedonensis.* Quorum decreta Imperator *Justinianus*, ὡς τὰς θείας γραφὰς καὶ ὡς νόμους *tanquam divinas scripturas & leges* in imperioRomano observare jussit, v. *Novel.* 131.

§. 3.

Enim vero, si illæ Synodi *Oecumenicæ* sunt dicendæ, quæ edicto Augustorum (hoc est Imperatorum, qvi Domini τῆς οἰκουμένης vulgo audiunt,) celebrantur; oportet, plures numerentur quam *quatuor illæ* jam allegatæ. Nam ut mox audiemus, Imperatores præter istas, adhuc alias indixerunt, quæ licet celebritate sint minores, ab ipsis tamen

tamen convocatæ sunt. Si autem *Oecumenica* dici velis concilia, *a personis*, ἐκ τῆς οἰκουμένης convocatis dubium manet; an tale concilium unquam fuerit, in quo nullius particularis Ecclesiæ consensus desiderari potuerit; ut adeo inepta sit conciliorum œcumenicorum descriptio, quam *Binius in not. in concil. Nic. I. Tom. 1. f. 291.* adfert. Nos quatuor illa καὶ ἐξοχὴν propter autoritatem, dici *œcumenica* posse, nulli dubitamus.

§. 4.

Quod dum asseritur, simul patet, haut quaquam omnia *decem* illa Papæorum nota concilia, ad Synodos universales referri debere: nempe *quinque* Lateranensia, *duo* Lugdunensia, *unum* Viennense, *unum* Florentinum, & *ultimum* omnibus fraudibus plenum *Tridentinum*. Nam neque legitime coacta sunt, neque omnes Episcopi, quorum intererat iisdem interesse, convocati fuerant; nec causæ disceptatæ Ecclesiasticæ, sed civiles, nec modus conveniens conciliis Christianis fuit. Quapropter etiam autoritas illorum penes orthodoxos nulla est.

§. 5.

Primum alias in Ecclesia Christiana *Concilium* memoratur Actor. XV. quod Theologi supra laudati, pro norma omnium conciliorum agnoscunt: Licet *Baronius ad ann. Christ. XXXIII. num. 17.* malit, primum concilium *Matth. XVI, 13. Marc.*

VIII.

VIII, 17. Luc. IX, 18. a Christo & Apostolis fuisse habitum; si tamen materiam concilii ex definitione ejusdem judicare debemus, apparet nugas esse quæ *Baronius* fingit, Quas etiam merito censores doctissimi, *Casaubonus Exercit. XV. ad Annal. B. num IX. & Richard. Montacutius Origin. Eccles. tom. prior. part. post. f. 159. seqq.* confutarunt. Nobis autem hic quæstio est de prima Synodo Oecumenica.

§. 6.

Illa autem est omnium confessione *Nicena*, coacta studio & cura Imperatoris *Constantini* cognomento *Magni*: qui cum primus palam & libere religionem Christianam amplexus esset, ultro conflandæ Synodi curam suscepit; cum aliæ Episcoporum studio & precibus impetratæ legantur. Convenerunt tunc præstantissimi pietate doctrina viri, ut plerique tradiderunt, trecenti & octodecim Niceæ in Bithynia; ut Arii hæresin, quam supra descripsimus, publica autoritate confutarent. *Tempus* non indicatur idem ab omnibus. Duravit hic congressus non paucioribus annis tribus. Græci conferunt hanc Syndum in *anno Christi, CCCXXXIII.* Sic enim illi ἡ ἐν Νικαίᾳ κατὰ ἀρείᾳ ἐγένετο ἐνιαυτῷς, τῷ μετὰ τὴν τῦ χρισῦ ἀνάληψιν. Et hunc annum faciunt D CCCXXXVI. a regno Alexandri Macedonis. Ab hac Synodo *Symbolum Nicenum* nomen habet, v. quæ supra diximus part. 1. c. IX. Finito hoc concilio Arianorum complices Imperatori non defe-

runt

berunt negotium facessere. v. *Euseb. in vit. Const. III. c. 22. 23.* Acta hujus concilii commentario illustravit *Gelasius Cyzicenus*, quem *Rob. Balforerus Scotus*, cum notis *Lutetiis* ann. M. C. IC. edidit. Confer etiam *tom. 1. Concil. cum not. Binii & part. 2. tom. 1. fol. 514.*

§. 7.

Secunda Synodus Oecumenica numeratur & recensetur, imperium administrante *Theodosio Priore* seu *Magno* Constantinopoli habita: in qua hæresis *Macedonii* negantis S. Spiritns æqualem cum Patre & Filio divinitatem damnata est. Qui *Macedonium* sequebantur πνευματομάχοι dicti anathematibus percussi sunt. Hæc *Synodus* secuta est priorem *Nicenam*, annis LVI. ut *Psellus* tradidit. Ita incidet in ann. Chr. CCCLXXXIX. indicatorum COSS. a *Socrate* tempus Eucharidæ & Evagrii tot annos non comprehendit: ut venire alicui in mentem possit in *Pselli* numeris positam esse notam ϛ. pro Γ. id quod alibi quoque accidisse doctissimus *Camerarius* deprehendit. Illud observatione dignum videtur, præter decretum de S. Spiritu, *canones* hujus Synodi ab Ecclesia Romana rejici. vid. *Binii Annot. ad hanc Synodum.*

§. 8.

Tertia Oecumenica Synodus est *Ephesina*, quæ juxta *Psellum* annis XL. post Constantinopolitanam celebrata fuit. Sed alii ann. XLIV. faciunt. *Socrates* indicat Coss. tum fuisse Bassam & Antiochum.

chum. Quod tempus in ann. Chr. CCCCXXXIII. incidit. Hanc coëgit *Theodosius* Arcadii filius, qui *Minor* alias dicitur; cum *Nestorius* Patriarcha Constantinopoli hæresin excitaret, negando, *Mariam Virginem posse* θεοτόκον dici: χριστοτόκον igitur censebat dicendam. Hinc crimen subiit Nestorius dogmatis, Christum esse ψιλὸν ἄνθρωπον. Quod ipse tamen diluere conatus fuit. Scripsit de hujus doctrina *Theophylactus* plane hæc: ὁ Νεστόριος ἔλεγε τὸν χριστὸν μετὰ τὴν ἀνάστασιν θεοποιηθῆναι, & alibi docuisse hunc ait, ὅτι οὐκ ἐσαρκώθη ὁ θεὸς, ἐν τῇ μήτρᾳ τῆς παρθένου ἀλλ' ἄνθρωπος ψιλὸς, γενηθεὶς ὕστερον ἴσχε παρεπόμενον αὐτῷ τὸν θεόν. Quibus hoc dicitur, & *Christum Deum esse tum demum factum cum resurrexisset a morte. & non assumpsisse Filium DEI carnem in utero virginis*, sed *natum hominem tantum postea habuisse accedentem sibi Deum*. Nempe non poterat ille mysterium admirandæ ἑνώσεως divinæ & humanæ naturæ in una hypostasi apprehendere cœca ratione. Quare in hanc hæresin lapsus etiam communicationem ἰδιωμάτων utriusque naturæ in Christo negavit: scilicet περιχώρησιν τὴν εἰς ἀλλήλα τῶν Φύσεων ἀπορρήτῳ τρόπῳ: & ἀντίδοσιν τὴν κατὰ τὴν ἀπόρρητον ἕνωσιν ut *Damascenus* loquitur. Atque hinc collegerunt *Patres*, Nestorium, δύο πρόσωπα, δι' αὐτῷ τὰ δύο ἀριθμῷ δολερῶς ὑπαινίττεσθαι. i. e. *per illa duo*, (naturas sc. non hypostatice unitas) *duas personas dolose & ecclesiæ*

re innuere. vid. *Theodori Presbyteri Raithi Praparat & Meditat. de incarnat. Christi Act. Concil. Nic. Gelasii Cyziceni addit. p. 233.* Accedente pervicacia ipse damnatus & in exilium actus est. Cæterum convenisse in hac Synodo perhibetur, *Patres* CC. cum autem *Cyrilli* Alexandriæ Episcopi actiones, nimis festinatæ & quasi præcipitatæ viderentur; non expectati Episcopi, inter quos & *Theodoretus* memoratur, nonnihil adversando turbarunt. Confirmata tamen fuerunt omnia Ephesi gesta mox Constantinopoli, mansitque Synodi rata ac firma autoritas. *Johannes Antiochenus*, reciprocis anathematismis in *Cyrillum & Memnonem*, concilio itidem Ephesi habito egit: in quo legati orthodoxi ita verberibus excepti, ut etiam in discrimen vitæ adducti fuerint. Ideo etiam λῃστικὸν istud dictum est. vid. *tom. 1. Concil. part. 2. ubi fol. 223. seqq.* acta fuse satis enarrantur.

§. 9.

Quarta numero *Synodus Oecumenica* est *Chalcedonensis*, seu *Chalchedonensis a Marciano* Augusto coacta *Chalcedone*: ubi doctrina *Eutychis* examinata fuit, cum convenissent in æde S. Ephemiæ *Patres* quemadmodum quidam perhibent DCCCXXX. *Eutyches* autem, qui Dioscoro favens, metu anathematismorum Cyrilli, duas in Christo naturas post unionem non secundum Scripturas distinctas, sed confusas docuit; ὁμολογῶ

inquiebat, ἐκ δύο Φύσεων γεγενῆθαι τὸν κύριον πρὸτὴς ἑνώσεως, μετὰ δὲ τὴν ἕνωσιν, μίαν Φύσιν ὁμολογῶ. Idem *Eutyches* negabat, corpus Chriſti noſtris corporibus fuiſſe par aut ſimile. i. e. ὁμοούσιον. Incidit in annum Chriſti CCCCLVIII. & paulo antecedens Romæ cladem capta a Genſerico Vandalorum rege. Itaque *Camerarius* ponit hanc Synodum poſt tertiam annis XXV. cum *Pſellus* exponat XXX. vid. *tom. II. Concil. part. I. cum not. Binii*, ubi fol. 6. Epiſcopus Romanus *Leo* in Epiſt. ad *Flavianum* Archiepiſ. Conſtantinopol. fatetur curam religionis a Cæſare χρὶ ἰκωτώτῳ ſibi fuiſſe commiſſam.

§ 10.

Quinta Synodus (ut a quibusdam orthodoxis numeratur) *Oecumenica*, eſt *Conſtantinopoli* habita, quæ nominatur inde *Conſtantinopolitana II.* In hac diſputatum fuit de *Chriſti corpore*; fuiſſetne hoc Φθαρτὸν, i. e. quod *læsi interireque poſſet*; an omnis afflictionis & corruptionis expers i.e. ἄΦθαρτον? Quæ ſententia cum a quibusdam aſſereretur, habuiſſe fertur approbatorem una cum Conjuge ſua, ipſum *Auguſtum*. Hæc *IVta* eſt ſecuta annis CCII. incidens in annum Chriſti DCLX. Convenere tunc *Patres* CLXV & damnata eſt doctrina *Aphthartocitarum*, & comprobata autoritas Chalcedonenſis concilii de quo adhuc aliqui ambigue loquerentur. Rejectæ etiam Eccleſiaque exterminatæ ſunt *Originis & Didymi* abſurdæ allegoriæ; in-

image
not
available

theletis adstipulati sunt, usque ad unionem cum sede Romana, quæ sub Clemente IIX. facta est. De alio concilio huic opposito sub Philippico habita, vid. *Binii not. adhoc concil.*

§. 12.

Septimo Synodus (minus recte dicta (*œcum.* a loco *Nicæna II.* appellatur. Nam *Irene* cum Filio *Constantino* Imperium tenente, Nicææ convenere *Patres* CCCL. disputatum est in illa de *processione Spiritus S.* & cultu seu *veneratione imaginum, quæ decreta fuit.* Incidit in ann. Christi DCCXC. quæ sancit alias etiam quasdam μερικὰς συνόδους confirmans canones expositos Ancyræ *Neocæsariæ*, *Gangris*, *Antiochiæ in Syria*, *Laodiceæ* in Phrygia, *Sardicæ*, *Carthagini*: item κανόνα ἐκτεθέντα κατὰ τὴν ἐπὶ κυπριανοῦ ἐπισκόπου ἀφρῶν. *Psellus* refert hanc ultimam inter Oecumenicas. *Carolus M.* Imperator occidentis opposita Francofurtana Synodo eandem rejecit. *vid. Capitular. Caroli M. apud Goldastum tom. 1. de M. S. R. J.* Exquo quo liquet cur illa Synodus in Ecclesia pro œcumenica haberi haut possit.

§. 13.

Post *Septimam* hanc Synodum aliqui *octavam* ponunt & *Constantinopolitanam IV.* appellant, quæ tempore *Basilii* Imperatoris an. Ch. DCCCCLXX. autore *Adriano II.* Pontifice Romano habita fuit, in qua *Photius Patriarcha* damnatus, & restitutus Jgnatius fuit. Verum cum hæc Synodus non autori

formate Cæsaris, licet de hæresi aliqua, seu ob affectationem dominationis Pontificis Romani instituta fuerit, perperam a *Theodoro Belsamone*, universalis seu *Oecumænica* appellatur. Ipsi Græci illam quoque rejecerunt, *Pseudo-Synodum Photianam* appellantes.

§. 14.

J. Camerarius inter *œcumenicas* Synodos ultimo loco ponit *Constantiensem*, quæ ann. Christi M. CCCCXIV. Constantiæ in Germania ab Imperatore *Sigismundo*, Caroli IV. filio coacta legitur; ut doctrina Wicleffi, *Johannis Hussi & Hieronymi Pragensis*, qui doctrinae & monarchiæ Papali contradixerant, examinaretur. Verum quam inique actum sit cum laudatis viris, quam impia etiam dogmata ibidem stabilita fuerint, Acta testantur publica, quæ Norimbergæ excusa fuerunt.

§. 15.

Nos cum recepta Theologorum doctrina, *IV. Synodos Oecumenicas* omnium confessione tales agnoscimus; reliquas modo recensitas non ita celebres, aut paris autoritatis in Ecclesia esse scientes. Quia partim controversiæ in iis discussæ non par momentum cum illis prioribus habent, partim non ita multi docti & orthodoxi viri in iis convenerunt; licet ab Imperatoribus convocatæ fuerint. Cætera vero Pontificiorum sex concilia, hautquaquam pro *Oecumenicis* a-

gnoſci poſſunt, certe κατὰ τοὺς μυγατεῖς, ὅτ ἐν λόγῳ ὅτ' ἐν ἀριθμῷ.

§. 16.

De *Tridentino Conciliabulo* cujus doctrinam hodie Pontificii ſequuntur, & defendunt ſupra *Part 1. c. 4. §. 7.* quædam annotavi, illud autem non eſſe Oecumenicum aut generale concilium a Proteſtantibus ſæpius probatum eſt. Heic addere viſum eſt, quod ab ipſis Pontificiis multa in re improbata ſint. vid. *P. Suavius Hiſt. lib. 8.* *In Gallia* voces paſſim audiebantur, libertatem publicam per Tridentium Concilium opprimi querentium, v. *Thuan. lib. 105.* imo libros precum eccleſiaſticarum autoritate concilii recognitos ibidem introduci vetitum fuit anno 1602. Confer ad annum cit. *Hiſtor. Thuani. Gramondus lib. 1 p. m.* 72. ſcribit, diſciplinam fuiſſe inter Cardinalem *Peronium & Mironem* ac *Savaronum*; *expediatne in Gallia promulgari concilium Tridentinum?* ipſe dicit nihil vetare admitti concilium in hanc legem: *Sine præjudicio Jurium Coronæ regiæ libertatum Eccleſiæ Gallicanæ, privilegiorum, aut exemptionum, ſi quæ capitulis aut monaſteriis Gallorum uſu conceſſa &c.* Ubi notabilis eſt querela *Cl. Eſpencæi*, *factum eſt* inquientis, *poſterioribus ſeculis, ut quod merito in concilio Baſileenſi Ludovicus Arelatenſis querebatur, in conciliis id demum fiat, quod Nationi placeat Italicæ, ut quæ ſola Epiſcoporum, qui & ipſi ſoli vocem illic deciſivam habent numero na-*

tio

ſtis ejus Concilii Æbeas Sylvius nondum Pius. NB. Hæc eſt illa HELENA, que nuper TRIDENTI obtinuit, Comm. in Ep. ad Tit. Oper fol. 473. Et ſane (ut jam nihil de *Titularibus iſtis Epiſcoporum Larvis* dicam vid. *Dudithii Epiſt. ad Maximil. II.* de Calice Laicis & conjugio Sacerdotibus concedendo) Tridentino Concilio intererant Prælati *Hiſpani* tum *31. Galli 26. Germani 2. Luſitani 3. Poloni 2. Ungari 2. Anglus 1. Flandri 2. Croatus 1. Moravus 1. Illyrici 3.* qui univerſim faciunt 83. *Italorum* vero erant 187. Quanta igitur ſit concilii hujus autoritas, quivis non obeſæ naris judicare poterit. *Innocentius Gentilettus*, JCtus Delphionenſis in *Exam Concil. Trident. l. V.* adducit varias proteſtationes contra illud prolatas. Angliæ quoque Rex ſcripto concilium rejecit, quod a Pontifice ſit convocatum, cujus ille rei poteſtatem non habeat; de Cæſaris atque Regum autoritate convocari ſolita eſſe concilia. vid. *Hortlederi Tom. 1. lib. 1. c. 28. 29. 30.* nec non *Goldaſti Politica Imperial. f. 1200. & 1266.* ubi adducuntur Proteſtantium Statuum in Germania *Rationes*, ut illud ceu iniquum rejecerunt. Dogmatum falſitatem magnus *Chemnitius*, in Examine ſupra laudato detexit. Quem ſecutus eſt ex Reformatis *Johannis Heinric. Heideggerus*, qui *Anatomen Hiſtorico-Theologicam Tiguri* non ita pridem edidit. vide etiam, *Caroli Molinæi conſilium ſuper facto Concilii Tri-*

dentini, quod *D. Scherzerus* Tom. I. Biblioth. Pontificiæ suæ inseruit.

CAP. III.

DE SYNODIS PARTICULARIBUS ET COLLOQVIIS RELIGIONIS CAUSA HABITIS.

§. I.

ORdo nos ducit ad *Synodos particulares* quæ & *Nationales* dicuntur, ac quovis principe aut imperantibus in sua civitate indici possunt: vel, si ab Episcopis aut Metropolitanis leguntur convocata Concilia, id consensu & autoritate summi Magistratus factum esse censendum est. Talia autem permulta in *Conciliorum tomis* reperiuntur, quæ heic recensere nimis prolixum foret; ut sunt *Romana*, *Antiochenſia*, *Gallicana*, *Toletana*, *Braccarenſia*, *Africana*, seu *Carthaginenſia*; item a Rege Francorum indicta *Aurelianenſe*, *Avernenſe*, *Pariſienſe*, & similia. v. *Concil. tom. II. part. 1. tom. III. part. 1. sect. poſter. tom. III. part. 2. tom. IV. part. prior. & poſter. cum not. Severini Binii. Summam Conciliorum omnium* more Pontificiis usitato, exhibet *Franc. Longus a Cariolano*: vel qui brevior est, *Bartholom. Caranza*, cujus *Summam concil. Franc. Sylvius* additionibus auxit. In compendio præcipua etiam recitat *Dav. Chyræus*

in

n *Catalog. Conciliorum*, Onomaſtico ipſius Theo-
ogico *ſubjuncto*.

§. 2.

Nos potius recenſebimus *Synodos & Colloquia*,
juæ tempore Reformationis, *partim* Auguſtanæ
Confeſſioni addicti, *partim* Pontificii, *partim* Cal-
iniani religionis cauſa habuerunt. Quorum ali-
ua fuere *ſolennia*, alia minus *ſolennia*; in illis plu-
es publica autoritate convocati ſunt *colloquentes*:
n his pauciores convenerunt.

§. 3.

Primum Auguſti Vindelicorum ann. 1518.
. 23. Octobr. habitum eſt inter *Lutherum* &
ardinalem Cajetanum. Nam Maximilianus I.
nperator Lutherum, inſtinctu Papæ Leonis X.
d comitia, quæ tum temporis celebrabantur,
ocaverat. Hic bonitate cauſæ ſuæ fiſus eo venit,
impetrata publica fide cautione a Cæſare indul-
e, Cajetanum acceſſit. Qui ipſum humaniter
cipiens duo propoſuit juſſu Pontificis, *primum*
t ad ſanitatem rediret, & quos divulgaſſet erro-
s, revocaret; *alterum*, ut ab ejusmodi ſcri-
is, quæ tranquillitatem Eccleſiæ perturbarent,
poſterum abſtineret. Lutherus, cum ſe nullius
roris conſcium eſſe reſpondiſſet, petit demon-
rari errores objectos. Ibi Cajetanus indulgen-
rum vim & Pontificiis R. dignitatem prædicare
epit. Lutherus S. Scripturæ autoritatem urget,
mque Papæ autoritati præfert. Contra hanc

Cajetanus, ubi nihil reponere poteſt, minis Lutherum terrere inſtituit. At Lutherus ad Pontificem melius doctum, & tandem ad publicum concilium provocavit.

§. 4.

Anno ſequenti, menſe Julio, Lipſiæ diſputatio inter *Andr. Carolſtadium* (nondum furore correptum, & *Joh. Eccium*, Ingolſtadienſem Theologum Pontificium habita eſt. Carolſtadium comitatus eſt *Lutherus*, qui ſalvo conductu a Georgio Principi impetrato, cum Eccio *de Pontificis R. Monarchia, de purgatorio, indulgentiis, pœnitentia atque Sacerdotum poteſtate* diſputavit. Finita eſt illa concertatio d. 14. Jul. & ab ipſo Luthero deſcripta proſtat. Conferlectu digniſſimam *Diſſertationem de Lutheri Excommuniatione & Proſcriptione D. J. Strauchi, quæ inter Exoticas numero VI. eſt. & D. Pfeifferi Lipſiam.*

§. 5.

Poſtquam ann. 1520. d. 15. Junii *Leo X.* Papa ſolenni bulla edita, *Lutherum* ob conſtantiam in fide Evangelica excommunicaſſet; ipſe prius ad Carolum V. Imperatorem literis datis, anno ſequenti ad comitia Wormatienſia a Cæſare vocatus d. 16. Aprilis, diſſvadentibus licet amicis comparuit, & coram ipſo & Imperii Proceribus, de doctrina fidei magna animi conſtantia reſpondit. Verum Cæſar, ut Pontificiis gratificaretur, d. 8. Maji Lutherum proſcribit, quem Elect. Sax. Fride-

ri-

dericus in arcem *Wartburg* clam, (octo tantum hominibus eius rei conſciis) deduci juſſit. Ubi cum per decem menſes delituiſſet. ann. 1552. d. 6. Martii Wittebergam rediit, Carolſtadio perſuaſurus, ne ſtatuas & imagines templi ejiceret & furore deſineret. *De proſcriptione Lutheri v. Strauchii laudatam diſſertat. n. 19. p. m. 168. ſeqq.*

§. 6.

Lutherus, qui poſtea ann. 1523. ritus Miſſæ ſuperſtitioſos reformaverat, & ann. 1524. Eraſmo ad *librum de viribus liberi arbitrii* reſponderat nec non *Carolſtadium* primum, verba inſtitutionis S. cœna cum *Zwinglio & Oecolampadio* perverten-em confutaſſet, Jenæ d. 22. Auguſti cum Carolſtadio collocutus de Euchariſtia publice explican-la paciſcitur.

§. 7.

Eodem anno *Tigurinum*, inter Zwinglium & abrum Pontificium, & Groningæ inter Dominianos atque Sacerdotes Eccleſiæ D. Martini, col-oquium de Religionis Pontificiæ erroribus habi-im eſt.

§. 8.

Anno 1526. duodecim Helveticorum pagi ollocutium ſuper controverſis religionis capitis, *Badenæ* inſtituebant. Venerant eo præcipni ontificiorum Theologi, *Faber*, *Eccius*, *Murnerus*; Helvetiis *Oecolampadius* aderat, qui & contra æſentiam realem corporis & ſangvinis Chriſti & con-

& contra *Transſubſtantiationem, invocationem Sanctorum, purgatorium & imagines* diſputabat. Decretum ibi factum eſt, ut in ea, quam hucusque ſervaſſent, religione, omnes permanerent, & concilii ſequerentur autoritatem, neque novum dogma ullum ſuos intra fines admitterent. Eodem anno Hornburgi inter *Frauc. Lambertum & Cratonem*, atque ex Pontificiis *Nicol. Herbornenſem* de Religione actum eſt.

§. 9.

Anno 27. Upſaliæ in Svecia inter *Olaum M. & Gallum* de Religione Pontificia abroganda diſputatum eſt. Olaus illam acriter defendit: Rex autem Guſtavus poſt concilium Oerebröenſe concionatores Evangelii a ſe auditos, ſingulis cathedralibus Eccleſiis & earum Epiſcopis commendavit. v. *Loccenii Hiſt. Suecic. lib. V. p. m. 246. ſeqq.*

§. 10.

Anno 29. *Philippus* Landgrafius Haſſiæ *Marburgi* convocavit Theologos, ut de *S. cœna* concordiam inirent. Ex una parte aderant *Lutherus*, *Melanchthon*, *Juſtus Jonas*, *Johannes Brentius*, *Andr. Oſiander & Agricola*: ex altera parte *Oecolampadius*, *Zwinglius*, *Bucerus & Hedio*. Sed utraque parte in ſententia ſua perſiſtente, Concordiæ ſpes fuit fruſtra. v. *Sleidan. & Sculteti, Annal. Evang.*

§. 11.

De Colloquio in Comitiis Auguſtanis ann. 30.

in

instituto, ubi *Confessio* Protestantium exhibita, supra actum est. Anno sequendi *Ulmæ* inter *Oecolampadium & Georg. Oswaldum*, denuo *de S. cœnæ* & Zwinglianis controversiis actum est. Anno 36. Wittebergæ inter *Lutherum & Bucerum* concordia in articulo de S. cœna denuo tentata est. Venerant eo *Wolfgangus Capito*, *Martinus Bucerus*, *Wolfgangus Musculus* & alii Theologi, cupientes cum Luthero & cæteris Theologis in re sacramentaria concordiam inire. Quæ tamen cum ex parte Helveticorum male ficta fuerint, paulo post rescissa est, vide, quæ supra *Part. 1.* annotavimus.

§. 12.

Anno 37. cum dies concilii instaret, Protestantes, mense Februario *Smalcaldiæ* convenerunt adductis secum Theologis quos supra descripsimus. Tum *Articuli* a Luthero fuerunt conscripti, qui in concilio essent exhibendi. Hos a loco *Smalcaldicos* appellant. Anno 31. *Wormatiæ* inter Pontificios, & Protestantes colloquium institutum est: In quo collocutores *Philippus Melanchthon* & *Joh. Eccius*, de peccato originis per dies tres disputarunt. Quod ipse Cæsar abrupit & Ratisbonam transtulit: Ubi etiam *Julius Pflug*, *Gropperus* & *Bucerus* comparuerunt. Cæsar librum obtulit, qui conciliationem dogmatum controversorum & quidem præcipuorum continebat. Verum falsitas & veritas combinari non potuerunt: igitur

tur res illa ad concilium futurum denuo rejecta est.

§. 13.

Anno 46. d. 7. Jan. *Conciliabulum Tridentinum* inchoatum fuit, quod semel atque iterum abruptum, annos duravit octodecim, t supra dictum. Eodem hoc anno Mens. Jan & Febr. *Ratisbonae* de *Justificatione* colloquebantur *Malvenda Hispanus*, Pontificius, & *Bucerus*, nec non *Orthodoxi*, *Brentius*, *Schnepfius*, *Vitus Theodorus & Johann. Pistorius* tum adhuc Lutheranus. Anno 48. *Formula* INTERIM, lucem aspexit quae postea multas turbas excitavit. v. *Dissert. nostram de interim Augustano.*

§. 14.

Anno 47, Wormatiae, *Melanchthon*, *Erhard. Schnepfius*, *Brentius*, *Jacob Rungius*; & ex parte Pontificiorum, *Staphylus*, *Michael Sidonius Episcopus Martisburgensis*, *Delphius Suffraganeus Argentin. de norma Judicii* in controversis Religionis collocuti sunt. Sed Pontificiis abrumpentibus colloquium res successu caruit. Inter Protestantes interim, dissensio de *rebus adiaphoris* disputationes peperit varias.

§. 15.

Anno 60. *Colloquium Heidelbergae* habitum est inter *D. Maximil. Morlinum*, *M. Stossellium* (tunc adhuc Lutheranum; & ex altera parte *Clevicium*, qui cum sociis Calvinianismum in Palatinatum introducere laboravit; Sicut anno 57. *Joh. Lascus*, nobilis Polonus, illum in regnum Polo-

niae

niæ intulerat, & *P. Martyr* ann. 49. in Angliam transplantaverat. Eodem ann. 60. Vinariæ disputatio de *peccato originali* inter *Mathiam Flacium* & *Victorinum Strigelium* habita est.

§. 16.

Anno 61. d. 20. Jan. Numburgi Principes Protestantes convenerunt, ut exemplar authenticum Aug. Confessionis, ab eo quod Melanchton anno 1540. mutaverat, recognoscerent, eique denuo subscriberent. Præterea de Concilio Tridentino egerunt decernentes, legatos esse mittendos, qui querelas in Pontificem R. & exceptiones judicis suspecti locique non tuti proponerent ac demonstrarent, se legitimi concilii autoritatem non defugere, nec per se, sed hostium ambitionem stare, quo minus concordiæ sanciendæ ratio habeatur, vid. *Thuani libri 28. & Chytræi Chronicon Sax. f. 585.*

§. 17.

Eodem anno in Gallia Rex Carolus IX. Colloquium *Possiaci* instituit, ad quod data fide publica venerunt *Beza*, *P. Martyr*, & *Moloratus*, hi exhibito Regi libello, quatuor petunt: *ut Episcopi non tanquam judices, sed partes sedeant; ut Rex colloquio cum suis Senatoribus præsit: ut ex sola DEI verbo controversiæ decidantur: ut denique acta decretaque per Notarios in Scriptis annotentur* 9. Septembr. fit rege præsente, actionis initium: tum *Beza* explicat, in quibus cum Pontificiis

ciis conveniant vel dissentiant ipsi; & denique porrecta confessione, cujus capita examinari supplex petebat, finem facit. Cardinalis Lotharingus d. 16. Septembris respondet ad duos potissimum articulos de *Ecclesia & S. Cœna*, utque huic articulo, prout in Aug. Confessione habetur, *Beza* subscribat, petit: ille autem in habito post confessa subscribere renuit; tandem sine concordiæ spe colloquium abruptum est. vid. *Thuan. l. 28*

§. 18.

Eodem anno in Saxonia inferiori Lüneburgi inter Theologos Saxonicos colloquium habitum est. Convenerant Theologi Lubecenses, Magdeburgenses, Brunsvicenses, Lüneburgenses & Wismarienses; disputantes (1. de *corpore doctrinæ*: (2. *damnatione Heterodoxorum*: (3. *de jurisdictione Pontificis*. Nam Calvinismus in Saxonia superiori sensim irrepens Ecclesias & scholas per autoritatem Philippi infecerat. Itaque Theologi sinceri in Saxonia inferiori mature obviam ire malo consultarunt.

§. 19.

Anno 1564. in monasterio *Maulbrunnens*, quod in ditione Würtenbergica est, d. 4. April. inter Calvinianos & Lutheranos colloquium institutum fuerat, præsentibus Friderico Palatino & Christophoro duce Wurtenbergico. Materia illius fuit partim *Majestas hominis Christi*, imi-

mis

mis *ubiquitas*, quam vocant; partim *verba cœnæ S.* an ſimpliciter, ut ſonant, absque figura accipienda ſint. Colloquium toto ſeptiduo duravit, nec aliud eo effectum, quam quod majores excitatæ fuerint lites. Palatinus ſecum adduxerat *Urſinum, Boquinum & Olevianum*, cumque iis *Ebemium* Cancellarium *& Thomam Eraſtum* Medicum, poſtremo *Xylandrum*, qui notarii munere functus eſt. Cum Würtenbergico Duce venere *Brentius, Jac. Andreæ, Balthaſ. Bidenbachius*, ab his notarius delectus *Lucas Oſiander*. Poſt colloquium Palatinus Calviniſmum magis magisque propagare ſtuduit. Confer *Thuan l. 62* Caſſander interim juſſu Ferdinandi I. & Maximiliani II. conſultationem de *Articulis controverſis amice conciliandis* ſcripſit.

§. 10.

Anno 1563. Octobri exeunte, conſenſu Electoris Auguſti & Joh. Wilhelmi Ducum Saxoniæ, *colloquium Altenburgi*, inter Miſnenſes & Thuringicos Theologos habitum eſt. Diſſidebant Theologi de *neceſſitate bonorum operum ad ſalutem, de libero arbitrio & adiaphoris*. Cum autem de primo articulo, ſcripta inter ſe animis exacerbatis ultro citroque commutaſſent, & Thuringici in cortice doctrinæ Miſnico multa improbarent, actio mox poſt quatuor menſes abrupta eſt. Deinde data utrinque edita, & non ſolum inter Theologos publicis invectivis certatum; ſed & animi

Principium, inter ſe odio inflammati ſunt, confer *Thuan. l. 46.*

§. 21.

Anno 1570. poſt colloqv. Altenburg. Theologi e diverſis locis VI. Id. Martii, *Serveſta* conveniunt, aucturi de Concordia, quo controverſiæ aliquo modo componerentur. v. *Thuan. l. 47.*

§. 22.

Anno *1570.* cum D. Jacobus Andreæ per Argentinam iter faceret, ab Eccleſiæ Illius Miniſtris rogatus, cum *Flacio*, qui tum ibi degerat, de *peccato originis* amice contulit, eique errorem, quod non ſit *ſubſtantia*, commonſtravit. Sed Flacius, qua erat pertinacia, ad has monitiones cedere noluit.

§. 23.

Anno *1571.* Fridericus Palatinus audiens Anabaptiſtarum ſectam in vicinia atque ſuis ditionibus late graſſari, ad furorem illius reprimendum, *Colloquium Francofurtalii* ad Idus Aprilis indicit: Diſputatione a. 5. Cal. Junii ad 13. Calend. Julii habita, cum nullis ſcripturæ teſtimoniis a pertinacia ſua & mentis veſania dimoveri poſſent, colloquium ſolvitur. vid. *Thuan. l. 50.*

§. 24.

Eodem anno Auguſtus Elector Saxoniæ ob novam *Catechesin* a cripto-Calvinianis Wittebergæ editam, menſe Octobr. Theologos ſuos,

Doc-

Dresdam vocat, &, ut perspicuam minimeque ambiguam confessionem de S. cœna edant, jubet. Inde Wittenbergici, qui primas habebant partes, scriptum contexunt, sub tit. *Consensus Dresdensis*; quod multas suspectas phrases continebat. Huic Theologus Tubingensis *L. Osiander* aliud scriptum opponit, quo Wittebergensium technas detexit.

§. 25

Anno 1574. Wittebergenses & Lipsienses Theologi Calvinianismo infecti librum ediderunt, cujus titulus, *Exegesis*: in quo Calvinismus continebatur. Quapropter Augustus Elector Majo mense Torgam suæ ditionis Theologos vocat, iisque certos *de Cœna S.* articulus tam affirmativos, quam negativos, quibus subscribant, proponit. Illis autem, qui tum erant Wittebergenses *Cruciger Junior*, *Henricus Mollerus*, *Fridericus Bidebram* & *Christophorus Bezelius* subscribere recusant. Quare paulo post Electoris ditione excedere jussi sunt. *Georgius Gracovius*, Cancellarius, & *Casper Peucerus* Medicus, quod Calvinismo introducendo adjutores fuissent, ad perpetuos carceres damnati. Et ille quidem in carcere mortem subiit: hic post decennium dimissus est.

§. 26.

Anno 1576. cum Flacii errorem duo Ecclesiæ Lindavienſis ministri, *Tobias Ruppius*, & *Schefflerus* defenderent; Senatus dictæ urbis *D. Jacobum Andreæ*

drea ao colloquium in curia inſtitutum vocavit. Cum vero illi pertinaciter in ſententia perſiſterent, Senatus utrumque officio removit.

§. 27.

Eodem anno laudatiſſimum Electorem Saxoniæ Auguſtum menſe Junii *T*orgæ conventum *T*heologorum inſtituiſſe, ad controverſias, quæ inter *T*heologos invaluerant, ſopiendas tollendasque, ſupra ex *Huttero*, *Part. 1.* declaravimus.

§. 28.

Jam dicto anno menſe Februarii, *Maulbrunnæ*, duo *T*heologi Würtenbergici, duo Hennebergenſes, & unus a Marchione Badenſ. miſſus conveniunt. Hi ſcriptum quoddam a *D. L Oſiandro & Balthaſ. Bidenbachio* de controverſiis inter Auguſtanæ Confeſſionis *T*heologos addictos agitatis adornatum expendunt. In quo fundamenta libri Chriſtianæ Concordiæ] qui poſtea in conventu *T*heologorum Bergenſi reviſus & confirmatus eſt,) jacta fuerunt.

§. 29.

Anno 1577. menſ. Mart. *Tangermundi*, Autores libri Concordiæ denuo conveniunt, & de examine Cenſurarum, earumque refutatione deliberant. Quemadmodum & eodem tempore *Langenſalzæ* de libro Concordiæ cum Halliacis *T*heologicis diſputarunt. v. *D. Hutteri Concord. Concordem citat.*

§. 30.

Digitized by Google

§. 30.

Anno *1578.* menſe Auguſto propter *Theologos* Anhaltinos colloquium *Hertzbergæ* habitum eſt; utpote qui libro Concordiæ ſubſcribere recuſabant. Diſputatum eſt (*1. de converſionis cauſis*, (2. *de juſtificatione.* (3. *de definitione Evangelii*, (4. *de Cœna domini*, (5. *de perſona Chriſti.*

§. 31.

Anno *1583.* Heinricus Navarræ Rex, Eccleſiæ diſſidia compoſiturus, *Jacobum Legurium* e præcipua nobilitate eruditi ingenii virum, ad Germaniæ principes miſit, qui pacem Religionis ſvaderet. Quam ita obtineri poſſe cenſebat, ſi Synodus haberetur, quæ omnes controverſias dijudicet; interim utriusque partis *Theologi* ab aculeatis ſcriptis abſtineant. *Auguſtus* El. Saxon conſilium probauit, *Johannes Georgius* Brandenburgicus Septemvir, & Wilhelmus Haſſus ſuper ea re D. Chemnitium conſulentes, vt colloquium cum paucis habeatur, itidem conſentiunt. Aliis idem conſilium placuit; ſed auctis in Gallia turbis, res ſucceſſu caruit. vide *Thuan. l. 79. Chytræi l. 26.*

§. 32.

Anno *1586.* Martio menſe *Mompelgardi* à Friderico duce Würtenbergico colloquium petentibus exulibus, inter *D. Jacobum Andreæ, & Theodorum Bezam.* inſtitutum eſt, in quo diſputabatur (*1. de S. cœna*, (2. *de perſona Chriſti*, (3. *de Bapti-*

ſmo: (4 *de prædeſtinatione.* vid. *Acta colloquii Mempelgardenſis.*

§. 33.

Anno *1589.* menſe Novembr. *Badenæ* præſente Duce Friderico Würtenberg. & Jacobo Marchione Badenſi, *D. Jacobus. Andreæ, & Joh. Piſtorius de vera Eccleſia* collocuti ſunt. Poſt colloquium Piſtorius perſvaſit Marchioni Badenſi, ut deſerta Auguſtana Confeſſione ad Pontificios deficeret.

§. 34.

Cum anno *1591.* in Electoratu Saxon. abrogatio *Exorciſmi* turbas dediſſet; ſequenti anno *D. Samuel Huberus* errrorem *de univerſali hominum Electione* ſpargere cœpit. Contra quem Wittebergæ, Ratisbonæ, Torgæ & Tubingæ Theologorum colloquia habita ſunt, v. *Acta Huberiana* Theol. Würdenberg. edita.

§. 35.

Anno *1595.* Thorunii menſe Auguſti *Synodus* a quibusdam Eccleſiarum Evangelicarum in Polonia miniſtris conſenſu patronorum habita eſt: in qua de *Conſenſu Sendomirienſi* retinendo decretum fuit, Scil. cum antea alii Auguſtanam alii Bohemicam, alii Helveticam Confeſſionem amplexi eſſent, *Syncretiſmum* contra hoſtes externos ipſi inierunt, inde vocabulum *Syncretiſmi* a Theologis uſurpari cœpit.

§. 36.

Anno *1601. Ratisbonæ* de Maximiliani Bavariæ ducis, & Philippi Ludovici Comitis Palatini Neo-

burgici voluntate, inter Lutheranos & Pontificios Theologos *colloquium* inſtitutum eſt. Theologi Bavarici erant, *Hungerus*, *Cretſerus & Tannerus* (qui per jocum dicebantur *fames*, *ſcabies*, *abies*, (Neoburgici, *Jacobus & Philippi Heilbruneri* fratres, *Abraham Mann*, *Tobias Bruno* & alii: quibus Elector Saxonii, *Ægidium Hunnium*, *Davidem Rungium & Joh. Fladungum*; Braudenburgicus *Abdiam Wiecknerum*, *Laurentium Lælium*; Dux Würtenbergicus *Andr. Oſiandrum & Felicem Bidenbachium* adjunxere. Diſputatio *de norma & judice controverſiarum* præipue fuit, quæ quatuordecim ſeſſionibus, poſt multas altercationes, re infecta finiebatur. vid. *utrinque publicata colloqui acta*.

§. 37.

Anno 1605. cum Academia *Marpurgenſis*, introducto Calviniſmo reformaretur, variæ diſputationes & tumultus orti ſunt. *D. Winckelmannus. Balthaſer Menzerus & Heinricus Leichterus* cum reformationem approbare nollent, a *Mauritio* Landgravio dimiſſi fuerunt.

§. 38.

Cum anno *1614. Wolffgangus Wilhelm. Neoburgicus*, Ducis Bavariæ gener, ad Pontificiam religionem tranſiiſſet; ſequendi anno *colloquium* inter *D. Jacobum Heilbrunerum*, *& Jacobum Kellerum* Jeſuitam habitum eſt: in quo ſuper *libro* Heilbrunneri (cujus titulus, das uncatholiſche Pabſtthum) diſceptebatur.

§. 39.

Cum anno 1618. diſſidia Religionis in Belgio Fœderato ab *Arminio* & *Gomaro* excitata invaleſcerent; ordinis Belgici, hortante Angliæ Rege *Jacobo Synodum Dordraci* indicunt. In qua Arminiani ſeu Remonſtrantes non convicti licet, damnati fuerunt. vid. *Acta & Scripta Synodalia Dordracena Miniſtrorum Remonſtrantium Herderwici* an. 1620 edita.

§. 40.

Anno 1624. juſſu Electoris Saxoniæ conventus Theologorum Saxonicorum indictus eſt, ut controverſiæ *Gieſſenſium & Tubingenſium* Theologorum, de *Statu Exinanitionis & Exaltationis Chriſti* deciderentur. v. *quæ ſupra part. I. c. II. §. annotavimus.*

§. 41.

Anno 1628. Elector Saxoniæ Theologis ſuis injunxit Jeſuitarum calumnias & falſas accuſationes (quaſi Proteſtantes ab Auguſtana Confeſſione diſſentirent) publico ſcripto diluerent. Hinc ann. 1631. publica autoritate Pupillæ Saxoniæ *Apologia* edita fuit.

§. 42.

Anno 1631. Martio menſe inter Theologos Electorales Saxonicos *D. Matthiam Hoe*, *D. Polycarpum Lyſerum & D. Heinricum Höpfnerum*, & inter Theologos Brandenburgicos & Halliacos *D. Johannem Bergium*, *D. Johann. Crotium & Theophi-*

lum

lum Neubergerum, colloquium habitum est, num citra præiudicium aliarum Ecclesiarum controversiae religionis inter Lutheranos & Calvinianos, si non componi, saltem minui possent. vid. B. nostri *D. Kromayeri Loc. Anti Syncretistic. Appendicem de colloquio Lipsiensi p. 365.*

§. 43

Anno 1645. *Uladislaus IV.* Rex Poloniæ *Thorunii* ad componendas controversias inter Lutheranos, Pontificios & Reformatos agitatas colloquium indixit. Collocutores exparte Lutheranorum fueruet *D. Johann. Hulsemannus*, *D. Johann. Botsaccus* *D. Abraham Calovius*: ex parte Reformatorum præcipuus fuit *Johannes Bergius*, cui se adjunxerat *D. Georg. Calixtus*; etsi protestaretur, se in articulo de S. Cœna & de prædestinatione & aliis dogmatibus cum reformatis haut facere: Ex parte Pontificiorum primas tenuit *Matthias Lubinsci*, Archiepiscopus Gnesnensis, Colloquium 36. Sessionibus sine fructu finitum est. vid. *D. Hülsem. Relat. de colloquio Thorunienſi.*

§. 44

Anno 1661. mense Jul. autoritate Ser. Hassiæ Landgravii *Wilhelmi*, inter Theologos quosdam Marpurgenses & Rintelenses, Casselis Synodus instituitur. Collocutores erant *D. Sebastianus Curtius*, *D. Jo. Heinius*, *& D. Petr. Musæus ac Joh. Heinichius.* Qui cum Reformatis, super controversiis fidei non sine scandalo Ecclesiæ purioris syncretismum inie-

runt. v. *Relation. Colloquii Caſſelis* excuſam & *Theologorum Wittebergenſ. ſuper illo judicium* anno 1669 editum.

§. 45

Fuerunt præter commemorata jam colloquia etiam alia inſtituta. Sed cum non ita celebria ſint, viſum eſt, illa hic præterire. Quæ autem adduximus, bona fide, vel ex *Actis & Colloquiis publ.* vel ex *Sleidano, Thuano, Chytræo, Oſiandro & Kromayero* petita ſunt. Qui plura de iisdem cognoſcere cupit, laudatos modo autores ipſemet conſulat.

SOLI DEO GLORIA

INDEX

INDEX GENERALIS
PARTIS PRIMÆ,

CAP. I. De Libris Symbol in Genere.
CAP. II. De Libr. V. Symbol. in ſpecie, & eorum præcipuo, qui eſt Aug. Confeſſio.
CAP. III. De Apologia Aug. Confeſſ.
CAP. IV. De Artic. Smalcaldicis.
CAP. V. De Utroque Catechiſm. B Lutheri.
CAP. VI. De Formula Concordiæ.
CAP. VII. De Symbolis Fidei Chriſt. in genere.
CAP. VIII. Symbolo Apoſtolico in ſpecie, & eius ſenſu vario: & quidem
α) Orthodoxo Eccleſ. Luth. p. 48. ſeqq.
β) Papæo p. 56. ſeqq.
γ) Reformatorum. p. 61. ſeqq.
δ) Arminianorum. p. 69. ſeqq.
ε) Socinianorum. p. 95. ſeqq.
CAP. IX. De Symbolo Niceno.
CAP. X. De Symbolo Athanaſio.
CAP. XI. De aliis Scriptis Theologicis Lutheranorum publica autorit. poſt. Libr. Symbolicos editis:
ut ſunt:
1. Apo-

Digitized by Google

1. Apologia Formulæ Concord. p. 116.
2. Quatuor Articuli viſitat. p. 117.
3. Deciſio capit. principal. controv. inter aliquos Aug. Conf. *Theolog.* p. 118.
4. Deciſio Controverſiæ Rathmanno motæ p. 118.
5. Defenſio Pupillæ Auguſt. Confeſſ. pag. 119.

PARTIS SECUNDÆ.

CAP. I. De principio Fidei & Relig. Chriſtian. quod eſt ſola Scriptura S. p. 121 ſeqq.
CAP. II. De DEO uno & SS. *Trinitat.* pag. 126. ſeqq.
CAP. III. De Creatione univerſi, Angelorum & hominum p. 131. ſeqq.
CAP. IV. De Providentia DEI. pag. 153. ſeqq.
CAP. V. De Lapſu primi hominis, ejusque peccato cum primo, tum orto. p. 136.
CAP. VI. De Facultatibus hominis naturalibus poſt lapſum reliquis. p. 141. ſeqq.
CAP. VII. *De* Miſſione, Perſona, & officio Redemptoris JESU CHRISTI. p. 145. ſeqq.
CAP. VIII. De Vocatione redemtorum, ejusque mediis pag. 153. ſeqq.
CAP. IX. De Converſione per pœnitentiam. p. 157. ſeqq.
CAP. X. De Vocatorum converſione per Baptiſmum. p. 161. ſeqq.
CAP. XI. De vocatorum Juſtificatione per fidem. p. 164. ſeq.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XII. De Justificatorum renovatione & bonis operibus p. 270. seqq.
CAp. XIII. De Justificatorum confirmatione & conservatione per S. Cœnam. p. 175. seqq.
CAP. XIV. De Fidelium perseverantium prædestinatione ad vitam æternam. p. 181. seqq.
CAP. XV. De Glorificatione fidelium, damnatione infidelium & mediis utriusque p. 184. seqq.
CAP. XVI. De Ecclesia, seu interna & externa Societate fidelium in una Ecclesia. p. 188. sq.
CAP. XVII. De Ritibus Ecclesiasticis p. 192. seqq.
CAP. XVIII. De vocatione Ministrorum Eccles. p. 194. seqq.
CAP. XIX. De Magistratu Civil p. 198 seqq.
CAP. XX. De Papa Romano p. 201. seqq.

PARTIS TERTIÆ.

CAP. I. De Hæresi & Hæreticis in genere p. 204. seqq
CAP. II. De Hæreticis & Schismat. antiquioribus, tum qui ante Christum N. tum qui post Chr. N. Seculo I. fuerunt noti, ut
1) Simon Magus p. 214. seqq.
2) Hymenæus & Philetus. p. 215. seqq.
3) Pseudo-Apostoli p. 216.
4) Diotrephes p. 216.
5) Cerinthus. p. 217.
6) Ebionæi. ibid.
7) Symmachus. ibid.

CAP. III.

Digitized by Google

CAP. III. De hæreticis & Schiſmat. poſt. Chr. N. Sec. II. famoſis: ut ſunt
1) Carpocratiani. p. 218.
2) Valentiniani. p. 218.
3) Marcionitæ. p. 29.
4) Noëtiani. p. 219. ſeqq.
5) Tacianus. p, 220. &
Ejus aſſeclæ Encratitæ ibid.
6) Cataphryges p. 220. & ſeqq.
7) Teſſareskadecatitæ ſive Quartodecimani, p. 221.
8) Alogiani p. 222.
CAP. IV. De Hæretic. & Schiſmat. III. Sec. poſt Chr. N.
1) Ἀνητοψυχιται, alias Arabici dicti p. 222 ſeq.
2) Novatus p. 223.
ejus diſcipuli dicuntur Cathari, a barbaris Gazari ib.
3) Origeniſtæ & Adamantii p. 223. ſeqq.
4) Sabelliani, alias Noëtiani, it. Monarchici, it. Patripaſſiani & Hermogeniani, p. 225.
5) & ſeqq.
Paulus Samoſatenſis, p. 226. ſeqq. a quo dicuntur Pauliſtæ & Samoſateniani.
6) Photiniani, Luciani & Marcelliani ibid.
7) Manichæi, p. 227. ſeqq.
8) Meletiani, p. 229.
9) Arius, p. 229. ſeqq. 99.
Diſcipuli Ariomanitæ p. 230.
10) Donatiſtæ, alias Donatiani, Majorini, Cæ-

Campates, Montenſes, Parmènianiſtæ Circumcelliones. it. Rogatiſtæ, Maximaniſtæ, Cretenſes p. 230. & ſeqq.

CAP. V. De Hæretic. & Schiſmat. Sec. IV.

1) Archonitici p. 233.

2) Theopaſchitæ & Theopaſiani, p. 233. ſeqq.

3) Photiniani, p. 234.

4) Aëtiani & Eunomiani, it. Anomii, Anomæi & Anominiani, Troglodytæ pag. 234. ſeqq.

5) Acatiani ſeu Semiariani, pag. 236. ſeqq.

6) Macedoniani. p. 236.

& horum aſſeclæ Pneumatomachi ibid.

7) Jovinianiſtæ pag. 236.

8) Audiani, ſeu Anthropomorphitæ, it. Anthrophiani. p. 236. ſeqq.

9) Aëriani & Syllabici p. 237. ſeqq.

10) Maſſaliani, alias Pſalliani pag. 238. qui propter varias ſectas vocati ſunt Martyriani, Sataniani vel Sataniai, Enthuſiaſtæ, pag. 238. ſeqq.

11) Prodiciani p. 239.

12) Priſcillianiſtæ p. 239.

13) Apollinaris ſeu Apollinarius, p. 239. ſeqq. ejus complices Apollinariſtæ ibid.
qui in duas ſectas dividuntur, quarum ſunt
1) Apollinariſtæ ſimpliciter, 3) Apollinariſtæ Marcionitici p. 240,

14) Antidicomarianitæ, alias Antimaritæ & Helvidiani, pag. 240,

15) Pe-

15) Pelagius Britannus, cujus discipuli dicuntur Pelagiani, alias Cœlestiani: quia ejus partátæ fuerunt Cœlestius, Julius, Faustus &c. pag. 241.

CAP. VII. De Hæretic. & Schismat. V. Secul.

1.) Nestorius p. 241.

2.) Eutychiani seu Eutychitæ, nomen habentes ab Eutyche, dicuntur etiam Monophysitæ Acephali p. 242. seqq.

3.) Monotheletæ, alias Monenergitæ eorum princeps Sergius, item Jacobitæ & Maronitæ, p. 243. seqq,

4.) Prædestinatiani p. 244.

5.) Agnoëtæ, p 244.

6) Petrus Gnapheus p. 245.

CAP. VII. In Seculo VI. Papismi & Muhamedismi primordia notantur, p. 246.

CAP. VIII. De Hæretic & Schismat. Sec. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. XIV.

1) Primatus Pontif. Rom. ortus, p. 246.

2] Schismatis in Eccl. Lat. origo, p. 246.

3) Muhamedismus, p. 247.

4) Contentiones Episcoporum Orient. & Occid. p. 247.

5) Felix Urlegitanus & Elipandus Toletanus. p. 247.

6) Godeschalcus p. 248.

7) Johannes Erigena, ejus successor, Bertramus p. 248.

8) Mo-

Digitized by Google

8. Monarchiæ Papalis, cœlibatus & ordinum in Monachatu introductio. p. *248.*
9. Berengarius Andegavenſis, ejus antagoniſta Lanfrancus & Guitmundus, p. *249.*
10. Controverſiæ aliæ inter Eccleſ. Orient. & Occident. p. *249.*
11. Waldenſes, alias Pauperes de Lugduno, pag. *250.*
12. Petrus Abailardus vel Baliardus, ejus diſcip. Gilbertus & Arnoldus Brixianus. p. *250.*
13. *Papæorum* errores tandem fiunt articuli religionis p. *251.*
14. Fratricelli pag. *251.*
15. Papalis poteſtas, p. *251.*
16. Bertholdus de Rorbach. p. *251.*
17. ποτηριοκλεψίας in Papatu introductio. pag. *252.*

CAP. IX.

de

Recentioribus Hæreticis, item Schiſmaticis ac Noratoricus:

Ut ſunt Papæi & Papiſmi ſtatores Jeſuitæ, Zvvingeliani ſeu Calviniani, qui & Helvetici, Sacramentarii, & in Gallia Hugonotti appellantum Anabaptiſtæ, Schvvenckfeldiani, Antinomi, Interimiſtæ, Oſiandriſtæ, Stanckariſtæ, Majoriſtæ, Amsdorfius, Flaciani, Synergiſtæ, Servetiani, Neo-Ariani & Sociniani, Samuel Huberus & alii Schiſmatici.

Digitized by Google

CAP. X.

de

Hæreticis, Schismaticis, Syncretistis & Novatoribus, tum qui post reformationem hoc ipso currente seculo in vera & orthodoxa Lutheranorum; tum in falsa Calvinianorum & Pontificiorum Ecclesia, dissensiones & turbas excitarunt. Horum nomina & historia paucis recensentur.

NOTITIA CONCILIORUM ET COLLOQVIORUM RELIGIONIS CAUSA HABITORUM.

CAP. I.

de Conciliorum Natura in genere.

CAP. II.

de Conciliis & Synodis Oecumenicis veris & falsis, quæ recensentur.

Concilium Nicenum p. *386.* seqq.
- Constantinopolitanum I. p. *287.*
- Ephesinum p. *387.*
- Chalcedonense, p. *189.*
- Constantinopol. II. p. *290.* seqq.
- Constantinopol. III. p. *291.* seqq.
- Nicenum II. p. *292.*
- Constantinopolitanum IV. pag. *292* seq.
- Constantiense p. *293.*
- Papæo-Tridentium p. *294.* seqq.

CAP.

CAP. III.

De

Synodis & colloquiis particularibus ſuper cauſis religionem attinentibus, maxime poſt Reformationem B. Lutheri per ſesquiſeculum habitis,

ut ſunt:

Colloquium Auguſtanum p. *297.* ſeqq.
- Lipſienſe, p. *298.*
- Wormatienſe p. *298. 301. 302.*
- Jenenſe p. *299.*
- Tigurinum p. *299.*
- Badenſe p. *299.* ſeqq. *310.*
- Homburgenſe p. *300.*
- Upſalienſe p. *300.*
- Marpurgenſe p. *300.*
- Ulmenſe p. *301.*
- Wittebergenſe p. *301.*
- Smalcaldienſe p. *301.*
- Ratisbonenſe p. *301. 302. 310.*
- Heidelbergenſe p. *303.*
- Vinarienſe p. *303.*
- Numburgenſe p. *303.*
- Poſſacenum p. *303.* ſeqq.
- Luneburgenſe p. *304.*
- Maulbrunnenſe p. *304.* ſeq. *308.*
- Altenburgenſe p. *305.* ſeqq.
- Servestanum, p. *306.*
- Argentinenſe, p. *306.*
- Francotalenſe, p. *306.*

- - Dresdenſe, p. 307.
- - Torgenſe, p. 307. 308.
- - Lindavienſe, p. 307. ſeqq.
- - Tangermundenſe, p. 308.
- Langenſalzenſe, p. 308.
- Herzbergenſe, p. 308. ſeqq.
- - Hugenottorum cum Proteſtantibus in Germania collatio p. 309.
- - Mompelgardenſe, p. 309.
- - Thorunienſe, p. 310.

Reformatio Academiæ Merpurgenſis, pag. 311.
Colloquium inter Heilbrunnerum & Kellenum p. 311.
Colloquium & Synodus Dordracena, p. 311. ſeqq.
Theologorum Saxonicorum deciſio Controverſ. Gieſſenſium & Tubingenſium, pag. 312.
Apologia Pupillæ Saxon. in conventu Theologorum Lipſienſ. confecta, p. 312.
Colloquium Lipſienſe inter Theolog. Saxon. Brandenb. & Haſſiacos, p. 312. ſeqq.
Colloquium Thorunienſe, 313.
Colloquium Caſſellanum, p. 313. ſeqq.

Digitized by Google

INDEX HÆRESIUM, CONCILIORUM, COLLOQUIORUM THEOLOGICORUM &c. JUXTA SERIEM ALPHABETI. PRIOR NUMERUS NOTAT SECULUM, POSTERIOR PAGINAM.

Acatiani 4. 236
Accaronitæ 213
Acephali 5. 242
Adamantius 3. 223
Addam 3. 27
Adiaphoristæ 16. 33. 258
Adrumetani monachi 5. 244
Aeriani 4. 237
Aetiani 4. 234
Agnoetæ 5. 244
Agricola 1538. 258
Alciatus 16. 262
Alogi vel Alogiani 2. 222
Altenburgense colloq. 1563 305.
Amyraldo Salmuriensi 17. 268.
Amsdorf 16 260
Anabaptistæ 1522. 255
Anachoretæ 4. 233
Andreæ Jac. 1564 305
Angliæ reformatio 1560. 303
Anhaltini theol. contra formul. concord. 1578. 309
Anomii, Anomæi, Anominiani 4 235
Antichristus 7. 246
Antidicomarianitæ 4. ib 340
Antimaritæ 4. ibid.
Anthropomorphitæ, Anthropiani 4
Antonius de dominis 17. 272
Απαρνησιδες 3 227

Apollinaris 4. 239
Apologia Aug. Conf. 16. 13
Apolog. form. conc. 16. 35. 116
Apostolicum Symbolum 4. 40.
Sensus Arminianorum 69
Lutheranorum 48
Papistarum 56
Reformatorum 61.
Socinianorum 95.
Aquilegensis Synodus 7. 291
Arabici 3. 222
Archontici 4. 233.
Argentinense colloqv. 1570. 306
Ariani 3. 229
Ariomanitæ 3. 230
Arminius 17. 266. seq.
Artemon 2. 226
Artemonitæ 2. 228
Artic. Schmalcald. 1537. 18
Artic. visit. Misn. contra Calvin. 117
Ascodryptæ 4 233
Astharotitæ 213
Athanas. Symbol. 10. 212 213.
Audiani 4 236
Augustana Conf. 1530. 4
Ejusd. apolog. 13
Augustanum colloqvium Lutherum & Cajet. 1518. 297
Augustinitani 16. 256.
Aversanus 11. 249

B

Baalitæ 213.
Badense colloqv. I. ao. 1526. p. 299. II. ao. 1589. 310
Baliardus 12. 250
Baptismus 161
Basilides I. 215 seq.
Belitæ 213
Berengarius Andegav. II. 249
Bergius 312. 313
Bertholdus de Rorbach 14. 251
Bertram 9. 248
Beza 16. 303
Bezelius 1574. 307
Bidem-

image
not
available

sub Marciano contra Eutych. sec. 5 289
Chiliastæ 186
Christomachi 3. 229
Circumcelliones 3. 231
Clevicius 302
Coccejani 17 269
Cœlestiani 4. 241
Cœlibatus introduct. 10. 248
Cœna Domini 175
Comitia quid i 273
Concilia vel œcum. 275 seq.
vel merica s. part. 278
vel diœcesana 275
vel provincialia 276
Conciliorum Scriptores 296
Conciliabula papist. 285
Confessio auricularis 13. 251
Constantiense concil. 1414. 293
Constantinopol concil. I. œcum. sub Theodosio M. contra Macedon. anno 389 287
concil. II. œcum V. contra Aphthartocitas 600. 290 concil. III. œcum. VI. sub Justiniano minore contra monotholetas 585 643. 291. concil. IV. œcum. VIII. sub Basilio 9701 292
Consensus Dresdensis 1571. 307
Conversio per pœnit. 157
Crato 300
Creatio 131
Crellius 16. 261
Cretenses 3 231
Crotius 312
Cruciger Jun Calv. Brent. 307
Culmann. 17. 269
Curcellæus 17. 272
Curtius Sebast. 313

D.

Damnatio æterna 184
Davidiani Anabapt. 16 256
Davidis serveti disc. 16. 262
Decalogi divisio abrogatur

tur Marpurgi 1605. 311
Diciſio ſup. princ. controv. inter aliquos A. C. Theologos 118
Dephius 302
Deis Triunus 126
Dicceſis 276
Diorephes 1. 216
Dominicani 17 265
a Dominis 17. 27
Domatiſtæ 3. 230
Domtiani 3. 231
Dorlracena ſynod. 1618. 32
Dreerus 17. 272
Doſthei 213
Dreidenſe col. de conſenſu ao. 1571 306
Duræus ſyncret. 17. 272
E.
Eberus 16. 261
Ebion 1. 217
Eccius 16. 298
Eccleſiæ 188
Eccleſiaſtici ritus 192
Ehemius 305
Elipandus Tolet. 8. 247
Encratitæ 2. 220
Enthuſiaſtæ veteres 4. 239. novi 1522. 256
Epheſinum c. 1. œc. III. ſub Theod. Jun. contra Neſtor. ao. 443. 287. II. λητρικον 289
Epiſcopius 17. 266
Eraſmus 261
Eraſtus 305
Erigena 9 248
Erfurtenſe colloqv. pro apolog. form. conc. 35.
Eſſeni 213
Enchetæ 4. 238
Eunomiani 4. 235
Euſtathius 4. 238
Eutychiani 8. 242
Eutichiatæ
Exorciſmi bellum ao. 1591. & 1596. 310
F.
Faber 1514. 299
Facultates hominis naturales poſt lapſum reliquæ 14
Fauſtus, Pel. diſ. 4. 241
Felix Urgelitanus 8. 247
Fides 164
Flacius 16. 306
Flaciani 1561 260
Fladungius 311
Florentinum conc. 285
Formula conc. 27. 308

Digitized by Google

Ejus Apologia p. 135. 116.
Formula concord. Lutheri cum Calvin. 1536. 301.
Fortunæ cœli cultores 213
Franciſcani 17. 265
Francotalenſe colloqv. ab Elect Palatino contra Anabapt. 1571. 306
Fratricelli 13. 251

G

Gallius Svevus contra Olaum M. 1527. 300
Gazari 3. 223
Gentilettus contra conc. Trid. 295.
Gieſenſes & Tubingenſes adverſ. 1624. 312
Gilbertus 12. 250
Glorificatio fidelium 184
Gnæpheus Petrus 5. 245
Gnoſtici 1. 215 ſeqq.
Godeſchalcus 9. 248
Gomarus 17. 266. 312
Gortheni 213
Gracovius Georg. Cancell. 307
Gregorius M. 7. 246
Gretſerus 17 311
Græningenſe coll. 1524. 299
Græcorum ſchiſma 1) qua Papatum 7. 241 2) qua doctr. de Sp. S. 249. 292. 3) qua immerſionem 2. 149
Gvitmundus antagoniſta Berengarii II. 249

H.

Hæreſis 1) unde dicatur 204 ſeqq. 2) ſignific. ibid. 3) diſtinctio a ſchiſmate 207. 4) deſcriptio 208. ſeqv.
Hedio 308
Heidani 17 269
Heidelbergenſe coll. 1160. 308
Heilbrunner contra Keller ſuper uncti. Pabſtthum 311
Heinius Syncr. 17. 313
Heinichius ibid.
Held interimiſta 154. 258
Heliognoſtæ 213
Helvediani 4. 240
Helvetici 16. 255
Hemerobaptiſtæ 213

image
not
available

Carlſtad. 1591. 298. II. inter Saxon. Brandenb. & Haſſiacos p. ultima.
Lojola 16. 253
Lotharingus Card. 304
Lubinski 313
Lubinus 264
Luciani 3 226
de Lugduno pauperes 12 290
Lugdunenſia 2. concilia-bula 285
Luneburgenſe contra Calvin. Saxon. ſuper 1561. 304
Lutherus 252
Lyſerus 312

M

Macedoniani 4. 236
Magiſtratus civil 198
Majorini 3. 231
Majoriſtæ 1552. 259. 261
Manichæi 3. 227
Marburgenſe col. 1529. 311
Marcionitæ, Marcitæ, Marcoſii 2. 29
Marcelliani 3. 226
Mareſius 17. 269
Marloratus 16. 303
Maronitæ 5. 244
Martyriani 4. 238
MartyrPetr. 303
Maſſiliani 4. 238
Maulbrunnenſe col. I. 1564. 304. II. 1577. 308
Maximilla 2. ibid.
Maximianiſtæ 3. 231
Meletiani 3. 228
Menandriani 1 216
Menoniſtæ 16. 256
Meth 17. 264
Miniſterium Eccleſ. 194
Mollerus Henr. 16. 307
Molochitæ 213
Mompelgardenſe 1586. 309
Monachatus 10. 248
Monarchici 3. 225
Monenergitæ 5. 244
Monotheletæ 5 244
Monophyſitæ 5. 243
Montanus 2. 28
Montenſes 3 241
Morlinus 16. 302
Muhamediſmus 7 247
Murnerus 16 299
Mulæus Petr. 313

Digitized by Google

Musca Accaronita 213
Musculus 16. 301

N

Nazaræi 213
Neoburgicq dux Wolfg. Wilh. deficit ad Pontificiam relig. 1614. 311
Nestorius 5. 242
Neuberger 1631. 312
Nicenum Symb. 333. 106
Nicenum conc. I. œc. I. sub Constantin. M. contra Arium 286. II. œcum. VII. sub Irene & Constantino filio ao. 790. 292
Nicolaitæ 1. 216
Nicol. Herbornens. 300
Noetiani 2. 219
Novatiani 3. 223
Numburgense coll. 1561 303

O

Ochinq, Serv. disc. 16. 262
Oerebroense concil. sub Gustavo Svec. 1527. 300
Olaus Svecus 16. 300
Olevianus 16. 305
Ophitæ 213
Orantes Anabapt. 16. 256
Origenistæ 3. 223
Osiander Lucas 305
Osiandristæ 16. 259
Osseni 213
ab Ossinck Schwenckf. 16 257
Oswald 16. 301

P

Papa prim° Bon III. 7. 246
Papales errores
calicis privatio 15. 252
cœlibatus 10. 248.
confessio auric. 13. 251
cultus imag. 8. 247
monachatus 10. 248
primatus a) initium 7. 246.
b) progressus 10. 248
c) consumatio 14. 25
pœnitentiæ satisfactio 12. 251. eroress hos facit Papa articulos fidei 13. 251. transsubstantiatio 13. 251.
Pareus 17. 272
Parmenianistæ 3. 231
Patripassiani 3. 226
Pauliani
Paulisti
Paulianistæ } 3. 226
Pauperes de Lugd. 12. 250

Pelagius

Pelagius Britann 4. 241
Pelargus Storch 15. 22. 255
Pepuziani 2. 221
Peucerus 16. 307
Pfeffingerus 16. 261
Pflug interimista 1548. 258
Philetus 1. 215
Photiniani 3. 4. 226. 234
Phrygastæ 2. 221
Pnevmatomachi 4. 236
Pœnitentia 157
Polliacum conc. 1561. 303
Prædestinatio 181
Prædestinatiani 17. 268
Priscella 2. 221
Priscillianistæ 4. 239
Prodiciani 4. 239
Providentia Dei 133
Psalliani 4. 238
Pseudapostoli 1. 216
Pupillæ A. Conf. defensio 1628. 119
Puritani 17. 268
Potirioclepsia 15. 252

Q

Qvakeri 17. 268
Quartodecimanni 2. 221
Quintiliani 2. 221

R

Ranarum cultores 213
Rathmannus 17. 264
Rathmannianæ controv. decisio 118
Ratisponense coll. I. 1541. p. 301. II. 1546 302. III. 1601. 310.
Reformati 16. 255
Religio medici 17. 271
Remonstrantes 17. 267. 312.
Renovatio 170
Rogatistæ 3. 231
de Rorbach 14. 251
Rothius 17. 269
Rungius 302
Ruppius 307

S.

Sabelliani 3. 225
Sacramentarii 16. 235
Sadducæi 213
Samaritæ 213
Samosateniani, Samosatitæ, Samosatei } 3. 226
Samson Medio anens. 16 253
Sanctius 17. 269

Sar-

Sardienſis Synodus contra Ariam. 229
Sataniani 4. 239
Satanici 1
Saturniani I. 216
Scheſſerus 307
Schiſma 1) Cartaginenſe 231. 2) græcum 7. 2. 6 3) quid ſit 207. 209
Smalcaldenſe coll. 1537. 301
Schnepfius 302
Schwenckfeld 1528. 257
Scribæ 213
Scriptura S. 121
Sebuſæi 213
Selena 215
Semi-Ariani 4. 236
Senatus quid differat a ſynodo 274
Sendomitienſis conſenſus 16. 310
Sergius 249
Serveſtanum coll. 1570. 306
Sethiani 213
Simoniani I. 214
Socinus Lælius 16. 26
Socinus Fauſtus
Spangenberg Cyriac. 16 261
Sphynx Auguſt. 259
Spinoſa 17. 222
Spiritualis I. 221
Stancariſtæ 16. 259
Staphylus 202
Stiefel 264
Stoinski 272
Stoſſelius 16. 302
Stordi) 16 255
Strigelius 1560 260 ſeq.
Subſtantialiſtæ 16. 261
Supnalapſarii 17. 267
Syllabici 4. 237
Sylvius 296
Symbolorum doctrina 12
Symbolorum Apoſtolicum 40
in ſenſu Arminianorum 69
Lutheranorum 48
Papiſtarum 56
Reformatorum 61
Sociinianorum 95
Symmachus I. 217
Syncretiſtæ 269 uni-

universales 271
particulares 272
Synergistæ 261
Synodus 274
Sirmiensis synod 94. 234

T.

Tacentes 16 206
Thamur cultores 213
Tangermünd. c. 1577. 308
Tannerus 17. 311
Tascedrongitæ 2. 221
Tatiani 2. 220
Tessaresckadecatitæ 2. 221
Testardus 17. 268
Theodoret' Byzant. 2. 222
Theodorus Vitus 302
Theodotius Byz. 2. 222
Theoktoni 3 227
Theopasiani } 4. 233
Theopascitæ }
Thnytophichitæ 3. 222
Thomas manich. 3. 227.
Thorunense coll. I. 1595. 310. II. 1645. 313
Thummius 17. 312
Tigurinum col. 2523. 290
Torgense colloq. I. 1574. 307. II. 1576. 308
Transubstantiatio 13. 251
Trident. conc. 16. 21. 294
Troglodytæ 4. 213. 235
Trullæi canones 291
Tubingenses & Giesenses 1624. 328

V.

Valentinisni 2. 218
Vergerius Paulus 16. 278
Veteraqvinas Ar. 1613. 266
Viennense concil. 285
Vinariense col. inter Flac. & Strigel. 1560. 315
Vita æterna 154
Vlmense col. 1531. 301
Voetius 17. 173. 269
Vorstius 266
Vpsalience col. 1527. 300
Urgelitanus Felix 8. 247
Ursinus 16. 205

W.

Waldenus 12. 259
Weigel 17 264
Wickner 311
Winckelmann 1605. 311
Witteberg. Calv. 1574. 311
Wormatiense I. 15. 20. 298. II. 1541. 301. III. 1547. 302
Wulf Martin 16. 305

X.

Xylander 16. 305

Z.

Zvvickerus 17 272
Zvvinglius 16. 285

S. D. G.

Bibliothek Aachen

Digitized by Google

Digitized by Google